EMETICA
PETRI CASTELLI
MEDICI ROMANI,
ET PROFESSORIS PVBLICI.

IN QVA AGITVR
De Vomitu, & Vomitorijs.

OPVS
MEDICIS OMNIBVS VTILE,
& necessarium ad curandos omnes morbos.

CVM HIPPOCRATICAM DOCTRINAM sequentibus, tum Galenicam, Paracelsicam, & Empiricam.

Omnibus demonstratis ratione, auctoritate, & experimentis.

ROMAE,
Ex Typographia Iacobi Mascardi.
MDCXXXIV.

SVPERIORVM PERMISSV.

SANCTISSIMAE
ET INDIVIDVAE
TRINITATI
CVI SEMPER LAVS,
HONOR, ET GLORIA.
D. D. D.

Petrus Caſtellus Romanus
Medicus.

Imprimatur, si videbitur Reu.^mo P. Mag. Sacri Palatij Apost.

A. Torniellus Vicesg.

Reuerendissime Pater Sac. Apost. Palatij Magister.

EMeticus hic Petri Castelli Liber, cum argumenti, quo continetur, nouitate, tum doctrinæ, quam continet, antiquitate, quòd ea potissimum, vel ab Hippocrate sit, vel ad Hippocratem, non modò totus probandus est, sed etiam plurimùm commendandus.

Angelus Colius.

Imprimatur.

F. Antoninus Cellius Magister, & Socius Reu.^mi P. F. Nicolai Riccardij Sacri Palatij Apostolici Magistri.

INDEX
CAPITVVM LIBRI PRIMI EMETICÆ
PETRI CASTELLI,
In quo agitur de Vomitu in vniuersali.

INDEX
LIBRI SECVNDI EMETICÆ.
De Medicamentis Vomitorijs.

INDEX

INDEX LIB. III. EMETICAE.

De ijs, quæ sunt agenda ante Vomitum, in Vomitu, & post Vomitum.

PARS PRIMA.

De agendis ante Vomitum.

PARS SECVNDA.

De Agendis in Vomitu, & de Accidentibus superuenientibus.

PARS TERTIA.

De Agendis post Vomitum, & correctione Accidentium relictorum.

Accipite nunc

Hos tres libros Emeticæ, qui iustum Tomum faciunt, reliquos septem breui dabimus, secundo, ac tertio Tomo, si Deo placuerit.

AVCTORVM NOMINA

Quorum Doctrina in hoc primo Emeticæ Tomo conficiendo adiuti sumus.

Cor-

Io.

Io. Bauhinus.
Io. Beguinus.
Io. Capellanus.
Io. Colle.
Io. Faber.
Io. Hartmannus.
Io. Gadesden.
Io. Grammaticus.
Io. Hucherus.
Io. Ingostetterus.
Io. Ketmannus.
Io. Libautius.
Io. Lubera de Auila.
Io. Matthæus à Gradi.
Io. Platearius.
Io. Pona.
Io. Riolanus.
Io. SchencKius.
Io. Thalius.
Io. Valeius.
Io. Zecchius.
Isaac eben Amran.
Isaac.
Iubertus.
Iulius Palmarius.

K

Kinrandus.

L

LAcuna.
Landulfus.
Langius.
Laurentius Catalanus.
Leonellus.
Leuinius Lemnius.
Libauius.
Linacer.
Liber Regum.
Lobelius.
Lonicerus.
S Lucas.
Lucas Stenglius.
L. Apuleius.
Ludouicus Launæus.
Ludouicus Mercatus.
Lumbisanus.

M

MAcer.
Manardus.
Manilius.
Marcellus.
Marcellus Empiricus.
S. Marcus Euangelista.
Marcus Aurelius Seuerinus
Marianus Sanctus.
Marquard.
Marsilius Cagnatus.
Martialis.
Massaria.
S. Matthæus Euang.
Matthias Vntzerus.
Mercurialis.
Melichius.
Mesue.
Michael Toxites.
Michael Mercatus.
Michael de Palatio.
Michaelius.
Mindererus.
Mizaldius.
Mnesitheus.
Montanus.
Monachi in Mesuem.
Marcellus.
Monspelienses.
Mundinus.
Museum Calceolarianum.

N

NAeuius.
Nicander.
Nicolus.
Nicolaus Alexandrinus.
Nicolaus Præpositus.
Nicol. Massa.
Nicol. Monardes.
Nizolius.
Nonius Græcus.

O

OBerndorferus.
Omnibonius.
Oribasius.
Ouidius.

P

PAlladius.
Palmarius.
Papinianus.
Pandectarius.
Paracelsus.
Pascalius.
Paræus.
Pater Clauius.
Paulus Aegineta.
Paulus Tucca.
Penotus.
Pereda.
Pedemontanus.
Petrus Aponensis.
Petrus Bellonius.
Petrus Crispus.

Petrus

Petrus Forestius.
Petrus I. Faber.
Petrus Poterius.
Petrus Salius.
Petrus Seuerinus.
Philagrius.
Plato.
Platerus.
Platina.
Pitagoras.
Plinius.
Pollux.
Ponzetta.
Possidonius.
Poppius.
Praxagoras.
Presbiter Ant. Neri.
Prosper Alpinus.
Prosper Martianus.

Q

Quercetanus.

R

Rabi moises.
Randolfius.
Rasis.
Renardus Cessatus.
Renodęus.
Reudenius.
Rodericus à Castro.
Rossellus.
Ruffus.
Rullandus.

S

Saladinus.
Saluus Clanus.
Sambarolitanus.
Santorellus.
Sanctes Arduinus.
Sauonarola.
Saxonia.
Scaliger.
Scipio Mercurius.
Scribonius Largus.
Schuuenchfeldius.
Scheunemannus.
Septalius.
Serapio.
Siluius.
Simon Ianuensis.
Simon Paullus.
Solenander.
Soranus.
Stephanus Rodericus Castrensis.
Stephanus Atheniensis.
Strobelbergerus.

T

Tabernamontanus.
Tagautius.
Temison.
Tentzelius.
Thales.
Theodorus Gaza.
Theodorus Priscianus.
Theophrastus.
Thomas à Vega.
Thomas Iordanus.
Thomas Philologus.
Tragus.
Trincauellius.
Triuerius.
Turneisser.

V

Valerius Cordus.
Valeriola.
Valescus.
Varænnius.
Varro.
Veccolus.
Veccherius.
Vgo Senensis.
Vidius.
Vincentius Alsarius.
Vitruuius.
Vuierus.
VVotronus.

Z

Zephiriel Tomas Bouius.

Hæc Auctorum nomina posuimus ad imitationem Plinij, & Neotericorum, vt simus memores eorum, à quibus doctrinam suscepimus, non autem vt pompam faciamus nostræ bibliotecæ, quæ Dei gratia decies horum autorum numerum superat. ergo,
tace Mome.

AVCTOR AD LECTOREM.

EMETICAM Artem docturus Hippocratem malui, quàm Galenum ſequi; vndè non ſemel hunc deſerere fui coactus; & vel pro Hippocrate, vel pro veritate cum ipſo pugnare. Porrò cum Veritas à Philoſopho viro propalanda, tuendaq. ſit: pro hac liceat, quæſo, Alexandro, liceat Auicennæ, Auerroi. Veſalio, Argenterio, Cardano, & alijs, liceat, & mihi aliquando à Galeno diſſentire; huiuſq. refellere opinionem, ſi fortè à veritate aberrauerit. An nè Ariſtoteli licuit à Platone præceptore diſcrepare, quem viginti annis docentem audierat, & Galeno aliquoties Ariſtotelem, Hippocratemq. refellere? Immò, ſi Galeni ipſius decreto, nemini eſt credendum, cuius dicta rationi conſentanea haud ſint; ita vt neque Hippocrati ipſi aſſentiendum quidem ſit; ſi fortè rationi minimè conſentanea attuliſſe viſus fuerit: nam libro, quòd Animi mores. cap. 9. *Ego verò* (inquit) *huic non tamquam teſti, vt plerique aſſolent; ſed quoniam eius rationes firmas inuenio, idcircò fidem adhibeo.* Cur mihi, veluti Oraculo, credendum eſt Galeno? Erat homo, vt nos. Ipſe quidem 2. de diff. pulſ. cap. 4. deridet Moyſis, & Chriſti ſcholam, dicens: *Leges audies nulla conſtitutas demonſtratione.* Numquid ego iſtl, qui meam irridet ſanctiſſimam ſcholam, fidem adhibebo ſine demonſtratione? Valeant, qui pro Galeno, non pro veritate pugnant, & qui, vt iſtum irreprehenſibilem ſtatuant, quæ ſophiſmata, quas fabulas, quæ ſomnia, quas contumelias non proponunt? præſtaret ſe philoſophos, viros liberos, & veritatis indagatores, quàm ſectis addictos, obſtinatos ſectatores, alterius mancipia, & veritatis contemptores oſtendere. Horum caterua, certò habeo, breui fore, vt aduerſus hæc mea inſurgat; ſed ego liber liberos, & ingenuos magni æſtimo, ſeruos, & Mancipia floccifacio, hi inter ſe digladientur, & ducum ſuorum lambant ſaliuam, loquebor ego cũ mei ſimilibus, & diſcipulis meis. Mihi quidem de Vomitu ſcripturo ad mentem, non ſoliùs Hippocratis; ſed ipſius Medicinæ vniuerſalis; ſuadebant amici, vt Galeni veſtigia omninò ſequerer, ne in ſectatorum odia incurrerem. At perſuaſit Veritas, iuſſitq. nulli me eſſe addictum: ſed ingenuè me eam ipſam, & quidem nudam, puramque, vt ſe mihi obtulerit, non autem fucatã, coloratam, alienisq. perſpicilijs videndam proponere: quia Amicus Hippocrates, amicus Galenus, amicus Auicēna, & amici omnes per quos profecimus: ſed magis amica veritas. Fateor, herclè, quicquid mei didicerunt Præceptores, quicquid didici ego totum ferè deberi Hippocrati tanquam Auctori, & Galeno tanquam indefeſſo interpreti: non nihil tamen debeo tot Scriptoribus, qui ſui editis ingenij fœtibus me docere inſtituerunt. Quare cum nunc me libertum ex Mancipio factum videam, meiq. ſim iuris, liberè agere decreui. Hac de cauſa, quæ nunc in lucem profero, haud recipienda erunt, vt diſcipuli alicuius commentaria. Sed Præceptoris, cuius in Academia Romana munere fungor; nec vt iuuenis ſcriptoris; ſed Senis, cum ſexageſimum agam annum. Præcipuè ſcripſi ad Diſcipulos meos, veritatis cupidos, qui, & auribus, & calamo, hæc à me primo exceperunt; nunc hæc eadem omnibus communicantur. Atque in his libris decem primò Hippocraticam, deindè Galenicam afferre ſententiam, profiteor. ſed ne quid lateat Auditores meos, addam Methodicam, & Paracelſicam, quia nonnullis hæc modò placet. Verùm pauca ex his ambabus proferam, tum quòd illa ſequaces deſideret, tum verò quia hæc in compoſitione medicamentorum artificioſa magis valeat, quàm in morborum inueſtigatione. Omnia, quæ ex præfatis auctoribus attulero, ſincerè, fidelitèr, & clarè explicabo, ſententiamquè meam proferam, illi conſentientem, quæ ad veritatem proximiùs accedere viſa fuerit. Deniquè ſi quid pepererit ingenium meum rationi, & experientiæ coniunctum, id, ſi luce dignum iudicabo, Lectori beneuolo libens impertiar. & hæc in ipſo librorum limite admonuiſſe ſit ſatis.

 ARGV-

ARGVMENTA
LIBRORVM DECEM EMETICAE
PETRI CASTELLI.

CAPITA LIBRI PRIMI EMETICAE.

In quo agitur de Vomitu in vniuersali.

EME-

EMETICAE PETRI CASTELLI LIBER PRIMVS.

In quo Agitur de Vomitu in vniuersali.

In validis morbis valida requiri Medicamenta. Cap. I.

ANTIQVORVM totissimum refugium, ad quod in contumacibus, longisq; potissimum morbis, ac penè insuperabilibus tanquàm ad *sacram Anchoram* (vt dicitur) confugiebant; (hinc Aretæus in Elephante *medicinam sacram non semel propinato*) hac nostrâ tempestate à timidis, & indoctis tanquàm certa perniciei habitum; ita vt quod maximè amplectendum, nunc abhorreatur, quod summè laudandum, vituperetur, quod vtilissimum paruipendatur; in præsentia pristinæ luci

Intentio Auctoris.

restituendum, tenebrasq; Coi Solis lumine, splendoreq; dissipandas, duximus: Medicinæ enim Parens 1. Aph. 6. testatum reliquit. *Extremis Morbis extrema exquisitè remedia optima esse*. Vomitus, Vomitoria, & Veratrum ipsum latinis dictum, Græcis verò ἐλλέβορος λευκὸς extremum, ac validissimum remedium extremis, difficillimis, chronicis, atque aliàs minimè superatu facilibus optima sunt Morbis auxilia, Hippocrati quidem, & ipso prioribus, posterioribusq; multis, vsu familiarissima, hoc autem miserabili æuo (vt ita dicam) derelicta: partim medentium inscitiâ,

Cur Vomitoria derelicta.

seu saltem, dicam, negligentiâ: partim verò Ægrotantium timore, mollitie, ac delicijs, vomitu purgari ægrè ferentium; hinc factum, vt leuioribus Medici contenti ægrotis obsequentes, indulgentesq; solis vtantur medicamentis, quæ *Benedicta* ipsi appellant, lenientibus quidem morbum, nunquam tamen ex toto expellentibus, si quidem fuerit magnus, & vehemens: vndè potiùs *Maledicta*, cum morbos non tollant, ab ægris dici merentur. Iurè igitur

Medicamenta debilia non

huiusmodi Medici (mea vt fert opinio) reprehenduntur à Doctissimo Cardano de malo medendi vsu c. 21. *Nam* (inquit) *cum materia grossa, aut melancholica fuerit, tollunt, quod subtile est, & crassum derelinquunt, & ita ex curabilibus morbis incurabiles faciunt: vt igitur non tutum est, velle semper laboriosis medicinis vti, quæ robur virtutis exsoluunt, & ad malas præparant ægritudines, ita nec laudabile in lenibus consistere, quæ morbos relinquunt deteriores, quàm priùs curandos assumpseris: meliùs est igitur in crassis, lentisq; non euacuare*, ita etiam Septalius lib. 3. caut. med. num. 10. *Eòusq; inquit, mollicies nostra peruenit, vt Vomitoriorum vsus ferè exoleuerit, vt vel eam esse causam, etiam credam, vt rarò rebelles morbi à nobis euincantur.* Sed mirum est, nostros coetaneos se Hippocraticos profiteri, eius tamen doctrinam, atque documenta haudquaquam sequi. Audiant ergo venerandi Senis clara, salubria, certaq; decreta l. de loc. in hom. n. 54. *Medicamenta sunt omnia, quæ præsentem statum transmouent: omnia autem fortiora transmouent, licet autem, si velis, medicamento transmouere, & rursus, si velis, Alimento, ac cibo: omnia verò ex præsente statu transmouere ægrotanti opitulatur. si enim id, quod morbum facit, non transmoueris, augescit.* Medicamenta igitur morbo

tenuentiũ in magnis morbis.

Medicamentum debet esse fortius morbo.

fortiora esse debent; nam Victoria pugnæ fortiori conceditur. Si ergo detur medicamentum debile, quod transmoueat quidem materiam; sed tenuem, non autem illam, quæ morbum facit, augescet morbus, nec isti opitulabitur medicatio talis: renitentis enim morbi materia fixa (vt certum est) non cedet, neque obedict debilibus medicamentis, siue attrahentia, siue expellentia, siue denique alterantia ea fuerint. quamobrem apud nos pauci nostrorum Medicorum ope à magnis liberantur morbis, quippe qui nonnisi lenibus, & debilibus vtantur purgantibus medicamentis. addit Hippoc. n. 55.

Fortibus morbis fortia pharmaca.

Medicamenta fortia à Natura in debilibus morbis dare non oportet, neque paucitate medicamenti debilitas ipsius facienda est: sed

fortibus natura, fortibus pharmacis utendum est; debilibus vero, pharmacis non fortibus: neque partiendum est medicamentum, sed singulis secundum naturam: debilibus quidem, debilia à natura; fortibus verò morbis fortis natura pharmaca exhibenda sunt. quibus aureis verbis eximium medicinæ Arcanum nos docuit benignus auctor, quod per illud notum Axioma 1. aph. 6. facilè confirmatur; præterea per aliud, quod ponitur 5. in 6. Epid. 7. necnon lib. de flatib. & alibi sæpe, atque à Galeno sexcenties, vniuersa etiam Medicorum, Philosophorumq. scola vnanimiter sentiente: nimirùm *Contraria contrarijs mederi*, quo veluti fundamento, ac basi, tota ferè innititur Medicina. Cum autem (docente Aristotele) extrema extremis tantùm sint contraria, non autem medijs; cum etiam asserat 10. metaph. sum. 2. cap. 4. & alibi. *non contingit vni plura contraria esse*. Quod Auerroes in Epitome methaph. tract. 3. & alij confirmant. Medicamenta fortia fortibus morbis erant contraria, non autē fortibus morbis mediocria medicamenta esse poterunt verè contraria. Quod si alicui, mediocre deficienti, ac superabundanti; & æquale magno, ac paruo videantur opponi, adeò vt etiam ista duo sint contraria. ita vt superabundans v. g. habeat duo opposita nimirùm deficiens, & mediocre. mediocre etiam duo contraria sortiatur deficiens, & abundans. soluit Philosophus, eiusq. Commētatores loc. cit. dicentes alterius generis esse oppositionem non verè contrariam, vt magnum paruo, quæ extrema, & verè contraria sunt: sed magnum, vel paruum æquali opponi, vt inæquale æquali; ita vt sit oppositio priuatiua, non autem propriè contraria; non enim magnum, & paruum, vt inæqualia opponuntur: sed vt extrema. Quandoquidem contraria 5. methaph. 10. & 10. methaph. 2. & alibi sunt ea, *quæ non possunt simul eidem inesse, & inter se plurimum differunt*. mediocria igitur, cum inter extrema media sint: non plurimum; sed parùm ab ipsis distabunt. Verum enim vero lib. cit. c. 2. vult Aristot. distantiam contrariorum esse maximam, perfectam, & vltimam, vltrà quam alia non sit, alioqui non contrarietatem; sed oppositionem appellat: vndè statuit maximam differētiam rerum aptè dici contrarietatem. Quo constat mediocria medicamenta non esse verè, & propriè contraria morbis fortibus, & extremis. vti etiam 3. de simp. med. fac. c. 11. exprimitur hisce verbis. *vt autem vno verbo exprimam, tanto abesse à medio, quod medebitur, quanto ipsum, cui medela adhibetur, oportet: nimirum, quàm in contrarium vtriusque vergat excessus*. Qui item Auctor hæc exarata reliquit cap. 89. Artis medic. *Si omne immoderatum est præter Naturam, moderatum verè secundum naturam, necesse est omnino, vt immoderatum ab immoderato contrario ad mediocritatem redigatur*. Hic Galenus non vtitur mediocribus, ac moderatis medicamentis ad excessus morborum; sed penitùs, & summè excedentibus, & subdit clariùs eadem explicans *pro magnitudine intemperaturæ eidem conueniens inuenire remedium*: Sic igitur Hipp. semper vehementiæ morbi remediorum vehementiā occurrit: vndè in Aphorismo legimus, *vbi morbus extremos habet labores, extremè tenuissimo victu vtendum est*. & quidem contra formicas, & mures belligeranti, sufficiunt Stilponis, atque Pygmei vires; at cum Leone, aut Apro Ætolico certanti opus est Hectoreâ hasta. sic Celsus lib. 2. c. 10. *sciendum* (inquit) *non posse vehementi malo, nisi æquè vehemens auxilium succurrere*. ideò docet Galenus 2. de Hum. 17. *in lassitudine phlegmonosa, in ardentissima febre, & vehementissimis doloribus celeriter sanguinem esse mittendum vsque ad animi defectum*. & 9. method. 15. *quod plurimùm à naturali habitu recessit, id vehementioribus contrarijs eget, quod non plurimùm, lenibus*. quæ eadem 3. de simpl. med. fac. 11. & 3. de Temper. 5. atque alibi confirmat. à qua doctrina non abhorret Auicenna 4. pri. doct. 5. cap. 1. cùm multis suis expositoribus Gentile, Dino, Betto, Vgone. assentiuntur expositores quoque plurimi Aphorismi 6. sect. 1. vt Capiuacceus, Fuchsius, Saluisianius, & alij, quibus addo etiam Paracelsum in Comm. eiusdem Aphorismi.

Vera contraria.

Æqualibus curandum.

Præterea eadem methodo insistens Hippocrates scriptum reliquit *medicari in valde acutis, si materia turgeat, eadem die, tardare enim in talibus malum*. vbi celeritate remedij celeritati morbi occurrit. Statuemus igitur iure merito æqualia contraria morbis conuenire, non autem fortiora, nec debiliora ex Hipp. doctrina. cui subscribens Galenus eademq. clariùs etiam proponens de arte med. c. 89. pro magnitudine intemperaturæ eidem conueniens conatur inuenire remedium. his verbis. *Veluti si ita contigerit, quod in decem quidem numeris ad caliditatem maiorem, quàm Natura conueniat, decidat corpus, septem verò ad siccitatem maiorem, tunc salubrem causam in huiuscemodi affectibus esse oportebit decem quidem numeris frigidiorem, septem verò humidiorem*. hac autem doctrina plurimas subtraxit difficultates, 86. quoque capite dixerat, conuenire remedia æqualiter declinantia ad alteram partem, quod confirmasse videtur 7. meth. 3. elicitur etiam ex Hippocrate, eodemq. Galeno 4. de Artic. 8. vbi cum Hippocrate vult Galenus luxata, fractaque paulò vlterius esse compellenda, vt ad contrarium eius loci, in quem diu peruersa spectarunt à nobis impulsa, consistant in medio, quod prorsus secundum naturam fuit: nam si collocata in hoc dimitterentur ad diuturnam deprauationem redirent, & subdit. *Constat autem præceptum hoc ad id consilium pertinere, quod in curando maximè commune est, in quo contraria contrariorum esse præsidia docuit: quum nec refrigerata, moderatè calefaciamus, nec calefacta moderatè refrigeremus; sed eatenùs à medio in contrariam partem recedamus, quatenus in alteram morbus recessit*. Et quidem cuiquè constat,

Moderatè alterātia non curāt excessus.

ſtat, in curuo baculo dirigendo, non ſatis eſſe ipſum reduci ad rectitudinem; ſed eundem opus eſſe in contrariam incuruare partem. Ergo in curandis morbis remedia perquirenda erunt exquiſitè contraria, ſiuè ſit opus vehementiâ, & fortitudine; ſiue intenſione, & gradu; ſiue celeritate; ſiue aliâ quâcumque contraria ratione. de quâ quidem quæſtione plura legi poſſunt apud Fernelium lib. 1. meth. c. 7. & lib. 2. c. 10. Augenium lib. 2. epiſt. 3. Diom. Amicum. de mor. ſporad. cap. 54. Valeſium controuerſ. lib. 8. cap. 4. Santorellum in Antepraxi lib. 14. cap. 4. & 5. & alios.

At medicamenta morbo fortiora non rarò conceduntur, & perquiruntur. Aretæus quidem vetuſtiſſimus auctor lib 8 cap. de Elephantia. *Morbis*, (inquit) *quo diſſoluantur, maiora eſſe remedia opus eſt*. Quod approbans Æginera initio 4. libri ſic exclamat. *rectè mea ſententia, Cappadox Aretæus memoriæ prodidit, auxiliorum vim morbis fortiorem eſſe oportere, eoquè Elephantiam nunquam curari, vt qua nulla potentior medicina reperiatur.* Hipp. autem hanc auget ſententiam lib. de loc. in hom. tum n. 54. tum præcipuè. n. 46. *Si quis* (inquiens) *in morbis quid permutaturus ſit, forti quidem ægroto, debili autem morbo, tunc quidem confidenter fortiore, quam morbus eſt medicamento vtendum: nam etiamſi quid de ſano abducat vnà cum debili, ac ægroto, nullum detrimentum eſt*. Fuit igitur conceſſus ab optimo præceptore vſus, quandoque ſinè detrimento notabili, fortiorum, quàm ſit morbus, pharmacorum, vt plurimùm tamen æqualia præferuntur. ſed ſubdit ſtatim Hippocrates. *Si verò morbum fortiorem, ægrotum autem debilem acceperis, debilibus pharmacis curabis, qua ipſum morbum ſuperent, & abducant, verùm ægrotum nihilò debiliorem reddant*. Hic non parua ſe nobis offert difficultas, quo ſcilicet modo debilia pharmaca fortem morbum poſſint ſuperare, & abducere; & videtur corroborari Recentiorum Methodus curandi fortes morbos ſemper debilibus medicamentis; altera difficultas ſuccedit, quo pacto debilia pharmaca fortem morbum ſuperantia ægrum nihilo debiliorem reddere queant.

Difficultas duplex.

Fortaſſe dicet aliquis, hæc protuliſſe Hippocratem, quia morbus fortis à debili medicamēto pluries reiterato abigi poteſt, vt communiter etiam practici ſentiunt, & ſic curare conantur illos. ita enim debilis ægrotans à forti medicamento non læditur, & morbum imminui ſemper eſt neceſſe, cum patiatur à quolibet agēte etiam debiliori: & hac viâ tutiùs proceditur, quàm vel forti medicamento dato ægrum in diſcrimen adducere; vel non dato medicamento non occurrere forti morbo. ſed hæc ſolutio non ſatisfacit: non enim conſentit cum ſuperiori eiuſdem Hippocratis doctrina, nec Hippocratica eſt opinio.

1. Solutio.

At doctiſſimus vir Proſper Martianus in Hippocratica lectione exercitatiſſimus. ſupra lib. de loc. in hom. ſect. 2. ver. 90. hoc quandoquè licere aſſerit. *eo, quod fortaſſe medicamenta debilia in corporibus debilibus virtutem validi medicamenti præſeferant, cuius gratia morbum etiam fortem ſuperare poſſunt*. præclarum quidem inuentum, & aliquando fortaſſe verum: ſed nunc non videtur eſſe ad mentem Hippocratis.

2. Solutio.

Mihi videtur dicendum (vt omnis contradictio tollatur) morbum fortiorem, ægrotum autem debilem, fortibus pharmacis eſſe curandum; ſed quum ſcribit Hipp. *debilibus*, vt rectè percipiatur ipſius ſententia, erit diſtinguenda medicamentorum fortitudo, atque debilitas. ita vt alia dicantur fortia à Natura, alia verò quantitate. & è contrà: quæ diſtinctio ex verbis Hippocratis ſupra allatis mihi innotuit, immo Auic. de cura Tert. non puræ. & fortaſſe eſt neceſſaria. medicina fortis vno modo, & debilis alio modo: eius verò fortitudo eſt ſecundum hoc, quod ipſa euacuat humorem viſcoſum; ſed ipſius debilitas eſt ſecundum hoc, quod ipſa non euacuat plurimum vice vna, imò poſſibile eſt, vt fiat gradatio in ea, quare euacuat humorem, cuius euacuatio eſt neceſſaria, multis vicibus, vt non deſtruat virtutē, & hęc medicina partiatur in pluribus vicibus, & aggregetur, & ſoluat parū eius, & ſoluat plurimum eius: ſed parū parum, ex malo, & plurimū plurimum ex malo, &c. Ob id aſſero, ex mente Hippocratis, fortibus natura morbis ſemper fortia natura cōuenire pharmacâ, etiam in corpore debili: aut potiùs medicamento abſtinendum eſſe, quàm in forti morbo debile corpus euacuare debili medicamento: vel denique ſatiùs eſſe medendi formam permutare. Primum patet ex eodem Hipp. hic. n. 39. vbi refert. *Nihilo autem minus oportet etiam debiles fortia medicamenta potare: ſed ſimiliter, aut ſolum ſit, vt fortibus quidem forte, debilibus verò debile exhibeas*. Hic lego affirmatiuè, at Clariſs. vir P. Martianus negatiuè. Si legatur affirmatiuè, clara erit Hipp. ſententia; etiamſi debiles ſint ægroti, tamen fortia medicamenta natura ſumant. ſed in hoc cautio adhibenda hæc erit, vt ſimilitudo, & æquiualentia virium ægroti ſit cùm viribus medicamētis; ita vt fortibus ęgris forte quantitate, debilibus debile quantitate, in vtriſque verò forte natura pharmacū, ſi morbus fuerit natura fortis exhibeatur. & hoc clariùs explicatur, quia medicamēta habent ſummâ, & minimam, qua exhibentur, doſim. fortibus in ſumma doſi, debilibus in minima dat Hippoc. & ſic interpretor illud *fortibus quidem forte, debilibus debile*, vt de eodem loquatur medicamēto forti, non de diuerſis genere. ſic 5. Epid. in Adoleſcente ex Euboea dixit *non validam radicem Ellebori bibit*. intelligens debilem potionem ob paruam doſim fortis medicamenti: ſic 2. de morbis. n. 48. ad Aphtas pulmonis. *ſi potens fuerit homo per ſe, ſin minus dimidium potionis ad lenticulæ decoctum admiſceto*. Hic Hipp. in debilioribus minuit medicamenti fortis, (quale eſt Veratrū) pondus; non autem commutat medicamentum

3. Solutio. *Duplex lectio.* *Affirmatiua.* *Hippocratis germana expoſitio.*

A 2 ſic

sic Mesues scammonij dosim a g.v. ad xij. praescribit; Agarici verò à drach.j. ad 11. nimirū pro fortioribus, & pro debilioribus. similiter Dioscor. de Elaterio. *Integer modus Obolus est, minimus semiobolus, pueris obalei duo* (idest g.iij.) *si quidē copiosius periculum infert*. & in minori dosi non operantur; vt conuenit; sed tantum commouent Naturam. Nec dicendum est negasse Hipp. loco supracitato, debilitandum esse pharmacum simpliciter imminuta ipsius quantitate: sed id tantū efficiendū esse voluit respectu virium habito. Nā ibi manifestè asserit. *fortibus* (i. morbis) *natura fortibus pharmacis vtendum est, debilibus verò* (i. natura morbis) *pharmacis non fortibus: neque partiendum est medicamentum; sed singulis secundum naturam; debilibus quidem debilia à Natura; fortibus verò morbis fortis natura pharmaca exibenda sunt*. Itaque semper vult Hipp. morbis naturā fortibus conuenire medicamenta natura fortia; vti è contra morbis natura debilibus medicamenta natura debilia: rarò autem medicamentum natura forte concedit praebendū in debili morbo, etiam si in pauca quantitate detur, & hac ratione debilitatum. Ratio est, quia medicamentum siue in pauca, siue in multa quantitate sit oblatum, semper respicit determinatum finem, seu humorem, seu qualitatem, vt Elleborus v. g. semper humores crassos trahit, scammonium tenues, ob propriam naturam, qua de causa dixit Hipp. num.55. *Medicamenta fortia à natura in debilibus morbis dare non oportet, neque paucitate medicamenti debilitas ipsius facienda est*. Verum quia contrariorum eadem est disciplina, (ex Aristotele 1. topic.8. & 1. de Cœlo tex.44.) medicamenta debilia in fortibus morbis dare non conuenit; nec aucta quantitate pharmaci, eiusdem fortitudo perquirenda erit.

Dosis variatio.

Medicamentum forte non datur debili morbo.

Quod si textus supra citatus cum doctissimo Martiano negatiuè legatur, (etiam si affirmatiuè Caluus, Cornarius, & Fœsius verterint graeci sermonis peritissimi) non esse danda fortia medicamenta debilibus aegris: nam cum in graeco textu sit, οὐδὲν δὲ ἧσσον διὰ τοῦτο ἀσθενέας τῶν ἰσχυρῶν φαρμάκων ποιητέον. duae negationes apud Graecos minimè affirmant (οὐδὲν enim significat *nihil*, ἧσσον verò nequaquam) sed efficacius negant. quo modo intelligendum Hippocratem dicentem de qualitate non natura, ita vt nolat debilibus aegris medicamenta valentia in summa quantitate esse exhibenda; sed debilibus, fortia quidem naturā, sed quantitate debilia.

Altera lectio negatiua.

Quod autem medicamenta debilia natura in fortibus morbis, etiam debili existente aegroto, improbentur, clarum videtur, quamuis Neoterici in hoc communiter peccent: quia cum sint *Natura morborum medicatrices*, & medicamentum semper habere debeat naturam coadiutricem, si imbecillis Natura, & imbecille medicamentum, fuerint, morbus fortis praeualebit; quarè requiritur forte medicamentum morbo naturaliter aequale, atque contrarium. Verùm cum à magna medicamenti copia multùm commoueatur natura, exagitetur corpus, & spiritus resoluantur; vndè fiat, vt debile corpus adhuc debilius reddatur. hanc ob rem sumendum in ea erit copia medicamenti, à qua natura non laedatur. & vt ait Hipp. *Morbum superent, & abducant, verùm aegrotum nihilo debiliorem reddant*. cuius ratio est, quia robustiora corpora fortiùs retinent Excrementa, debiliora verò debiliùs; ideò faciliùs à pharmaco attrahuntur humores corpore relaxato, & retentrice imbecilli, quàm valida; cuius rei certissimum est indicium, quia in debili corpore à multo medicamento sumpto potiùs timetur immoderata, quàm diminuta euacuatio: experientia insuper patet, tantùm valere paucā medicamenti quantitatem in debili corpore, quantùm magna valet in forti: quare tantùm trahet à debili corpore Elaterij semi obolus, quantùm à forti obolus, ob naturam partium relaxatam, & cedentem facile, idem tamen specie humor semper attrahetur.

Quod si fortis morbus fuerit, aegrotans autem ita debilis, vt pertimescas forte medicamentum: potiùs erit à medicamento abstinendum, quàm debile aliud naturā exhibendum. Colligo hoc ex Hipp. de affect. n. 2. *Si in debilitate iam corpore, medicamentum praebueris, forte quidem praebere veritus, periculum est ne magis delinquas, quam successum consequaris*. erit igitur potiùs à medicamento temperandum, quàm non forte; & naturae morbi haud conueniens adhibendum: non enim fiet euacuatio, qualis fieri deberet, ideo prodesse non poterit, nec facile ferent aegroti: idem clarius etiam docuit lib. de loc. in hom. n.32. *Huic siquidem in ventre dolor inerit; subducendus est primum medicamento, aut succo, deinde pharmaco fortiore vtendum est*. paulo post subdit. *si verò debilis fuerit, & prae imbecillitate hac offerri non possunt*. vtitur tantùm clysteribus, non autem loco fortis medicamenti aliud debile reponit.

Quando praestat abstinere à medicamento.

Quandoque idem Hippocrates fugiens pro forti medicamento debile naturā substituere ob vires aegrotantis debiles, potiùs medendi genus permutat: vndè saepè attentis viribus fortes per superiora, debilea verò per inferiora purgat: Nam Vomitoria plerumquè sunt fortiora, & violentiora purgantibus per inferna, ideoquè maioribus egent viribus cum Vomitus maiori, insuetiori q. naturae fiat conatu. sic 4. de victu Acutor.113. in colliquatione *si valentes fuerint repellit Elleboro albo*. & id magis obseruat in mulieribus, vtpote naturā imbecillioribus, veloti de morb. mul. in fluxu mul. antiquo: in fluxu fuluo: in fluxu bilioso, & acri: in fluxione cum febre acuta. & de affect. cachexiae ob fluxum menstrui: & in fluxu fuluo: ac tribus alijs fluxibus: necnon in suppressione mensium: & Vtero ad coxam. si potens, & robusta superiùs purgat, alitèr per inferiùs; quamuis euacuatio altera alteri non aequiualere videatur. sic etiam lib. de purgant. apud Hipp. legimus, *in febribus fortibus*

Permutatio medela.

Vomitus fortior est deiectione.

tibus medicamenta purgatoria dare non oportet, donec remiserit febris. Hic quamuis ratione febris fortis, fortia conuenirent pharmaca, ea tamen vetat; nec leuia substituit medicamenta pro fortibus; sed satiùs ducit, solis vti clysteribus, nè febris exacerbetur, & vires imminuantur.

Virium igitur ratio semper est habenda, ita vt Morbus qualitatem, seu genus remedij per suam essentiam indicet; vires autem eiusdem quantitatem limitent. Nec est concedendum vires essentiam medicamenti indicati respicere: nam ex Gal. 3. meth. t. *quod curatur*, idest morbus, *ex sua natura remedia indicat*. Quare semper morbus erit indicans; vires autem, vel coindicans, vel permittens, vel contraindicans; ita vt respiciant solum in pharmaci exhibitione dosim. nec in Diæta præcipienda eas parùm esse obseruandas voluit 1. aphor. Hippocrates: nam ibi sæpè iubet obseruandas esse vires, eaquè, quæ virium essentiam demonstrant, nimirùm Ætatè, Consuetudinem, Anni tempus, Regionem, &c. sic 2. de Victu acut. 36. & alibi. Pariter in Chirurgica medela pro sanguine mittendo vires attendit, vti 4. de Vic. acut. 19. *In Acutis autem morbis sanguinem detrahes, si vehemens morbus videatur, vigeatque ægrotantis ætas, & virium adsit robur*. eadem res tex. 111. in cura Hydropis obseruat. Sed clarissimè 1. de M. Mul. 103. in difficili partu docet indicationes sang. mittendi, scribens. *Sit autem iuuenis, in vigore; multo sanguine referta: secare oportet venas in malleolis, & sanguinem detrahere virium respectu habito*. vtitur autem magno remedio in magno morbo, dummodo vires id permittant: quod Celsus lib. 2. c. 9. etiam asseruit. *Firmus puer, & robustus senex, & grauida mulier valens, tutò curantur sanguinis detractione, &c.* At vires, vt dixi, quantitatem, non remedij essentiam indicant: sic ratione virium 4. de victu acut. 25. & 74. determinans Hipp. sanguinis quantitatem, cum extrahit vsque ad animi defectum: vndè etiam 1. Aphor. 23. & 2. de hum. 27. *Atque vbi* (inquit) *vsque ad animi defectum expedit ducere faciendum, si æger possit tolerare*.

Vires indicât dosim medicamentorum.

Diximus medicamenta affectibus in gradu omninò contraria, virtute existente valida, requiri, & si peccandum est potiùs fortiora, quàm imbecilliora esse adhibenda. quod colligitur ex Hipp. nam Extremis morbis apta refert, tamquàm contraria fortiora, *Extrema exquisitè remedia*; non autem simpliciter *Extrema*. sed paulò plus, *Exquisitè*; intelligens, remedia requiri validiora morbo: aliàs si sunt æqualia omninò, quamuis contraria, non præualent.

Medic. eodem gradu contraria eligenda, & pro viribus.

Ostendemus modo ob partes affectas distantes assumi quandoque medicamentum validiùs, quàm affectus ipse reuera expostulet. veluti quù in itinere agendo, patiendoq; necessariò resoluatur virtus, ad hoc, vt ad affectum locum profundum tandem penetrans, ea sit virium magnitudine, qua commodè morbo è directo opponi possit, eligitur paulò validius ipso affectu. sic de loc. in hom 21. scripsit Hipp. *Medicamenta caput purgantia, quæ quidem fortia sunt à toto capite ducunt, quæ verò debilia ab oculis, & vicinis Nasi partibus*. qua posita sententia nu. 22. sequenti caput purgat medicamento non forti, intelligens oculos solummodò purgare, pro quibus sufficit conueniens purgans, non fortius, cum exitui excrementorum proximè sint: hæc etiam doctrina clariùs à Galeno in Arte medic. c. 89. ponitur. *Si igitur* (inquit) *ipsi particulæ affectæ admoueatur tale remedium, tantò sit frigidius, atque humidius, quantùm exigit partis affectæ indicatio, quod si particula affecta in penitioribus locis sita sit, machinari oportet insuper tale inuenire salubre remedium, cuius vis nequaquam in itinere antea soluatur: si itaque calidiùs esse oportuerit eo, quod est moderatum, non solum tantam habeat caliditatem, quantam exigit morbus; sed vltrà eandem mensuram, tantum adijciatur, quantùm ex situ, vt pertingere possit ad locum patientem, sit necessarium*. Quod etiam refert Anic. 4. primi, doct. 5. cap. 1. sic igitur nos quoque in euacuanda materia à penitioribus partibus, validiori etiam, quàm per se morbus requirat, vtemur medicamento. & addit loc. cit. *Partes, quæ sunt densæ, nec habent receptaculum, & Ventriculos, & longinquiores fortiore solutiuo egent*. nec dissimilia protulit ipse Fernelius 3. meth. c. 9. *Mitiora* (inquiens) *è prima corporis regione, mediocria è vasis maioribus; valentiora è corporis habitu, singulisq; particulis euocant*.

Locus affectus distãs indicat med. validius.

Inquirendum modo est, an fortes morbi debilibus tolli queant medicamentis: nam Fernelius, & recentiorum plurimi, debilia, lenientia, & Benedicta nuncupata medicamenta, ita extollũt, vt his, etiam magnos quoslibet morbos curari posse prædicent. Negauit Hippocrates æqualibusq; semper pugnãdum aduersus magnos morbos asseruit. Nam de Arte num. 13. *Quùm igitur* (inquit) *homo morbo afficitur, qui vehementior est, quàm medicinæ instrumenta; nè sperare quidem oportet, vt à medicamento exuperetur*. quod ratione, vt aliquantulum roboretur, supponendum ex Celso lib. 3. c. 4. *Asclepiades officium esse Medici dicit, vt tutò, vt celeriter, vt iucundè curet. id notum est; sed ferè periculosa esse nimium, & festinatio, & Voluptas solet*.

An fortes morbi curentur med. debilibus.

Si citò sit curandum, fortibus erit vtendum medicamentis, morboq; æqualibus, idq; concedit etiam Fernelius. sed priùs Hipp. 3. de Dieta, 11. ad repletionem. *Si curam celerem facere velit, Veratro purgandus est*, &c. *Si verò medicamentum bibere nolit, multa calida lotus à cibis dulcibus, ac salsis vomat*. hic non supponit, & commutat leuem vomitum pro forti ob debilitatem ægri. sed si celeritas requiritur, vtitur fortiore medicamento, quàm morbus requirat, si verò celeritas non ita optatur, æquali remedio pugnat. satis enim est vomitus à cibo ad tollendam repletionem morbosam. & nu. 14. in ructu acido prauio ad aquam intercutem. *Velo-*

Vt cito curandũ.

cior quidem curatio est, poto Veratro, exhibere cibos, quemadmodum à me scriptum est. Verum tutior à Dieta, hoc modo, &c. hic etiam vomitus leuis secundùm vetam rationem medendi conueniet: verùm si æger optatet valde celerem curationem, vtendum erit fortiori, quàm morbus requirat, medicamento, præmonet tamen Hipp. hanc celeritatem non esse admodùm exoptandam; cum fit, non fine periculo, maior multò medicamenti vis, & essentia exhibita, quàm morbi curandi fuerit resistentia. Cum igitur nimia festinatio periculosa quandoque sit, præcipuè non adamussim perspectis ægrotātis natura: ideò si morbus det inducias, etiam si fortis, debilioribus vtendū volunt multi Medici, quæ etsi tardiùs, tutiùs tamen, & iucundiùs proderunt. cum contraria debiliora, non parùm, in fortiora agendo, ea remittere possint. ideò, in euacuando præcipuè, confidunt ipsi summè in debilibus purgantibus, sibi fauere censentes Auicennam 4. primi, doct. 5. cap. 3. *Et scito, (* inquientem *) quod residuum materiei dimittere, quod necesse erat euacuare, minus nocumentum est, quàm exquisitissimè euacuare, & peruenire in ipsa ad hoc, vt virtus terreatur: quoniam multoties Natura hoc resoluit residuum.* sed falluntur, nam Auic. intelligit de virtute debili, quæ si fuerit fortis, extremè tunc euacuat, & meminisse oportet Hippocratis exclamantis, *quæ relinquuntur in morbis recidiuam facere solent*: vndè minimè tuta sunt in forti morbo debilia medicamenta, vltrà id, quod nec citò eurant. hùc accedit, quod debilia, quamuis fortiora cōtraria, non parùm alterent, nullo tamen modo vincere, ac superare ea possunt. satis mihi erit, ad confirmandum id, Galeni auctoritas ex 3. de sim. med. fac. cap. 12. *omninò necesse est* (scribentis) *affectum iuuet quidem, verùm haudquaquam ad naturalem symmetriam reducere poterit: quare nec persanabit.* quapropter, si verum dicit Galenus, falluntur ij, qui censent, medicamentis debilioribus fortes persanari morbos; sed tardiùs, vt v.g. quod tribus tantummodo diebus præstitisset forte, decem diebus idemmet effectum esse debile medicamentum. Accedit etiā, quod tarditas in curando est periculosa, præsertim in Acutis; vnde Hipp. admonet. *Occasio præceps.* & 4. aph. 10. *medicari in valde acutis, si materia turget eadem die, tardare enim in talibus malum.* inetescit enim morbus, resoluuntur vires, & æger in deteriùs decidit, materia confirmatur, incrassatur, & inobedientior redditur. vndè Gal. in comm. euacuandum priùs, quàm, vel virtus vitiata fuerit, vel febris caliditas aucta sit, vel ad aliquod membrum principale decubuerint ij, qui per corpus vagantur humores. concedimus itaque debilioribus iuuari pharmacis aliquantisper, & paulatim morbum vehemētiorem, quia eorum actio, morbiq; passio negari penitùs nequit: sed perfectè numquam curatum iri morbum illum, admonemus, palàmque facimus.

An debilia prosint in fortib. morbis.

Tarditas in medendo periculosa.

Porrò quia mederi oportet tutò; & iucundè; ideò ex hoc etiam capite debilia medicamenta, vt tuta, & iucunda requirunt aliqui, & sibi fauere censent, quod legunt 2. Aph. 3. *Euacuationes extrema periculosa.* & 2. Aph. 51. *plurimùm atque repentè euacuare, vel replere, vel refrigerare, siue quouis alio modo corpus mouere periculosum; quoniam omne nimium Naturæ inimicum; sed quod paulatim fit, tutum est, tum aliàs, tum cum ab altero ad alterum transitus est.* præterea Aristoteles 1. problemat. 1. nimios excessus morbificos esse dixit. Galenus etiam euacuationem extremam nō videtur laudasse: nam missio sanguinis ad animi defectum ex 9. meth. 10. multa incommoda affert. vnde 5. aph. 3. si sanguis multus fluxerit, singultus, aut conuulsio quandoque accidit, esdem quoque contingunt ex superflua purgatione Aph. 4. præterea lib. 6. Aph. 27. *Quicumque suppurati, aut aquam intercutem patientes vruntur, aut secantur; si pus, aut aqua vniuersim effluxerit, omnes moriuntur.* Quamuis tota peccet, totaliòq, indicetur vacuatio, quia vires non suffecerūt.

Vt tutò, & iucundè curandum.

Extrema curatio periculosa.

His etiam accedit malitia validorum purgantium, cum ex Galeno 2. Acut. 12. *Purgantium omnium medicamentorum natura, corporum, quæ purgantur naturis contraria est, atque vt quispiam dixerit, lethalis, & deleteria.* quod confirmasse Mesues videtur in can. cum ait: *Medicamenta valenter purgantia opus excitant violentum, & effectus sæpe maleficos, & noxia symptomata, naturamq; prosternentia, qualia sunt conturbatio, animi deliquium, morsus stomachi, flatuū generatio, inflatio, plictio, incisio, vulneratio, &c.* Pręterea Natura nō assueta difficilè suffert extremas mutationes: hine Auenzoar minuit in debilibus medicamenti vim, diminuendo dosim, & per Epierasim operatur. his de causis, & similibus censent pletique debili medicamento, vtpotè, tuto, & iucundo, posse, & deberi occurri cuicumque morbo. Sed hi (vt verum fatear) Hippocratis mentem non assequuntur: etenim cum statuit *Extremis morbis extremè exquisita remedia optima esse.* si verum statuit, si *Optima sunt.* nulla his meliora erunt, quare *extremis morbis extremè exquisitā remedia, citò, tutò, & blandè proderunt.* alioqui non merentur dici optima. siquidem medicamenta debiliora morbo non succurrent *citò*, ipsum enim persanare, & superare non poterunt, vt dixi; nec *iucundè* curabunt, quia, vt debilia, materias agitabunt, cum molestia, & doloribus, nec expellent; neque *tutò* adhibebuntur, nam debilia medicamenta potius exacerbant, & commonent, ac irritant magnos morbos, quàm eoa curent, quapropter iubet Hipp. 6. aph. 38. *Cancros occultos omnes meliùs esse non curare. Curati enim citò pereunt, non curati verò longiùs tempus perdurant.* Nimirum quia cum non reperiantur validiora hoc morbo medicamenta, quæ auferre ipsum possint, si adhibeantur alia remedia (aliàs quidem extremè validissima) ipso tamen debiliora, illum agitabunt, & irritabunt magis, atque ob id sæuiorem efficient; adeò vt ægrotantem

Purgātia Venenata.

Debilia medicamenta improbātur.

tantem citiûs interimat. si igitur debilia medicamenta quandoque exacerbant fortes morbos, meliùs erit non mouere fortes morbos, quàm lenioribus medicamentis,& imparibus eos prouocare, & exagitare. vel enim materia agitata ad principaliorem partem fluitabit; vel in vna tantùm parte priùs firmata, & quiescens plures deinceps à medicamento leui excitata, & commota inficiet. itaque patet debiliora medicamenta non semper dicenda esse tuta. nec obliuioni tradendum, incundam curationem atque blandam sæpe esse inutilem, nocuam, atque periculosam, vt docuit loco supra citato C.Celsus.

Extrema periculosa. Quamuis igitur minimè negandum sit, extrema omnia haudquaquam esse periculosa, non tamen ideò,ea ipsa omninò ableganda fore(cum eorum fortitudine opus est)concedemus. sed cautè adhibenda monemus:non enim periculum prædixit Hipp. vt formidolosi simus; sed cautiores,& diligentiores. cum optima sit curatio,extrema extremis aptè opponere: requirente id morbo, & permittentibus viribus. nam in his casibus Thucydidis consilio: *Agentes aliquid periclitari*. sic etiam docuit Celsus lib.2.cap.9. *Audendū in morbis extremis.* *Satiùs est anceps auxilium experiri, quàm nullum*, quibus enim alia salutis ratio non est, & quæ vnica videtur, ea dubia, necesse, arbitror, aduersos periculis ire: quod prius exaratum reperio apud Hipp. de loc.in hom.num.36. *Quum enim morbus periculosissimus sit, in his periclitari oportet. si enim successerit sanum facies, sin minùs,quod etiam aliàs futurum erat,id ipsum perpetietur*. his addam Galenum 10.meth. 10. *Quantò satiùs est aliquid cum fiducia vel cum periculo facere.quàm spe adempta certò perire: tantò profectò satiùs est, potentibus præsidijs pugnare, quàm nihil agere*. Quare cum extremæ vacuationes periculosæ dicuntur, intelligere fas est, si vltrà vires ægrotantis fint, semper namque attendenda virtus est, ita Galenus quamuis periculosam, tamen summè laudat venæ sectionem ad animi vsque defectum, de curand. rat. per sang. miss.cap.12. & 9. meth. c.4.ac 10. necnon 2.de hom.17. & alibi. Qui autem ab hac fuere læsi (quicquid dicat Auerr.7. *Respondetur citra via opinioni.* collig.8.)ob vires non exactè consideratas malè affecti fuerunt. similiter vt à superflua purgatione vltrà vires. sic pariter etiam suppurati, & Hydropici,vtpotè valde debiles,non sustinent extremam vacuationem,quamuis causa morbifica eam requirat, satis est extremum adhibuisse remedium, quale Paracentesis est, à morbo indicatum. Dicimus etiam Purgantia medicamenta non esse natura lethalia,& propriè deleteria: sed quantitate solùm, vt se explicat Galenus, tum sæpè, tum præcipuè 6.in 6. Epid.tex.5. cum quo sentiunt etiam Fallop.de med. purg.cap.6. Valles. lib.9.contr.2. & alij. Mesues verò intelligit de non correctis, vel corruptis solutiuis. Quod si aliquā ex forti medicamento consequatur corpus noxā,non est multùm pertimescenda, cum maior sit vtilitas ex euacuatione humorum noxiorum, quàm nocumentum ex medicamento violenter commouente,vel alterante: nec verenda consuetudo, nam assueta natura vni morboso extremo, faciliùs alteri contrario extremo occurrenti, & pro ipsa pugnanti,vt ad mediocre reducatur, assuescet. Scio quidem dices: In *Instantia.* Germania tempore hyberno gelu rigidi, & à Niue extremè refrigerati, certè calefactionem indicant; tamen à calore ignis manifestò læduntur,doleatque;immò partes ipsæ siderantur. quo constat naturam eodem tempore non sustinere duo extrema contraria: ergo extremis morbis extremè contraria non sunt applicanda. patet experientia,quia Germani dictos affectus sanant non igne, nec calore, sed ipsius niuis, & glaciei confricatione.

Respondeo certum esse, dictæ refrigerationis *Solutio.* medelam,niuis confricatione, factam,ab antiperistasi, seu interni caloris roboratione, productā fuisse, non quidem ab externo opposito, fortiq; contratio, sed ab interno per accidens fortiori reddito. actus autem accidentales non comprehenduntur methodo scientifica.verùm cum summa congelatio expostulet extremā recalefactionem, quia partis imbecillitas non fert instantaneam mutationem paulatim erit agendum, à leuissimo calore incipiendo, & cum fortissimo desinendo, vt totalis frigiditas impressa expellatur, sic voti compotes tandem erimus, paulatim extremum calorem, non affatim admouendo.

His positis cum Cardano c. 16. libri supra citati. non concedam in fortibus morbis semper *An à debilioribus incipiendum.* à principio inchoandum à debilioribus esse, vt aliqui voluisse sunt rati Hippocratem 2. de Vic. Acut. initio, necnon Galenum ibi in comm. ac 1.de comp. med.loc. 1.de Alopecia. & lib.2. c.2. in fine, de Apophlegmatismis, atque etiam Auicennam in cura Apoplexiæ; quod etiam semper in praxi obseruandum aliquot medici docti iubent. imò colligi omninò videtur 1. Aph.3. quod paulatim sit tutum esse, & de loc.in hom. nu.32. *Subducendus est primum medicamēto, aut succo, deinde pharmaco fortiore vtendum est*. Verum hæc ad sanum sensum sunt reducenda: alio- *Verus sensus.* qui extremis morbis non occurreremus, extremis remedijs, nec verè contraria adhiberemus; quam sententiam præclarè tuetur Galenus 5. meth. 15. *Minimè igitur (sicut Medicorum nonnulli censent) à paruis incipiendum auxilijs est: Nec sicut illi dicunt, sentiendum, ista scilicet prius tentanda, mox si nihil profecerint, aggrediendum maiora; nam in morbis in quibus periculum non impendet, vera ea Opinio est, at vbi moriendum ægro prorsus est, si Phœbo semel exceptus sit, alienissimum à ratione est à minoribus incheasse*. concedit igitur Galenus in leuibus morbis, non autem in acutis, & periculosis, incipiendum à leuioribus remedijs: à quo non dissentit Auic.4.pri.doct.5.cap.1.

Nos cum Hippocrate semper,& longis,& acu- *Sæpe ab æqualibus inchoāda curatio.* tis, & omnibus alijs affectibus æqualia contraria etiam in principio. & statim conuenire censemus,cum nimirum adest præsentia indicantis, & nihil prohibet (scilicet, Vires) solum concedimus

dimus in principio minus fortia Natura, vel quãtitate, quum affectus magnitudo, vel essentia nõ adamussim nobis constat. doctrina hæc Hippocratis est de loc. in hom. nu. 46. *Morbum si quis non cognoscat, medicamentum bibendum præbeat non forte, si itaque leuior inde fiat, demonstrata via, qua gracilitatem inducendo, curandus est si verò non leuior reddatur, sed prius habeat, contraria facienda sunt.* hæc est ratio, ob quam à leuioribus aliquando est inchoandum, & asserit Hippocrates, minus forti medicamento leuiorem quidem reddi morbum, non tamen sanari. Ob eandem causam idem de Victu Acut. in pleuritide debilia primũ remedia adhibet, idest fomenta, quum certus non est de morbi essentia, & magnitudine, deinde certior factus sanguinem mittit. pariter Galenus primo de comp. m. loc. in Alopecia, non exactè cognita affectus, & medicamenti vehementia, in principio, tentando potius, debilioribus vtitur: alioqui (inquit) inueteratas, ac difficulter curabiles cum fortibus persanare conaberis, incipientes autem, & paruas cum debilibus. Ita etiam in Nasipurgijs idem Galenus scribit non statim à principio efficacissima adhibenda, sed à debilioribus auspicandum (intelligendo quidem, si morbus det inducias) ratio est; vel quia si morbus est debilis, satis sunt ad eum tollendum debiliora; vel nè fortia nimis, & multùm superiora affectum in contrariam adducant partem, ideò etiam ipsa fortia pharmaca mitigatoriorum admistione lenita, vt lacte, aqua, vel oleo dulci moderat: vel nè magno impetu attrahãt, ob id molesta ęgro sint; quare subdit, vbi debiliora leuiter ferunt ægri, fortioribus vtendum. similiter Auicenna in cura Apoplexiæ à debilioribus; nõ à debilibus initium sumit, nimirùm Oleo primum Rutaceo vtitur, deinde ad Sicionium, Scillinum, & fortiora ascendit: forte enim est Rutaceum, & quandoque per se huic morbo est sufficiens. Cum verò vsu ipso morbo inferius remedium videbitur, tutiùs tunc ad fortiora erit transeundum; quod autem ex Hipp. paulatim fit tutum quidem est, cum ad insueta corpus est permutandum; sed cum necessitas vrget, pro corpore curando, aliqua, etiam cum periculo, agenda sunt. Cum autem lib. de loc. in h. citato nu. 32. primum quidem aluum leui medicamento subducit. deinde fortiori vtitur, si non sit debilis: ratio est, quia in Ventre dolor, qui est, vrget, & indicat vacuationem intestinorum, quæ valido medicamento non eget. posteà verò fortiori vtitur ad fluxionem à capite tollendam, quæ fortibus est curanda, vt penitiores partes euacuentur. Contrà tamen lib. de super fœtatione nu. 27. incipit à fortioribus scribens. *initio à fortioribus facto prout opportunum visum fuerit, ita vt desinas in mollsorum vsu.* quo loco incipit ab ęqualibus, & decrescente morbo debiliora adhibet remedia.

Quidnã à debilioribus incipiendum.

Thatiua cura.

Quid sit a debilioribus inchoare.

Statutum igitur iterum, atque iterum sit, fortibus morbis fortia medicamenta, debilibus debilia semper, primò, ac per se conuenire, quod si vires non ferant, fortibus morbis, fortia nihilominus medicamenta esse danda, sed minori quantitate debilitata; nec permittenda esse leuia medicamenta, maiori exhibita quantitate, fortificata. sicut debilibus morbis nequaquã concedenda, etiamsi vires ferant, fortia medicamenta debilitata ob minorẽ dosim. quod si peccandum est, potiùs excessu, quàm defectu in robustis audendum erit.

Conclusio.

Explodenda hinc erunt in fortibus morbis cuiuscumque generis debilia medicamenta soluentia, tametsi benigna, & benedicta à plerisque nuncupentur, vt quæ fortes morbos non moderato tantùm vsu; sed neque etiam maxima quantitate, longoq; tempore adhibita, sæpèq, repetita, tollere vnquam valeant. Quorum vires si expendere velimus, id facile constabit eodemmet Mesue teste, qui in canonib. tex. 16. Theorem. 1. scripsit. *Quæ dissoluendo purgant, & deijciunt, ferè eadem, vel attrahunt, vel eradicant; attrahunt quidem à supernis partibus materias; eradicant ab infernis. Reliquis verò tribus deiectoriorum generibus* (intelligit astringentia, vt Myrobalani; leniẽtia, vt Cassia, Mãna; lubricantia, vt mucago Psillij) *facultas purgatrix insita, est admodum imbecilla: ob idque parum perspicua, vt quæ solum materias, quibus ipsa occurunt, euacuet, neque hepar transcendat.* quo clarissimè patet, si talis est facultas huiusmodi benedictorum medicaminum, ab ijs nullum vnquam fortem morbum tolli posse. quod si hæc ipsa medicamenta in particulari considerare libuerit idem elucescet magis.

Debilia medicamẽta quãdo vitanda.

Manna.

Manna ex Mesue est lenitiua, *tarde & debiliter soluit*, nocet etiam debilibus visceribus. & addit. *Educit eholeram cùm facilitate* (supra dixerat obuias materias), *Et ipsa quidem lenit guttur & pectus, & ventrem.* si hæc sunt Mannę vires magno morbo nequaquam conueniet.

Cassia.

Cassia fistula ex eodem *tardè & debiliter soluit.* nocet etiam debilibus visceribus, lenit pectus, guttur, & renes, mundificat stomachum à bile, & pituita sine excessu. si hæc tantummodo præstat. valeant, qui hanc tanti faciunt, vt in magnis quibuslibet morbis in ea confidant: potius enim nocet, quàm iuuat.

Tamarindi.

Tamarindi verò non longe à Cassia distant, nam *debiliter, & tardè operantur* bilem educunt, & reprimunt, Hepatis, & stomachi inflammationi prosunt. fortibus autem, longis, atque renitentibus morbis prodesse nemo affirmat.

Syrup. rosaceus.

Syrupus autem Rosaceus, quem tanti faciunt Medici nostrates, vt eo solo vtantur, in quouis tempore; in quauis ætate, & sexu; in quouis morbo tàm magno, quàm paruo: in quouis eius tempore, tum in principio, tum in fine; in quauis materia cocta, incocta, cruda, necnon quieta, vel turgente. & tandem pro forti, pro mediocri, & pro debili medicamento, in fortibus, debilibus, & mediocribus morbis; adeò, vt tota medicina, tota ipsorum scientia in vno Rosaceo Syrupo consistat, iste dico ex Mesue est *lenis solutionis*, bilem educit, non alios humores, hepatis, & stomachi oppilationes mundificat, nec vlterò ascendit.

cendit.

cendit. Nicolaus tantum dixit *calori febrium, sitim reprimit, confortat, & constipat*. Et ex recentioribus Massaria scribit. Ex ventriculo, & primis vijs ducere tenuia, & aquosa excreméta, & admodum placide. Fernelius verò in Antid. *tenuem bilem serososque humores è primis visceribus nullo labore detrahit. morbis lævioribus, pueris, senibus, & imbecillis aptus*. quomodo clariùs nostram poterat exprimere sententiam, scribens læuioribus tantùm prodesse, non fortioribus? Trincauellius etiam expertissimus medicus. Epist. 5. ad iecur vix pertingere scripsit. & de compos. medic. lib. 1. cap. 12. inter lenientia posuit, non inter soluentia, his ergo dotibus præditus Rosaceus Syrupus ineptus apud Hippocraticos Medicos censendus erit ad curandos fortes morbos.

Debilia medicamenta qui de vitanda.

Nec dissimilis est ratio de Syrupo Violaceo soluriuo.

Aloes. Aloes autem, etiam si fortius medicamentum videatur, tamen ex Mesue. *Tardè solutionem facit, & sua operatio non multum extenditur in corpore, vix enim pertransit hepar, nisi in quantitate exuperet*. & Actuarius: *Aloe vniversum corpus haudquaquam vacuat; sed inhærentem ventriculo, aluo, ac intestinis bilem, vnà cum insidentibus in ibi recrementis*. quæ desumpta sunt ex Galeno de Aloe, & Hiera picra 7. meth. c. 11. Dioscorides aluum soluere, & ictericis prodesse tantùm dixit. ex quibus facilè constat Aloen non esse aptam ad pellendos fortes morbos, cum sit debile natura medicamentum.

Manna.

Rhabarbarum. At Rhabarbarum, quod Græci non nouere, quis dicet forte medicamentum? nam ex Mesue est *Medicina benedicta*, præterea ait: *Datur in omni tempore, & in omni ætate, ita quod etiam pueris, & prægnantibus*. addit, *Maior eius proprietas est mundificare, & confortare, hepar, & stomachum*. vnde apparet esse debile medicamentum, & fortibus morbis haudquaquã conueniens. ex altera parte non videtur esse ita debile. ex eodem enim Mesue prodesse dicitur Hydropisi, ictericiæ, febribus antiquis, crassitiei lienis, & morbis omnibus ab oppilatione ortis; qui cum sint morbi fortes, Rabarbarum videtur iure dicendum forte medicamentum. nos inter mediocria, & optima reponemus. neque debile, neque forte vocantes.

Cassia.

Tamarindi.

Syrup. rosaceus.

Solutiua Composita. Quoad Composita à recentioribus passim vsitata medicamenta, (quamuis optima quidem in debilibus morbis) horum vsus salutaris minimè censendus est in fortioribus morbis depellendis, quum ex lenientibus, & debilibus tantùm componantur, velut sunt Elect. Lenitiuum, Diaprunum simpl. Diacassia, Diacatholicon, & huiusmodi alia, quantumlibet parum quid Rabarbari, & senæ contineant.

Conclusio. Ex his certò constare mihi persuadeo, quandoque Medicis vsui esse debere fortia medicamenta, si occurrerint fortes Morbi curandi, vti Medicorum summus ijs suo tempore passim vtebatur; non quidem defectu debiliorum (vt quidam falsò censuere), quæ præ manibus multa sæpè habebat, vt legenti eius aurea monumenta clarè patebit; sed quia verè sentiebat fortes morbos non posse curari à debilibus medicamentis. Nam 2. de Diæta, & alibi. Hordeum, Betam, Brassicam, Mercurialem, Sambucum, Cicer, Lenticulam, Cnicum, & alia; non solùm aluum ducentia; sed etiam determinatos humores purgantia, & cathartica vocauit. meminit etiam Albuminis, Oui, Origani, Thymi, Thymbræ, & Hyssopi pituitã ducentiũ. quæ omnia lenia sunt medicamenta subducentia, & infinita cibaria aluum mouentia docet 2. de Diæta cit. gaudeant igitur, & nugentur quantùm velint recentiores, se meliora, quàm habuerit Hipp. medicamenta possidere dicentes, non enim lænia, & benedicta pharmaca Hippocrati ignota fuisse, asseri potest. Iidem præterea in indicationibus falluntur nimis, fortesq. morbos numquam ipsi curant. cum tamen maximo ipsorum, artisq. dedecore sæpè experiantur, derelictos ab ipsis ægros, nec lænibus, & benedictis suis curatos pharmacis, postea ab imperitis, Empiricis, vetulis, & circulatoribus, decoctisq. Alchimistis curari perfectè, & sanari fortibus adhibitis medicamentis.

Lenia solutiua Hippocratis.

Error Medicorum

Sed derelictis his, ad rem nostram propiùs accedemus. Cum inter fortia medicamenta, sursùm purgantia primum locum, omnium consensu, albus Elleborus habeat, quem Vomitoriorum supremum, maximum, ac veluti Regem vno ore fatentur omnes, quem ipsum etiam Hippocrates, antiquioresq. Asclepiadei, promiscuè ægris offerebant; ab hoc nos arrepta occasione, non solum de ipso diligenter tractabimus, sed omnia alia Vomitoria non minori diligentia afferemus. Hoc autem 1. libro, de Vsu potissimum, euacuationis per Vomitum in vniuersali exquisitè agemus; consequenter in alijs libris. de morbis pluribus curandis vomitionis auxilio, inde 7. libro, omnia Vomitoria medicamenta nobis nota perpendemus. 8. autem lib. præparationes ad Vomitum afferemus, & de eius nocumentis tollendis verba faciemus. 9. verò Hippocraticas sententias ex Coacis explanabimus ad Vomitum spectantes, & alis similia. 10. & vltimo lib. Vomitus morbosos curabimus. Omnes Antiquorum reliquias seligendo; plurima ex recentioribus excerpentes, nec pauca à nobis, & inuenta, & experta subiungentes. Dolet interim Antiquorum de Helleboro labores, publicaeque scripta temporum iniurijs desiderari; caremus enim Medicamentario libro, quem aliquoties citat Hippocr. lib. de affect. Constat etiam ex Galeno 1. de hum. 12. Archigenem de Helleboro propinando libellum conscripsisse, quem citat Oribasius. similiter testatur Dioscorides multos. sed maximè Philonidem Siculum Ennensem exquisitum libellum de vsu Ellebori promulgasse, in quo præparatio corporum, ac victus ratio Elleborũ sumpturis tradita erat. sicut etiam cum Galenus de purgantibus medicamentis se librum conscripsisse aliquando fateatur. & qui eius nomine extat pro legitimo non habeatur, in eo forte plura de al-

Elleborus albus.

Ordo futurus in his libris.

Archigenes.

Philonides.

Antiqui scriptores de Ellebore. de albo Elleboro continebantur. etenim libros Dioclis, Rufi, Herodoti, Antylli, Ctesij, Mnesithei, Posidonij, quorum fit mentio in Ellebori potu apud Oribasium, & Aetium, deperditos. praeterea cum nec recentiorem vllum ex professo de albo Elleboro scribentem viderim, nec de ipso Vomitu, & omnibus alijs vomitorijs, dictus liber (quod sciam) extet, conabor nulli parcens labori, quo plura potero simul consarcinare, non ineptè ea coniungens in hos decē libros.

De Vomitus nomine. Cap. II.

NECESSARIA est adeò in Scientijs tradendis nominum exacta, perfectaq; notitia, vt, sine ea, scientiam ipsam haberi posse perfectam, vix credibile sit: ideò voluit Arist. 1. Analyt. post. c. 1. ante scientiarum traditionem, quid est, quod dicitur, praecognoscendum esse. Et profectò magnifacienda est nominum cognitio, ignorato siquidem nomine, videtur ignorari quoque res ipsa de qua agitur; nec clarè constat auditoribus, *Necessitas notitia nominum.* quid proponatur, & ob id iurè vtilem esse nominum cognitionem concessit Galenus 1. de Diff. puls. 1. Nomina quidem nihil facere, dicens, ad rerum cognitionem, & perceptionem: sed docenti esse necessaria, vt explicet, quod dicere intendit. Vndè ipse Gal. 1. de Decr. Hipp. & Pl. 1. Exordium tractatus vult esse sumendum à nominum explicatione, ac primò nomen rei de qua agitur definiendum. sic philosophica methodus iubet primo explicandum quid nominis, vt aiunt, deinde quid rei: idcirco scripsit Auerroes Nomina debere esse nota, quando disputatio aliqua est futura, & conueniendum prius esse de nomine, aliter non poterit adesse recta sermonis communicatio. Cum igitur ad Vomitum pertinentia omnia hoc libro docere in animo habeamus, quid hoc nomine velimus, erit primo explicandum.

Vomitus nomen. Deiectio materiei in Ventriculo contentae, (siue sit cibus, siue sit sanguis, siue alius humor) extra os dicitur à Graecis ἔμετος, legitur etiam apud Hippocratem pro eodem nomine vox ἐμεσίας, & ἔμεσις. Galenus autem in Exagesi apud Hipp. legi inquit Eμία vox, additq. Atticum esse nomen. Foesius tamen in Oeconomia testatur hoc nomen apud Hipp. nunc non inueniri. Latini dicunt *Vomitum*, & *Vomitionem*, vtrumque enim nomen apud Plinium legimus. Vomitionem tamen magis Latinam, vtpote Ciceronianam vocem, putauit Nizolius. nos cum Celso vomitus nomen vsurpare malumus. itaque Vomitus nomine prolato, intelligendum volumus excretionem materiae cuiuscumque in Ventriculo contentae per os, non per aliam partem.

Difficultas. Sed difficultas est, quia etiam ex pulmone, & thorace ab Hipp. dicitur sanguis vomitione refundi. vt 1. de mor. nu. 19. in Graeco textu Cornar. pag. 136, v. 16, αἷμα ἐμέει. *Sanguinem vomere.* quod pluries ibi repetit sermonem habens de Venae crassae ruptione in thorace. & eodem lib. num. 10. dixerat pluriès à pulmone in suppuratis sanguinem reuomi. praeterea in Coaeis praedict. aliquoties fit mentio sanguinis Vomitus ex vena in thorace, vel pulmone rupta. vt nu. 3. *Qui* *Vomitus à Pulmone.* *spumosum sanguinem vomunt, dolore infra septum transuersum non existente, de pulmone vomunt. Et quidem quibus magna in ipso vena rumpitur, multum vomunt, & in periculo versantur, quibus verò minor, minus educunt, & securiores sunt.* quo loco scilicet lib. 6. sec. 2. Aph. 8. Hollerius, & Iacotius. immò etiam Aph. 1. Hipp. sanguinis reiectionem à pulmone vocasse vomitum scribunt. idem fatetur Foesius in Oeconomia. Duretus in Coac. lib. 2. cap. 16. coaca. 64. & c. 17. coaca. 1. & lib. 2. tract. 4. no. 6. Martianus comm. Aph. 37. sec. 7. confirmatur ex Hipp. 7. aph. 74. *à sanguinis vomitu tabes, &c.* quo loco notandus est Fuchsius, qui reijcit hunc aphorismum, quia posuit Vomitum non sputum. sed non cōsiderauit aliàs idem fecisse Hippocratem, at 5. aph. 13. scriptum reliquit Hipp. *Quicumque spumosum sanguinē euomunt, ijs è pulmone eductio fit.* & eadem est sententia, ac illa *Aph. 13. sect. 5. vt legendū.* quae supra est allata ex Coacis. fatetur etiam Gal. in cōmento, pleraque exemplaria, & quamplurimos expositores, vt à me positum est, legere. Galeno tamen visum fuit ponendum *expuit.* qui fortè non considerauit loca Hipp. suprà citata. nam Hipp. distinxit etiam vomitum istum à sputo, vt patet 1. de morb. num. 10. *Si magis repleta fuerit Vena: ipsam sanguinis copiam aceruatim à seipsa reuomit, sputurq; pus crassum, ab accessoria, & intus putrescente pituita.* *Vomitus differt à sputo.* deinde paulò post subdit, de Venis: *Erumpunt, & spuunt à se sanguinem, & aliquando etiam vomunt.* ita etiam nu. 19. scribit: *Si statim vomatur, & spuatur.* deinceps addit: *Pereunt sanguinem multum, ac saepe vomentes, pus autem spuentes per omnem diem multum, ac crassum.* ex his constat ex Hipp. sanguinem euomi à thorace.

Responsio. Respondebimus cū Galeno com. aph. 13. sect. 5. Hippocratem abusum fuisse hac Voce, non tamen sine arte id fecit Hipp. nā denotare cupiens magnam sanguinis excreti copiam, qualis per Vomitum solet reijci, Idiotarum modo Vomitū posuit. ita vt paulatim excretus, & spumosus sanguis dicatur expui, sincerus autem, & copiosus enomi. & quidem aliquos vidi à pulmone impetuosè, & copiosè sanguinem emittentes, *Sang. multa emisso dicitur Vomitus.* qui reuera enomere videbantur, non spuere. apparet autem Hipp. idipsum declarasse 1. de mor. 10. citato: *ipsam sanguinis copiam aceruatim à seipsa reuomit.* deinde ait: *Sanguinem multo multoties per vomitum reiectio.* idem repetit nu. 19. scribens: *Sanguinem multum, ac saepè Vomentes:* apud caeteros auctores omnes Vomitu enacuatur Ventriculus non Thorax: ideò Duretus lib. 3. tract. 4. cap. 1. loquens de vero Vomitu non admittit Vomitus nomen in haemorrhagia pulmonum. *Altera Difficultas.*

Altera est difficultas huic similis, quando dixit

xit Hipp. venas supereuomere, vt lib. 2. de mor. nu. 4. 17. & 18. vndè non videtur Vomitus solius Ventriculi affectus. Dicere possumus hunc appellari Superuomitum, non simpliciter Vomitũ, sed Hipp. fatetur improprium esse nomen. & putat Salius in com. ideò dictum, quia metaphoricè sit desumptum nomen à Vomitu propriè dicto, quum venæ, vel arteriæ expellunt irritatæ sanguinem quantitate, vel qualitate peccantem, adapertis osculis, aut rarefactis tunicis, sic euomere videntur, quod molestat, Ventriculi more, & 1. de mor. 10. venas expletas à se remouere sanguinem legimus. Nobis videtur in hoc morbo nihil à Venis excerni, & euomi ad extra; sed supereuomi, idest in se conijcere. nam replentur venæ, non inaniuntur, vt colligo ex Hipp. (ni fallor ego) dixit enim. *Verum supereuomere videntur, quum ad venas bilis, aut pituita ingressa fuerit. eleuantur enim Venæ, & pulsant.* ecce clarè loquitur Hipp. de tumefactione Venarum, & concludit, *Hæc siquidem erumpat ipsi adnares, aut ad os, aqua, & pituita, sanus fit, si verò non erumpat, septima die maximè moritur.* si intellexisset, (vt censet Salius). foras eruptionem, dixisset Vomitum. & quum subdit. *At si in capite vena supereuomant, &c.* non assentiendum est Salio censenti sanguinem extra cranium effundi, sed dicemus intelligere Hipp. si in Capite, idest Membranis, venæ fuerint nimis repletæ. ideò dixit adesse grauitatem, *quod copiosior sanguis sit in capite, & turbulentior, ac morbosior, quam intrinsecus.* & signum ab Hipp. positum meam confirmat opinionem. *quum quis aut manum, aut aliam quandam corporis partem, hac patientem* (idest superuomitum Venarum) *inciderit*, vnde patet non velle effluxum sanguinis, sed coaceruationem. immò meo periculo affirmarem (ab Hipp. edoctus 1. de morb. 10.) hunc affectum posse dici Varicem venarum. nam Gal. ex Archigene 3. de loc. affec. 7. in vehementi, ac pulsatiuo capitis dolore (qualis describitur ab Hipp.) concedit venas veluti varicosas fieri. quod confirmatur exemplo ab Hipp. tradito de sectione venarum supereuomentium in alijs partibus, quæ apparent esse varicosæ. nam melancholicum humorem nigrum effundunt. quem in Varicibus contineri pluries docuit Galenus. dicamus igitur cum Hipp. *Si circa Cerebrum venula supereuomant, nomen quidem rectum morbo non est, (neque enim fieri potest, vt alia qua vena, siue parua, siue magna supereuomat) nominant tamen, & dicunt ὑπερέμεσιν superuomitum.* Sit igitur constitutum propriè dictum Vomitum excernere materiam à Ventriculo; & impropriè quandoque nimiam sanguinis è Thorace excretionem, quia videatur quasi quidam Vomitus, dici Vomitum. præterea *Venas euomere* scribi cum expellunt à se sanguinem contentum in alias Venas, vti Vulcanum ignem euomere, dicunt Poetæ. *Superuomere* autem quum nimis replentur, & tument.

Sic explicato Vomitionis nomine, declaranda etiam veniunt nomina quædam affectuum non valdè à vomitu dissimilium, nè affectuum affinitate decepti, ipsa nomina confundamus. Videntur enim, vel eundem locum, vel non valde distãtem occupare, nec à dissimili agente produci. sunt autem Nausea, subuersio, resupinatio, & singultus.

Nausea, quam τ̃ Ναυτίαν vocant, (credo sumptam vocem esse à Naui, quæ dicitur ἡ Ναῦς) dicunt etiam ναυτίασιν, ναυτιασμὸν, & ναυτιώδεις, est conturbatio Ventriculi, & dispositio quædam ad Vomitum, siue *debilis vomitus*: nam quandoque nauseæ ipsa expelluntur aliquot aquositates Ventriculi, vt fit in nauibus, à quibus nomen sumpsit, vt plurimum tamen nulla sequitur expulsio, quod perbellè innuit Gal. 1. de loc. aff. 4. *Si humor quispiam in ipsis ventriculi tunicis contineatur, nausea quidem vexabit, sed inanis, & sine Vomitu, & quæ turbat, & conuellit duntaxat, nullum humorem euacuans*, quod confirmat 3. de Sympt. cau. 4. & Paul. lib. 2. cap. 155. quare nausea erit initium vomitus, seu vt alij volũt, inanis quædam vomendi irritatio, aut irritus quidam conatus ad Vomendum. Vomitum autem præcedere solet, vndè Galenus 3. de Nat. fac. 13. scriptum reliquit, *Animal esse nauseabundum dicimus, Ventriculum scilicet, vt per Vomitionem vacuetur impetum capescere.* Auicen. quoque lib. 3. f. 13. t. 5. c. 8. *Nausea, inquit, est dispositio stomachi, quæ quasi suscipit hos motus, & est quasi declinatio eius ad hos motus, aut multi temporis, aut parui secundum dispositionem materiei.* Quod autem supra attulimus ex Galeno de loco in Nausea affecto, nimirum humores in Ventriculi tunicis contentos esse, non est accipiendum, ita vt aliter fieri non possit, nauseat enim animal quandoque pingui tantum substantia interna tunica delinita, quandoque sola imaginatione rei non gratæ.

Subuersio stomachi dicitur ἡ ἀνατροπὴ, & Gal. 8. de comp. m. l. 3. explicat, hanc vocem duplicem habere posse sensum, aut enim appetitus perditionem, aut nauseosas affectiones ab accepto cibo sientea significat, aliquando quidem hoc vnum solum symptoma accedit accepto cibo, aut si paulò fortiori motu moueantur, statim vomãt, appellant etiam aliqui tales stomachicos, & stomachum ipsis supinum reddi aiunt. sequitur autem hoc symptoma quandoque ad solã oris ventris debilitatem, quum cibos amplecti, eosq. obuoluere non potest, velut tota ventris amplitudo solet: quandoque verò, & cum vitiatæ alicuius, modicæ tamen humiditatis complexu: etenim multa, quemadmodum etiam valdè vitiata, etiam citrà cibum, nauseam efficit. Gariopontus verò Antiquus scriptor lib. 2. c. 20. Anatropam appellat, stomachi sursum euersionem cum vomitu, vt quicquid acceperint cibi, vel potus statim vomant cum defectu.

Alterum affectum, qui *Resupinatio* dicitur, & ὑπτίασμὸν vocant Græci, explicasse videtur Galenus 8. de comp. m. l. cit. dum scribit. quæ à multis supinitas stomachi appellatur, cõtingit quidem iuxta intemperiem quamcumque tandem citrà

[Left margin notes: Vomitus à Pulmone. — Responsio. — Responsio Salij. — Nostra sententia. — Aph. 13. sect. 5. vt legendi. — Vomitus differt à sputo. — Varices in capite. — Responsio. — Sang. multa emissio dicitur Vomitus. — Altera Difficultas. — Alia nomina declarãda. ; Right margin notes: Nausea. — Descriptio. — Subuersio stomachi. — Resupinatio.]

citrà vitiatos humores: fit etiam per humiditatem multam quidem, non tamen malignæ qualitatis: irriguus enim stomachus per largam humectationem similiter, vt ligamenta neruorum laxatur. Auicenna subuersionem dixit. Motum expulsoris, cui non associatur motus expulsi. sed nauseam fortasse intelligit. Omnes autem hi affectus valde inter se conueniunt. vndè relatum est à Gal. loc. cit. *Reiectio, hoc est, Vomitus ex genere est supinitatum.* & paulò post subdit: *Hoc itaque vomitus symptoma vnum quidem est, sequitur autem ad multas affectiones diuersam medelam exigentes.* quamquam igitur diuersa habeat nomina Vomitus, Nauseæ, subuersionis, atque supinitatis, vna tamen erit actio Naturæ varians ferè tantùm, vel secundùm magis, & minus, vel secundum partes ventriculi.

Singultus. Nec ab his multum distat *Singultus*, qui λυγμὸς dicitur, & Galen. 6. aph. 39. scribit: *Singultus motus est quidam eiusdem generis, cuius vomitus intentus autem, & illo vehementior; nam stomachus appetens eorum aliquid, quæ in ipso continentur, expellere, ad duos mouetur casus, vehementiorem quidem in singultibus, mediocrem illo in vomitibus: siquidem in vomitibus appetit ea tantum, quæ in ventriculi spatio latiori continentur, expellere: in singultibus autem ea, quæ sunt in ipso ventriculi ore penitiora. Per stomachum nunc à me intellexeris non solum eum, qui ita propriè nominatur, sed & ventriculi os. Quæ enim in hoc continentur ipso appetente Ventriculo expellere, singultus fit. Quod verò eorum, quæ difficulter excernuntur, & quæ veluti absorpserit ventriculi os, fiat per singultus excretio, discere licet ex iis, quæ quotidie eueniunt, omnibus ferè, plus minus; si quis enim acre aliquid, veluti piper per se solum deglutierit, vel cum melle, vel aliquo alio, & postea vinum biberit aqua calida temperatum, statim singultiet, calore quidem potus piper ad interiora deuehente, eius verò acrimonia ventriculum infestante: vnde conatur motu violentiore rem infestantē expellere.* at hic dicit singultū fieri, vt Ventriculi os, seu stomachus exinaniatur. Vomitū verò, vt fundus. at 3. de caus. sympt. cap. 2. *Ventriculi motus,* inquit, *qui veluti conuulsiuus est; qui in singultiendo accidit, conuulsio quidem in totum non erit (vtpote, quæ in solis accidit musculis, ventriculus autem nec ipse musculus est, nec eius os) sed veluti conuulsio quædam, ambarum virtutum commune symptoma est: retentricis quidem, quæ venter, cum singultit, prauè, & non naturaliter cibos complectitur: expultricis, propterea quod primum eius est ipse motus prauus, dum scilicet cupit, quod contristat reiicere. Sanè non idem est vomentibus, atque singultientibus motus, propterea, scilicet, quod non idem affectus; quippe in vomitionibus, ea, quæ in capacitate sunt ventris reiiciuntur: in singultu, quæ in ipso ventris sunt corpore; simili scilicet tum affectu, tum motu, qualem in iis, qui ex intemperie tussiunt, monstrauimus: omnibus nimirum ventriculi partibus, quod se contristat expellentibus. Proinde eiusmodi symptoma, tum iis, quibus ventriculus perfrigeratus est, tum qui piperis, alteriusve persæpe calidi medicamenti multum, & semel liberaliter sumpserunt, deinde super id calidam potionem biberunt, incidit. Quibus vtique magis etiam singultire continget, vbi piper ad subtilissimum puluerem est redactum; quippe eiusmodi piper altiùs in ipsum ventriculi corpus inseritur. Ad eumdem modum, & cæteris omnibus refrigerantibus, calefacientibusq. quæ in corpus ipsum ventriculi descendunt, singultus superuenit. Estq. is singultus primum expultricis virtutis motus quidem non legitimus: secundo loco retentiuæ, ac complectentis.* hactenus Galenus, quem inconstantem reperio, *Galeni contrad.* siquidem hic singultum fieri asserit, vt Ventriculus expellat ea, quæ sunt in ipsius corpore, idest in tunicis. At 6. aph. 39. fieri docuit, vt expellantur ea, quæ sunt in stomacho, seu ventriculi ore. ita l. 5. aph. 4. dixerat, singultum esse conuulsionem stomachi. Sed hæc contradictio *Solutio.* facile tollitur, si dixerimus Galenum vtrobique voluisse fieri singultum, quod explicat 2. de cau. sympt. cap. 6. scribens *fieri singultum in Ventriculo*, & κατὰ στόμαχον, idest in ore ventriculi, vt vertit antiquus interpres, at Linacer; & Copus interpretati sunt *in Gula*. quos alij reprehendunt, quia Galen. 3. de loc. aff. cap. 7. stomachum dici communiter voluit os ventriculi. sed defendi possunt, quia Galen. 5. de loc. aff. cap. 5. *eam partem*, inquit, *quæ inter fauces, & os ventriculi media est, quam veteres Oesophagum nominabant, qui post Aristotelis sæculum scripserunt, stomachum, nos gulam dicimus, appellare consueuerant*. immò Gal. ipse tres particulas affectas assignat. 7. aph. 3. scribens: *Qualis passio est conuulsio musculis, talis est singultus stomacho, qui humoribus aduenit infestantibus nonnunquam totum ventriculum, nonnunquam os eius, & gulam*. & 6. aph. 39. cit. per stomachum intelligit non solum propriè dictum, idest Oesophagum, sed etiā Ventriculi os.

Motus singultus maior vomitu. Præterea tradit singultum, & vomitum esse quidem ambo motus Ventriculi sursum, sed alterum altero vehementiorem. cum quo adamussim sentiunt Altimarus, Massaria, & cæteri, qui Galeni saliuam lambunt. Auicenna verò non parui *Auicēna cōtra Galenum.* faciendus Auctor, non approbans propositam Galeni sententiam, eam pluribus, solidissimisq. rationibus refellere conatur lib. 3. fen. 13. tr. 5. c. 19. adeò vt fateatur Costæus in annot. consentire Auicennæ rationem sibi videri, non Galeno. certum enim est per Vomitum ventriculum conari expellere non solum materiā in cauitate cōtentam, sed etiam inter tunicas: ergo idem erit motus, ac in singultu, non autem leuior. vndè nul- *1. Ratio.*
la est Galeni ratio. addit Auic. quia agens, quod *2.*
frustratur suo fine, videtur esse debilius eo, quod suum opus perficit, nec credibile est materiam à debiliori motu expelli; non autem à fortiori. quum igitur à singultu nihil excernatur, à Vomi-

tu sæ-

tu ſæpè plurima, & craſſiſſima, dicendum omninò validiorem eſſe motum Vomitus, quàm ſin-
3. gultus. accedit quod, ſingultus (veluti quidam vomitus debilis,) vomitum ipſum quandoque præcedit: cum autem illud, quod præcedit aliud, ſit debilius illo, quod ſubſequitur, neceſſariò ſingultus erit imbecillior vomitu. Equidem obſeruaui ſæpè ab Elleboro aſſumpto primò inſurgere ſingultum, deinde nauſeam, tandem inſequi vomitum, à quo ſedabatur ſingultus, ita paulò poſt rediens ſingultus vomitionis futuræ erat indiciũ;
Hippocr. interim notandum *à Vomitu ſingultum malum* ex Hipp. 7. aph. 3. quia ab inanitione; ſed non è contra à ſingultu vomitus, quia à repletione ſit. ita labri inferioris concuſſio, quæ motus quidã conuulſiuus eſt, Vomitum prænunciat. tandem
4. Galeni contrad. addit Auic. à magna cauſa magnus prodit effectus, & è contrà; ſingultus ſit à parua cauſa, veluti à modico humore, à grano piperis, & facilè ſedatur, Vomitus verò non niſi à graui, & difficilius ſedatur, manifeſtum igitur eſt validiorem eſſe motum in Vomitu, quàm in ſingultu. mihi
Solutio. id facilè probari poſſe videtur ob maiora ſimptomata conſequentia Vomitum, quàm ſingul-
5. tum. nemo enim eſt, qui ſe minus affici, & vexari à ſingultu dicet, quàm à Vomitu, quo ſolo ſenſato ſigno patere poſſet vomitum fieri vehementiori motu, & naturæ conatu, quàm ſingultus:
6. ſed quod magis eſt, videmus, vomentes ob violentiam concuſſionis, multùm ſudantes, oculos ipſis prominere, faciem rubeſcere, caput grauari, aures ſibilare, ſanguinem è naribus, erumpere. immò & in pectore venas tumpi, ventriculumq; ipſum adeò affici, vt poſt aliquot dies etiã tactu dolens ſentiatur. ſingultientes verò numquam tantis afficiuntur ſymptomatibus, quamuis ab Elleboro, ab inanitione, à repletione, à conſenſu partium, & mox mox morituri ſingultiant. nonnè in Vomitu concurrunt muſculi abdominis, thoracis, & ſeptũ tranſuerſum, quæ om-
7. nia quieſcunt in ſingultu? verum ſi militaret Galeni ratio, nimirùm, quod ſingultus ſit motus vehementior, quia natura conatur expellere abſorptum humorem in vẽtriculi tunicis (ſic Duretus Galeno adhærens in coacis pag. 373. lib. 19. ſingultum definijt motum tunicarum ventriculi cõcuſſarum ad excutiendum id, quod ipſis tunicis contumaciter adhæreſcit.) ſi, inquam, id valeret,
Motus ſingultus maior vomitu. etiam nauſea eſſet motus vehementior, quàm vomitus, ſiquidem per hanc (eodem Galeno teſte 1. de loc. aff. 4.) humorem in ventriculi tunicis contentum euacuare nititur, & tam in nauſea, quàm in ſingultu irritus ſit conatus.
Auicina citra Galenum.

Altimarus irridet quidem in hoc Arabes, ſed præter Galeni verba, nihil affert. Subtiliſſimus
1. Ratio. Capiuacceus pro Galeno. Capiuacceus, vt Galenum tueatur. Reſpondet: *Singultus, & vomitus biſariam poſſunt accipi: primum, vt vtrumque vitium eſt motus ratione ſubiecti, & proinde paſſio: ſecundo hæc vitia capi poſſunt in ratione cauſæ efficientis, & tunc hi motus non ſunt paſſiones, ſed actiones.*
2. *Si ſumantur pro paſſionibus: ſingultus eſt motus vehementior vomitu, quoniam ventriculus in ſingultu magis patitur, nam læditur à materia impacta, in vomitu afficitur à materia reſidente in cauitate. ſi hi motus capiantur pro actionibus, vomitus eſt motus vehementior ſingultu, nam per vomitum ſit vacuatio ſenſibilis; ſecus per ſingultum.* hæc ſubtiliſſima præclariſſimi philoſophi diuiſio, quem ego magni *a refellitur.* facio, nunc haudquaquam mihi ſatisfacit; quia nullo modo concedere queo, magis pati ventriculum in ſingultu, quàm in Vomitu, ſiquidem poſt vomitum etiam dolet Ventriculus, non autem poſt ſingultum: ergo magis paſſus eſt. præterea, ſi ideò ſit maior motus, quia læditur à materia impacta, pari ratione in nauſea motus eſſet maior Vomitu. demùm negari poteſt in ſingultu affici ventriculum, vt poſtea demonſtrabimus. Mercurialis etiam conatus eſt conciliare iſtos magnos viros, diſtinguendo non autem ſoluendo allatas rationes. & videtur procedere contrario modo ac Capiuacceus. ſcribit autem: *Mercurialis conciliatio.* *Motum vnum altero eſſe fortiorem, dupliciter intelligi poſſe, vel quoad virtutem mouentem, vel quoad corpus motum; ſi primo modo conſideretur, planè eſt ſingultus vomitu vehementior, quia facultas expultrix, quæ mouet ſingultum, robuſtior eſt, quàm ſit ea, quæ mouet vomitum. Si conſideratur ſecundum corpus motum. dico vomitum eſſe vehementiorem, hic enim ſit cum corpus ventriculi contra naturam mouetur ſurſum; quoniam quod eſt conuexum, ſit concauum. in ſingultu autem non ſic mouetur ventriculus, ſed extenditur ſolum, & contrahitur, ſic vomitus eſt vehementior ſingultu.* Sed neque hic doctiſſimus vir difficultatem ſoluit. *a refellitur.* negatur enim facultatem expultricem in ſingultu eſſe robuſtiorem. nec extenſio, & contractio dicta videtur magna, vnde non erit magnus motus. Mihi quidẽ hæc differre videntur nõ expulſiuæ ſolũ facultatis motu; ſed loco affecto.

Et quia difficultatem poſſe afferre locus Ariſtot. videtur, ideò hic erit primò enucleandus. ſcribit autem 33. ſect. prob. 1. *Singultus refrigeratio, & cruditas eſt ſpiritus, atque humoris pulmoni coniunctiſſimi.* *Ariſt. de ſingultu.* quod etiam repetit probl. 4. & 37. Maſſaria reſpondet hoc eſſe delitamentum, & librum, aut certè quamplurima *A Maſſaria refutatus.* problemata non eſſe Ariſt. Sed hoc modo omnia quæſita facilè ſoluerentur. ſed Ariſt. ſuffragari videtur Hipp. 2. de mor. 362. qui in febre ſingultiente affectum pulmonem oſtendit. & Gal. 2. de cauſ. Sympt. 6. ſternutationes ſiunt aliquando ſingultuum remedia. nos autem cum Ariſt. ſentire poſſumus non eſſe ventriculum ipſum in ſingultu affectum. ſed an ſit pulmo non eſt euidens: nam in tuſſi, aſmate, & alijs affectibus pulmonum, ſingultum rarò aſpicimus, & potius eſſet aſperæ arteriæ affectus, & motus quidam cartilaginum ipſius; ideò ſingultus eſt quaſi interruptus motus. & ſi ſieret à flatu, vt ſternutatio, & ructus, appareret aliquis flatuum exitus: ideò dimiſſa Ariſt. hac opinione. dicamus Galenum ſenſiſſe ſingultum eſſe Ventriculi ipſius motum *Singultus ſubiectũ.* 3. de Sympt. cau. 2. cum quo cæteri ferè Medici

sentione. Equidem alterius sum sententiæ, & (si me sensus non decipit) locum affectum differre censeo, non autem expulsiuæ tantùm facultatis motum. credo siquidem in vomitu moueri ad expulsionem totum ventriculum, cum omnibus adiacentibus partibus, & ideò semper in vomitu expulsionem excrementorum per os sequi: At in Nausea moueri ad expulsionem os tantùm ventriculi, & ideò non deijci materiam, nisi vomitus nauseam sequatur, expellente scilicet etiam ventriculi fundo, in ore enim Ventriculi materia non residet; sed potiùs qualitas infestat, vel pauca tantùm materia, quæ non quantitate, & substantia sua; sed qualitate vnctuosa, vel simili, ipsum relaxat, & vexat, estq. veluti ea tantummodo pernoctum osculum: vnde à sola nausea nihil reijcitur, nisi succedat vomitus. quia eo loci nihil expulsibile continetur. Singultus autem differt à Vomitu, & Nausea non quidem violentia expultricis, vt toties dixi, sed loco: est enim motus solius Oesophagi, non Ventriculi, contrarius motui transglutitionis, sæpè succedens ipsi transglutitioni violenter factæ, ideò natura ex vno motu deorsum facto molestata, contrario motu se exonerare conatur, vt accidere sæpè videmus deglutito aliquo bolo integriore, vel nimis auidè, cui statim succedit singultus. Quoniam autem in Oesophago nulla continetur materia, nisi per transitum; ideò ex solo singultu numquam deijcitur materia aliqua, etiam si ventriculus summè sit repletus, commouetur autem Oesophagus, & singultit, vt idem Gal. refert 8. de comp.m.loc. cap. 3. (præter causas ab Hipp. dictas) etiam à mordacitate humorum acrium, & medicamentaria qualitate præditorū: præcedit tamen quandoque, sed non necessario nauseam, & Vomitum, ita vt quandoque incipiat labri inferioris cōcussio, (quæ ex Gal. 3. Acut. 44. & 4. de Crisib. 11. Vomitus futuri signum) subsequitur singultus, idest Oesophagi motus. hoc ordine (vt etiam loco os ventriculi substat) nausea sequitur, ore ventriculi titubante, quam tandem excipit Vomitus toto ventriculo commoto, & coadiuuantibus cæteris circumuicinis partibus, septo transuerso, Thorace, atque abdomine. quo perfecto superiora cessant accidentia, eodem Gal. teste 8. de comp.m.l.cit. *Singultum fieri video, acribus humoribus, aut ichoribus medicatis, aut cibo in mordacem qualitatem corrupto, quos vbi vomitu reiecerint, statim singultu liberantur.* Quærerem hic à Galeno, si in singultu est validior ventriculi motus, quàm in Vomitu, cur singultus non potest exinanire ventriculum, potest autem Vomitus, qui fit minori conatu? & cur cænantibus in media ciborū assumptione adueniente singultu cibaria non reijciuntur? præterea quando singultus fit ab inanitione, quid natura expellere intendit? an siccitatem? Quod si considerauerimus eos, qui se cibis multùm, vel affatim repleuere, vel eos in frustulis crassioribus deglutiuere nimis auidè, in his perspiciemus oborto singultu, sine vlla vnquam cibi expulsione sentiri cibum ipsum, quasi in medio Oesophagi; vel paulo supra os Ventriculi repositum, curatur autem statim ex potu, cibo nimirùm in Ventriculum descendente, quod si singultus esset Vētriculi motus vehementior vomitu, cur non expellerentur, quæcunque in eo sunt? non est igitur probanda Gal. sententia, cum fieri scrispserit singultum in Ventriculo, & κατ' στόμαχον idest *in ore ventriculi* (quia hoc si quādoq. accidit, rarissimè accidit, frequenter autē in Gula) sed mecùm ex parte sentit Auic. in Oesophago nimirū fieri singultum, quamuis cum Galeno etiam in ore ventriculi, & eius ventre, seu cauitate fieri asserat; nec potuit negare Gal. vt retuli: & mihi quidē, vt dixi, videtur in Oesophago frequentius fieri singultus, quùm transglutitionis læsa est actio, & quia nihil vnquam eo motu expellitur, quantumuis Ventriculo cibis repleto: In ore ventriculi nauseam; quia aquositas tantùm per sputum reijcitur, non humores, nec cibaria, fieri assero: Ex ipso deniquè Ventriculo cōmoto ad expulsionem supernam Vomitum effici. & ridiculum videtur dictum illud, ventriculum moueri motu singultino, & valido, nec expellere posse contenta; siquidem potest multum singultire Oesophagus, & multum nauseare os Ventriculi, non tamen vlla sequetur euacuatio, nisi cum his consentiens ventriculi fundus vomuerit.

Quod si cōciliare hos magnos viros in animo fuerit, dicere licebit, motum diuersum esse: singultientis quidem conuulsiuū, & concutientem, se enim æqualiter, & repente concutere videtur Oesophagi tunica, vel etiam tunica ventriculi (si ventriculum quoque singultire, concedendum censemus) cuius cōcussionis scopus est, vt expellatur materia, aut impacta tunicis ipsis, aut irritans, vel compressione, vel qualitate aliqua, vti acrimonia, ideò magnus fit motus, quia causa valde vrget. Vomitus autem est motus diuersus, in quo dilatata Oesophagi cauitate, relaxatoq; ore ventriculi fundus ipsius restringitur, & sursum impellitur, vt materia in cauitate contenta, expellatur per superiora. qui motus non dicetur magnus, quia non fit à particulari conatu valido Ventriculi, sed multis particulis coadiuuantibus ex altera parte magnus cum Auic. dici meretur, dum totum ferè corpus coadiuuans spectatur. Porrò cum sint motus diuersi, diuersa quoq. instrumenta requirunt: quamobrem cum ventriculus ob fibras moueatur, attrahat, retineat, & expellat, censebimus, vel alias fibras mouere ventriculum in vomitione, alias in singultu, vel aliam tunicam moueri. An fortè in Vomitu, vel omnes tunicæ consentiunt ad idem motum, vt & totum ferè corpus, efficiendum; vel exterior tantum, quæ à peritoneo est tunica, cuius indicium esse posset auxilium vomitus ab Abdomine, in quo reliquum peritonei est? in singultu autem sola interior tunica insurgit ad motum expulsiuum præstandum, exteriori interim tunica renitente; vndè fit tantummodo motus cōtractiuus, & concussorius similis conuulsiuo. Hoc stante, quia vel vna sola tunica mouetur, vel vnum tantum villorum genus, alijs particulis quasi renitentibus

Singultus ab Oesophago.

Singultus causa.

Subsequuntur.

Problemata tria.

Singultus non fit à Ventriculo.

Subiectum singultus.

Nausea.

Vomitus.

Conciliatio.

tentibus, hinc à parte mota validior motus debet fieri, ob particulare conatum expellendi nocuum, supponitur enim agere sola absque alieno auxilio. nam alioquin cum plures partes concurrunt ad vnam actionem, quælibet in particulari debiliter mouetur, quãuis in vniuersali magnus succedat motus. & ideò fortaſſe dixit Gal. vehementiorem eſſe motum in ſingultu, nimirùm respiciendo vim, & conatum facultatis particularis, qui fit ab vna sola particula commota. Quod si respexerimus effectum motus, & tot partes commotas, certè cum Auic. ob rationes suprapositas fatebimur, maiorem fieri motum in Vomitu, quàm in ſingultu.

Ructus. Restat, vt de Eructatione, seu potiùs Ructu, quẽ ἐρυγὴν Græci vocant, nonnumquam dicitur ἐρεύγειν ab Hipp. & ab Arist. in probl. ἐρυγμὸς. hic enim in Ventriculo fit, eiusdemq; facultatis expultricis est motus: dicere possumus esse excretionem flatulenti spiritus à Ventriculo per os erumpentis: *Problema.* circa quem posset quæri, cur existente Ventriculo cibis repleto ab eius expulsiuo motu solus vapor expellitur, non autem cibus?

Solutio. Responderem diuersum esse Ventriculi motum; nam in ructu se vndique totum ita comprimit, vt ex se exprimat flatum inclusum per ipsius Ventriculi os, at in Vomitu, fundus sursùm pellitur, & relaxatur omninò ipsum os. in nausea relaxatur tantùm Ventriculi os, & dilatatur. sed in ſingultu adeſt Oesophagi motus conuulsiuus intermissus. & hæc satis dicta sint pro dilucidatione nominis Vomitus, de quo prolixè acturi sumus.

De Vomitus essentia. Cap. III.

SI Vomitum definire in animo fuerit, erit priùs distinguendum; nam considerari potest, vel vt est excretio, actus, seu passio animalis vomentis, vel vt est res, & materia per ipsum actum vomendi expulsa: *Vomitus dupliciter sumitur.* determinandum igitur primo est, sermonem esse non de materia per Vomitum eiectâ (quamuis sæpè apud Hipp. legatur Vomitus biliosus, Vomitus æruginosus, pituitosus, niger, sanguineus, praſſinus, meracus, viscosus, de quo agemus lib. 9.) sed de ipsa actione, qua, materia excernitur, quæ est motus quidam, & expulsio materiei extra corpus, cuius hanc tradimus Definitionem. *Vomitus definitio.* *Vomitus est motus Ventriculi expulsiuus, quo excernitur per os materia in ipso Ventriculo cõtenta.* Facultatis expultricis opus esse Vomitum, satis notum est: siquidem cum sit affectio Ventriculi, & hic quatuor facultatibus naturalibus præditus sit, vt optimè scripsit Gal. lib. de Nat. fac. nimirùm attractrice, retentrice, concoctrice, atque expultrice. & cum vomitus naturalis facultatis sit symptoma. ex Gal. 5. de cau. sympt. 4. non erit nisi Expultricis opus, *Vomitus est expulsio.* vt cuilibet, vel mediocriter in medicina exercitato constat. sic Fernel. cum dixit esse *impetu Ventriculi sursum factam reiectionem.*

Duretus autem lib. 3. coacarũ, *eorum, quæ intùs Ventriculum malè habent à propria ipsius concussione, per os exclusio.* sed ad rem nostram facit, quod habet 3. de nat. fac. 13. Galenus *Iam nec illud*, inquit, *difficile compertu est, & attractionem, & expulsionem diuersis in temporibus per eumdem meatum fieri: si modo ventris stomachus, quam gulam vocamus, non cibos tantùm, potionemq. in ipsum ducere, sed etiam in nauseis contraria fungi ministerio cernitur.* Sed in his leuioribus nobis non est immorandũ; satis sit determinasse, Vomitum esse opus facultatis naturalis expulsiuæ ventriculi, quo expellit ea, quæ in ipsius cauitate continebantur: expellit autem per eandem viam, per quam solet fieri attractio, & intromiſſio in Ventriculum, scilicet per orificium ventriculi superius, & per Oesophagum, demùm per os extra corpus.

Quomodo fiat hæc expulsio à ventriculo, iam declarandum. & cum compreſſo fundo totus sursum (ex Fernelio) impetu fertur, Vomitione quicquid insensum est excutit, manifestiſſimè Ventriculo è propria sede exiliente, & aſſidẽtes partes, quibus annectitur, magna vi diuellente. Est igitur motus ventriculi, teste Gal. 3. de cauſ. sympt. 2. & alibi; atque etiam Auicenna, qui scripsit lib. 3. cit. Vomitum esse motum stomachi ad expellendum. *Vomitus an motus naturalis.* Duretus Vomitus essentiam in concuſſione potenti posuit in Coacis. Fieri autem hunc motum voluit Galenus non à facultate animali neruorum motiua, siquidem Ventriculus neque neruus, neque musculus est; sed à facultate naturali per suos villos trahente, idem sentiunt And. Laurentius lib. 6. cap. 18. & alij. contrà tamen Ventriculus videtur sortitus esse plures neruos, à quibus habet exquisitiſſimum sensum, vndè etiam motum habere potest: & voluntarius motus sæpè videtur adesse; *An motus voluntarius.* nam ab imaginatione sola non rarò concitatur. multis enim accidit, vt cum aliquem cibũ comedissent, & gratus fuisset is, ac sapidus, memoria tamen alicuius rei fœtidæ, cuius aliqui fortè interim meminère, sola imaginatione, & memoria illius rei vomere inceperint. vel si illis fuerit ingesta opinio, vel etiam falsa, quòd fuerit illi cibo aliquid immixtum, quod ipsis abominabile sit. sic multis audientibus, vel videntibus alios vomentes vomitus accedit. immò Vomitum concitare in nostra potestate esse videtur, & non solùm homines; sed etiam animalia sibi adlibitum vomitum prouocant. Etenim Gal. de vene sect. aduerſ. Erasist. 6: *Ego (inquit) frequenter vidi Canem vomitum sibimet studiosè prouocantem.*

Vomitum tamen esse reuera motum mixtum ex Naturali, & animali, videtur voluiſſe Galenus ipse. *Vomitus est motus mixtus.* nam scripsit lib. de motu muſc. & obſc. 6. Motum voluntarium non fieri à solo musculo, nam animalia ruminantia cum impleuerint ventriculum herbis, vel alijs nutrimentis, iterum cibos in os regurgitant pro libito, & ruminant. Alij sunt, qui assuefacti ad Vomitum, ipsum quotiescumque volunt facili negotio excitant: vndè

dici poterit Oesophagum obedire voluntati in Vomitu, vel stomachum, vel vtrumque, deinde subdit: *Oportet ergo vt ponamus causam in maiori parte, virtutem, quæ est in stomacho expulsiuam, quæ non est voluntaria, & forte virtus naturalis in illa habitudine virtuti suffragatur voluntaria facilè, & medicum*. & paulò post cap. 7. scribit: *Et sicut quidam Vomitus fit à virtute naturali sola, & quidam vel totus, vel maxima pars ipsius fit prorsus à virtute voluntaria, ita reperitur in euacuatione per anum, & per vrinam, quæ mingitur duplici actione*, mihi autem videtur Vomitus, etiamsi facultatis naturalis sit opus primarium, adiuuari tamen sæpè manifestè à facultate animali, & musculorum, tum septi transuersi, tum abdominis: patet enim manifestè in vomentibus comprimi ventriculum à Diaphragmate, & sursum compelli, id etiam comprimendo adiuuant musculi abdominis. Præterea voluntas videtur aliquid operari, quia cum nausea accedit, si volumus vim facere per aliquod tempus, prohibemus vomitum, & si volumus citius vomere etiá eniti possumus. & vt Galen. arbitratus est lib. de motu man. & obsc. cap. 7. relaxatio, vel expulsio sunt à virtute naturali in parte, quæ à se emittit, quod molestabat, & est actio primaria, si verò pars expellens non à se ipsa expellat, sed ab alia parte, & coadiuuet motum naturalem partis expellentis, erit actio secundaria, à virtute motiua animali, & voluntaria; & ideò in vomitu actio musculorum voluntaria potest aliquantum adiuuare, vel retardare motum vomendi, nō efficere per se, vel omninò prohibere: idem ferè accidit in expulsione excrementorum per intestina, & anum, quod admodum diligenter, & curiosè explicat Galen. noster 2. de motu musc. 8. Exitus excrementorum instrumenta, plura quidem particularia; sed duplicia genere: eorum enim alia Animæ, alia naturæ sunt: atque Animæ quidem instrumenta motu voluntario semper agunt, instrumenta verò naturæ sine motu voluntario. Phrenes quidem, & omnes musculi Epigastrij instrumenta Animæ sunt; intestinorum autem omnium structura, vná cum ventriculo, naturæ. Musculi itaque omnes Epigastrij cum agentes tenduntur, premunt intrò naturæ instrumenta: hæc autem, si phrenes ipsis cedant, in illarum locum abeuntia, musculorum violentiam exoluunt: si autem resistant: tunc ceu à duabus manibus pressa, extrinsecus à musculis, intrinsecus à phrenibus, ea, quæ continentur in cauitatibus ipsorum propelluntur: ad hoc autem adiuuat multùm phrenum obliquitas, alterum quidem finem ad cartilaginem pectoris parte anteriore habentium, alterum verò ad spinam lumbi. Quod igitur excrementa intestinorum exprimantur à musculis vtrinque agentibus id accidit, extrinsecùs quidem ab ijs, qui in Epigastrio sunt, intrinsecùs verò à phrenibus, quòd autem infrà subeat, quod premitur, obliquitas septi transuersi causa est, quo tempore musculus ani est otiosus. Cumq. plures sint musculi in ventre, omnesq. tendantur in egerendo, magis quidem, qui in hypocondrijs sunt: minùs verò, qui infra, tenduntur; contrà quàm in meiendo habet, magis enim tunc per inferiùs, minùs verò, qui in hypocondrijs, agunt. simul autem cum ambobus extenduntur musculi seruientes respirationi, non quod mictionis, aut excretionis sint instrumenta, id enim à ratione alienissimum est; sed quia phrenum tensionem oportebat æqualem esse tensioni musculorú ventris: erat autem impossibile, cum ipsæ vnus musculus sint, cum multis, & magnis certare: periculumque in hoc, nè victæ in amplum spacium thoracis euerterentur. Idcircò musculi, qui sunt inter costas, simul tenduntur vndiquè eum constringentes (laxus enim thorax promptè cedit phrenibus, cum pelluntur, vt licet colligere) tendentes quidem musculos ventris, & maximè ipsorum inferiores: exoluentes autem à vigore omnes, qui in ipso sunt. Totus enim fermè venter in huiusmodi constitutionibus in amplum thoracis spatium pellitur vná cum ipsis phrenibus: ne igitur hoc fieret, nevè egestio ipsa labefactaretur, totus thorax vndequaquè validè constringitur. Atque ex omnibus iam dictis clarum fit, quod qui musculi effluxibus excrementorum præsident, coercere quidem ipsa suaptè natura possunt, idq. officium ipsorum est proprium, excernere autem nequeunt, nisi secundú accidés cum agere desinunt. Vt igitur in alijs omnibus partibus contrariorum motuum contrarij quidem musculi sunt duces, hic quoque sic habent, retentio enim superfluorum, istorum musculorú est actio: excretio autem eorum, qui in Epigastrio sunt, & Diaphragmatis. Sicut igitur in deiectione excrementorum deorsum, internus fit motus à virtute naturali intestinorum, & adiuuatur externo motu à virtute animali musculorum Epigastrij, Diaphragmatis, necnon Thoracis, sic etiam in vomitibus adest primus motus, & internus à vi naturali ventriculi, & Oesophagi, & adiuuatur externo, & secundario motu virtutis animalis eorumdem musculorum sursùm expellentium, qui alias deorsùm pellunt; sed differt hic motus musculorum sursùm, vel ob principiū motus, vel quia moueantur per alias fibras; pater autem in vomentibus, musculorum coadiutionem esse: nam musculorum Thoracis fit valida constrictio, ideò lib. quos, & quando, qui angustum pectus, & idcirco pulmonem compressum habent, ad vomendum ineptissimi dicuntur, conceptaculum enim aliquod ex ijs, quæ respirando vsui sunt, dirumperet, ita 2. aphor. 35. musculi abdominis requiruntur crassi, & non extenuati ad purgationes inferiores, & superiores, quia cum debeant expulsionem coadiuuare, ob imbecillitatem nequeuntes, nimis augitur facultas naturalis, ita enim est nostrorum corporum dispositio, vt cum pars aliqua expellere, quod infestat, insurgit, aliæ omnes, quæcumque coadiuuare possunt, accurrant, & opem ferant ob consensum, quod si opus inceptum per se solam efficere cogatur, nulla alia coadiuuante, nimis vexatur,

Vomitus motus naturalis, secundario animalis.

Vomitus per accidens motus animalis.

Intestinorum motus expulsricis vt ad iuuatur.

Vrina excretio.

Excretio à quibus musculis.

Inepti ad Vomitum ob Thoracem ...

Ob musculos abdominis.

xatur, & laborat, & ob id, vt dixi, singultus dictus est fieri maiori motu, quàm Vomitus. Prohibet autem Hipp 4. aph.8. vomitum Tabidis (vt Gal. in comm. addit) ob instrumentorum, quæ respirationi obseruiunt, imbecillitatem. nimirũ quia thorax motu, & compressione conueniente motum adiuuare nequit: quòd si cogatur, periculum imminet magnum: nam, vt sancitum est ab Hipp. de inter. affect. initio. *Pulmonis vena, & arteria distrahuntur, ac rumpuntur ob vomitus violenter fientes*. iurè igitũr Hipp. lib. de Veratri vsu, & 4. Acut. 86. necnon Galen. 2. de hum. 12. Plinius, & alij vetant dari Elleborum malè affecto Thorace, & Pulmone, quia cùm sint membra imbecillia ex valido motu Vomitum coadiuuante, nimis læduntur ipsa. & præterea ventriculus ipsè nimis vexatur coactus per se opus suum perficere absque auxilio consueto.

Tabidi quare nõ vomant.

Quæstio.

Quæris, an Vomitus fiat à sola facultate expultrice Ventriculi? Resp. Galenum 3. de caus. Sympt. cap. 2. determinasse Singultum, Nauseam, Vomitum, & lienteriam primùm expultricis virtutis motus quidem non legitimos esse; secundo loco retentricis. quia tam expultricis; quàm retentricis virtutis, tum morbi, tum symptomata miscentur.

Quæstio alia.

Sed non ineptè forsan quæreret aliquis, nùm alia quoque animalia præter hominem, euomãt; & nùm inter ea solus canis hominum modo Vomitum patiatur, vt historiæ mandauit Plinius lib. 11. cap. 37.

Solutio.

Respondendum esse censeo, plurima etiam animalia præter hominem propriè vomere, ea nimirum, quæ ventriculum vnicum habent, atque etiam idipsum non longè ab ore distantem. propterea nec Aues, nec animalia ruminantia quicquam vomere adhuc vsque auditum ab aliquo, quùm plures habeant Ventriculos. Aristoteles autem procliuitatem ad vomitum non ad vnum ventriculum ori proximum, sed ad pectoris latitudinem tribuisse apparet. 9. de Hist. animalium in fine, scribens: *Sunt alui fluentioris ea, quibus longiora sunt crura: sed propensiora ad Vomitum, quibus latius pectus est, idquè tum in quadrupedum genere, tum in Auium, tum etiam in hominum, ita esse magna ex parte perspectum est*. Equidem in homine facilè concedo latiora pectora esse ad Vomitum magis idonea, at Equi, bouesq. latum quidem pectus habent, numquam tamen vomuisse (quod sciam) obseruatum est. ita in Auium genere nullam iampridem agnoueram Vomentem; imò Anas, quæ lato est pectore, breuibusq. cruribus. & ab hominibus posset obseruari, tamen numquam visa est vomere. sed fortasè in aliqua Aue mihi hucusque incognita, id obseruauit Arist. in his rebus diligentissimus. Ego non possum enumerare, nec serpentes, nec pisces euomentes. sed passeres vomere vidi, quum enim alerem aliquot passerculos, quidam auidior ingurgitauit quatuor satis longos panis pastillos, quibus grauatus, eos omnes euomuit capite valdè prono posito, & cõcutiendo alas, & caput. benè igitur scripsit Arist.

Animalia Vomentia.

Inter quadrupeda autem, quæ euomere possunt, enumerarem ea, quæ vnicum habent Ventriculum vti Homines, nempè Canes, & Canini generis Lupos, Linces, Vulpes, præterea Leones; Vrsos, Pantheras, Hyenas, Feles, Simias, atque Sues. & quædam alia, quamuis auctores non habeam de omnibus. Et quidem Canes vomere, non est, quod Arist. Plin. & Gal. testimonia quæram, id namque nostris oculis sæpissimè videmus. Lupi autem Vulpes, &c. proximè accedunt ad genus Caninum, quapropter etiam, vt Canes euomere posse crederem: præterquam quod de Lupis vomentibus extat Arist. testimonium 8. de Hist. Animal. c. 5. Feles etiam euomere sæpè spectamus, vndè congenera animalia etiam habere eandem facultatem conijcere licet. Hyenam vomere, vel Hominem vomentem imitari scripsit Arist. 5. de Hist. Animal. c. 5. Sed Sues ægrotantes affici nausea testatur Collumella de Re rustica lib. 7. cap. 10. vbi remedij vicè exhibet radicem Cucumeris anguinei tritam cum aqua, vt Sues vomant, & à bile expurgentur. quod si domestici Sues vomunt, nõ est negandum Apros quoque euomere. immò Histricem, & Erinaceũ quoque, quũ videantur porcini generis, euomere posse crederẽ. Bufones euomere lapides quosdã, multorum fuit opinio à non paucis refutata.

Sed difficultas est in verbis Plinij lib. 11. c. 37. dum scriptum reliquit. *In homine adnexus infimo stomacho, similis* (ventri) *canino. His solis animalium inferiore parte angustior, itaque & sola vomunt, quia repleto propter angustias supprimitur cibus, quod accidere non potest ijs, quorum spatiosa laxitas eum in inferiora transmittit*. Mercurialis lib. 2. de morb. puer. c. 19. Plinij opinionem falsam esse protulit, eo quod etiam feles, & sues vomere sit certum. Sed maximus Auctor non tam facilè est falsitatis redarguendus. crederem ego non negasse Pliniũ alia animalia præter Hominem, & Canem vomere; quod esset quidem falsum. sed voluisse solis canibus vomitum accidere propter angustiã inferioris partis ventriculi: non negans, quin ex alijs causis alia animalia vomere possint, tantùm voluit hoc loco (agens de formatione intestini canini) vomitum in Canibus euenire ob angustiam extremitatis ventriculi, propter quam eo repleto non possunt in inferiora cibi transmitti, vt in ijs, quorum est spatiosa laxitas. itaque rectè ait Plinius. *His solis animalium* (Ventriculus) *inferiore parte angustior: itaque & sola vomunt*. scilicet sola vomunt ob hãc angustiam; cætera autem non habent hanc angustiam; Sed ob alias causas vomunt, & per sola animalia non intellexit Plinius hominem, & canes; sed solos canes; quia soli habent angustiam. similitudo autem Ventriculi humani cum canino, non est ob angustiam dictam. sed quia *in Homine adnexus infimo stomacho* est, vt in cane. itaque non errasse Plinium constat, dicentem ob dictam causam solos canes vomere.

Difficultas.

Sed quærendum est amplius, an illa angustia sit sufficiens causa vomitus in Cane; nã Mercurial.

Quæstio.

id etiam negat. & proponit ipse aliam, *quia nimirum huiusmodi animalia cum siccum, & plane excarnem ventriculum habeăt, necesse est, vt is sit ipsis valdè imbecillis. Accedit etiam quod hæc animalia vtuntur ossibus, spinis pinguibus, quæ omnia in Ventriculo imbecillo facere vomitionem nõ est mirum.* Mihi probabilior videtur Plinij opinio, & quidem extrema etiam intestinorũ pars angustior efficit difficilem in ijs fœcum excretionem per inferiora, quod testatus est ipse quoque Plinius: *Angustissima* (inquiens) *canibus: qua de causa vehementi nisu, nec sine cruciatu, leuant eam*. & nos quoque opinamur facilitatem vomendi, & eius difficultatem in homine pendere à naturali conformatione oris Vẽtriculi. sic enim erit homo facilis ad vomitum ob latum os Ventriculi superius, quod si angustius fuerit, distitiliùs dilatabile, difficilior erit per eam partem excretio, & dissicilis iurè vomitus. Quod autem Mercur. proponat Ventriculum siccum, & excarnem faciliorem ad Vomitũ, hoc gratis asseritur. nam in Vomitu requiritur potiùs Ventriculus humidus, & ideò Hipp. potu, & cibo humectat corpora, vt ad Vomitum faciliora reddat. Venter etiam carnosus confert ad Vomitum, vt dicemus. quare cum ea, quæ sont sicca, sint tensa, dura, & difficilia ad motum, & extensionem; si Canum ventriculus esset qualis à Mercur. describitur esset omninò ineptus ad vomitum: nec ad rem facit, quòd Canes edant ossa, & similia, quia canes ægrotantes, vt sæpè vidi, non vomunt ossa, sed potiùs humores liquidos, & humida excrementa; & ossa per aluum emittont; immò sæpè obseruaui, Canes deuorasse Persica cum suis ossibus, & ossa ipsa postea excreta à Cane germinasse, & plures arbores huiusmodi nos in Viridario habuimus.

Aristoteles autem facilitatis in Vomendo aliã proposuit causam 9. de Hist. Animal. citato. nimirùm pectoris amplitudinem, quod intelligendum est non simpliciter de omnibus animalibus; nam Bos, Equus, Testudo, Anas, &c. latum habent pectus, nec vomunt. sed inter Animalia vomentia, verbi gratia, inter Homines, vel Canes, vel Feles, &c. ea indiuidua, quibus latius est pectus, magna ex parte sunt propensiora ad vomitum, vt è contra, quibus angustum est difficiliora. ideò Auic. (fortè desumens à Galen. lib. quos, & quando purg.) angustiam pectoris in homine Vomitum prohibere dixit, vt nos inter vomitum prohibentia referemus. propterea deceptus est etiam Mercur. scribens Suum vomitum tribuendum esse pectoris latitudini, & quia semper os ad terram tendunt, & magna parte iacent ventre in terram posito. namque pectoris latitudo non est causa generica, sed indiuidualis non prohibens, vt dixi. neque oris ad terram aspectus, (situs omnibus quadrupedibus communis) neque humi cum ventre accubitus (vaccis dum ruminant, canibus, & alijs positio consueta) esse potest propria in suibus vomitionis causa.

De Anatome Ventriculi. Cap. IV.

CVM Vomitus sit motus, & passio, seu actio (sumatur vt libet) ipsius ventriculi, agit enim in seipsum, necessariũ videtur præcognoscere qualis ille sit, & quã hic habeat structuram, quod leuiter adumbrabimus, dicentes situm esse in medio corporis subsepto transuerso, & cum duo habeat orificia, superius situm est ad vndecimã Thoracis vertebram, & ad læuam deflectitur, quo ori continuum est, & cibos admittit, & contenta per vomitum remittit suprà, & extrà; inferius ad dexteram, quo intestinis continuatur, & ingesta ad ea transmittit. Operitur à dextera iecinore, à sinistra liene, & à medio sui ad inferna omento pingui, reliquum, & medium nudum est præcipuè cibo repletus quum ipse est: & his quasi focis fouetur.

Ventriculi situs.

Sciendum præterea Ventriculi substantiam membraneam, sed aliquantulum carnosum esse, duabus proprijs tunicis præditam, & tertia cõmuni à peritoneo orta, quæ venarum, & arteriarum surculis penè innumeris, necnon amplissimis neruis contexta est; sed sine fibris, vt docent omnes Anatomici. Prima, & interior tunica tota neruosa, & omni villorum genere intertexta est, tum vt extendi ad omnes positiones queat ventriculus, tum vt earum ministerio alimentum trahat, retineat, expellat. Nam ex Gal. lib. de vsu parc. de Nat. fac. & de Anato. administ. facultas naturalis tam in attrahendo, quã in retinendo, expellendoq. vtitur veluti instrumento villis quibusdam, seu fibris. Hæc autem tunica (ex Fallop. in Obseruat.) in intima superficie quadam donatur veluti crusta, quæ neruea non videtur, sed carnea potiùs, habetq. meatus, & veluti fibras non per rectum vel obliquum, aut transuersum ductas; sed quasi à centro ad circumferentiam, veluti in panno illo sericino, vel bombicino patere potest, quem Velutum vocamus. Nam in hoc duo cognoscimus; primum, scilicet telam ipsam varijs filis rectis, transuersis, & obliquis optimè textam: secundum autem, partem illam villosam, quæ filamenta habet, ac fibras à centro ad superficiem ductas. Secunda, & exterior tunica carnosior est, fibras habet carneas, trãsuersas quamplurimas, obliquas paucas admodum.

Substantia.

Instrumenta facultatis naturalis.

Sed quo ad fibras harum tunicarum non mihi videntur auctores inter se consentire: nam tunica interna ex Galen. 3. de nat. fac. 8. & 5. de vsu parti. 11. necnon 6. de Anat. adm. 7. vnum tantũ genus fibrarum habet, scilicet fibras rectas. & *Fibra.*
de vsu part. cit. cap. 12. scribit. huic rectos quidem plurimos, sed paucos omninò obliquos inesse villos, cui assentiuntur Auicenna, Mundinus, Sylnius Isagog. lib. 3. cap. 3. Aquapendens, & alij. Vesalius autem lib. 5. cap. 3. exaratum

reli.

reliquit, tunicam internam in cauitate habere fibras rectas ad attrahendum nutrimentum, & in parte exteriori habere obliquas fibras ad retinendum. Sed Fallopius in Obseruat. & Andreas Laurentius lib.6. cap.17. huic tunicæ triplex fibrarum genus assignarunt. Contra hos tamen Costæus in Auic.lib.3. fen.13.tract.1.c.1.scribit à peritis dissectoribus compertum esse, ventriculum carere longis fibris, & internam tunicam obliquas tantùm habere. sed veritas sectione manifestatur, & nos omnes villos vidimus.

Fibra alia. Sic tunica externa ex Gal.loc.cit. orbiculares fibras habet, & cap.12.cit. appellat transuersas. Vesalius etiam illi transuersas tribuit. And.Laurentius, ac Fallopius habere transuersas plurimas, obliquas paucas, narrant. Nam tota ab ore superiori ad pylorum vsque vestitur transuersis, ita inuicem contextis, vt ex illis solis tunica facta videatur, quæ fibræ statim detracta tertia, quæ à peritoneo nascitur tunica, apparent, & carnosæ, sub quibus, aliud genus continetur, quæ obliquæ sunt, carnosæ quoque, ac satis crassæ, quæ ortæ à regione circà os elatius; atque ab illa dorsi ipsius ventriculi parte, quæ sinistra est, indè feruntur: aliquot quidem ex ipsis rectà versùs pyloron per dorsum eiusdem ventriculi dextrum: reliquæ verò, quæ plures sunt obliquè ad fundum versùs eumdem pyloron descendunt. At hæ fibræ obliquæ non multæ admodum sunt, sed paucæ, satisq. plenæ, ac carnosæ, neque cum transuersis permiscentur; sed sub illis iacent. Ventriculi autem hæc est figura.

VENTRICVLI ICON.



In proposita Ventriculi prima Icone ostenditur integer Ventriculus cum Oesophago: in secunda autem ambæ propriæ tunicæ, & tertia quoque à peritoneo. Litteræ ita significant.


A. Oesophagi principium à faucibus incipiens.
B. Oesophagus.
C.C. Superius Ventriculi orificium.
D.D. Inferius Ventriculi orificium.


E, E. Duo-

E. E. Duodenum intestinum, cui inseritur bilis vessiculæ meatus.
F. F. Duæ tonsillæ, quæ non procul ab Oesophagi sede in oris cauitatem pertingente, distant.
G. G. Glandulosum corpus Oesophago frequenter adnatum, quà quintæ thoracis vertebræ corpori insidet.
H. H. Tunica à Peritoneo.
I. Exterior Ventriculi tunica.
K. Interior Ventriculi tunica.
M. M. N. Venæ, & Arteriæ disseminatæ per tertiam tunicam.

Demùm repræsentauimus tum simplices, tùm compositas fibras, de quarum vsu verba faciens Gal. 14. de vsu part. cap. 14. scriptum reliquit. De fibris. *Singula instrumenta dum agunt fibris rectis ad se attrahunt, transuersis verò excernunt, retinent autem omnibus simul.* aptè autem dixit Vesalius. Quemadmodum cibi potusq. attractio, eorumdem necessariò præcedit retentionem; ita rectas fibras obliquis natura coordinauit. Deindè vt retentioni ciborum iam confectorum succedit expulsio, ita quoque secunda exteriorevè ventriculi tunica transuersas fibras obliquis exteriores meritò nanciscitur: & vt attractio fit contractis solis rectis, & imminuta longitudine, & expulsio fit contractis villis transuersis, & imminuta latitudine, sic retentio fit omnibus simul contractis. Sed nè longiùs vager à proposito, & à Vomitu: sit pro certo constitutum, exteriorem ventriculi tunicam omnium maximè in vomitu operari, siquidem, vt notauit Galenus de motu mus. & obsc. cap. 6. & 3. de nat. fac. cap. 8. attractio cibi, & transglutitio fit præcipuè à tunica intrinseca Oesophagi, actio autem, quæ fit in tempore vomitus, quæ est contraria transglutitioni, fit per aliam tunicam extrinsecam. Ventriculi autem tunicæ extrinsecæ (cum Fallopio) circa os superius sub origine obliquarum, aliæ carnosæ fibræ suboriuntur circulares penitùs, atque eiusdẽ generis cuius sunt illæ, quæ in Oesophago transuersæ appellantur: hæ dictum os ventriculi ambientes stringunt, clauduntque; transuersæ verò totum ventriculum per transuersum stringentes, si moderatè illud faciunt, cibum amplexantur, sin autem validè stringant ipsum, exprimunt. ita etiã obliquæ mediocriter contractæ per obliquum eundem cibum amplectuntur. sin verò robustè agunt per obliquum, expellunt. Tertiam autem à Peritoneo tunicam ad expulsionem adiuuandam præcipuè dicatam fuisse, (cum vomitum adiuuet, totum etiam peritoneum) rationi consentaneum videtur. & hæc breuiter de Ventriculo humano dicta satis esse videntur, pro Vomitionis subiecto hoc loco significando. Verumtamen cum hoc libro vniuersaliter de Vomitu agamus, & cõtingat etiam alia Animalia euomere, (quamuis hæc ad nos non attineant) in gratiam curiosorum, libet Lectorum oculis subijcere ventrium icones quorumdam animalium, quæ duos, & quæ quatuor possident Ventriculos.

Exterior ventriculi tunica adiuuat Vomitũ.





a. Oesophagi ductus in Rete.
b. b. Latum os Ventriculi duriusculū in Rete.
c. Ingressus Oesophagi rectà in Omasum per osculum angustum.
d. Ductus, seu os paruum Abomasi.

Delineauimus ventriculos Hædi, cui similes sunt Agni, & aliorum ruminantium ventriculi, de quibus Arist. 2. de Hist. Animal. cap. 17. ita loquutus fuit: *Sed ventris dissimilitudo primum, quod quadrupedes viuipara, cornigera, alterâ maxilla dentata, quaternos eiusmodi habent sinus, quæ quidem & ruminare dicantur. Gula enim incipiens ab ore deorsum tendit ad pulmonem, septumq. transuersum; hinc se ad ventrem applicat maiorem, qui parte interiore asper, interceptusq. est; ac propè gulæ commissuram sinum sibi adnexum habet, quem ex argumento reticulum vocant, est enim Ventri extrinsecus similis, intus reticulis muliebrum implexis, magnitudine multò quàm venter minor. Hunc excipit Omasum parte interiore asperum cancellatim, crustatum, magnitudine reticuli. Abomasum Venter ab eo aliter iungitur, magnitudine amplior Omaso, forma oblongior, cancellis intus, & crustis multis, magnis, & lenibus inermatus: ab hoc intestinum sequitur.*

Primum Ventrem, seu sinum, idest in quem primò fertur cibus, ego considero μεγάλην, rete, reticulum, eo quod muliebrum reticulis assimiletur. vnde Italicè *la Scuffia*. Gallicè verò ex Delecampio in Plinium lib. 28. c. 9. *la Coiffe*, Theodorus etiam vocauit *Arsineum*. est etiam similis fauis aluearioru, cellulis differtus in spongiæ modum, quam similitudinem falsò tribuit Echino Scaliger in citatum Arist. locum; Sed re vera videtur potius additamentum magni ventris, quàm verus, & independens Ventriculus, quod aliquantisper indicauit Arist. dicens loco citato Ventrem magnum sinum habere sibi annexum, reticulum dictum; itaque reticulus est sinus annexus non distinctus à Ventre magno, & probat Arist. quia *ventri extrinsecus similis*, intus autem quamuis reticulis muliebrum assimiletur, tamen propè os patens magni ventris, asper circuitu, & similis internæ parti Ventris; cum autem ab eo elongatur, & Omaso approximatur magis fauos aluearioru imitatur, vt patet in icone præposita: est etiam eiusdem vsus cum Ventre, ambo enim recipiunt crassum cibum; nec ruminatum, & tenue in hunc descendit, sed rectà via in Omasum. quod aduertit etiam Io. Faber in expositione animalium nouæ Hispaniæ pag. 625. dicens: *Secundus autem Ventriculus Reticulum dictus, vt verum fatear, primi quidam potius proles dici potest, & additamentum, quàm distinctus venter quidā. Quinimò videbis, si exactè examines, etiam primū ventrē circa fundum suum diuisum, ac quasi bifidum esse, quē tamen ita duplicatū pro vnico omnes habent, numerantq. ventriculo. hunc Vētriculū alij secundum faciunt, vt postea dicemus.*

Aristoteles.

Reticulus.

Rete est pars Ventris.

Secun-

Ventricu- lus. Secundus venter, quem primum alij dicunt; ab Arist. vocatur μεγάλη κοιλία. idest, magnus venter, quia maior cæteris est in adultis animalibus, in lactentibus autem minor abomaso: quia tunc nullius est vsus. Italicè *la trippa*. Gallicè ex Delecampio loc. cit. *la Double*. hunc autem, vt dixi, Arist. Galenus, Vottonus, Scaliger, Mercurialis, Aquapendens, & Faber primum ventriculum vocant, opinati primò in ipsum descendere deuoratum cibum. sed nos vocauimus secundum, quia, vt ex picta tabella patet, non potest cibus in hunc peruenire, nisi transeat per Rete. & manifestum est, magnum ventrem habere suū principium, seu os valde latum, & manifestum, ob duriorem substantiam, callosiorem, atque crassiorem, à nobis indicatum litteris b, b, & quamuis in animali sit magis decliuis iste magnus venter, quàm pictus sit, vndè cibus citò in ipsum descendit, tamen necesse est, vt transeat per partem Retis; quia hic venter non continuatur Oesophago, sed Reti: vndè primus dicendus erit Rete: secundus verò Saccus, seu magnus venter. & Arist. dixit hunc Ventrem magnum sinū Vsus Ven triculorū. habere sibi annexum, sed propè Gulæ, seu Oesophagi commissuram; quem à similitudine reticulum vocant. Est ergo ex Aristotele nil aliud Rete, quàm Ventris sinus Oesophago vicinior. igitur primò occurret Rete.

Vsus autem horum duorum ventriculorum est, vt contineant cibum non benè præparatum, quod Galenus perbellè scripsit 6. de Anat. admin. cap. 3. *Porrò*, inquiens, *quoniam nonnulla animantia validis aluntur nutrimentis, quædam imbecillibus, eò natura respiciens, particulares ventris differentias machinata est. Si itaque animans nonnunquam videas siue ex India, vel etiam Lybia siue Scythia profectum, quod antea non conspexeris, alimentum ligneū; spinosumque assumere, magnum huic, & asperum noueris constructum esse ventriculum: si autem superiores etiam dentes non habeat, ventriculos huic necessariò plures existere, vt in primum statim pabulum ingerat: mox ex hoc ruminans ore conficiat: deinde rursus in alium ventrem deglutiat; ex hoc rursus in alium statim transferat.* quo loco Gal. videtur Rete, & Saccum vnum facere, & primum Ventriculum, nam ex primò ferri ad os ruminandum dixit. & postea in alium, & alium. scilicet in omasum, & abomasum. Sed deceptus fuit Mercurialis lib. 5. var. lect. cap. 13. scribens cibum ruminatum descendere in reticulum primò: & ab hoc in Omasum, ita scribens: *& ne quis dubitet, quomodo secunda vice in reticulum, non autem prima labatur: sciendum est foramen in gula esse satis angustum, quod pertingit in reticulum, & per quod cibus prima vice, cum sit crassior, Difficul tas. & solidior adhuc minimè transire potest: transit verò secunda vice, quando liquidus, & mollis, ita factus est, vt iam transire queat.* Aldrouandus videns hanc difficultatem Anatomicis soluendam demandauit. sed Mercurialis sibi finxit foramen angustum à gula in reticulum, at latum est, vt in pictura patet. Verùm angustum foramen à gula in omasum est. & cum hoc foramen sit in superiori parte omasi, & continuetur cum gula, & ibi læuigatum sit omninò, non est dicendum cibū mansum, & ruminatum, in reticulum descendere, sed via recta statim in Omasum. Quare difficilis locus mihi videtur ex Arist. 3. de part. animal. cap. 14. *Alius ab alio cibum recipit primus inconfectum, secundus aliquantulum confectum, tertius pleniùs, quartus perquam planè confectum.* quod etiam affirmat Aquapendens, nè (vt reor) ab Arist. discedere videatur. sed ego scribo; quod pluries sectione obseruaui. nimirum tertium ventrem non recipere cibum à secundo; sed ab ore immediatè. vt etiam vidit Faber. nisi dixerimus, mediante ruminatione facta in ore. sed neque potui obseruare in rete contineri cibum aliquantò magis confectum, quàm in Ventriculo. neque vlla ratio id persuadet, quia neque in primo, neque in secundo coquuntur cibi; sed tantùm detinentur, quaod per ruminationem perfectè comminuantur, sic autem præparati ducuntur in Omasum. Ergo Rete, & Venter continent cibum non ruminatum, & eiusdem sortis.

Scio Auer. in com. Aristot. dixisse, primum ventrem recipere cibum inconcoctum, qui est illi veluti horreum, & nihil in cibum operari huiusmodi ventrem, & rectè dixit. Et subdit: *Sed alij tres agunt in cibum. & fuerunt tres, quia sic est naturæ commodum. nam tria habent duo extrema, & medium. primus incipit exercere in cibum, medius verò mediocriter in cibum exercet: tertius autem perficit ipsum.* & Mercurialem etiam in primo Ventre mutari, quãuis parùm, scripsisse. A quibus dissentio, consens primū, & secundum ventrem factos tantùm esse ad repositionem non ad coctionem. quia cibus, qui ruminatur, non est dicendus coctus, neque etiā semicoctus. verum quidem est in his ventribus reperiri cibum aliquantulum mutatum; sed hoc parùm est, id etiam accidit cibo ab homine tantùm manso in ore, quæ mutatio leuis dicitur præparatio, non coctio. At quia ob aspera alimenta, vt voluit Galen. data sunt duo prima conceptacula: quū animal non vtitur his; ociantur hi duo ventriculi, vt in Embrione ventriculus, lac enim veluti cibus optimè ruminatus rectà descendit in Omasum, & statim in abomasum. quare deceptus est etiam Mercurialis cap. 16. citati libri. *Ego*, inquiens, *si quicquam in hac re proferre licet, dicerem, in primo ventre lac parum mutari: in secundo mutari quidem, atque incalescere, sed non adeò vt possit in casei formam crassescere: in quarto percoqui, & statim in intestina, vnde per mesaraicas in corpus distribui: in tertio verò solum crassescere posse, atque ibi retineri; tum quia locus satis calet, & lac præparatum iam est, vt facilè crassesieri queat: tum quia sic crassefactum non facilè per foramen Abomaso, & Omaso commune in abdomen transmittitur. Quare innascitur Coagulum in Omaso, quia ibi causa effe-* Locus Coaguli.

ctrix

ftrix, nimirum calor magis craßefacere valet, & quia ſimul retineri poteſt: in alijs vel non æquè calor viget, vel ob lubricitatem, ſi ſiat, vt in abomaſo retineri nequit. Neque enim lac deſcendit in primum ſecundumvè ventrem. vt hic opinatur. neque coagulum reperitur, in Omaſo, vt Mercurialis,& Vottonus lib. 1. de diff. Animal. cap. 30. dicunt, ſequuti Ariſt. 3. de part. animal. c. 15. ſed contrà Ariſt. diſputat Aquapendens pluribus rationibus. idq. etiam ſentit Faber, & laniones omnes ſciunt. manifeſtũ enim eſt in abomaſo tantùm reperiri. Verùm ſcripſit Aquapendens. *Lac igitur ore exuctum ſtatim in quartum ventrem ſtatim deſcendit per viam, quæ etiam cæteris ventriculis communis eſt. Qui etſi ſuperiores quarto ſint; in eos tamen lac nõ intrat, quod à tribus nequaquam propter ſui diſſimilitudinem, ſed à quarto tantùm tanquã ſibi ſimillimo attrahatur.* At miror oculatiſſimum Anatomicum ſcribere, lac tranſire ab ore ſtatim in abomaſum, quia fieri non poteſt talis tranſitus, niſi per Omaſum: verum quidem eſt, per Oeſophagum delatum in Omaſum, non ibi quieſcere; ſed ſtatim deſcendere in abomaſum; vbi ſemper reperitur. eſt etiam notandum, vt pictum eſt, lienem huic magno Ventri adhærere.

Centipellio. Tertius venter ἐχῖνος à Græcis dictus, quia intus veluti ſpinoſas pelles habet, ἐχῖνος autem dicitur latinè *Erinaceus*, italicè *Riccio*. Plinius lib. 28. cap. 9. videtur vocaſſe *ventrem centipellionem*. hinc eſt, quod nunc Itali *Centopelle* vocant, quia ex centum pelliculis conſtare videtur, at Germani, teſte Fabro, *librum* appellant, quia veluti pluribus compactus folijs apparet. Gallicè autem ex Delecampio citato dicitur *Myrefeuillet*. ſed *Omaſum* vertit Gaza. Quamuis apud Latinos hæc vox ſignificet inteſtinum pingue, atque craſſum. nam Plinius lib. 8. cap. 45. de bubus. narrat à populo Romano damnatum fuiſſe exilio quemdam, qui rure occidit bouem, vt Omaſum ederet. Centipellio autem venter non comeditur ab hominibus, ſed Felibus Romæ dicatus eſt, vt etiam Faber adnotauit. tamen nos modo Omaſum vocabimus communiorem ſequentes loquendi modum. *Omaſus.* Suſcipit autem hic ventriculus ab ore per Oeſophagum tenuem cibum, non autem ab alijs ventriculis, & per tenue oſculum Oeſopbago contiguum. aliquando ruminatum, ſi fuerat durum, & aſperum; aliquando non, ſed ſtatim deuoratum, vt quando ſugitur lac: ſed quia in hoc parùm commoratur lac, & cito deſcendit in abomaſum, ideò vacuus reperitur, vt ieiunum inteſtinum, & nullo modo continet coagulum, vt diximus cenſuiſſe Ariſtotelem.

Sed hic notare liceat erratum interpretum Nicandri ſcribentis in Theriacis,

Ἠ' ἐλάφυ νηδὺν, τὴν δὴ καλέουσιν ἐχῖνον
Ἄλλοι δ' ἐγκατόεντα κεκρύφαλον. ideſt,
Nicandri interpretatio. *Aut Ceruí ventrem, quem vocant Echinum*
Alij autem inteſtinum Cecryphalum.

dixit ἐγκατόεντα, ideſt, internum, ad differentiam Cecryphali externi, qui eſt reticulus, quo mulieres caput tegunt: nec voluit Ventriculum eundem (erraſſet enim) dictum Echinum, ab alijs dici Cecryphalum, ſed ſenſit hunc ſumi pro Echino. Nicandri tamen mentem non perceperunt Latini interpretes, quamuis Græcus eam patefecerit; ſiquidem Greuinus vertit:

Pinguique Ceruinũ, quo cingit viſcera, Rete.
Lonicerus autem:

Cerui aluum, quam Echinum
Appellant, alij reticulum viſcera continens.

Nam ἐχῖνος tertius eſt ventriculus, nec dicitur Rete, cũ Rete dicatur Cechryphalus, qui primus ventriculus eſt. multò minùs dicetur *Rete viſcera cingens*. ita enim eſſet Omentum dictum. *Error interpretũ.* Hoc igitur loco dicemus nos, Nicandrum præcepiſſe ſumendum eſſe ventriculum Cerui dictum Echinum, & conſentire Plinio loco citato laudanti ventrẽ Cerui, quem Centipellionem dicũ, contrà Serpentes. & Echini loco vti etiam Nicandrum alio vẽtriculo proximo, Cecryphalum dicto, qui vocatur quidem *Rete* latinè; ſed non continet, ſeu inuoluit viſcera, vt malè Lonicerus, & Greuinus verterunt. Interpres autem Græcus Nicandri fatetur quidem Echinum eſſe ventriculum, necnon etiam alterum eſſe Cecryphalum; tamen errauit in numero ventriculorum. ſcripſit autem.

Ἠ' ἐλάφυ νηδὺν. ἐλάφυ νηδὺν τὴν κοιλίαν λέγει. ἣν δὲ φήσι καλέουσιν ἐχῖνον τουτέστιν ἣν πολύπτυχον λέγουσιν. ἐχῖνος μὲν ὢν κυρίως, ἡ κοιλία τῦ βοὸς νῦν δὲ ἐπὶ τῆς ἐλάφυ· καὶ ὁ κεκρύφαλος δὲ εἶδος κοιλίας. ἰστέον δὲ ὅτι τρεῖς εἰσι κοιλίαι, καὶ ἡ μὲν πρώτη καὶ ἄνω κεκρύφαλος καλεῖται παρὰ τὸ κρύπτειν τὴν τροφὴν. ἡ δὲ δευτέρα ἐχῖνος. διὰ τὸ ἔχειν ἐκεῖ. τὴν τροφὴν ἢ διὰ τὸ τραχὺ εἶναι ἡ πολύπτυχος. τρίτη δὲ ἡ ἀποκριτική. οἱ δὲ τῶν μηρυκωμένων ζώων τρεῖς τας κοιλίας λέγοντες τὴν μὲν πρώτην, ἤνυστρον καλοῦσι· τὴν δὲ δευτέραν, ἐχῖνον. τὴν δὲ τρίτην, κεκρύφαλον. *Interpres Græcus Nicãdri.*

Quæ ſic interpretor. *Aut Cerui aluum. Cerui aluum dicit ventrem, quem quidem, inquit, vocant Echinum, hoc eſt quàm multas plicas habentem vocant. Echinus itaque proprie ventrem Bouis, nunc verò de Ceruo; & Cecryphalus etiam ſpecies ventris. Sciendum autem tres eſſe ventres. Primus, & ſuperior Cecryphalus vocatur, ex eo quod abſcondat cibum, at ſecundus Echinus, quia in eo continetur cibus, vel ab aſperitate quaſi multas plicas habens. tertius autem ſecretorius. Qui verò ruminantium animalium tres ventres dicettes, primum quidem iniſtron vocant, ſecundum Echinum, & tertium cecryphalon.* Errauit autem, quia tres tantùm ventres numerauit, cum ſint quatuor; dereliquit autem magnum ventrẽ, quem nos ſecundum diximus, Ariſt. autem primum vocauit. at dicere fortaſſe poſſemus ſimul numeraſſe primum, & ſecundũ ventrem, vt quaſi vult Ariſt. vt diximus. *Error interpretis.*

Quartus Venter, qui verus Ventriculus dici mere-

meretur, & in lactentibus coagulo (ideſt lacte acido craſſefacto) plenus reperitur. & maior alijs. in veſcentibus autem herbis minor eſt Ventriculo magno, minor etiam Omaſo: nos autem pinximus Hædi Ventriculos, qui edebat herbas, ſed non multò ante ablactatus fuerat; vndè inter dictos medius erat. hunc vocauit Ariſt. ἤνυστρον. Gaza, quem ferè omnes ſequuntur, *Abomaſum* appellauit, quia poſt Omaſum eſt; latinum non reperiens Nomen vetus. At Scaliger *Aſellum* vocare maluit ſuos ruſticos ſequutus. noſtri quoque Itali dicunt *il Quaglio*, ideſt, Coagulum, eo quod in hoc reperiatur coagulum. Gallicè ex Delecampio *le Mullechon*: quidam ſuſpicati ſunt apud Veteres dictum fuiſſe *Faliſcum*, ſed ego credo faliſcum fuiße potiùs Ventrem ſuis replerum varijs rebus, non diſſimilem Lucanicæ; ſed more Faliſcorum præparatum. nam Martialis lib. 1. ait: *Et Lucanica ventrem cum Faliſco*. Papin. autem lib. 4. Siluar. *Non Lucanica, non graues Faliſci*. dicuntur graues, quia maiores. nam Varro de ling. Lat. *Lucanicā dicunt, quia milites à Lucanis didicerunt, vt à Falerijs Faliſcū ventrem*. At, cum hic ruminantiū quartus venter non ſeruetur in delitijs, non erit antiquorum venter Faliſcus, ſed ſi græcæ vocis ἤνυστρον ſignificatum reſpicere voluerimus, Aquapendens dictum cenſet, *perfectiuū*, à verbo ἀνύτω *perficio*, quod in hoc perficiatur cibus, in alijs verò ventriculis præparetur tantùm. ita Ariſt. primū ventrem incōfectum, ſecundum aliquantulum confectum; tertium, plenius; quartum perquam plenè confectum cibum continere voluit, & hac ratione Ioan. Grammat. 4. Analit. tex. 86. vltimum ventrem *cibum perficientem* nominat. huic quarto Ventri innatum eſt parte ſuperiore Omentum, quod tamen ita diſpoſitum eſt, vt omnes ventres tegat, & foueat. & hæc de quatuor ventribus ruminantium ſint ſatis: ruminationē autē, vt fiat, ad nos non pertinet exactè conſiderare, ſatis eſt ſcire Oeſophagum ſurſum, & deorſum ad libitum, & motu voluntario ducere cibum, & tranſmittere ad reticulum, ab hoc ad os, & iterum ab hoc ad Omaſum. nec pugnare volo cum Aquapendente, qui motum coactum eſſe voluit, vt audiuit à duobus hominibus ruminantibus cibum more beſtiarum. Faber etiam meminit hominis ruminantis.


Abomaſus.

Lucanica.

Homines ruminantes.

Aues etiam multiplicitatem Ventriculorum habuerunt, aliquæ enim duos, aliquæ tres, nos vnico exemplo contenti erimus, nimirum Galli Indici.

Galli Indici Ventriculi.



Primus venter ab Arist. 3. de part. animal. c. 14. & lib. 4. cap. 5. πρόλοβος appellatur. à Columella lib. 8. cap. 5. & Latinis *ingluuies*, à nostris *il Gauzzio*. est autem ciborum promptuarium, qui per somnum noctu in Ventriculū per Oesophagū feruntur. hæc ingluuies nō inest omnibus auibus, carere enim dicitur Anas. quidam in Columbis triplicē dicunt. in Gallinis magna, & vnica pellicula tenuissima, & inepta ad coquendum cibū; vndè quidam dedignātur ventrē appellare. Columbæ fabas ingestas ex ingluuie reuomunt in os suorum pullorum, ita eos nutriunt. Secundus est venter dictus italicè *il Grufcele*, latino, græcoq; nomine caret. exteriùs valdè carnosus, interiùs verò membranā habet duriusculā, & quasi cartilaginosam. Tertiùs aliquibus auibus datus est etiam, vt aiunt, Ventriculus carnosus; aliæ quoquè Ventriculum habent ingluuiei similem.

Ventriculi Piscium. Diuersum habent Ventriculum pisces, quod ad nos non pertinet. Sed inter Aues Onocrotalum (ex Arist. & Vorrono) habet in faucibus ipsis, sinum magnum, & saccum, ingluuiei loco, huc omnia inexplebile animal cōgerit, mira vt sit capacitas: mox perfecta rapina sensim indè in os reddita in veram aluum ruminantis more defert. & huius auis modo pisces aliqui saccum habent, seu ventrem prope os, vt rana piscatrix. & lib. meo de Insectis attuli icones *Cœnolocusta Onocrotaleæ maioris, & minoris* nimirum locustas terrestribus quodammodo similes. Quatuor alas vaginis duris inclusas, & sex pedes habentes, in aqua cœnosa latitantes, quarum inferior mandibula velutì coclear, caua, & magna erat, vndè Onocrotaleæ cognomen dedimus.

Problema. Sed quæritur non ineptè, quæ sit causa, ob quā aliqui facilè, aliqui difficulter vomunt. nam scripsit Hipp. 4. aphor. 7. Vomentes difficulter euacuandos per inferiora. Certum quidem videtur

Solutio. hanc difficultatem esse tribuendam naturæ oris ventriculi, vel instrumentorum coadiuuantium ipsum motum; quare aliqui, vt Trincauellius, memoriæ prodidere. Eos, qui ventriculi superiorem partem imbecilliorem habent, fortiorem verò inferiorem, promptissimos, & facillimos esse in vomitum, vbi verò contrà se res habuerit, maiorē esse propensionē in profluuiū alui. Sed quid

Aliud Problema. sit hæc oris ventriculi imbecillitas, non clarè explicant. mihi videtur dicendum, hanc euenire, vel à temperie ipsius, vel à structura. Vndè structura

Solutio. potest esse causa difficilis vomitus, si scilicet os ventriculi fuerit angustum natura: nam cum materia non possit per angustum foramen pertransire, maximè laboriosus necessario erit Vomitus. accidit autem hoc præcipuè in non assuetis ad vomitum: ideò priùs quàm validum vomitorium exhibeatur, assuefaciendus est æger leuioribus vomitibus, vt os ventriculi relaxetur, & latius fiat. quæ methodus docetur à Galeno in art. med. c. 87. *Cauitates* (inquit) *magnæ redduntur partium operatione, & spiritus retentione, sic, & quæcumque foramina, oraque*. & ideò admonuit Diom. Amic. de mor. sporad. cap. 59. quod si vterus exiguus fuerit, & adhuc crescat; multò, & frequentiori coitu dilatari posse. quod tamen secretum minimè mulieribus reuelandum censuit, nè fortè se tali morbo teneri, omnes simulent. Cum autem apud Hipp. 4. aphor. 6 legitur *Graciles, & facilè vomentes purgare superius*. *A forma facilis Vomitus.* censendum id velle, quia rario dictat, graciles os ventriculi latius habere, ideò esse faciliores ad vomitum. contra scriptum reliquit Aphor. 7. *Vomentes verò difficulter, & mediocriter bene carnosos per inferiora*. quia rationi consentaneum est carnosos habere os ventriculi angustius, & crassius, ideò esse difficiliores ad vomitus. sic Tabidis vetat vomitum, ob duritiem earum partium, quæ ipsi inseruiunt, & difficilem reddunt vomitum. *Difficilis vomitus.*

A temperie cur facilis, vel difficilis Vomitus. Secundò. Facilitas, & difficultas vomendi prouenire possunt ab ipsius ventriculi (præcipuè orificij) temperatura, nec quidem à caliditate, vel frigiditate: sed ab humiditate, & siccitate. & facilitas quidem humiditatem sequetur: nam humido existente ventriculo os ipsius facilè relaxatur, & patescit, quod probè noscens Hipp. iubet, vt ante vomitum os ventriculi humectetur, & relaxetur. vt 2. aphor. 9. *Corpora, cum quis purgare voluerit, oportet, fluida facere*. quo loco non docuit Hipp. ante vomitum esse attenuandam materiam, vt censuit Gal., neque intendit ex hoc, assuefaciendum vomitibus, vt alij; sed iussit, vt ante vomitum (hæc enim erat purgatio Hippocrati magis consueta) corpora, & præcipuè os ventriculi fluidum fieret, & humectum. per fluida intelligens humida, talia enim faciliè fluunt, quod expressiùs declarauit 4. aph. 13. *Ad elleboros, qui non facilè supra purgantur: eorum corpora ante potionem pluri cibo, atque quiete humectanda sunt*. Eccè difficiles ad vomitum humectando reddit Hipp. faciles. *Humecta no facilitat Vomitum.* Igitur, qui natura sunt humidi, quia fluidi, faciles erunt ad vomitum. nec omnes cibi apti sunt; sed humectantes: humectat etiam, & relaxat corpus Balneis Hipp. vt dicemus. quo cōstat errasse Mercurialem, dum facilitatem vomēdi tribuit Ventriculo sicco, & excarni: vt superiore capite dixi. & probabo in fine cap. 8.

Tertia causa, facilis Vomitus est latitudo pectoris secundùm Aristot. vt notaui antecedenti capite. Quarta. tunica externa musculosa.

An inclinatio humoris facilem reddat Vomitum. Nonnulli, vt Trincau. quintam quandam causam afferre conantur facilis, & difficilis vomitus. inclinationem nimirùm sursùm magis, vel deorsùm rerum noxiarum, & hoc modo, vel vomitus, vel alui deiectio fit facilior: sic enim Hipp. *Medicari æstate superiores magis, hyeme verò inferiores*. veluti etiam dixit: *Melancholicos per inferiora*. At mihi non probatur, facilitatis vomitus causam principalem esse propensionem materiei. Nam etiamsi quandoque adsit materia biliosa, quæ solet esse propensa ad euacuationem supernam, tamen Hippocrates vomentes difficulter, non euacuat æstate. non est ergo satis ad facilitatem vomitus, Tempus animi commouens materiam ad superiora, nec ma- *Non sufficit inclinatio.*

C teria

teria ipsa facilè petens superiora; sed requiritur, vt causa principalis, dispositio partis; per quam fit euacuatio, ideò facilior est vomitus à cibo, ob humectationem. quod si aderit partis dispositio ad vomitum, accedente dispositione, & sursum motu materiei, facillimus tunc succedet vomitus.

Problema. Sed cum Oesophagi, ac ventris tunicarum altera apta ad attrahendum dicatur. altera verò ad expellendum, cur difficilior vomitus, quàm *Solutio.* deglutitio? an quia interior commodiùs operatur? sed Gal. difficultatem soluit 3. de nat. fac. 8. qui legatur.

Sympatia Ventriculi cum Cerebro. Et pro colophone huius capitis aliqua visa sunt addenda de sympatia ventriculi cum alijs partibus, ob quam vomitus sæpè succedit; affecto siquidem Cerebro sæpè vomitus sua sponte accidit. hinc Hipp. 2. de morb. num. 3. *Dolor* (inquit) *circumcirca caput vexat, & vomit bilem.* & subdit: *Vomit autem bilem, vtpote commota ipsa in corpore.* & num. 5. si cerebrum corruptum fuerit *sæpè sanguinem vomit.* & causam reddit, dicens: *Sanguinem verò vomit: quum venæ, quæ sunt in capite, à cerebro fuerint calefactæ; quæ verò circa spinam sunt, à spina: spina autem à spinali medulla: medulla verò à cerebro, vnde sanè originem trahit. Quum igitur calefactæ fuerint venæ & sanguis in ipsis efferbuerit: quæ quidem in capite sunt venæ, distribuunt ipsum ad nares, & ad os: quæ verò circa spinam sanguiflua, in corpus.* num. 24. *Dolor caput corripit & si paululum moueatur, bilem vomit.* num. 15. si aqua in cerebro fuerit. *vomit salsuam, ac pituitam, quandoque etiam cibos.* num. 20. si cerebrum corruptum fuerit *vomunt multi.* Galenus autem 3. de loc. aff. 7. *Ea affectio, quæ suffusioni in accidentibus similatur, à ventriculi dispositionibus ortum trahit. nam cerebrum ventriculo. & ventriculus cerebro suas affectiones transmittit, idq; propter neruorum à cerebro ad os ventriculi descendentium magnitudinem, per quos etiam sensus huic particulæ, quam vlli reliquarum corporis partium, acutior est. Quo circa capitis fracturas, quum ad membranas vsq; perueniunt, bi-* *Aff. de cerebro Vomitus.* *liosus vomitus, ac interdum dolores capitis, quomodocumq; fiant, subuersioq; stomachi, & morsio comitatur.* tãdem adde Aph. 50. sec. 6. positum etiam in Coacis. *quibus Cerebrum vulneratum est, his necesse est febrem & bilis Vomitum accedere.* dicendum igitur, affecto cerebro Vomitum in Ventriculo fieri ob neruos illi à cerebro trãsmissos, quibus, tum tertia tunica est repleta, tum internarum osculum.

Consensus cum Pulmone. Videtur etiam Vomitus sæpè fieri ob consensum cum Pulmone: vndè legitur apud Hippoc. de inter. affe. 7. si inflammatio in pulmone fiat. *Et vomit pituitam acidam.* & 1. de mor. 13. in Erisipelate pulmonis, *vomunt aliquando subcruentum, aliquando liquidum, vomunt item pituitam, & bilem.* & 2. de mor. 52. in Erisipelate pulmonis: *vomit pituitam, ac velut acetum, &c.* de Int. affect. 13. in tertia specie Tabis. *Bilem aceruatim vomit, aliquando verò pituitam; sæpe verò etiam cibos, quum comederit, & vbi reuomuit, leuior sibi esse videtur.* sed hoc accidere fatetur Hipp. *quandoque præ suffocatione, & tussiendi cupiditate.* tamen consensus adest oris ventriculi cum corde, & Pulmone ob vicinitatem. vndè ipso affecto syncopis accedit: fit etiam Vomitus per consensum cum Hepate. vndè Hipp. de int. aff. 30. in morbo hepatico. *Aliquando liuidam bilem remouit.* & nu. 31. alio morbo hepatico. *aliquando etiam vomit bilem pallidam; & vbi vomuit, paulò melius sibi habere videtur. si verò non vomuerit, bilis ad oculos peruenit, & fiunt valdè pallidi.* *Consensus cum Hepate.*

Nec raro ob consensum Lienis Vomitus succedit: morbi enim nigri, de quibus Hipp. 2. de morb. num. 71. & 72. sicut morbus corruptorius, de quo nu. 73. ad lienem pertinere videntur. & Gal. 6. de loc. aff. initio. *Lien hepatis exemplo, sæpenumerò excrementa ex se reijcit, ita vt & vomitione, cui nausea quoque accidit, melãcholicum sanguinem aliquando excernat.* *Consensus cũ liene.*

Sæpissimè intestinis affectis oritur Vomitus. vt ex Hipp. 3. de mor. 15. in volnulo. *Quandoque vomit, primum pituitosa, deinde biliosa, postremum stercus.* & de affect. 22. *aliquando præ dolore æger etiam bilem vomit.* & 7. aphor. 10. *ab ileo Vomitus, &c. malum.* *Cum intestinis*

Ex renibus affectis Ventriculo communicata affectio Vomitum etiam procurat, à quo etiam leuatur dolor. vndè Gal. 1. in 6. Epid. *Per ventrem superiorem* (inquit) *excretio, aut vomitus, commune colicis, ac nephriticis symptoma, nam renes colo intestino, & colon renibus continuè, mediante peritonæo, adaptantur.* Cum autem externa Renum tunica sit à peritonæo producta, vt ea, quæ est tertia Ventriculi, & eodem modo sexti paris neruorum ramulis implicetur. Ob id renibus, aut horum vreteris his neruosioribus, arena, calculis, aut quouis lento, aut crasso humore infarctis, necesse est humorum alluuione panniculos renum distendi, & eos maximo dolore affici quo ventriculum veluti in coli cruciatu vellicari, ac ad vomitum prouocari necesse est. *Cum renibus.*

Præterea cum Vessica & testibus communionem habet Ventriculus, ita, vt ijs affectis quandoque in vomitum erumpat. nam C. Celsus lib. 7. cap. 23. si testiculorum neruus induruit, *vrgent aut virides, aut nigri vomitus, præter hæc neque assumi facile cibus neque contineri potest.* *Consensus cum testibus.*

Denique ob Vteri consensum cum Ventriculo sæpè sæpius fit vomitus. ita de superfœtat. num. 24. *si virgini menses maturi non prodeant vomit, &c.* & de Nat. Mul. 11. *Si vteri inflammati fuerint, menses omninò non prodeunt. aut praui & pauci. & quum iesuna est, vomitus ipsam corripit, vbi verò quid ederit, vomit cibos.* ita etiam Vomitus fit mentio. 2. de Morb. Mul. 18. & 20. & 54. 55. 56. & alibi, & prægnantes sæpè vomunt: causa in consensus neruorum est referenda. *Cũ Vtero.*

At contra, ob frigus pedum obseruaui refrigerati

getari ventriculum, relaxari os inferius: non gigni Vomitum; immò quùm ab assumpto pharmaceo solutiuo nausea adest, manuum impositio in frigidam prohibet Vomitum ob reuulsionem.

Quis dicatur affectus Vomitus. Cap. V.

HIC à nobis quærendum, an Vomitus sit actio naturalis, vel præter naturam, & symptomatica: multùm exagitatur inter Auctores hæc quæstio; sed scitu digna referuntur à Capiuacceo, à Valesio lib. 5. controu. cap. 1. Rosello de diff. sympt. cap. 6. Quæst. 49. & ab alijs, apud quos legi poterunt, cum ad Theoriam maximè pertineant, nos qui praxim potiùs ad Vomitum spectantem tradere cupimus, pauca tantum excerpemus.

Vomitus est motus præter naturam. Vomitum igitur esse motum præter naturam, & semper symptomaticum ex eo videtur colligi; quia natura huiusmodi motum nunquam ipsa exercet, nisi coacta, & irritata à quapiam non naturali causa; cum igitur sit motus prauus, insuetus, & naturæ violentus, & semper à causa præter naturam, atque violenta commoueatur, ac semper irritata Natura eum moliatur, semper erit præter naturam, & symptomaticus, non enim est actio naturæ per se operantis, sed irritatæ à causa molestante, & vrgente. Cui opinioni fauet, quod vna pars non potest habere naturaliter duos motus contrarios sursùm, & deorsùm: si ergo Oesophagi motus deorsùm, & ad se attrahens est naturalis, alter motus sursùm; & expellens erit præter naturam. Igitur ratione partis per quam fit expulsio, quia non est eius motus naturalis, ratione agentis, quia est causa præter naturam irritans. & ratione facultatis, quæ non nisi coacta tali modo mouetur; erit motus præter naturam, prauus, & symptomaticus. *Ratione partis. Ratione agentis. Ratione facultatis.* Si verò consideretur materia per Vomitum excreta prout pertinet ad symptoma excretorũ, siue vt est exiens mutatum, vel excernitur cibus, vel sanguis, vel humores: semper videtur excretio præter naturam: *Ratione excrementorum.* quod idem videtur eliti ex Galeni verbis 5. meth. 11. vbi euacuationem deorsùm appellat secundùm naturam, ac si euacuatio sursùm non sit secundùm naturam. prætereà de differ. sympt. cap. vltimo. Vomitum dicit esse toto genere præter naturam. ita etiam Trincauell. 7. de Morb. cap. 13.

Solutio dubiorum. Sed hæc ita explicari possunt, vt Galen. intelligat lib. de diff. sympt. cit. non de omni vomitu; sed de vomitu sanguinis, qualem nos quoque concedimus esse exiens toto genere præter naturam, *Vomitus Nat.* nam sanguis non est excrementum. & tametsi dixerit Hipp. 7. aph. 37. *Quicumque euomunt sanguinem, si sine febre quidem salutare, si verò cum febre malum.* non ideò contra nos est. & verum sensum explicabimus infrà lib. 8. Modo autem ad tex. ex 5. meth. cit. dicimus Galenum euacuationem deorsùm secundùm naturam appellare, quia est magis consueta, & consuetudo est quasi altera natura: nec concedendum est vomitionem, prout est Exiens mutatum semper esse præter naturam; nam cum sponte fit à natura rectè operante, non videtur esse actiu præter naturam; scribit enim lib. 11. meth. cap. 9. *Quod si in Os ventriculi aliquando sua sponte* (idest naturaliter) *impetum faciant, etiam per vomitionem: aliter verò non expedit, ea præter Naturam irritare.* *Ratione motus sui.* quasi vomitus spontaneus naturalis sit, irritatus verò præter naturam. sic etiam scriptum fuit ab Hipp. 1. aphor. 2. *in vomitibus spontinis si talia purgentur, &c.* hic vomitus spuntinos, quandoque bonos, quandoq. verò malos esse, asserit: bonos quidem, si natura benè operetur, signum est, quia conferunt: malos autem, si malè operetur, cuius signum affert, quia difficilè ferunt. Neque etiam erit cõcedendum, ideò esse præter naturam vomitum, quia à facultate irritata, & à causa præter naturam commoueatur. *Ratione facultatis.* Nam etiam in expulsione excrementorum deorsùm irritatur facultas expultrix, & eadem est causa irritans facultatem expellentem sursùm, quæ deorsùm: cùm igitur deiectio deorsùm non sit præter naturam, nisi quantitate, vel qualitate, vel tempore peccet, ita neque etiam deiectio sursùm erit dicenda præter naturam, nisi dicto modo. Prætereà neque est concedendum ratione partis, à qua fit, *Ratione partis.* esse præter naturam, (vt Capiuacceus voluit) nam, vt ex anatome, & Galeno ipso constat, ex duabus ventriculi tunicis alteram, ad attrahendum cibum, alteram, ad expellendum superflua, genuit natura: igitur vomitus erit motus naturalis, nimitum per præparata ad hunc à natura propria instrumenta. Neque etiam, vt motus insuetus, & molestus, erit prauus, quia naturæ *Ratione motus insueti.* opus est, se expurgantis, & sæpè etiam operan tis benè, & validè, cum proprio beneficio. neque animal vllum (vt 2. de cau. sympt. positum est) vomere docetur; sed à propria natura hoc illi insitum est, & naturale. Et quamuis symptomaticus sæpè videatur, *Quandoq. symptomaticus.* vtpotè, quasi semper à causa præter naturam, & morbosa, V. G. vel à cibo quantitate; vel qualitate molesto; vel ab acrimonia humorum lacerante, & soluente in ipsis tunicis continuitatem, vel ab intemperie humida relaxante nimis os ventriculi; vel à morbo in mala compositione ventriculi, videlicet cauitate aucta, distenta, aut imminuta. & à similibus, tamen si fuerit à natura non morbosa; sed valida Criticus, ac naturalis iurè dicetur, & *Quandoque Criticus.* symptomaticus tunc tantùm concedetur esse, quum fit in detrimentum animalis à natura prauè operante. quia eadem est ratio in alui deiectionibus. Duplex igitur est vomitus, quum fit tempestiuè, & per conuenientem Regionem, & hic dicetur naturalis, quùm verò intempestiuè, & cum nocumento, præter naturam. Vomitus enim excitatus à natura cum virtutis robore, & prouidentia de animalis salute, & commodo, à quo consequitur sanitas expulsa causa

morbifica, præterea conferens manifestè, & facilis toleratu ab ægris, vt est Vomitus prægnantium. nonnisi inter optima naturæ opera erit recensendus, sicuti conueniens Vrinæ, atque excrementorum aliorum deiectio reponitur. Ob id quum symptomata quandoque curationem requirant, vomitus quidem symptomaticus requirit remedium: sed cum est criticus, & à natura rectè operante nequaquam vomitus sistendus; sed potiùs iuuandus, quia est naturalis, & cum animalis commodo. Auic. 4.1.doc.5.c.11. cognosces, ait, vomitum conferentem ab eo, qui non fecit iuuamentum, ex eo, quod ipsum sequitur, alleuiationis, & desiderij boni, & anhelitus, & pulsus bonitas, & aliarum virtutum.

Vomitus naturalis.

Sed, vt finem faciamus, statuemus (cum Galeno lib. de sectis ad eos, qui introducuntur c. 9.) falli eos, qui per ea, quæ secundum naturam excernuntur morbos iudicant, cum sudor, vrina, vomitus, & deiectio plus quàm pro modo naturæ interdum eijciantur benè in morbis, & quamuis superflua essent, nihil visum fuit eidem Galeno sedandum, quoniam educebantur ea, quæ molesta erant, quamquam si quis ijs, quæ excernuntur secundùm naturam regula vsus in omni genere esset, huic inhibenda huiusmodi accidentia erant, & expresè scribit. *Sudoris autem, Vrina, & eius, quod per aluum, aut per vomitum ruit, genus quidem non præter naturam, multitudo tamen nonnumquam immodica est.*

Ratione nimiæ excretionis.

Patet igitur, quod vomitus per se non est genere præter naturam; sed est actio naturæ, & facultatis expultricis. quæ actio læditur, vel quia diminutè aliquando expellit, quod contristat; vel nimis est aucta, vt in cholera, & magnis vomitibus; vel ablata vt in difficillimis vomitibus; vel deprauata, quum sanguis, vel cibi, qui expelli non debent, reuomuntur.

Vomitus non est genere præter Nat.

De Vomitus differentijs. Cap. VI.

VOMITVS non paucæ sunt differentiæ, nos aliquot tantùm difficiliores proponemus explicandas, est siquidem inuestigatione dignum, quid intelligatur ab Hipp. Ἀσώδης ἔμετος. seu *Vomitus fastidiosus.* nam primò in 1. prorr tex. 17. *Ex Vomitu fastidioso vox clangosa, &c.* vertit Io. Vassæus. *anxioso* Fœsius. Cornarus autem *nauseabundo. æstuoso* Caluus. deinde tex. 28. scriptum fuit ab Hipp. *Vomitiones sinceræ, anxiosæ malæ.* ex his colligo dari Vomitiones non fastidiosas, & sine molestia, & sinceras sine fastidio; nam contrariorum eadem est disciplina. immò ponuntur ab Hipp. in aphor. dum ait spontaneos Vomitus optimè factos cõferre euidenter, & leuiter ferri. Collegi etiam ex alijs locis dari fastidium, & fastidiosos sine vomitu. sed tota mea difficultas est, vtrum fastidium iunctam habeat nauseam. Græcos enim

Vomitus fastidiosus.

interpretes titubare conieci. Cornarus enim, vt supra notaui, dixit *Vomitum nauseabundum.* ac si idem esset cum fastidioso. præterea 1. prorret. Vasseus vertit: *Qui cum fastidio, & sine Vomitu exacerbantur malè habent.* & Cornarus: *Qui anxiè se iactantes citra Vomitum.* Caluus vertit: *Nauseantes, & æstuosi cum per accessionem crescunt, si non vomunt, malum.* & hic Caluus nauseam adiunxit. Præterea in Coacis præn. οἱ ἀσώδεις ἀνεμέτως Cornarus posuit. *Qui anxiè se iactantes citrà vomitum exacerbantur, malè habent, tum qui lancinantur citrà vomitum.* Fœsius habet: *Corporis æstuatione, & inquieta iactatione conflictati citrà vomitum ingrauescentes, malè habent: atque etiam qui vellicantur citrà vomitum.* Hollerius sic: *Nauseantes citrà vomitum exacerbationibus tentari malùm, & qui vellicantur citrà vomitum.* Duretus autem his verbis: *Quæ cum fastidio sine nausea exacerbantur, malo sunt loco, tum lacessiti nausea sine vomitu.* ex quibus innotescit ob vocem ἀσώδεις maximam insurgere difficultatem. Etenim, vt vertunt Cornarus, & Fœsius, videtur Hipp. idem bis eodem versu dicere, qui Hipp. mos non est. Vndè hoc aduertentes Hollerius, & Duretus addere maluerunt nauseam alteri particulæ distinctionis gratia: verùm nec simul ipsi conueniunt. siquidem primæ particulæ huius sententiæ nauseam addidit Hollerius scribens, *Nauseantes sine vomitu.* Quam Duretus vertit: *Qui cum fastidio sine nausea.* vbi ambo mali interpretis vicem gessere. primus quidem, quia aliud est fastidium, aliud nausea. secundus verò, quia aliud est Vomitus, aliud Nausea. Præterea dissident in secunda particula, *& qui vellicantur citrà vomitum*, posuit Hollerius. At Duretus, *tum lacessiti nausea sine vomitu.* & hic modo errauit scribens nauseam, quę ab Hipp. non affertur. Quod si nauseam adiunxit Hollerius primæ particulæ. Duretus secundæ, vel hæc in vtroque adest casu, vel in neutro. Quarè Cornarus laudandus, dùm exactiùs hæc verba transfert. Nos autem censemus adesse in vtroque casu fastidiũ sine nausea, vt lib. 9. exactè disputabimus, explanantes omnes Hipp. prædictiones de Vomitu. interim dicemus aliud esse fastidium, aliud febrem fastidiosam, aliud denique Vomitum fastidiosum. fastidium duplex est, vel fastidium ciborum, vel fastidium omnis positionis corporis, nimirum anxietas, inquietudo, angustia; quùm Hypochondria exæstuant, stomachus vellicatur, & æger moti sibi videtur, & adest magna corporis, & incontinens iactatio, implacidi, & fastidiosi adeò fiunt ægri, vt præsentem statum fastidiant, loco stare nequeant, & quemuis habitum immutent citissimè. *Bifariam autem* (ex Gal. 2. in 1. prior. 44.) *fastidiosi fiunt, vno modo cum virtus à corpore grauatur, nullamque figuram facilè sustinent: altero modo, cum os ventris à prauis mordetur humoribus: priores perniciosè afficiuntur: nauseabundi sunt posteriores.* Fieri etiam potest, cum inflam-

Interpretum variatio.

Hollerius & Duretus reprehensi.

Fastidiũ quid.

inflammatio aliqua circa ventriculum consistens ipsum coafficit, vt corpus fastidio præmatur. nec est necesse, nauseam adesse. nam inflammatum os ventriculi angitur intemperie calida, non materia, ideò non adest nausea. verum quidem est ex Gal. 3. in primum pror. 25. phlegmone duobus modis nauseam excitare, nō propria ratione, sed *altero quidem, cum tenues quidam ichores ex inflammatis particulis ad interiorem ipsius capacitatem decumbentes, collectiq. in eo loco, os ipsius contristauerint. Alterò autem, cum permistio affectionum fuerit. Duabus siquidem inter se complicatis affectionibus, per se in vtraque fieri solet. Permista igitur ea, quæ nauseam parit, affectione cum phlegmone, propter alteram earum nauseantes ægri fiunt, non propter phlegmonem.*

Febris fastidiosa. Febris autem fastidiosa erit illa, quæ adiunctum fastidium habet, atque inquietudinem dictam, & hanc denotare malignitatem voluit Gal. 3. in 6. Epid. ægrot. 10.

Vomitus fastidiosus. Vomitus denique fastidiosus dicetur ille, qui fit cum multo fastidio. Verum quidem est, sæpè inquietudinem, & fastidium præcedere vomitū; sed si concomitetur, & etiam sequatur maxima molestia, hic propriè dicetur fastidiosus; distinguitur autem Vomitus fastidiosus, à vomitu difficili, in quo parùm, vel nihil vomitur: à magno, qui fit cum magna concussione, & valido totius ventriculi motu: à molesto, quùm à bilioso, & mordentē humore corroditur, ac vellicatur ventriculus: & ab eo, qui est sine tollerantia, & conferentia. Denique distinguitur à nausea. Quod expresse docuit Gal. 2. prorr. cit. dicens debuisse auctorem adiecisse, *an nausearent, nec ne, quidam enim nauseant, & non vomunt, alij fastidio correpti numquam nauseauerunt*. & ex his patet, quis sit Vomitus fastidiosus; sed remanet explicanda prænotio illa Coaca suprà allata. nimirùm: *Qui cum fastidio, & sine vomitu exacerbantur male habent. item qui lancinantur citra Vomitum.*

Prima explicatio. Prima pars huius Coacæ est eadem omninò, ac tex. 44. com. 2. in 1. prorr. quem explicat Gal. dicens Hipp. intelligere eos, qui sunt inquieti, *ac fastidio correpti, & numquam nauseant.* iurè igitur refellimus eos interpretes, qui contra Galeni mentem nauseam adiungunt, præcipuè Hollerium. refellimus etiā Duretum, qui verbum ἀνεμέτως vertit *sine nausea*, cum scribere debuisset *sine vomitu*. nam ex Gal. loquitur Hipp. de fastidio sine vomitu, & sine nausea. Martianus autem hoc loco sic loquutus est. *Rectè dixit citrà vomitum, non citrà nauseam, cum possit anxietas cum nausea fieri lethaliter affectis, quamuis longe grauior sit ea, quæ est sine nausea, & sine vomitu contingit.* Nos dicemus Hipp. verba facere de febricitantibus, quorum accessiones si exacerbantur cum maximo fastidio, & non succedat Vomitus, qui aliàs principijs exacerbationum superuenire consueuit, malum est. Quod si sequeretur vomitus, non esse malum, quia solet causa fastidij tolli. Ac si à *Vomitu fastidia fuerint*. vt altera Coaca paulò post refert. delirij signum erit, necnon inflammationis oris Ventriculi.

Secunda pars explicatur. Altera pars explicandæ Coacæ est. *item qui lancinantur sine vomitu*. quæ particula, quum non legatur in prorrheticis, videri posset hic ab alio adiuncta. sed præstat ipsam cum superiore cōnectere, eo quòd in superiori loquitur Hippocr. de fastidio in principijs accessionum, cui non succedit Vomitus, vel fit cum nausea, vel sine ea (sed Gal. vt dixi, opinatus fuit hic Hipp. intellexisse fastidium sine nausea.) Modo autem in hac particula ampliat eamdem sententiam ad quodcumque fastidium præter exacerbationem, quod non sequatur Vomitio. Quæ sententia est vera non minùs ac prima. Nam omne fastidium absque Vomitu malum est. siue sit *fastidium cum vigilia*, siue *cum aluo suppressa*, siue cum *lumborum doloribus*, siue alio modo, vt in sequentibus Coacis docetur, necnon etiam 2. in primum prorr. tex. 4. 7. 27. ac 53. etenim vt perniciosè se habent, qui fastidiosi sunt ob virtutem à corpore grauatam, vel ob inflammationem oris ventriculi, ita etiam male se habent, qui anguntur, & fastidio sunt correpti ob acres, biliososq. humores os Ventriculi vellicantes, & corrodentes; namque euacuari non possunt Vomitu, vti fas esset. Refellimus autem Dureti versionem addentis nauseam. tum quia non adest in Hipp. textu, nec recipitur ab alijs interpretibus, tum etiam quia hæc particula non differt à superiore (vt gratis imaginatur Duretus) eo quod illa habeat fastidium sine nausea, hæc nauseam sine vomitu. *Vera explicatio.* Sed quod illa habeat inquietudinem sine vomitu *in exacerbatione*, hæc autem inquietudinē sine vomitu *præter exacerbationem*. illud enim ἀσαφασσόμενοι, seu vellicati, & lancinati similiter interpretor fastidiosos, & inquietos. scio quidem duplex esse fastidium apud Gal. & posse ab aliquo dici in priori particula sermonem esse de fastidio facto à virtute grauata. in posteriore autem de altero fastidio, in quo os ventriculi à prauis mordetur humoribus, quod fastidium, quia ex Gal. est cum nausea, ideò benè Duretus vertit. Responderem aliud esse interpretari verba Hipp. per Hippocr. aliud verò aptare verba Hippocr. ad dicta Galeni, qui fuit ætate posterior. Duretus vult hoc modo, Hippocratem inseruire Galeno; sed considerandum est, Hipp. loqui de exacerbationibus, non autem Galenum.

Sed est aliud fastidium, cujus hic non meminere interpretes, & est illud, quod oritur à medicamento vomitorio assumpto, & non educente, vel prauè ducente, quorum meminit Auic. 4. primi d. 5. cap. 4. *dum Medicina superfluitates euacuat* (inquiens) *non erit in ea æstuatio, quicumq. qui medicinam biberit æstuationem habere cœperit, & euacuat quod superfluum non est.* ita etiam Mesues in Canonibus, & alij scriptores; quandoquidem medicamentum Vomitorium assumptum causa est repletionis ventriculi, vndè praui humores postea vellicant os ventriculi, *Fastidiū à med.* quod si aliquo casu Vomitus non succedat maximè

ximè anguntur, & laborant ægrotantes. Auicēnas autem id tribuere videtur attractioni medicamentorum soluentium per Vomitum. nam quarta 1.doct.5.cap.4. scribit, medicinam solutiuam attrahere ad se humorem, & arguit Gal. scribentem, quòd medicina solutiua, si non soluerit, vertitur in humorem, quem debebat trahere, ita generat, & multiplicat ipsum. Mihi autem videtur, medicamentum habere proprietatem molestandi partem, per quam fit euacuatio, & quasi compellendi humores ad eam: & sicut Cantharides Renes, & Vesicam infestando, inflammando, & vlcerando, vrinam expellere videntur, non autem attrahendo; nam alioquin traherent in vesicatorijs ad vlceratas tantùm partes; ita etiam Elleborus ano inditus, vel Vmbilico inunctus, vt refert Aetius, vomitum excitat, non alui deiectionem, manifestum profectò indicium, Medicamenta vnam tantùm determinatam partem sæpissimè petere, non eam solummodo vbi resident. At quod Gal.3. de sim.med. fac.24. dicit, medicamentum non vacuans verti in eum, quem trahere debebat humorem, falsum cum Auicenna esse dicimus, quamuis verum esse appareat, dum ille humor magis exacerbatur, & nocet, quàm priùs. Nos rationem ex Hippoc. desumemus, qui separatos humores nocere scripsit, non autem mixtos, & simul refractos. Etenim medicamentũ potum separauit, v.g. bilem à massa sanguinea, quam non euacuauit. hæc autem, quæ priùs erat temperata sanguine, pituita, & melancholia; post separationem est pura, & sincera, vndè magis nocet, & ex Hippoc. non facit morbos, nisi separata. Ergo cum ab epoto medicamento, v.g. soluente bilem, & non sequuta euacuatione, bilis molestior fit, videtur procuidubio hæc à medicamento aucta, vndè probabile videtur conuersam fuisse in ipsam bilem. sed res se habet vt dixi, & impossibile est medicamentum verti posse in bilem, nisi post multas coctiones, & quamuis asserat Gal. loc. cit. coctione produci humorem, qualem trahere natum erat, non tamen illi est id concedendum; sed omnia, quæ ad medicamentorum soluentium facultatem pertinent, explicabimus lib.7. & de curando fastidio à medicamento oborto agemus lib. 10.

Gal. opin. de Med. solutiuo non purgante.

Multa differentia Vomitus.

Adest alia Vomitus differentia ratione excretorum, qua dicuntur alij sanguinei, biliosi, rubri, pituitosi, nigri, æruginosi, subbiliosi, purulenti, ciborum, grumosi, vinosi, pallidi, prassini, fœculenti, feruidi, & acres, læues, viscosi, saliuæ, meraci, varij, diuersorũ colorũ. quę omnes differentiæ apud Hipp. legũtur, & facilè intelligũtur, vel enim materiã, vel colorem, vel substantiã indicant, & per grumosos, sanguineos intelligit. & in Coacis apud Holler. n.321. lib.3. sec.3. & Duretũ 47. sec. vlt. *Vomitus in his maligni, & ferini,* θηριώδεις. dicuntur *maligni* quidē ob qualitatem malignam, & venenatam intùs latentem, & in tumore ipse, à quo ventriculum petens eleuatur vapor, cuius labore cordis vitalis vis dissipatur. materia lædens non euacuatur, & symptomata, ac morbus non remittuntur. dicuntur *ferini*, seu quia atrocem morbum denotent; vel quia feræ, seu vermes per ipsum euacuentur. Adest præterea vomitus fortis, & debilis, excitatus à fortibus, vel debilibus pharmacis qualitate, vel quantitate. omnes autem prædictæ differentiæ explicabuntur in particulari à nobis lib.9. vbi de prognosticis Vomitus agemus.

Vomitus maligni.

Ferini.

De causis Vomitus. Cap. VII.

V OMITVS causas expendentes hic breuiores erimus, non enim hoc primo libro sedandū suscipimus Vomitum, sed potius excitandum. illud enim lib. 10. proferemus. Igitur vel retētrix, vel expultrix afficitur. Retentrix quidem in puerulis vomentibus (ex Gal. 3.aphor.24. & 3. de Sympt. cau.3.) imbecillis, cibum non retinet, ob id euomitur. vti etiam accidit in ore ventriculi superiore nimis relaxato, & patefacto, hinc supinitas adest ab assumpto cibo molesta, quibus affectibus conuenire adstringentia notum est. Expultrix verò mouetur ad expellenda ea, quæ in ventriculo continentur, vel substantia, vel pondere, vel quantitate, vel qualitate irritantia, & grauantia. Et quidem Vomitus excitatur interdum ob substantiam in Ventriculo repositam, & ipsum lædentem: vt ob cibum naturæ illius non assuetum, vel insuauem, sunt enim aliqui, qui proprietate quadam cibos quosdam abhorrent, vt abstemij vinum. sed affectus quidam ventriculi efficiunt, vt ipse lædatur ab ingestorum substantia, v.g. si affectua fuerit tumore aliquo præter naturam, vel vlcere, tunc ab ingesto cibo, etiam si suaui, & optimo, statim expultrix insurgit. tactum illius non ferens, & dictam ciborum substantiam eijcere conatur. & quandoque ab intestinorum obstructione, vt in ileo, & colica materia sursum pellitur. Venena autem aliqua quamuis quantitate, vel qualitate manifesta, non videantur irritantia os ventriculi, tamen vt pharmaca à tota substantia contraria, & infesta, à natura, probè ea noscente, expelluntur, si ipsa valet. Medicamenta verò natura emetica propria vi Vomitum excitant, vt lib.7. diffusè agemus. Quod etiam à quantitate sæpè expultrix lædatur, & irritetur ad Vomitum clarum est etiam in abundantia ciborum suauium ingestorum, & vini suauissimi, & ob id ebrij vomunt. præterea pituitæ in ipso copia, vel sanguinis nuper confluxi vomitum excitari nouimus. sed vt plurimum à qualitate aliqua excitatur vomitus, vt ab acredine, quæ ventriculũ diuellit, & exulcerat, qualis est in cibo, vel natura acri, vel ob corruptionem in ventriculo acredinem adepto, qualis item est in humoribus acribus, & corruptis, amaris, & salsis; item in medicamentis huiusmodi. Visciditas etiam pituitæ, cibi oleosi, pingues, dulces, insipidi, fœtidi, atque alioqui insuaues vomitum sæpè excitant; immò

Causa Vomitus retentrix, debilit.

Expultrix irritata.

A Substantia.

A Veneno.

Emetica.

A quantitate.

A qualitate.

Ab imaginatione. immò à praua imaginatione relaxatur retentrix ventriculi, indè exurgens expultrix per vomitũ eijcit quicquid in eo continetur. sed Animi accidentia, timorem nimirum, & iram, expultricem irritasse, sæpè nouimus. *Ab animi accidentibus.* *A motu.* His accedunt Motus, & nauigatio à quibus humores, & alia contenta ad os ipsius ventriculi impelluntur, & concitantur, quod ob eximium sensum non ferens illorum tactum, quod contristat expellere conatur nauseando, posteà sæpè sequitur vomitus. *A consensu.* Denique per consensum cum alijs partibus interdum vomitio excitatur, vt supra diximus. in quo censendum (cum Galeno) ad ventriculum fluere biliosas superfluitates transmissas à proximioribus partibus, & ab eo recipi ob imbecillitatem contractam ex consensu, ratione neruorum communicantium cum parte primò affecta: deinde ab ijdem humoribus sua mordacitate os ventriculi infestantibus Vomitum excitari Expultrice irritata.

Ex Galeno. Hæc omnia Galeni dictis corroborare facilè possumus: nam 3. de nat. fac. cap. 12. *Expultricem* (inquit) *irritat triplex causa, aut moles nimia, aut pondus aliquod, aut morsus.* Moles vbi ampliùs distendi non potest. Pondus cum supra vires eius sit, quod continet. Morsus ab humoribus putridis, saniosis, & mordentibus, scribit etiam 2. de Aliment. fac. 20. Insuauia ventriculum resupinant, ac subuertunt, & ad vomendum incitant, cupientem, quàm celerrimè, quod infestat abijcere; id quod facit, pro momento eorum, quæ infestant, quæ enim vergunt deorsum, eò ipsa expellit, quæ verò supernatant, per Vomitus eijcit, idem facit, & cum succi praui ex toto corpore in se defluunt, etenim, qui ex ijs in partem ventriculi superiorem confluunt vomitu vacuantur, qui verò in inferiorem, patiunt diarrhoeam. sed hæc in vniuersum satis.

A retentiua relaxata. A vomitorio autem medicamento excitatur vomitus, vel retentrice præcipuè relaxata, vt fit à multa copia Hydrelæi, pinguium, & oleosorum, ac leuium ciborum; nam licet à copia excitetur expultrix, tamen retentrix quoque propria ratione læditur. Expultrix autem à medicamento irritatur, vel quia naturæ est inimicum propria substantia venefica, vel odore insuaui, aut sapore amaro, vel salso, vel acri os ventriculi infestet, vellicet, ac commoueat; vel denique, eò quòd attrahat humores ad os ventriculi, ipsum posteà affligentes, & commouentes ad expulsionem. hæc item videtur Galenus iamiam docuisse 13. meth. cap. 2. Vomitu (inquiens) expelluntur, *Quæ vomitu expellantur.* quæ immodica, ac ventriculo grauia. quale alimenti aliquando est copia, aliàs verò ceu infestantia, mordentia, veluti, cum vel acidum, vel nidorosum, vel amarum, & acre ex concoctionis defectu assumptum nutrimentum est redditum. Sanè huius generis sunt, & biliosa, & pituitosa, & serosa excrementa; tum quæ in ipso sunt genita; cum quæ in eum ex toto corporis habitu confluere sunt apta. Est autem super hæc & tertium genus causarum, quæ ventriculum ad vomitum lacessunt, licèt, nec degrauent, nec mordeant, sed à natura dumtaxat sint alienæ. Porrò omnium, quæ à natura sint aliena, communis terminus est, si quamuis concocta sint, nutrire tamen non valent. Hac arbitror ratione, non solùm acida pituita, & salsa; sed etiam dulcis in ventre collecta, non rarò eum ad vomitum prouocat: sed & sanguis ipse, qui in Ventriculum est effusus, eo pacto ipsum vomere cogit.

Quæ partes Vomitu euacuentur. Cap. VIII.

VENTRICVLVM vomitu semetipsum expurgare, & eijcere materiam in ipso contentam; cuique clarum est: si quid igitur in Ventriculo infestum sit, vomitu protinùs erit expellendũ; vt de cibo corrupto præcipit Galen. 4. de san. tu. 3. & lib. 6. cap. 7. & de Venenis Auctores omnes. Nam à situ partium sumpta indicatione, vt habetur 2. ad Glau. 2. & 7. meth. 13. ventriculum per vomitum facilè, & conuenienter expurgari notum sit. sed memoriæ mandandum, quod docuit Hipp. de loc. in hom. num. 33. *Verum hoc studio habere oportet, vt proximum exitum facias, siue infernè, siue supernè, aut etiam alia aliqua corporis parte, vbi exitus sunt.* *Vacuatio per partes proximiores.* deinde num. 55. *Cæterum morbi* (inquit) *ea parte, qua proximi sunt, educendi sunt, & qua parte singulis exitus quam proximus est extrahendi.* & Galen. 6. de san. tu. cap. 3. scripsit: *Si bilis excrementum superiorem ventrem petat, per vomitum est emittendum, scilicet longè valere iussis philosophis ijs, qui vomere ex aqua tepida post exercitationes ante cibum vetant*: cui assentitur Paulus lib. 1. cap. 64. *Si vitiosi humores in concauo ventriculi spacio supernatent, vomitu reijciuntur: qui autem corpore ventriculi contenti, tunicis eius adharescunt, frustra etiam ob inanem ad vomitum nauseam conturbant.* Fenel. 3. meth. cap. 9. Ventriculi, & præcordiorũ summæ partes vomitione expurgantur. materia igitur in ventriculo existens per nullam partem commodius euacuatur, secundum Hippocratis doctrinam, quàm per Vomitum. quamuis ex Galeni sententia ab optimo magistro recedentis per intestina cômodiùs, & minori molestia expelli dicatur. *Galen. ab sensu est Hipp.* sed dicant quicquid velint Galenici pituitam crassam, viscidam ventriculo infarctam, & tenaciter ipsi adhærentem numquã nisi per vomitum euacuabunt. sic Vermes in ipso residentes necessariò per superiora sunt educendi. Et experientia notum habemus, quendam diu ægrotantem, post sex menses vomitu eijcisse cerasorum deuorata ossa, quæ per aluum à multis assumptis purgantibus deorsum medicamentis, nullo pacto deiecta fuerant. & ratio est euidens, nam per vomitum breuior est via; quàm per infernum secessum, & per intestina; *Intestinorum longitudo.* quorum longitudo ex Hipp. de Hom. struct. nu. 7.

est tre

est tredecim cubitorum , & ex And. Laurentio lib.6. cap.13. reficcata, & distenta intestina se. ptiès corporis longitudinem æquare obseruantur, quamuis ex Vesalio non eadem fit omnibus longitudo. maior est etiam impetus ventriculi in vomitu,à quo ob concussionem illam, & validum motum diuellitur,& expellitur pituita quātumlibet viscidissima, alioqui semper Ventriculo adhærens remaneret.

Vomitu quæ partes vacuentur. Per validiorem autem vomitum non solum ventriculus, sed aliæ quoque partes exinaniuntur. vnde Auic. 4.primi.d.5.cap.11. *Et remotior quoque terminus secundùm modum purgationis prima est stomachi solius, & non intestinorum, & ad modum quidem purgationis secunda est capitis, & totius corporis, ipsius verò attractio, & eradicatio est ab inferioribus*. & Fernelius 2. meth.cap.2. *Vomitio primum quidem, ac maxime ventriculum, deinde si perstit viscera, venasq. maiores, postremò corporis habitum*. cui assentitur Fallop. de med. purg. tra.2. cap. 18. per Vomitum, scribens, expelli humores tribus ex locis, primò quidem ex cauitate, & substantia ventriculi, & intestinorum, ac mesenterii. secundò ex liene, tertiò ex parte remotissima, atque ex toto ambitu. Galenus au-*Intestina nõ expurgari Vomitu.* tem videtur censuisse expurgari non posse intestina per vomitum. nam 7.meth. cap. 13.scriptū reliquit; *intestina deiectione tantum euacuari*, & 4.aphor.12.expresse asserit. *Humor pituitosus, quando adhæserit intestinis, numquam est per superiora purgandus, hoc est per vomitoriam medicinam. Sola enim euomi natura apta sunt, quæ in Ventriculo continentur: eorum verò, quæ continentur in intestinis, nihil potest per vomitus euacuari*. Hæc est Galeni sententia, cui fauere apparet Hipp. dum humores esse euacuandos asserit per partes proximiores. immò vomitum nullo modo probasse videtur Gal. siquidem ipsum non numerat inter meatus proprios ad superuacuorum emissionem, tom 11.meth. cap.19. tum etiam 13. cap. 17. & *Gal. purgat Ventriculum per intestina.* 18. *Intestino, ventriculo, & mesenterio, & cœcauis iecinoris intestinum rectum. Renibus, Vesica, iecinoris gibbis, vena caua, & arteria magna, & omnibus, quæ in lumbis habentur, eum, qui vrinis est delegatus. Pulmonibus, & Pectori, ipsam arteriam, & fauces. Cerebro, & eius inuolucris eum, qui per palatum, & nares descendit*. Sed vnum notandum in hoc tractatu de vomitu Galenum esse habendum iniquum testem, non enim Hipp. sequutus est in *Gal. rarò vtitur Vomitu.* vsu Vomitus: sed videtur abominasse non solum Veratrum; sed ipsum vomitum: ideò quia parum eo vtebatur, pauca de ipso scripta reliquit. Nos Hippocratem, & cæteros auctores sequemur, ac veritatem ipsam: sed ratione, & experientiæ innixi progrediemur, vt ægros vomitu curemus à difficillimis morbis.

Attamen Galen. ipse 1.aph.21.euacuationem per Ventriculum numerat inter locs conferentia. *Sunt autem* (inquit) *euacuationibus conferentia loca, intestina, vtuter, vesica, vterus, cutis vniuersa, ad hæc palatum, & nares*. deinde subdit: *Vbi hepar humores infestant, quos oportet euacuari, duæ sunt ipsorum accommodæ inclinationes, prior per ventrem: cuius illa melior est, quæ per inferiora, quàm, quæ per vomitum. secunda per renes, atque vesicam*. *Gal. Vomitū quandoq. laudam.* & 7. meth.13.scribit: *Iecur, & per aluū, & per vomitum expurgari potest. Cæterum aptior est prior euacuatio, tamquam vsu iam callentibus intestinis, iecinoris superflua tollerare*. Purgari tamen totum corpus per Vomitum fatetur ipse Galenus in Arte Med. cap. 99. Vomitus ponens inter euacuationes communes. & 6. de loc.aff.1. *Lien* (inquit) *hepatis exemplo, sæpè excrementa ex se reijcit, ita, vt & vomitione, cui nausea quoque accedit, melancholicum sanguinem aliquando excernat*. & addit 1.de humor.18. Vomitu vtimur cum magna glutinosorum humorū copia ventriculo continetur, eamq. abstergere conuenit, interdum etiam vomitus non confert, vt cum ventriculus infirmus est, & totius corporis excipit in se redundantias: sed tum præcipuè vomitum imperamus cum flaua bilis in ventriculum confluat, & homo sit suaptè natura biliosus, regioque sit calida, & ipse sit ad vomendum assuetus. Celsus lib.3. cap. 7. ad feb.pestil. *Vomitu pectus purgare* scripsit.

Sed per Vomitum euacuari Ventriculum ipsum repletum non est in dubio. At ipsum deriuare, idest per vicina euacuare, & certum est, & *Deriuatio per Vomitum.* certius posthac fiet; conueniens enim, vtile, & rationale remedium est. siquidem ex Hipp. de loc. in hom. cit. morbi ea parte, qua proximi sunt, educendi sunt, & qua parte singulis exitus, quàm proximus est, extrahendi; igitur, vt vicina Hepar, & lien per vomitum euacuari debent, deriuationis, & euacuationis gratia, & commodo. Cui accedit aph.18.sect.4. *Supra septum transuersum dolores purgatione indigentes, medicamine per superiora indigere significant, quicùmque verò per inferiora molestant per inferiora*. Hæc est aurea sententia Hippocrate digna, & Medicis omnibus, qui rectè mederi velint, & memoriæ mandanda, & in praxi obseruanda, vt nos postea pluribus ostendemus.

Obiectio. Sed dices, Ventriculus est infra septum transuersum, ergo malè affectus per inferiora euacuandus. Respondeo, per os esse euacuandum; *Solutio.* nam etiam si ipsius corpus, & fundus sit sub septo, tamen orificium superiùs est supra septum transuersum, & exitui proximum, per orificium autem inferius nonnisi post multos anfractus expurgari potest. expurgatur tamen sæpè à natura per inferiora à proprijs excrementis, vel per se, vel cum cibis descendentibus admissis. interdum etiam à Medicis præcipuè reuulsionis gratia. sed cum Ventriculus est valde repletus per superiora faciliùs, & tutiùs expurgatur. Hipp. 2.de Mor.Mul.33. *Si ad hæc non soluatur, pharmaco sursum, aut deorsum purgare, vtro tandem opus fuerit, cognosces autem id hoc modo. Si enim ad inguina, & pectinem, & Vesicam irruerint: hæ purgatione sursum opus habent:*

bent: si verò ad laterum mollitudinem, & præcordia: hæ pharmaco deorsum purgante indigent. hic reuellit Hipp. in contrarium. nam si Vterus afficiat inferiora, reuellit sursùm Vomitu; si vexet superiora, reuellit, deorsùm purgatione.

Euacuatio Thoracis auxilio vomitus, quia est supra septum, & exitui proxima materia, videtur dicenda deriuatio ad vrina: verùm dubium est, an Thorax, & in ipso contenta per vomitum expurgari, valeant; videtur omninò negandum, quia materia per œsophagum à solo ventriculo ascendit, & per vomitum expellitur, nec vlli sunt ductus à Thorace ad ventriculum. tamen laudatur ab Hipp. & alijs (vt lib.4. dicemus) ad multos pectoris morbos. non solum, vt materia vel in ventriculo contenta, vel in Capite, & veluti causa remota affectuum pectoris euacuetur: sed etiam vt illa ipsa, quæ est in Thorace, & pulmone. & inniti possumus Hippoc. verbis 2.de Mor. 55. qui in tuberculo pulmonis *pharmacum* (inquit) *dato, à quo inferna aluus non moueatur. Et si vnà cum vomitu pus sequatur, siquidem pus fuerit album, &c.* Ecce pus in Thorace existens simul cum vomitu euacuari vult. & alia similia exempla adducere possem. quare dicendum ob validum motum in vomendo, qui fit non à solo ventriculo, sed etiam à septo, & musculis Thoracis cogi etiam pulmonem ad transmittendam materiam sursùm, Gal.2.de Sympt. caus. cap.4. in sternutatione voluit expurgari pulmonem, & cerebrum, quia caput pectori motus principium tribuit. si ergo motus principium sufficit, multò magis in Vomitu expurgabitur pulmo; nã Vomitus pectori maius motus principium tribuit, quàm sternutamentum. vndè in valido vomitu educitur materia à ventriculo; educitur etiam à faucibus per sputum, à pulmone etiam cum pauca tussi, & à capite dum descendit in os. iurè igitur vomitus commendatur ad affectus pectoris, vt euacuans, ac derimans materiam in ipso retentam: itaque in Vomitu duo sunt; primò motus localis omnium partium ad coadiuuandam expultricem, motumque Ventriculi conspirantium; secundò attractio à medicamento solutiuo, motus iste omnes partes commouet, & materiam contentam exagitat; vndè faciliùs attrahitur, & expellitur, quod non accidit in alui purgatione; quare materia viscida impacta, vt non præcedẽte valido motu, non potest diuelli, ita nunquam vacuatur.

Vomitu Thorax vacuatur.

Vomitus reuellens.

Vomitus autem, vt reuellens, conuenit morbis subsepto transuerso, videlicet intestinorum, vteri, renum, vesicæ, sedis, & articulorum. reuellit enim, & simul euacuat materiam eò fluentem. ideò Hipp. de Veratri vsu. *Conuenit doloribus deorsum versus, vbi sine febre est tormen, lumborum dolor, genuũ grauitas, menses agri prodeuntes, dolores in partibus sub septo transuerso*. & 6.aphor. 15. *à longo alui profluuio habito spontaneus vomitus superueniens morbum soluit*. Quamuis in lienteria hunc prohibeat 4. aphor.12. dat etiam Helleb. Hippocrates lib. de fracturis. in fractione calcis, &c. datur autem in dictis casibus Vomitorium non euacuationis tantùm: sed reuulsionis etiam causa, & hæc præcipua: nam *reuellere, si quo non oportet vergat*, scriptum reperitur 2. in 6. Epid.29. & quòm subdit num.30. latas pustulas Vomitus non iuuasse. Gal. in com. sciendum, inquit, succos ad cutem vergentes per eam esse euacuandos: nam iterum ad intima corporis reuulsio ipsis valdè longinqua est, vt per aluum, aut Vomitum euacuentur. sed ipse Galen 13.meth.6. in vlceribus ani, & intestinorum, vomitu vtitur, & 14. meth.8. scribit: *Quod autem Priapismo vomitorijs medicamentis potiùs, quàm subductitibus sit vtendum, in lingua vitio contrà, id ex partium situ indicari manifestum est. Nam auersionis in contrarium, non à substantia: sed à curandi morbi positu inuentio præstatur*. sic etiam de remedijs paratu facilibus. *Coxendicum dolore affectos vomitus, quàm alui deiectio iuuat magis, quod humorum ad inferiora defluxum retrahat*.

A quibus partibus reuellat vomitus.

Sed dices, Caput potiùs à Vomitu repleri, quàm expurgari. ideò illi supra septum transuersum posito, necnon proximiori, non confert. Nam ex Hippoc. Oculis, & auribus ægrotantibus nocet. & Galen. lib. de Venæ sect. ad Erasistrateos, cap.9. Vomitos euidentissimè caput replere scriptum reliquit, qua auctoritate ducti postea Galenicorum plerique semper à Vomitu repleri caput crediderunt, & ideò esse omittendum.

Obiectio.

Respondeo equidem, dubitandum minimè esse (cum caput afficiatur, vel per consensum cum inferioribus, vel per essentiam) quin vomitus conferat affecto capite ob consensum cum partibus inferius, euacuata siquidem per vomitum materia vaporis ascendentis, lædentisq; miuistra, ab hoc dependentem affectum omninò cessare fas est. Erit igitur Quæstio de passionibus in capite per essentiam dictis, existente nimirùm in capite ipso materia, causa, atque affectu toto, & primario.

Solutio.

Mea sententia est, Caput Vomitu euacuari ab Hippocrate cura propria, proxima, & regulata; secessu autem, cura impropria, remota, & coacta. Explico me clariùs. Caput, aio, pleniùs, citiùs, & faciliùs euacuatur vomitu, quàm alui deiectione; ob id capite affecto conuenit magis vomitus, quàm secessus. Erit ergo semper adhibendus, vt semper indicatum remedium, in omnibus, inquam, capitis læsionibus quùm adest euacuanda materia, eaq; copiosa. tum ob præcepta medica vniuersalia rationibus optimis cõfirmata: tum etiam ob Hippocratis, ipsumquè imitantium auctoritatem; tum deniquè ob experimenta secundum vorum sequuta (vt lib.3. lõgioribus exequar.) Attamen accidit quandoquè, vt indicatus vomitus prohibeatur ab aliquo ex ijs, quæ posteà cap.20. huius lib. afferemus, quæque Vomitum prohibere ediximus. qualia sunt Virtus debilis, vel totius corporis, vel particulæ alicuius, quæ in Vomitione consideratione merea-

Caput vomitu euacuari.

mereatur, cuius quidem indicia sunt, Habitus corporis tenuis, vel crassus admodum, tener, mollis, effœminatus, pusillanimitas, virium neruosarum imbecillitas. Aetas, vel puerilis, vel decrepita, Vomitionis difficultas, & nulla Vomitus assuetudo, nulla aptitudo Thoracis, imbecillitas, atque inepta faucium, colli, & pectoris structura, Ventriculus debilis, & malè affectus vlcere, tumore, &c. in quibus casibus, quia Vomitus periculosus, deorsum factam purgationem, etiam si minùs conferentem, substituimus.

Caput imbecille vomitũ prohibet.

Sed ad quæstionem allatam propiùs accedẽs, à capite imbecillo vomitum prohiberi supponam cum C. Celso lib.1.c.4. vbi, *quibus*, inquit, *caput infirmum est, maximè vomitus alienus est.* item cum Aetio serm.3.cap.119.& 121. Arnaldo, & alijs. sed aduertendum non intelligi caput morbis actu vexatum, ita vt censeamus, caput morbo aliquo affectum prohibere semper vomitum, quod esset falsum; quoniam, vt ostendemus lib.3. Vomitus fortis multos sanat capitis morbos: sed caput natura imbecille, quod ex qualibet occasione dolet, vt explicat Aetius, scilicèt, laxum, rarum, malè conformatum, inflammatione aliqua, vel tumore vexatum, & quod manifestè læditur à vomitu, dum repletur vaporibus, & incalescit, tum à motu internarum suarum membranarum, tum etiam partium inferiorum motu, corpus enim imbecille labores non sustinet. tali igitur capite, quùm præditus fuerit æger, à Vomitu abstineat.

Præcepta Hipp.

Quod autem Vomitus capitis morbis per se dicatum sit remedium, initio sumpto ab vniuersalibus præceptis Hippocraticis ostendere conabor.

Primum erit ex 4. aphor. 18. *Suprà septum transuersum dolores purgatione indigẽtes medicamine per superiora indigere significant, quicumque verò inferiora molestoni per inferiora.* Quod exemplis declarat libro de Veratri vsu.

Secundũ ex lib. de loc. in hom. num. 47. ac lib. de Veratri vsu. *Fluxione à capite fiente vomitus conducit.* hic est materia in capite, & à capite fluit.

Tertium ex 2. Epid. sect. 6. *Si superni loci turgent, qui sunt circa caput, vlcerum purgatio.* idest nostra Canteria. *Vomitus, Hydropi.* cui assimilatur tex. 12. lib. 2. de Morbis.

Quartum ex Hippoc. seu Polibo de sal. diæta. *Sex menses hybernos, vomendum est: hoc enim tempus pituitosius est æstiuo, & morbi circa caput fiunt, & regionem eam, quæ est supra septum transuersum.*

Quintũ Hipp 5. Epid. 25. *Subpurgare ventres oportet in morbis, &c.* & subdit: *Alia autem sursum in paroxismis. tunc enim sua sponte subleuantur. cum anxij, & capite grauati fuerint.* Eccè vomitum præscribit cum adest capitis grauitas, & motus humorum ad Caput.

Quæ præcepta etiã si probatione non egeant, cum sint à tanti viri auctoritate probata, tamen roborari possent, si dixerimus, Vomitu non modo reuelli materiam à ventriculo ad caput fluentem, quod vt indubitatum supponimus; sed etiã fluxam, & non fixam, actu existentem in ipso capite, deriuari, & euacuari. Etenim manifestò mihi constat vomitu euacuari humores in ipso cerebro contentos. Nec euacuari autumo mediante tantum ventriculo, siue reuellendo, siue deriuando, siue medicamenti fortis vi ad ventriculum ipsum attractis à capite humoribus, quod etiam alui purgatio per medicamenta fortia efficere valet. Sed aio, dum vomitur simul cum inanitione ventriculi, eodem actu, & eodem motu; immò etiam in leni vomitu, exinaniri Cerebrum ipsum, & à se expellere humores superfluos, quos continet, deorsùm eos exprimendo; quod ita prorsùs accidit; quia dum ventriculus in vomitu comprimitur, & sursùm fertur ad compellendos humores, quos continet, eodem tempore membranæ cerebrum circumnectientes semet violenter constringunt, cerebrũq. comprimunt, ac deorsum quasi trahunt, quapropter humores in cerebro contenti forás exprimuntur, ac deorsum cadunt, exeuntq. per palatum, nares, & oculos, euidenterq. in Vomitione copiosus catarrhus decidit in os; nares etiam multa excernunt, lacrymanturq. oculi: in qua expressione, compressioneve cerebri, caput quidem videtur grauari, facies rubescere, ac oculi exprimi videntur, compressione meningum, non enim à Vapore talis expressio fieri vnquam potest, ob id etiam aures sibilant, & quandoq. etiam è naribus destillat sanguis. Cessato autem Vomitu, cessant simul prænumerata omnia capitis symptomata, caputq. ipsum multò leuiùs, quàm priùs erat, sentitur, vtpotè, diminuto excrementorum pondere. Fit autem eodem instanti motus Ventriculi, (& cum eo Thoracis, & abdominis) & meningum compressiuus ob maximam sympathiam; nam ex Hippoc. caput Ventriculo, & Ventriculus capiti communicant affectiones suas. Hinc capitis vulneribus vomitus superuenit; & è contrà ore ventriculi affecto caligant oculi, Cerebrum epilepsia, vertigine, dolore, conuulsioneq. vexatur; quùm igitur tanta inter has partes sit amicitia, tantusq. motus partium inferiorum sursùm versùs: nimirùm quando facultas ventriculi expultrix omni impetu conatur contenta expellere, opemq. illi ferunt partes aliæ inferiores, vti musculi ventris, & septum transuersum, immò etiam Thoracis musculi, æquum non erat quiescere cerebrum; sed moueri fas erat, & quidem duplici de causa. Primò quidem se constringendo, & meatus, capacitatesq. coarctando suas, expultrice cooperante, nè ipsum reciperet excrementa tanto impetu à conspirantibus simul partibus cunctis inferioribus sursùm delata. Secundò, quia expultrice in toto corpore nimis concitata (obseruaui enim quosdam, & mingere, & sudare, & aluo reddere excrementa dum vomunt) capitis expultrix quiescere non poterat, tum præcipuè, quùm eductio fit sursùm per os, quod in capite est: ergo necesse erat cerebri, & meningum expultri-

Vomitu euacuatur Cerebrum ipsum.

Meningũ constrictio.

Cõsensus cerebri cũ ventriculo.

Expultrix Cerebri, & ventriculi concordes.

pultricem insurgere, non solùm vt aduenientes materias ad extrà compelleret; sed etiam, vt propria excrementa, in vniuersali motu, & pugna educeret per os. hinc fit, vt oculi expurgentur per lacrymas, nares educant mucum, & quandoque sanguinem, & per palatum in os flegma crassum decidat. quo patet, non repleri, sed euacuari caput à Vomitu.

Fateor equidem scripsisse Galenum lib. de Venæ sectione contra Erasistrateos cap. 9. Vomitu caput repleri, & loquebatur de Vomitu frequentato post cœnam, vt patet tum hoc cap. tum maximè cap. 9. aduersus Erasistratum; sed intellexit, vaporibus, non materia; quod verum est in actu vomendi, vt mox dixi; sed sedato vomitu, caput non paulò læuiùs, quàm priùs fuerit, sentitur. Aduertendum autem est, eo loci Galenum agere contra Erasistrateos, & de vomitu obiter tantùm esse loquutum; namquè cum probare intenderet, sanguinis plethoram, nec vomitu, nec inedia tolli posse, scripsit non conuenire vomitiones, *vt quæ caput euidenter replere soleant. Cæterum inedia inter ea, quæ caput replent, adeò eminet, vt ex illa tensio vehemens circa brachia, manusq; oriatur.* Quæ Galeni verba, non vt sonant, intelligenda esse, censeo. difficillimè enim induci poteto, vt credam, remedia summè vacuantia totum corpus, replere ipsum caput. nam cibi non ingesti seruata inedia, & resolutio humiditatum ab eadem in corpore facta, neque corpus, neque caput replere valent. Ita etiam praui humores extra corpus per Vomitū expulsi non videntur posse caput replere. Ventriculus exinanitur, totum corpus degrauatur, humores imminuuntur, repletio non est ampliùs in corpore, & caput est repletum? à quo quæso repletur caput, ab eo quod non est? sequeretur profectò in morbis capitis nunquam conuenire inediam, nec Vomitum, nè caput repleatur.

Vt caput repleatur à Vomitu.

Vera tamen scripsisse dicendus est Galenus sano modo intellectus: nam in inedia ob calorem auctum in hepate, & præcordijs (dixit Galen. 2. Acut. 24. corpus siccari, & ignescere) plures vapores feruntur ad caput, (nam 10. meth. cap. 4. in inedia fiunt halitus biliosi) vndè ibi venæ replentur; sed vapor est, facilè resoluitur. ita in ipso actu Vomitionis non negamus caput vaporibus repleti, nam facies rubet, tenduntur venæ, aures sibilant, & caput grauiùs sentitur: sed facillimè, citòq; hic resoluitur vapor. & cessato vomitu, ablatoq; vaporum fomite capitis repletio euanescit, atque caput multò læuiùs, quàm anteà, sentitur: erat enim repletio spirituum, proinde instantanea, non autem humorum, & stabilis. In motu autem Ventriculi, & partium adiuuantium vomitum, sursùm pelluntur humores, qui commoti vapores necessariò generant, & spiritus emittunt copiosos. At humores in os detrusi per ipsum extra feruntur, vapores verò læuiores altius ascendunt in caput, sed per nares citissimè exeunt, nonnunquam sternutamenta excitando. Porrò sicuti repletio oris ab humoribus in vomitione paruipenditur, ita flocci-

Galenus explicatur.

facienda est capitis repletio in eodem instanti ob vapores transeuntes. Patet igitur, quomodo, & qua materia repleatur caput in Vomitu, & inedia. immò si caput doluerit ob vapores ex inedia à ventriculo ascendentes, illicò à cibo assumpto depressis vaporibus cessat dolor, nullumque remanet in capite repletionis vestigium: præterea si dolor capitis causam habuerit prauos in ventriculo detentos humores, multum habentum parientes, illicò vomitus ipsorum, dolorem dictum sanabit. Argumentum euidens non repleri à Vomitu caput.

Fassus è contra fuit Galenus ipse sæpiùs loquutus caput vomitu euacuari, nimirum 1. de hum. 12. vbi, *Vomitus*, inquit, *multa commoda affert, nam & pituitam euacuat, caput alioqui graue leuat.* cui assentiuntur Ægineta lib. 1. cap. 42. Rufus ex Aetio ser. 3. c. 119. Orib. 1. Synop. cap. 18. & 9. collect. cap. 21. Auic. 4. primi doc. 5. cap. 3. Rasis 4. ad Almans. cap. 16. Arnaldus, Fernelius, & alij plurimi. Sed inter veteres Soranus in signis Methodicus c. 11. de Vomitu scripsit: *Qui frequenter vomunt, semper sani esse solent.* Et his clarè patet, vomitum, vniuersaliū axiomatum vi, capiti maximè conuenire; quibus optima ratio mirè suffragatur. Pleniùs itaque euacuatur vomitu, quàm deiectione caput, quia deiectio est tantùm reuulsiua euacuatio affectuū in capite existentium, & per longinqua facta. At Vomitus; vt euacuat ventriculum, deriuat materiam proximam; vt autem concitat expultricem simul cerebri, causa est eductionis materiæ præsentis in parte affecta, & quia in initio fit per partem proximiorem loco affecto, atque etiam ex ipso loco affecto, hinc citiùs, & faciliùs succedit purgatio. Vomitu igitur curatur caput propriè, proximis remedijs, & secundùm artis leges. Quam sententiam, vt magis confirmetur, roborabimus, perpendendo vsum Vomitionis in particularibus capitis affectionibus, atque his essentialibus, & proprijs, non autem sympathicis, & secundarijs, prout Hippocr. & sequaces docuerunt, quod ex professo demonstrabimus huius operis lib. 3. hoc tamen capite, pauca quædam de re hac summatiè afferemus.

Caput vomitu deuacuatur.

Vomitus propriè euacuatio capitis.

Hippoc. 2. de Morb. num. 13. *Vlceribus impletur caput. Caput autem semper calidum est, & ex auribus aqua fluit. Quum ita habet, medicamentum ei dandum est, à quo pituita, & bilis sursum purgetur, post hoc autem tempus vomitibus vtatur bis in mense.* censuit Hipp. mat. peccantem esse in capite, nam post Vomitorium tribus interpositis diebus caput purgat alijs remedijs, vt, quæ, à Vomitorio est in cerebro commota, & non euacuata materia, per nares educatur. Huic textui affinis est alius 2. Epid. *Si superiora turgeant, quæ sunt circa caput vlcerum purgatio, Vomitus.*

Vomitu ad Vlcera in capite.

Ad capitis autem dolorem vomitum commēdat Hipp. 2. de morbis, 12. & 15. præterea 3. de Morb. num. 2. 4. & 8. idem confirmant Ægineta lib. 3. c. 4. Auic. 1. 3. trac. 1. cap. 29. Gentilis in comm. & alij, quos referemus lib. 3.

Si Aqua

Si Aqua in Cerebro fuerit, ait Hipp. 2. de Morb. num. 15. *Dolor acutus per sinciput, ac tempora emergit, aliàs aliò loco, & regiones oculorum dolet, & caeutit. & pupilla finditur, & ex vno duo se videre putat, & si surrexerit, vertigo ipsum corripit, & ventum non sustinet, neque Solem, & aures tinniunt, ac inter audiendum strepitu offenditur, & vomit saliuam, ac pituitam, quandoque etiam cibos*. in quo affectu multa adesse videntur vomitum contra indicantia. primò imbecillitas capitis, quae non sustinet aeris mutationem; secundò Vertigo, oculorum passiones, & aurium tinnitus, quia lib. de Veratri vsu, & 4. de Victu Acut. 115. vetat dari Elleborum obscurè videntibus, & quibus aurium sonitus sunt, in Vertiginosis etiam prohibuit lib. de Veratri vsu, & 2. in primum prorrit. tex. 37. Attamen hic scribit Hipp. *Quum sic habuerit, primum dandum est ipsi medicamentum, quod sursum pituitam educit*. & post alia remedia subdit: *Vomitibus ieiunus vtatur*. Quod si haec non suffecerint Vere purgat *Veratro*. Respondemus haec contraindicantia non valere: tum quia fiunt à plenitudine, non autem ab inanitione, locis enim citatis Hipp. interdicit vomitum, si aegrotauerint ob Venerem, vigilias, curas, quae sunt causae exinanientes. concedit, si superuicerint, idest à superabundanti materia processerint: tum etiam quia in hoc aegroto vomitus est familiaris, quamuis symptomaticus, & eò natura vergere videtur. Quare cum indicetur à morbo capitis, non cunctandum, etiam si caput imbecille sit; nam Vomitui est assuetum.

Vomitus ad aquā in Cerebro. *Contradictio Hipp.* *Solutio.*

In *Hemicranea, & Cephalaea* Vomitum ex Elleboro parauerunt Trallianus lib. 1. cap. 12. Aetius ser. 6. cap. 59. Mesues de Morbis cap. 12. Aretaeus de Cephalaea. C. Aurelian. lib. 1. cap. 1. Oribas. 7. collect. cap. 10. Aegineta lib. 7. cap. 4. & alij. Experientia id confirmauit Hippoc. 7. Epid. 44. in Phoenicis morbo; praeterea patet in curatis à dolore capitis ex gummatibus gallicis, non solùm à rationalibus; sed etiam à Florauante lib. 1. Opinionum medic. cap. 36. & ab alijs empiricis.

Vomitus ad Hemicraniam.

Ad *memoriam laesam* Veratrum exhibet Aetius ser. 6. cap. 23. cui assentitur Capiuaccius.

Ad *acuendam mentem* studiorum gratia, ex Plinio, Veratrum praesumpsit Carneades responsurus Zenonis scriptis.

Insania, & Melancholia Vomito, & Elleboro curantur ab Hipp. de Veratri vsu. Epist. ad Cratenam, & 1. de Diaeta 34. & 35. Galeno in introd. & lib. de atra bile. Celso lib. 2. cap. 12. & lib. 3. cap. 18. Plin. cap. de Elleboro. C. Aureliano lib. 1. Cronicon. cap. 6. Aetio ser. 3. cap. 119. ex Ruso, & cap. 121. ex Antillo, & Possidonio, & ser. 6. cap. 8. ex Archigene, & Possidonio. Garioponto lib. 1. cap. 12. Aretaeo cap. de Melancholia. Traliano lib. 1. cap. 18. Auic. cap. de Melancholia. Mesue cap. de Melancholia, & de Lapide Lazulo, ab alijsq. plurimis.

Vomitus ad Melancholiam.

Melancholicos autem haud paucos vomitu sanatos fuisse, testes sunt Iordanus in Epist. ad Matthiolum. ipse Matthiolus in Diosc. c. de Stibio. & lib. de Morbo Gallico. Brasauolus in simpl. exam. Rulland. cent. 2. aegroto 72. cent. 4. aegroto 38. 71. & 91. cent. 5. aegroto 38. & 68.

Maniacis praebuerunt Aurelianus lib. 1. cap. 5. Gariopont. lib. 1. cap. 9. Theod. Priscianus c. 10. Brasau. de simpl. de Elleboro. & Vomitu sanatas Proeti regis furentes filias cantat antiquitas, quosdam etiam curatos refert Florauantus lib. 2. sui Thesauri cap. 64.

Ad *Apoplexiam* cōmendant Celsus lib. 3. c. 26. Oribas. 7. coll. & cap. vltimo. Aetius ex Archigene. Aretaeus, Gariopontus. Aegineta. Auicenna, Haliabbas, & plures alij.

Vomitus ad Epilepsiam.

Comitiali morbo obtulerunt, quùm fuerit inueteratus, Celsus lib. 2. cap. 12. & lib. 3. cap. 23. Trallianus cap. proprio. Paulus lib. 3. cap. 10. Oribas. lib 7. cap. vltimo. Galenus in introd. cap. 13. Plinius in Historia, Aetius ser. 6. cap. 50. quamuis ser. 3. cap. 119. ex Ruso negauerit conferre his vomitum morbo in capite existente. Sed morbus inueteratus, & alijs non cedens remedijs non potest esse nisi per essentiam in capite. Et Drusum Veratro liberatum ab hoc morbo ferunt. idipsum etiam commendant in pueris Auicen. Aretaeus, C. Aurelianus, Gariopōtus, Theod. Priscianus, Mesues, Matthiolus, Quercetanus, Paulus lib. 2. cap. 14. & lib. 7. cap. 10. Haliabbas 5. pract. cap. 21 Arnald. 1. Breuiarij cap. 12. Hollerius, Alzarius, Fontanonus, Gordonius, Pascalius, Fernelius consf. 7. & 10. immò Hippocr. de victu acut. num. 38. *In morbis*, inquit, *comitialibus consideratis indicationibus medicamentum exhibere sursum purgans*.

Rufus repulsus.

Ad *diuturnas destillationes* Vomitum à raphanis proposuit Aetius ser. 8. cap. 53. Hippocr. etiam dedit catarrhosis, quamuis sine conferentia. 7. Epid. 36. *Caligeni circa 25. aetatis annum destillatio, tussis multa, annos quatuor perseuerabat, Veratrum non profuit*.

Ad catharrum.

Spasmo Cynico. Celsus dedit lib. 4. cap. 2. scribens, ducere aluum oportet, si nec sic quidem discussum est, albo Veratro vomitum mouere. *Spasticis*, idest cōuulsis, & *Tetano* Plinius, & Praxagoras apud C. Aurel 3. acut. cap. 8.

Tremori conferre asseruerunt Plinius, Gariopontus, lib. 5. cap. 3. & Auic. 2. primi. tr. 1. c. 3.

Ad *Paralisim* Paulus dat lib. 7. cap. 10. Cael. Aurel. chronic. lib. 2. cap. 1. Auicen. Manard. Gordonius, Halyabbas, Hollerius, M. Mercatus. Marquardus, Gariopont. lib. 5. cap. 21. Celsus lib. 3. cap. 27. & lib. 4. cap. 2. Paulus lib. 3. c. 18. Aetius ser. 3. cap. 119. ex Rufo, & cap. 121. ex Antillo, & Possidonio.

In *morbis oculorum* vomitus etiam confert. Hippocr. 5. Epid. 31. & 7. Epid. 44. *Phoenicis affectio ex oculo dextro talis quaedam erat. plerumque velut fulgor elucere putabat. Quum autem non diu ipsum continuisset, dolor ad tempus dextrum instabat, & per totum caput, ac collum: Caput intumescebat retro ad verticula, & distentio, & durities circumtendines, & vbi caput*

Vomitus ad affectus Oculorum.

caput cõmouere, aut dentes diducere conabatur, nõ poterat, vt qui valde distendebatur. Vomitus vbi facti fuissent prædictos dolores auertebant, & leniores faciebant, sed & vena sectio proderat, & Veratri potio, eduxit autem varia, & omnigena, maximè verò prasina. ita Gal introd. cap. 13. oculorum caligini scripsit. *Vomitibus Veratro.* & Celsus *prodest cui madent oculi.* Paulus lib. 7. cap. 4. *Veratrum conuenit humorum impetu in oculis decumbente.* & lib. 3. cap. 22. obscuritati, & hebetudini procedente tempore: Vomitum ante cibum laudat, quod idem reperit Actuarius. 4. meth. cap. 11. si hebetudo, & obscuratio ab incerta causa oritur, temporis progressu; ante cibum vomitibus vtendum. & Aet. ser. 7. cap. 49. in Paralisi oculi. Vomitibus autem ex interuallis vtendum ieiunis à raphanis, deligato oculo, & citra multam lancinationem. Plinius lib. 31. cap. 6. ad oculos. Vomitus ex nauigatione.

Ad auriũ affectiones. In *Aurium* etiã affectibus conducit vomitus. Hipp. de affect. num. 3. si in aures inciderit dolor. &c. *optimum omnium pharmacum fuerit, quod in potu exhibitum sursùm pituitam purget.* & Trallianus lib. 3. cap. 9. surditati. *Quod si affectus perseneret, vomitu quoque vtendum, qui ex veratro moueri solet.* Item Hipp. 4. Acut. num. 64. & libello de Veratri vsu cum negasset potum medicamentorum, quibus aurium sonitus sunt. subdit: *Si verò medicandum esse videbitur, Veratro sursùm purga, deorsum verò non.* Celsus, *prodest* (inquit) *cui sonant aures.* Iterum Hipp. 2. de artic. 51. in fractura auris: *si homo facilè vomat, vomere debet, vt modicè exhauriatur.* & 4. Acut. tex. 86. *si verò corpus dissoluatur; vel dolor in capite sit, vel oppleta aures, &c. quodcumque horum contigerit, dabis modò hæc, neque ob potum fiant; neque ob veneres, &c.*

Cõclusio. Hactenùs inductione patuit Vomitum conuenire morbis capitis directa, & primaria indicatione, nisi quid accessorium contra indicauerit. Erit modo considerandum, cur quandoque prohibeatur vomitus, non ratione contra indicantis communis externi; sed proprij, & interni. tres autem sunt potissimi casus.

Melancholia citra indicat Vomitũ. Primus est Melancholia; Nam Rufus apud Aet. dixit. *Quadam vomitum acriùs conectantia visa sunt melancholiam accersisse.* & Gariopontus lib. 1. cap. 9. ad Maniam. *Potum, inquit, accipiant Caprinum lac cum Ellebori drac. 11. non ampliùs, nè magis paueant, aut insaniant.* Haliabbas 1. pract. cap. 12. *In morbis capitis,* ait, *colli pectoris, & costarum soluens inferiùs vtilius est vomitu; quoniam vomitus his addit passionibus persæpè in principio.* Quòd experimentis etiam confirmatur. G. Fabricius cent. 1. Epist. 4. scripsit. *Superiore æstate Saladarensis Matrona, cum Medicamentum per superiora cum violentia purgans (Antimonium fortasse existimo) sumpsisset ad insipientiam redacta fuit.*

His accedit alia Rufi auctoritas apud Aetium ser. 3. cap. 119. *Vomitus pituitam mouet, & caput leuat. conuenit Comitiali in his, quibus à stomacho initium affectionis accepit. Nam his, qui in capite affecti sunt comitiali morbo incongruus est vomitus.* Ex quo colligere est, si non conuenit comitiali per essentiam in capite, neque conuenire melancholiæ per essentiam. *Vomitus non conuenit Comitiali.*

Solutio. Respondendum, melancholiæ affectum per essentiam in capite duplicis esse generis, vel cum materia, vel sine ea. Si adfuerit materia, certè indicabitur euacuatio, & euacuatio per partem proximiorem, & supra septum: & ita vnicuiquè patet vulgò probari Helleborum, atque hoc sanatum fuisse Herculem, Prœti Regis furentes filias, & Hippocratem se accinxisse ad dandum Elleborum Democrito, si verè insanus fuisset. *Melãcholia duplex.*

Melancholici sine mat. non purgandi. Quòd si Melancholicus morbus absque materia erit, à sola dependens imaginatione, corpore per se existente alioquin sano, atque sine plenitudine, vel cacochimia. In hoc casu Helleborus periculosus erit, vt etiam in alijs corporibus sanas carnes habentibus. & ita concedimus Rufo, in simili casu, quod asserit, euenisse: simile quid scriptum reperimus à Democrito ad Hippocratem. *Si mihi velut insano, Veratrum bibendũ dedisses, prudentia insania facta fuisset, & artem tuam reprehendissent, velut qua insaniæ fuisset causa. Veratrum enim sanis datum, menti tenebras affundit. Insanis autem valdè prodesse consueuit.* & ratio patet, quia sana corpora non egent medicina, sed ab ea ægrotandi principium sumunt. & nos idipsum etiam obseruauimus, nimirùm melancholiam inceptam à falsa quadam imaginatione in corpore alioquin sano, auctam fuisse à continuatis medicamentis, & quidem aluum deijcientibus, cui postremò ex Elleboro vomitus adhibitus non contulit. *Veratrũ sanis nocet.*

Gariopontus explicatur. Ad Garioponti verba dico, aliter esse interpungenda, & verba, *nè magis paueant* coniungenda cum sequentibus, non autem cum antecedentibus: nec esse referenda ad maiorem dosim Hellebori, nam Themison ex Plinio quaternas dedit drachmas absque insania, & nocumento, & legendum. *nè magis paueant, aut insaniant, semoti iaceant in domo tenebrosa, silentium habentes.* Haliabbas autem si se opponere vellet Hippocrati dicenti morbos suprà septũ transuersum esse euacuandos per superiora valdè deciperetur; sed voluit priùs esse reuellendum ad longinqua, quàm euacuandam partem affectam. Vndè in principio cruda existente materia, & fluxione vergente ad caput vomitus persæpè nocuit. nam materia lædens non fuit euacuata; sed corpus debilitatum, & impedita concoctio. *Haliabbas declaratur.*

Fabritio respondetur. Ad Geor. Fabricium respondeo, id accidisse ratione medicamenti mineralis non rectè parati, non autem ratione vomitus, neque ob antimonium, quod rectè paratum multos sanauit Melancholicos. etenim fortasse medicamentum

ſeparauit à maſſa ſanguinea humorem melancholicum, & ipſum non euacuauit, vndè ſeparatus, & meracior factus, melancholicos peperit affectus.

Rufus obſeruatur.

Denique ad Rufum reſpondeo, falſum eſſe ſimpliciter dicere Vomitum eſſe nocuum Epilepſiæ in capite, vt oſtendam lib. 3. ſed eſt diſtinguendum, an fiat obſtructione meatuum à viſcida pituita, vel craſſa melancholia, an ob concidentiam vaſorum, & ob prauam ſtructuram capitis, vel laxitatem, & imbecillitatem cerebri, vel aliam ob cauſam, quæ inanitione curari nequeat; in quo caſu Vomitum eſſe incongruum concedimus non autem ſemper, vt ſuprà laudauimus.

Vomitus nocet oculis.

Secundus caſus eſt Oculorum paſſio; quia Hippoc. de loc. in h. tex. 21. *Vbi*, inquit, *in oculos fluxio proceſſerit, oculi inflammantur, & tument: aluum ſubducente medicamento attenuato, vitando nè Vomitum facias.* Auic. 4. primi. doc. 5. cap. 11. *Et Vomitus corpori confert; ſed viſui nocumentum facit.* Aetius ſer. 3. cap. 119. ex Rufo, *contrarij ſunt Vomitus, ijs, qui ſuffuſionem ſuſpectam habent, & in ſumma omnibus oculorum affectionibus.* & cap. 121. ex Antillo, & Poſſidonio. *incommodum in ſuffuſione imminente.* & ſer. 7. cap. 48. *Obfuſcatio accidit ob Vomitus intempeſtiuos, &c.* addam experimentum G. Fabritij Ep. 41. cent. 1. vbi refert, Mulierem viginti annorum, dolore capitis laborantem, à valido barbitonſoris medicamento ſuprà, & infrà purgante, intumuiſſe ſupra modum totum caput, faciemq. ac oculos debilitatos, vt de viſu periclitaretur. & in Vomitu læduntur adeò oculi, vt exprimi videantur, doleant, & lacrymas profundant; vndè conſulunt auctores plurimi, quos referemus lib. 8. vt ante vomitum ligentur oculi aliqua faſcia.

Solutio ex Hippocr.

Reſponſio erit facilis, & cum ipſo Hippocr. quis enim non videt vomitum prohiberi inflammatis oculis, ratione inflammationis? non nè ſcripſit libello de Veratri vſu. *Quicumque verò inflammata in principio morbi, velut in libello de Ptiſana dixi,* ideſt de Victu Acut. num. 36. *ſtatim medicamento ſoluere aggrediuntur, hi de eo quidem, quod diſtentum eſt, ac inflammatum, nihil auferunt (neque enim remittit, qui crudus eſt affectus) ea verò, quæ morbo reſiſtunt, & ſana ſunt, conſumunt: corpore verò debili fiente, morbus ſuperat, & immedicabile malum habent.* Mercurialis 2. Epid. prohiberi oculis affectis per eſſentiam; ſed malè.

Aetio reſpõdetur.

Ad Aetium Reſpondeo. Oculos in vomitibus valdè laborare, non quidem quod repleantur vaporibus, vt quidam cenſent; ſed quia, dum meninges comprimunt, coarctantque cerebrum; exprimunt ſimul incluſos oculos, vndè lacrimantur, & ex valido motu, & compreſſione, ſpiritus reſoluuntur; hinc fit, vt in ſanis quoque imbecilliores reddantur; vt retulit Auic. qui loquutus fuit de quotidianis vomitibus nimis aſſiduis. quòd ſi fuerint naturâ debiles, & ob imbecillitatem ſuſceperint fluxiones, atque inceperit ſuffuſio, proculdubio vomitu ampliùs debilitabuntur, reſolutis ſpiritibus. Sed & ex hoc videtur probari vomitibus euacuari caput. Nam ſi nocet oculis, vel replendo eos, vel vacuando. non quidem replendo, quia validi oculi fluxione, & materia vexati, quę indicet euacuationem. meliùs vomitu, quã ſeceſſu purgabuntur. & debilitas viſus ſequitur inanitionem non autem repletionem. ſi igitur vacuatio ab oculis nocuerit viſui, eo quod ſpiritus cito reſoluatur, & nutrimentum oculorum diminuatur. fatendum omninò erit, ſi Vomitus vacuat oculos, vacuare caput.

Vomitus caput vacuat.

Reſpondetur Fabritio.

Porrò, ſi obſeruauit G. Fabritius à purganti venenato læſos fuiſſe oculos, non mirum, totum etiam intumuit caput: equidem vomitu ſolo quoſdam lue venerea imbutos curaui, quibus aderat ſuffuſio, & nubecula in oculi pupilla ſpectabatur. Nec mirùm eſt lippiẽtes, de quibus Hipp. 6. aph. 17. qui ob inflammationem, & tumorem oculorum vomitum non ſuſtinent, inferna deiectione à natura iuuari, quia ſignificat fluxionem aliò vergere.

Vomitus nocet auribus.

Tertiò, & vltimo reſtat conſiderandum, an conueniat patientibus auribus, & videtur quidem nocuus. nam de loc. in hom. num. 20. in fluxione, & dolore aurium. *Medicamentum*, inquit, *potandum prabeatur, quod ſeceſſum deorſum faciat, ſurſum autem non, quando quidem vomitus non auxiliatur*; & Auic. 4. primi doc. 5. cap. 11. *Vomitus præterea cum ſuis iuuamentis plerumque affert ægritudines, ſicut quandoque generat ſurditatem.* immò ſæpè vomitui ſuccedit ſurditas, vt patet primo Epid. ægroto 5. *Circà vigeſimum vomuit biliosa, pauca, nigra, ad noctem ſurditas.* & 3. Epid. ægroto 4. *prima die vomuit biliosa, pauca, flaua primum. poſtea verò plus æruginoſa. ſecũda die ſurditas.* & 3. prorrh. 10. *Vomitus in capitis doloribus æruginoſi, cum ſurditate, & vigilijs, citò inſaniam affore denunciant.* Archigenes autem apud Gal. 3. de comp. med. loc. primo. ad aurium affectiones extra meatum ſcripſerat. *Longè verò remota eſſe debent, Vomitus, Balneum, &c.* Gal. addit. *ex violento, & multo vomitu fieri aurium ſonitus,* Deiectio autem per aluum videtur conferre. 4. aph. 28. *ſurditas bilioſis egeſtionibus contingentibus ceſſat.* & 60. *quibus in febribus aures obſurduerunt, his aluus exturbata, morbum ſoluit.*

Surditas à Vomitu.

Solutio.

Reſpondemus, auribus inflammatis ratione inflammationis non conuenire vomitum. ſed imminente inflammatione ob fracturam auris Veratro reuulſionem feciſſe Hipp. modica euacuatione materiæ fluxuræ ad caput. Hic autem dixit Hippoc. vomitum non auxiliari, quia ab inflammata parte nihil detrahit, & motu, ac concuſſione ipſam vexat. deiectorium autem non vexat motu, & reuellit fluxuram, & fluentem.

Inflãmatio prohibet motũ.

Caput imbecille læditur à Vomitu.

Ad Auic. reſpondeo, ſurditatem ſuccedrre poſt vomitum, quùm caput Natura eſt imbecille, in quo caſu nos cum Celſo ſupra prohibuimus vomitum, quia hanc acceſſit non per ſe; ſed ob partis imbecillitatem: quæ in tanto motu capitis magis læditur, quàm fortiores partes, & quùm

par-

particulæ aurium non sunt abundantes spiritu animali, qui enim paucus ibi est, ob validum motū resoluitur: sic succedit surditas. vndè Hipp. 4. Aent. 64. cit. cum negasset medicamentum in aurium sonitu, tamen concedit vomitum, si videbitur. idest vt explicat tex. 86. si non factus morbus fuerit ab inanitione, videlicet ob Veneres, ob tristitiam, ob curas, & ob vigilias, & in summa pars non fuerit debilis, & exhausta spiritibus. negauit autem surditati quoque post potum, quia morbus est per consensum à ventriculo: vndè non est dandum Veratrum ratione indicantis auris; *sed ad id*, inquit, idest ad potum in ventriculo; *curationem dirigere oportet*.

Hipp. explicatur.

Aegroti Hipp. declaratur. Ad ægrotos Hipp. Respondeo, surditatem non fuisse factam à vomitibus. primò quia non fuere violenti, sed pauci, quāuis biliosi, alioquin sequeretur Veratrum, Antimonium, &c. immò omnem lænem vomitum semper parere surditatem; sed, cum talem symptomatum concursum sequatur tandem insania, dicere quis posset, vomitum parere insaniam; quare in hoc casu dicendum symptomata enumerata esse signa, non causas. Secundò dico, quia surditas accessit, vel nocte sequēti, vel postridie, non esse referendam ad vomitum, sed ad causam vomitus.

Archigenes cum Hipp. conciliatur. Ad Archigenem Respondeo, videri primo aspectu hunc è directo se opponere Hipp. 2. de artic. 51. quia hic Archigenes ad Aures contusas, fractas, & vulneratas prohibet vomitū, proponitq. alui euacuationē. cum è contrà vomitū statim probauerit Hipp. sed hi docti ssimi viri non verè dissidēt. Nam Hipp. cōmendauit vomitum illicò, ante inflammationem, vt reuellatur materia fluere apta ad aurem dolentem. Archigenes autem loquitur de aure inflammata, quæ læditur à quolibet etiam paruo motu: ideò imperat, longè remoueri; non solùm vomitum; sed etiam clamorem, & omnem distentionem, timens etiā alterationes, quæ fieri possent ab ardore, à frigiditate, atque balneo; imperat autem abstinentiam, quietem, velamen capitis, & corporis requiem, atque alui euacuationem reuulsionis gratia; itaque ratione partis exquisito sensu præditę inflammatæ vomitum prohibet, non autem ratione situs in capite, nec quod non trahat ab auribus affectis. nam Galen. ibidem enumerans Apollonij pharmaca. *surdastri* (inquit) *contrarijs præsidijs opus habent his, qui aurium doloribus vexātur; in doloribus enim affectæ partes exquisita quiete opus habent. Surdastri verò vehementi motu, & transmutatione in contrariam et (quæ iam adest) affectionem, indigent*.

Aurés ab inflāmatione dolentes nō sustinent Vomitū.

Ad Gal. Respondeo ipsum se explicare dicendo id accidere in ijs, qui nimis exquisito aurium sensu præditi sunt.

Ad Hipp. dico. Morbos curari multis modis, reuulsione, deriuatione, & euacuatione per partem affectam, & omnibus his modis Hipp. vsum esse in morbis auriū. quòd si Natura reuulsione tantùm sanat aliquando morbos capitis essentiales non mirùm. sed in his aphorismis morbus est symptomaticus: nam cessante alui delectione sit surditas, adueniente sanatur.

Ex dictis satis patet Vomitum expurgare posse quamcumque nostri corporis partem, caput, Thoracem, Ventrem, & extrema; sed in particulari, vt cuilibet parti adhibeatur, & quibus prosit morbis lib. 3. 4. 5. & 6. à nobis tractabitur. Ventriculum certè ipsum citiùs, & tutiùs per vomitū, quàm per secessum purgari, ex eo patet, quod ab ingestis Venenis, nemo dicet per intestina potiùs, quàm per Vomitum esse euacuandum. Quod si tutò curari non videbitur alicui ob pericula imminentia ex Vomitu: nec blandè, quia vomitus semper molestior est secessu. Dicemus, non semper esse obsequendum ægroto, præcipuè cum mors imminet, & alia quoque insuauia, & ęgro molesta adhibet Medicus, vt amaras potiones, Vesicatoria, Cauteria, cucurbitulas, & partium sectiones, vt maiora pericula euitet.

Vomitus purgat totū corpus.

Cum autem Auic. prima 3. trac. 1. cap. 29. de cura vniuersali morb. cap. ait. *Vomitus verò est ex eis, in quibus non fit iuuamentum in curis ægritudinum capitis, nisi fiat propter communitatem materiei in stomacho. & melior modorum expulsionis eius est Vomitus*. Gentilis in Com. distinguit. & Vomitum à læuibus medicamentis non euacuare caput, sed stomachum ait. at à fortibus, & Elleboro trahi, & euacuari materiam à capite, & posse conferre. sed meliorem esse euacuationem deorsùm. Primò, quia est euacuatio naturæ conformior: secundò, quia non agitatur Cerebrum: tertiò, quia ad lōginqua ducitur materia: quartò, quia Vomitoria ventriculum lædunt.

Nos contrà dicimus (& probabimus cap. 10.) Vomitum præstantiorē esse ad euacuandum caput. & respondemus ad primum, Euacuationem sursùm esse naturalem, & naturæ conformem, vt aliàs dictum est. ad secundum quia exagitatur Cerebrum, ideò euacuari, vndè exagitandū vomitu. ad tertium esse contra Hippoc. qui per loca proximiora eligit euacuationem. ad quarum Ventriculi læsionem esse paruam, & facilè curabilem, ac capitis auxilium maximum.

Suprà cap. 3. inuestigauimus, an motus vomitorius Ventriculi esset Naturalis, an Animalis; videbatur dicendus esse mixtus, & primò quidem facultatis naturalis, secundariò verò animalis. deinde cap. 4. expendentes causas facilis, & difficilis Vomitus proposueramus. primò debilitatem, vel robur oris Ventriculi à structura, vel intemperie. secundò, eiusdem humiditatem, vel siccitatem. tertiò latitudinem pectoris. quartò externam Ventriculi tunicam musculosam. quintò denique inclinationem materiei sursùm, vel deorsùm: & quoniam quartam causam facilis Vomitus ieiunè admodùm ibi proposuimus, ad satietatem nunc explebimus, occasione Ventriculi cuiusdam monstruosi. Cùm enim legerim apud Aquapendentem, & Fabrum (vt suprà cap. 4. retuli) naturam quandoque lusisse gignēdo homines ruminantes bestiarum more, in quibus

Facilis Vomitus causa.

quibus motum ruminationis coactum esse volebat Aquapendens. nobis è contrà occurrit initio huius anni 1634. homo, qui Vomitum voluntariũ manifestissimè habebat, vt Romæ apud plateam Agonalem pauco dato prætio, quilibet spectare poterat. (prætio enim id cum alijs Circulatoribus in Domo quadam exercebat) Hic nomine Petrus; natione Siculus, ætate virili, & corpore robusto, ac mediocriter Carnoso, à concocto cibo (sed si post prandium vocabatur ab aliquo Principe, vt sui Vomitus specimen ederet, priùs deponebat per os omnem assumptum cibum) quùm volebat suam naturam ostendere, absorbebat 20. aut 30. aquæ cyathos magna celeritate, & reddebat eam per os, prout volebat; in magna, vel pauca copia, & maiori, vel minori impetu, nec videbatur vomere; sed facillimè ab ore aqua exibat, vt à fonte: vidi aliquando aquã eijcientem hoc modo fontis instar vltrà se 20. pedes, se tantùm comprimere pectus aiebat. Sed, vt spectaculum gratius esset, artificio quodam vtebatur. Nam, vt aquam claram potatam vomeret colore Vini, dicebant præpotare solitum extractum ligni Brasiliani, quo in Ventriculo mixto cum ingurgitata aqua, gignebatur color Vini rubei, & ita vomere vinum rubeum apparebat in quibusdam vitreis vasculis. sed cum vascula illa Aceto, vel succo Limonum perruncta erant, color ille aquæ rubicundus euanescebat, & sublutens spectabatur, & aliud Vinum apparebat, & ita multoties ludendo, & oculos oblectando spectatores decipiebat. Hæc est Historia, quæ publicè spectabatur.

Vomitus voluntarius.

Vomitus Circulatoris.

Si rationem, & internam causam quæres, sine dubio præcipua erat motus voluntarius Ventriculi, sed si huius voluntarij motus causam quis assereret multiplicitatem Ventriculorum, belluarum cornigerarum modo, tum in hoc, tum in ruminantibus hominibus, equidem non facilè assentirem. noster enim Siculus antequam aquã ingurgitaret cibum præuomebat, quia in eodem Ventriculo, ambo manere nequibant, nec cibum detrudere in alium Ventrem: faciliùs concedi posset in ruminantibus dictis, non enim implicat, Naturam tale Monstrum gignere posse. Ego autem cum imaginari nequeam dependentiam motus huius voluntarij à structura Thoracis, nec septi deorsùm comprimentis; nec à Ventriculi temperie; nec à materiei inclinatione, nec denique à simplicibus fibris simplicium Ventriculi tunicarum, quales sunt passim in cæteris hominibus. (quamuis in ruminantibus, & in Auibus, quæ cibo ingesto in ingluuie filios nutriunt, vt Columbæ, neque ingluuies, neque magnus Venter, neque cecriphalon carnosa videantur, sed membranosa) cogor aliam inuestigare causam.

Causa Vomitus Voluntarij.

Diximus cap. 4. & alibi externam Ventriculi tunicam carnosiorem esse, & inseruire ad motũ expulsiuum Ventriculi, addendum modo est, quò robustior hæc fuerit, eò validiùs suam exercere actionem. & cum robur acquirere nequeat à siccitate, vt cap. 3. contra Mercurialem diximus, reliquum est, vt id assumat à carnositate. si ergo Natura luxuriauerit producendo Ventriculi exteriorem tunicã satis carnosam, & musculosam, tunc hæc per se, & sine septi transuersi, aliorumque musculorum ope, expellere poterit, quicquid in ventriculi cauitate continetur; vndè facilis erit Vomitus. & quia musculi sunt instrumenta motus voluntarij, ob id tunica Ventriculi musculosa habebit motum voluntati obedientem: quare assere audeo Siculum dictum habuisse Ventriculum carnosum, & musculosum: cum ipse etiam toto corpore satis carnosus, & musculosus appareret. sed talia corpora rarò contingunt; non tamen consideratione indigna sunt. quod autem ad hoc caput pertinet, vbi agere proposueramus de partibus, quæ à Vomitu enacuantur, dicimus Siculum non exinanisse nisi Ventriculum; nihil enim à capite per nares, oculos, palatum; nihil à thorace per tracheam exire apparebat; non enim caput, nec thorax cogebantur coadiuuare Ventriculi motum. fit igitur constitutum ex simplici Vomitu, & per medicamenta abluentia, vel detergentia solum ventriculum exinaniri. tunc autem corpus, cum medicamentum potatum humores ad Ventriculum attraxerit. Caput verò, & Pectus, cũ commouentur ad coadiuuandũ Ventriculi motum.

Ventriculus carnosus suo robore.

Siculus habebat Ventrem carnosũ.

Euacuatio ventriculi.

Qui humores Vomitu euacuentur. Cap. IX.

PER vomitum plurima eijci quotidie spectamus, veluti assumptos cibos, potus, medicamenta, venena; nec non materiam ibi genitam, idest pituitam: interdum confluentia ad ipsum, idest humores: nec rarò videmus lumbricos per os egredi: Excrementa etiam intestinorum in volnulo, & ileo maligno, vomitu excernuntur; immò etiam pus ex vlceribus ventriculi: Denique incredibilia in effascinatis exire visa sunt, quod etiam testatur Aetius lib. 6. cap. 9. (quod caput legitur etiam in spurijs Gal. de melancholia ex Rufo, &c.) scribens Melancholicos abominabilia, & monstruosa vomere. Cæsalp. lib. de Dæmonum inuest. cap. 11. effectos se vidisse testatur per vomitum à virgine à Dæmonibus obsessa, corpora, vel magnitudine, vel forma ad huiusmodi transitum per se ineptissima, ferreos clauos prælongos, ossa, laneos globos, lapides, carbones, & alia. Forestius etiam lib. 18. schol. ad obseru. 26. & ex eo Sckenchius lib. 3. de Vomitu, pannum, lapides, ossa, & ferramenta eiecta vidit. nos autem Romæ vidimus. clauos, acus, spillas, & sardas crudas integras eiectas, & alia. sed hæc hyperphysica sunt, & ad nos non spectant. Morbosè autem (vt reor) quidam eiecere *Capillorum* veluti glomos, vt tradunt Nicol. Monard. lib. 3. de Hist. simpl. med. ex nouo orbe delat. cap. de verbena. Clusius in annot. ad eundem locum. Forestius lib. 15. Obseruat. 29. & ex his Sckench. lib. 3. de Vomitu. veluti pannũ sericum, Triuerius com.

Melancholici enomunt miranda.

Res per Vomitum reiecta.

com. 22. Aph. sec. prima. Quidam etiam eiecere *frusta carnea* per vomitum, vt testes sunt Forest. lib. 18. schol. ad obser. 19. Thom. à Veiga ad cap. 5. lib. 1. Gal. de loc. aff. do. Fridericus Trauelmã de obseruat. prop. Beniuenius cap. 88. Schkenchius, & alij. Quendam verò hydrargiro inunctũ, *argenti viui* pateram ferè vomuisse, scripsit Alex. Traianus Petronius cap. 1. lib. 5. de morbo Gallico. *Clysteres* vomitu eiectos memorant Galenus de sympt. cau. Alexandrinus annot. ad cap. 17. lib. 13. meth. med. Galen. Io. Matt. à Grad. in Almanf. cap. de Vomitu. Solenander in conf. med. sect. 5. conf. 16. & Ioan. Franc. Hildesius apud Schkench. *glandularum verò ano subditarum*, & Vomitu eiectarum meminere. Ioan. Matth. à Grad. ad Almansorem; Valleriola com. ad cap. 2. lib. 6. de cau. sympt. Gal. Guainerius cap. 2. trac. 5. practicæ. Iacobus Oetheus Lib. obs. propriarum. Schkench. lib. 3. de Vomitu.

A Nobis autem in præsenti est disquirendum, an omnes humores, an verò aliqui determinati per vomitum rectè, & vtiliter à natura, & ab arte euacuentur.

Pituita facilius euacuatur per aluum.

Pituitam quidem per vomitum euacuari consentiũt omnes, per aluum tamen fœliciùs dicunt. vndè Gal. lib. quos, & quando. *Conuenit* (inquit) *amaram bilem per superiora, pituitam per inferiora magis educere, quamuis interdum contrarium facere oporteat, si in Ventriculo pituita, in intestinis aggesta bilis consiliterit, nam atra bilis, per inferiora semper est eÿcienda.* sed ob quam causam faciliùs per aluum euacuetur pituita suo modo explicauit Gal. 2. de comp. med. loc. 1. de ÿs, qui ex stomacho caput dolent. *In ore ventris cum mordax humor fuerit amarus, pallida, & flaua bilis appellatur, quæ ob naturalem leuitatem ad ventris os sursum fertur: Cum verò pituitosus, aut acidus, aut salsus fuerit, magis in totius ventris spatio continetur, quam quod in ore ipsius firmatur. Optimum autem fuerit in fundo ventris ipsum contineri, facile enim relicto ventre in intestinum delabitur:* dixit etiam Gal. pituitam in intestinis collectam per vomitum non vacuari. & 1. de hum. 18. idem Gal. in primis autem (inquit) vomitu vtimur, cum magna glutinosorum humorũ copia ventriculo continetur, eamq. abstergere conuenit. interdum etiam vomitus non confert, vt cum ventriculus infirmus est, & totius corporis excipit in se redundantias; sed tum præcipuè vomitum imperamus cum flaua bilis in ventriculum confluat, & homo sit suaptè natura biliosus, regioq. sit calida, & ipse sit ad vomendum assuetus. Verùm Hipp. de salub. diæta 15. *Oportet*, Inquit, *sex brumalibus mensibus vomere, quia id tempus æstiuo est pituitosius, & morbi caput tentant, & regionem supra septum transuersum. At æstas vbi vigeat, vbi cataclymatis: quippe hoc tempus torridum est, & corpus biliosius, & grauitates lumbos, & genua afficiunt, calorq. vrget, præterea fiunt in ventre tormina.* mihi optimè loquutus videtur Hipp. nam Ventriculus repletus meliùs, citiùs, & perfectiùs per superiora euacuatur; nam proximior est exitus. & præterea pituita repletus rectè per vomitum inanietur, quia pituita, vel in ventriculo gignitur, vel eò fluit à capite. nec ventriculus ipsam expellere ad intestina consueuit; sed si fuerit valdè viscida semper ibi remanet illi adhærens; (etiam si cibi quotidie descendant) & ratio est, quam attulit Auic. 4. primi. doc. 5. cap. 13. *Vomitus mundificat stomachum, ipse namque non habet, quod ipsum mordet, sicut intestina habent coleram rubram, quæ ad ea descendit, & mundat ea.* præterea bilis natura sua non per se stomachum, sed intestina, vt expultricem eorum irritet ad excrementa detrudenda; & meatus est à natura factus à cisti fellis ad intestina, non autem ad Ventriculum, quòd si per accidens bilis ad ventriculum confluxerit, ipsam hic non sustinet, & ab ea ægrotat: meliùs igitur per inferiora depellitur; ideò Hipp. æstiuo tempore bilem per inferiora purgat, ne ventriculus ab ea labefactetur; accedit, quòd (vt ait Hipp.) æstiuo tempore, quando abundat ipsa bilis, ad inferiora vergere eam apparet, tum lumbi, & genua grauentur, & in venere tormina adsint; & ex eodem Coo præceptore, morbi infra septum per inferiora sunt depellendi. Sed Gal. in com. loc. cit. scriptum reliquit. quando hyeme generatur in ventre pituita, auctor nobis est, vt pituitam vomitibus expurgemus, & bilem æstate innatantem retrahamus deorsùm. verumtamen vniuersum corpus si purgare instituas æstate per ventrem superiorem, hyeme per inferiorem purgabis. sed de hoc tempore infrà exquisitè agemus, nunc satis sit dixisse pituitam commodè expurgari per superiora, & ad ipsum trahi ex quacumque corporis parte, & consentit Oribas. 7. collect. cap. 26. ex Rufo. *Purgandi* (inquit) *pituitosi per supernas. biliosi per infernas partes, ac præsertim quibus nigra euacuanda bilis est.* deinde ait: *Si quid aliud aluo impedimento est, ne facilè subducatur, tam vel maximè est pituita copiosior, ex quo fit, vt in quibus pituita redundat, vos per inferiora purgari non valdè probem.*

Vomitus pituitæ quando vtilis.

Flaua bilis Vomitus.

Pituitam Vomitu vacuat Hipp.

Probatur Vomitus pituitæ.

Ratio contra Gal.

Pituita per Vomitum purganda.

Bilis autem, quia ex Galeno natura sua tenuis est, & sursùm tendens, ac supernatans aptè per superiora euacuatur: tàm artis, quàm naturæ opere, cuiuscumque fuerit illa generis; vndè à natura fit bilis vomitus cerebro vulnerato ex Hippoc. 6. aph. 50. & in principijs accessionum bilis vomitu expellitur. præterea 4. aphor. 4. scribit Galen. rectè æstate Hippocratem purgare superiùs, quoniam, & qui tunc humor superabundat, flaua bilis est, & omninò tota natura animalis propter ambientem calidiatem magis ad superiora mouetur: quælibet autem superfluitas, eò, quò vergit, ducenda est per loca conuenientia. Sed aduertendum vomitus pituitosos non esse adeò prauos, vt sunt biliosi, qui magis ventriculum conturbant, siue sit bilis æruginosa, siue prasina, siue vitellina, siue alia quælibet amara, & acria; ventriculus enim insuetus est bilem continere, ideò ab ipsa valdè tristatur;

Bilis per Vomitum euacuanda.

Vomitus biliosi magis lædũt, quam pituitosi.

natura autem ductum struxit à vesicula fellis ad intestina; vt ad ea pertransiret bilis, non autem ad ventriculum, ideò à pura bile plurimùm vexatur ventriculus. hoc docuit Hippoc. 3. prog. tex. 38. *Vomitio autem vtilissima est, quæ pituita, ac bile permista quàm maximè est, & non crassa valdè, neque multa, syncertores enim deteriores sunt. Si verò vomitio fuerit porracea, aut liuida, aut nigra, quicumque ex his fuerit color, malum esse censendum est. Si verò idem homo omnes vomit colores, exitiale admodum iam est. Ocissimam verò abolitionem indicat vomitio liuida si graueolet. Omnes autem sub putres, & fœtidi odores in omnibus vomitionibus mali.* Concludamus nos per Vomitum omnia bilis genera euacuari aliquando criticè, aliquando symptomaticè, aliquando etiam à medicamento, sed semper cum molestia.

Vomitus bilis puræ malus.

An Melãcholia rectè vacuetur per Vomitum.

Nec dubium est, quin humor Melancholicus per vomitum possit expurgari; sed an legitimè expellatur quæritur. Et quidem natura eum per os deijciens malè semper operari videtur, siquidem in prognosticis Hippoc. *Vomitus*, ait, *vtilissimus est, qui pituita, & bile mixtus est maximè*, deinde subdit, liuidum, aut nigrum colorem esse prauum, sed Melancholia est tali colore. & 4. aphor. 21. *Deiectiones nigræ, qualis est sanguis niger sponte venientes, siue cum febre, siue sine febre, pessimæ, & quanto colores magis praui fuerint, plures, peius: cum medicamento verò meliùs, & quanto colores plures non praui.* non intelligit hic (ex Gal.) bilem nigram exquisitam, acidam, & corrodentem; sed sanguinis fœcem, Si igitur à medicamento eijcietur talis humor, atque etiam varij coloris excrementa nimirum crocea, viridia, æruginosa, & nigra non timendum, sinceras autem excretiones detestandas esse docuit Hipp. præterea 4. aphor. 22. *Morbis quibuslibet incipientibus, si atra bilis, vel supra, vel infra exierit, lethale.* & aphor. 23. *Quibuscumque ex morbis acutis, aut diuturnis, vel ex vulneribus, siue quouis alio modo extenuatis, nigra bilis, siue vt sanguis niger desuper exierit postridie moriuntur.* igitur si expurgatio atræ bilis, mala est inferius, peior erit superiùs. & Ruffus apud Galen. melancholicis vetat validos vomitus, nam iubet Hipp. vt per inferiora euacuentur. 4. aphor. 9. *Melancholicos autem pleniùs per inferiora, eadem ratione contraria apponentes.* Sed dixit Hipp. pleniùs, seu fortiùs relatiuè per inferiora, ita vt non excluserit superiorem euacuationem: sed melancholicos vult parùm esse euacuandos vomitorijs, & multùm deiectorijs. Gal. in com. docuit, quia hic humor natura est grauis, & declinans ad inferiora, per aluum, euacuandum ipsum esse. quod concedimus esse commodiùs, non tamen superna purgatio inepta iudicanda est ad euacuandum humorem melancholicum; nam lien se ipsum quandoque expurgat per vomitum, vt dixi. & vtiliter excerni per Vomitum melancholicum humorem videmus dato Elleboro, & alijs vomitorijs ad Melancholicos, lienosos, &c. Sed aliter potest Hippoc. interpretari. *pleniùs*, idest fortiùs, indicat medicamenta ad expurgandum humorem melancholicum à liene per secessum debere esse fortiora, quàm quæ purgant bilem ab hepate. nam cum hepar habeat ductus ad intestina non ad Ventriculum, faciliori medicamento vacuabitur per intestina, quàm per Vomitum; contra cum Lien sedes Melancholiæ non habeat ductus ad intestina, sed ad Ventriculum faciliùs attrahetur ad Ventriculum, quã ad intestina, vndè si voluerimus expurgare per secessum melancholiam fortiori remedio erit opus, quàm ad bilem, contra si bilem per Vomitum.

Sincera Melãcholia vomitu reiecta mala.

Hipp. declaratur.

Sanguis etiam per vomitum sæpè reijcitur multiplici de causa; necnon etiam à medicamẽto in Hypercatharsi. Hipp. autem 4. aph. 25. ait: *Sanguis quidem supra, qualiscumque fuerit, malum: infra autem nigra deiecta, bonum.* & 7. aphor. 37. *Quicumque sanguinem vomunt, sine febre quidem, salutare est, verùm cum febre malum.* Galen. in com. 4. aphor. cit. Deiectio, inquit, per os semper est mala, qualiscumque fuerit is, qui excernitur sanguis, hoc est, siue spumosus, siue rubeus, siue flauus, siue niger, siue aquosus, siue crassus, meliùs si infrà deijciatur: deijcitur tamen per os sanguis quandoque suppressa aliqua consueta euacuatione, vt menstruorum, &c. non omninò inutiliter. præterea Hipp. in Coacis prænot. fol. 581. *Est etiam lethalis ruber Vomitus, & maximè, si eum necessitate dolorosa vomatur.* & paulò post: *Purgationes valde rubicundorum, nigrorum à Veratro, malæ sunt, & cum talibus exolutio mala. A Veratro vomere rubicunda, spumosa, pauca, prodest: facit tamen duritias, & suppurationes magnas abducit. sunt autem hi, qui talia vomunt aliàs, & pectus dolorosi, & in rigoribus exsudantes, & testes intumescunt, quod si contigerit insuper rigent, & gracilescunt. Frequenter per eadem recidiua vomitoria, circa iudicationem nigrorum vomitum faciunt.* & ex his satis ostensum esse credimus per Vomitum omnes purgari posse humores. Auicen. 4. primi d. 5. cap. 4. *Ex humoribus quoque est, qui est velocioris obedientiæ vomitui secundum plurimum, sicut cholera; & ex eis est, qui vomitui rebellis existit, sicut melancholia, & ex eis est, qui inter hoc, & hoc est medius, sicut phlegma.* Costæus in com. & cap. vlt. *Vomitus quoque*, inquit, *multoties fit difficilis propter humoris subtilitatem: ipse igitur est incrassanatus ptisana, & granis granati.* quod accidere crederem vomentibus Elleboro, quod euacuat crassum, & relinquit subtile, & reperiẽs humores attenuatos, difficiliorem facit vacuationem.

Sanguis Vomitu reiectus.

Vomitus omnes humores purgat.

An

An materia cruda per Vomitum euacuari possit. Cap. X.

DEFINIENDVM hoc capite à nobis est, an in vomitibus excitandis à medicamento, sit expectanda, & expetenda humorũ concoctio. & de materia quidem actu in Ventriculo existente, nemini dubio esse debet, statim euacuandam esse, nulla expectata concoctione, vti Venena ingesta, ac cibi multi, & corrupti: exemplo rerum in ipsis intestinis contentarum, quas statim euacuamus clysteribus, vel etiam cænotico, vel eccoprotico medicamento; illud Galenus 4. de san. en. 3. & alibi sæpè docuit, hoc vsus obtinuit.

Vomitus quãdo statim adhibendus.

Quòd si crudi humores sint in primis venis, cum lassitudine vlcerosa, prohibet vomitum Gal. 4. de san. tuen. cap. 6. *Haudquaquam* (inquit) *in eiusmodi affectibus vomitu vtendum suaserim, sicut nonnullis est visum, tum Gymnastis, falsis (vt opinor) ex ijs, quæ à Philotimo, & Praxagora de eiusmodi succorum curatione sunt scripta. non enim si cum lassitudinum affectu abundant: sed eum soli infestant, vomitus eos expellunt. quippe eum nullum periculum fit, ne intrò violentius reuellatur aliquid eorũ excrementorum, quæ in carne constitere, quemadmodum certè est, cum ambo redundant, & in primis venis cruda. & in solidis mordacia, caueri enim in talibus satius e'st vtrumque reuulsum, & foràs crudorum, & intrò mordacium.* Hic quidem negat euacuationem crudorum non ratione sui: sed lassitudinis adiunctæ. & 7. meth. 11. scripsit. *Quibus lenta pituita ventriculo est infixa, ijs prius adhibenda sunt, quæcumque hanc dissecent; post deinde purgandum: quod si ad vomendum sunt idonei, non inutile sit per radiculas ex oximelite vomere: sin verò nec lentus humor sit, nec crassus, vtique abundè sit à ptisana solius cremore, vomuisse, item à mulsa, quo casu sumendum vtriusuis plus est, quàm vel nutrimenti, vel etiam deiectionis causa sumeretur.* hic Galen. lentam pituitam dissecat, & præparat ad Vomitum. Atque vult Gal. vomitum contineri sub illo Aphorismo. *concocta medicari, &c.* in com. 2. aph. 9. quod si negligatur difficiles ait vomitus succedere, & cum molestis accidentibus. & primo de Crisib. 8. Vomitus à principio si appareant, nunquam per crisim ægritudinem finiunt. prætcrea materiam crudam nunquam mouendam vult Galen. Actuar. 11. meth. c. 7. *coctus ne humor sit, an crudus.* inspiciendũ est, quòd si crudus fuerit, congruis medicamentis coctionem moliri oportet. sin autem ism coctus est, & exitum sollicitat, perpendendum est sursùm ne, an deorsùm vergat; atque illac educendus. Attamen Hippocratem non adeò austerum in vomitibus agnosco, siquidem in debilibus, vomitibus nunquam coctionem quærit, nec præparationem concoctoriam adhibet. immò Elleborum validissimum vomitorium dat prima die, in qua ex Galeno nunquam adest concoctio. vt 3. de fract. 48. & 2. de fract. 27. nec vnquam quærit hanc concoctionem; imò lib. de Diæta, & de Insomnijs exhibet Elleborum ad præseruandum nullo dum existente noto morbo: neque vnquam ad præparationem Vomitus vtitur medicamentis, quæ dici possint concoctoria, sed pluribus cibis (qui potiùs cruditatem augent) fomentis, & balneis, (quæ cruditatem non concoquunt) quare aphorismus ille non est cum Galeno interpretandus.

An crudi tas Vomitum prohibeat.

Lassitudo non crudi tas vomitum prohibet.

Materiam cruda non est enacuãda nullibi.

Hipp. Cruda per Vomitũ educit.

Dixit autem Hipp. Aph. 22. sect. 1. *Concocta medicari, atque mouere, non cruda, neque in principijs, modo non turgeant, multa autem non turgent.* qui locus etiam 2. de hum. 15. positus omnes ferè huc usque Medicos torsit, vexabitque magis, si cum Galeno explanabitur. Quare hoc loco dicemus sermonem fecisse, vel de humoribus, vel de morbis, vel de excrementis, vel de omnibus. dicimus enim quandoque morbos crudos cum Hipp. 4. acut. 22. & 2. progn. 31. sed obseruauit M. Cagnatus etiam homines quãdoq. dici maturos, vel crudos, & acerbos metaphoricè, sed de his non potest intelligere Hippocr. At de Veteri med. 34. Humores quoque appellauit crudos, vt etiam fecit id 7. Epid. 32. Excrementa etiam concocta vocantur sæpè ab eodem: sputa quidem crassiora ex Galeno. Vrinæ autem crudæ dicuntur ab Hippocr. 2. progn. 34. & 4. acut. 44. ac de iudicationibus: Excrementa etiam cruda appellat Galenus, quę aquosa dixit Hipp. 2. progn. 20. & cruda etiam vocauit 7. aph. 64. Galenus: idem sunt igitur crudi, & cocti morbi: crudi, & cocti humores, cruda, & cocta excrementa. Verum in hac diuisione, non omnes morbi, nec omnes humores; nec omnia excrementa continentur. sed adsunt etiam inter hos neutra. Nam cum dicatur crudum, illud, quod concoqui aptum natum est: de hoc loquitur Hipp. at id, quod coctioni ineptum est, non potest dici crudum; haudquaquam enim ligna, lapides, ac metalla dicimus cocta, aut cruda. nam igne non concoquuntur, sed vruntur, vel calcinantur, ac liquantur. igitur qui morbi, qui humores, quę excrementa sunt inepta ad coctionẽ, cruda non debent dici. nam cruditas, vt dixi, supponit aptitudinem ad concoctionem. concocta igitur ex Hippoc. sunt medicanda, & mouenda non autem cruda. de illis verò, quæ non possunt cõcoqui, nec sunt cruda, non loquitur Hipp. hoc loco. at si per *non cruda*, vt aliqui volunt, intellexisset, quæ non habent aptitudinem ad coctionem dixisset *non cruda, & concocta medicari*, non autem postposuisset. quare de ijs non loquitur, quæ, vt dixi, non habent aptitudinem ad cõcoctionem. quod si per *non cruda*, vt alij censent, intellexisset semicocta, quæ non possunt dici, neque cruda, neque cocta, coincideret, & idem esset ac dicere *non cocta*. & hoc modo *non cruda* essent neutra: vt hæc semicocta, quamuis ante coctionem non sint euacuanda, tamen videntur esse mouenda, & alteranda, vt coquantur.

Quid sit crudum.

Quæ sunt inconcoctilia.

Hipp. non loquitur de ineptis ad coctionem.

Absurda expositiones.

at quæ

at quæ non sunt cruda, erunt cocta, & Hipp. idem replicaret, meliùs est ergo dicere, inconcoctibilia non includi aphor. dicto. proinde iurè excipiunt Manardus, Altimarus, Fonseca, Saluisclanus, & alij, Pestilentem materiam, & Capinacceus materiam venenatam. nam coctioni inepta sunt. cócedo autem Trruerio, P. Crispo, & alijs, venena alexipharmacis propriè curari; sed non concedam ipsorum substantiam esse retinendam in corpore, donec euincatur ab Alexipharmaco; nā qui Venena curant, sine dilatione vomitu vtūtur, vt lib. 6. afferemus. præter quæ debent etiam excipi omnes illi morbi, qui nec crudi, nec cocti dici possunt. Propriè autem Abscessus, tumores, inflammationes, & feb. quę ab internis inflammationibus, & suppurationibus ortum ducunt, cruda, vel cocta appellantur. non autem Diariam, nec Ethicam feb. neque simplices inflammationes, & intemperies, nec malam compositionem, immò nec lapides in renibus, & Vesica, nec vermes, & huiusmodi, quæ à materia non dependent. Vndè possumus dicere *concocta medicari, & mouere*, idest apostemata matura secare. & si interna fuerint euacuare. *non autem cruda* & dura, ac renitentia. *neque in principijs nisi turgeant.* idest, si mollia sint, & superficialia, ac eleuata. *multa autem non turgent*. dura siquidem sunt, & digitis tacta non mouentur, nec cedunt: turgeant etiam oportet, idest vt eleuata sint, & commostrent locum ruptioni aptum. in febribus verò crudis, quæ coctionem admittunt idem erit obseruandum. pariter in excrementis, quæ cruda inutiliter euacuantur. Dixit autem Hipp. *multa autem*, seu plurima *non turgent*. nam cū loquatur de morbis, de humoribus, & de excrementis, non hęc omnia habent turgentiā. sine per *turgeant* intelligamus humores, qui mouentur, transfluunt, & titillatione ægrum molestant, vt vult Galenus, & mat. turgere dicitur sect. 4. aph. 1. & ita soli humores turgebunt. vel intelligamus affectus humoribus repletos, qui quærūt exitum; vt animalium ad venerem incitatorum pudenda turgent, & lacte mamillæ, & in vlcere pus 3. de frac. 18. vel denique excrementa turgētia intelligemus, qua autem ratione alui excrementa, vrina, & sputa cruda turgeant in principijs morborum, intelligere nequeo. nisi dixerimus fluitare, & vexare modo hanc, modo illam partem. sed fortasse turgere humores, & excrementa aptè dicere possumus, quùm sunt propè exitum, & excretioni parata, vt sunt in intestinis contenta; sic materia cruda in principijs morborum, si turgeat, seu resideat in intestinis, medicamento potest conuenienter, & tutò purgari, non autem si est remota ab exitu, & partibus fixa, & in porositatibus, ac carnibus ipsis posita, pariter, si vomitus includetur in dicto aphor. vt censuit. Gal. dicemus humores crudos turgentes, idest in ventriculo firmatos, seu ad ipsum vergentes, statim expellendos, vt bilis æstate: vel si fluxio ad aliquam partem feratur, semper vomitu reuellandam esse, & vacuandam.

Quæ sunt matura.

Quæ turgeant.

Turgent in intestinis.

Humores verò inepti, vt concoquantur, quocumque tempore expelli possunt, veluti extremè putridi, maligni, ac venenati. Pituita etiam putrida, acida, salsa, vitrea, & crassa mihi videtur inepta ad concoctionem, huiusmodi enim non dicitur ab Hippoc. cruda: quod Galen. fatetur 4. de san. tuen. cap. 3. *Recipit verò non omne excrementum alterationem à natura, nec omnibus in vnoquoque concoquitur: quod igitur alienum est, nulla fieri ratione potest, vt naturæ gratiam recipiat; sed educere id quamprimum est tentandum: æquè ac quæ corrupta in ventre prorsus sunt, expelli vomitione, vel deiectione est optimum*. ita etiam scripsit 2. de diff. feb. cap. 5. *Natura vtens suis viribus, quod bonum fieri potest conatur partibus assimilare; quod verò malum, & alienum quamprimùm expellere. quod si Hydropicorum humores, & similes post coctionem euacuare voluerimus, numquam educemus, quia nunquam concoquentur*. Sed vt plurimum cruda videtur vocare, quæ sunt iustò tenuiora, siquidem sputa, vrinas, & alia excrementa cruda tunc appellat, quùm sunt nimis tenuia. ideò scripsit de alui excrementis 2. prog. 16. *Corpulenta reddatur deiectio, morbo eunte in iudicationem, oportet*. & Galen. consentit loqui de tenui deiectione. nonnè concoctio sit incrassando? sed quid concoctio apud Hipp. alibi explicauimus.

Quæ sunt cruda.

Galenus autem conatur adaptare excrementa, & humores crassos, inter cruda, sed cogitur dicere hæc ampliùs concoctione crassefaciendā non esse; immò potiùs attenuanda. dicens autem excrementa crassa esse cruda, contra Hipp. loquitur, & contrà veritatem, quoniam nimis crassa sputa, crassi humores, atque crassa alui excrementa sunt potiùs nimis cocta, quàm cruda. & quùm dicit crassa esse attenuanda, & concoctio fiat incrassando, ista attenuatio erit contraria coctioni. proindè ad euacuationem in præsenti Aphorismo non prærequiritur ab Hipp. attenuatio, sed à Galeno.

Gal. excrementa crassa vocat cruda.

Hipp. non attenuat.

Sed quæso considerate contradictionem. Humores tenues. atque tenuia excrementa ex Hippoc. sunt cruda. & ex Galen. humores tenues sunt, ij, qui turgere solent. hos euacuat Galen. nō expectata coctione: crassos verò, qui ex Hipp. sunt cocti, attenuatione Gal. concoquit. quod videre est lib. quos, & quando. vbi, *siquidem (inquit) inter initia morbi tenues, & aquosos humores euacuabis*. Fallop. etiam, & alij homores ante coctionem euacuari permittunt. at contrà in purgationibus tenuitas molesta est Hipp. existente enim vrina tenui non purgat. 4. de Vic. acut. 45. *Quibus principio vrina, & nebulosa, & crassa existunt, hos, annuentibus cæteris, subpurgare conuenit: quod si vrinæ inter initia tenues fuerint, tales non purgabis*. sputa etiam tenuia, & alui excrementa voluit esse incrassanda. Gal. autem per cruda contrario modo intelligit, vt primo aph. 24. *Qui multa cruditate laborant, quique tenaces, aut crassos cibos assumpserunt, inepti sunt ad purgationes. Hæc itaque abesse oportet, humores autem quam maximè fieri potest,*

Oppositio inter Hipp. & Galen.

Tenuia non purgat Hipp. sed Gal.

Gal. crassa attenuat.

test, esse fluxui paratos, hoc est tenues, & nullum lentorem participantes. & aperta esse foramina, per quæ debet purgatio fieri, & nullam habere obstructionem. Nam & nos ista ante paramus, cum quempiam sumus purgaturi, & hoc est, quod in Aphor. dixit. Corpora vbi quis purgare velit oportet fluida facere. Verùm in acutis morbis circa principia statim, vel circa primam diem, vel non vltra secundam, si sumus vsuri purgantibus medicamentis, quando turgent, non datur facultas ista præparandi, nisi quis fortè arripiat occasionem propinandi melicratum, in quo decoctum sit aliquid Hyssopi, vel Origani, vel Tragorigani, vel Thymi, vel Pulegij, siue quid huiusmodi, vim habens humorem extenuandi. Hic nulla Galeno fides habenda; nam omnia hæc sunt contra Hippocratis mentem, cuius agit interpretem. siquidem primò crudos tantùm videtur appellare humores tenaces, & crassos: coctos verò tenues, & non lentos; contrarium certè illius, quod de tenuitate sensit Hippocrates. Nos quidem crassos, & pituitosos esse crudos concedimus, non tamen habere posse turgentiam illam, quam intelligit Galenus, cum sint inepti ad motum: soli autem biliosi tenues in acutis turgent. deinde malè interpretatur Hippocratem de corpore fluido: quùm Cous intelligat per *fluida* humefacta, & ipse talia reddat pluri cibo, & potu, quiete, ac Balneis, non autem attenuatione, & inedia, vt clarius lib. 8. explicabimus. Galenus autem transfert ad humores attenuandos, & membra fluida facere quærit decoctis rerum calidarum, attenuantium, omninò oppositè Hippocratis sententiæ. Recentiores autem ex hoc Gal. loco vsum suorũ Syruporum præparantium sumpserunt; sed & ipsi, nec Galenum sequuntur: nam syrupos refrigerantes propinant de Cicorea, de Boragine, de Endiuia, de succo Acetosæ, de succo Citri, de Adianto, Violaceum, Rosaceum, Acetosum simplicem, quæ an habeant vim concoquendi iudicet Lector.

Gal. per corpora fluida intelligit humores tenues.

Syrupi concoquentes Gal.

Galen. refellitur.

Quomodo Hipp. reddat corpora fluida.

Vsus Syruporum.

Quòd autem Aphor. 22. citato non comprehendatur Vomitus, clarum mihi videtur. nam scripsit Hippoc. *φαρμακεύειν*, quod alij interpretantur medicari, alij euacuare, alij purgare. & multi commentatores cum Galeno, vt dixi, sursùm, & deorsùm euacuare intelligunt. ego solam infernam purgationem velle opinor. nam eandem sententiam referens 5. Epid. n. 25. & 7. Epid. nu. 32. *subpurgare ventres* scripsit. quo constat in citato aphor. non loqui de vomitu, sed de inferna purgatione. & ratio nobis opitulatur, quia quò natura vergit eò ducere oportet; sed concocta deorsùm vergunt, cruda verò sursùm, ergo eò ducenda. siquidem concocta crassiora sunt reddita, ideò grauiora, & ob id deorsùm tendunt. cruda verò, quùm sint tenuia, & eleuata sursùm tendũt à natura. vndè in principijs accessionum vomitus insurgunt, in declinatione verò aluus subducitur. non igitur concocta materia per Vomitum est ducenda. & nobis suffragatur Doctissimus P. Martianus, tum lib. de hum. tum aphor. 22. sect. 1. qui ex Hippoc. lib. de hum. num. 2. colligit supernas eruptiones coctas esse malas. quod confirmatur ex Hippoc. 5. & 7. Epid. cit. *Subpurgandi ventres in morbis: vbi purganda concocta fuerint, inferni quidem, vbi considisse videris. signum habes si non anxij fuerint, neque capite grauati, & quùm calores mitissimi, & quùm post exacerbationes cessarint. superni verò, in ipsis exacerbationibus: sunt enim & hi eleuantur, quùm anxij, & grauati supernis partibus fuerint. propterea verò in principijs purgandum est,* (lego affirmatiuè, idest sursùm cum Martiano, nam 2. aphor. 29. in principio purgat) *quoniam sua sponte in his temporibus expurgantur.* vel negatiuè cum alijs, idest deorsùm in principijs non esse purgandum, quoniam sua spontè sursùm purgantur, & materia sufficienter per se mota nõ est irritanda, currenti enim equo non sunt adhibenda calcaria, & quæ integrè iudicantur sinenda sunt, & nimis irritaretur Natura mota ad Vomitũ dupliciter, in principijs per se, & per Medicinam. nec deorsùm, quia auerteretur motus naturæ. vbi clarè docet vomendũ quùm humores eleuantur, infra deijciendũ, quùm sunt concocta.

Vomitum non includi Aphor. 22.

Probatur concocta non esse educenda per Vomitum.

Vomitus cruditatum mali.

Hipp. cocta purgat inferiùs.

At dices Hippoc. velle subpurgandam concoctam materiam per superum ventrem. Respondeo. si Vomendum in exacerbationibus, & in principijs cum materia est eleuata, & turget, ac vrget, hæc non est cocta: ergo coctam infrà, crudam suprà purgat.

Nos autem si exactè Hippocratis mentem inuestigauerimus, reperiemus in vomitibus non respicere coctiones; sed præparare corpus ne lædatur à nimio motu in fortibus vomitibus: nam in læuibus nulla vtitur præparatione, cum ea opus non sit. Præparat autem corpus humectatione, quia corpus humidum, est fluidum, & facilè cedit trahenti, nec est periculum, quòd disrumpatur. Elleborus enim quia à proprietate attrahit crassa, magnas parit distentiones: ideò Hippoc. præhumectat corpora, nè lædantur, non autem attenuat humores, etenim Elleborus proprietatem non habet attrahendi humores tenues. cum autem violenter crassos trahat molesta fit euacuatio, siquidem ob id alia medicamenta, quæ tenues humores euacuant, multò minùs sunt molesta: si ergo Elleborus inuenerit multa excrementa crassa, in corpore humido, & quod facilè cedit, sine molestia euacuabit. contrà si humores fuerint iam attenuati, multò molestior fiet vomitio: nam cum non adsint humores crassi, quos appetit Elleborus, non contentus attenuatis, quæret illos paucos crassos, qui latentes sunt, & in pauca quantitate; ideò dissoluit corpus, & nocet. & hoc est quod scripsit Hippoc. *Elleborus sana corpora habentibus periculosus*, nimirum, quia cum non reperit humorem requisitum, eliquat corpus: si ergo humores tenues abundauerint haudquaquam Veratro vtemur.

Corporis præparatio.

Cur molesta euacuatio Helleb.

Elleb. non trahit humores attenuatos.

In deiectionibus autem per aluum, non vtitur Hippoc. præparatione vlla, neque pluribus cibis,

bis, neque balneis: sed tantùm quiescere permittit, & Naturæ munus expectat, ea enim est, quę cõcoquenda concoquit: nec in principio potest Natura concoquere, sed determinato tempore opus habet, aliquando citiùs, aliquando tardiùs. id Plato in Timæo, & docuit, & probauit hac ratione. *Omnis morborum constitutio animalium naturæ quodammodo similis est: sanè Animalium compositio ab ipso generationis exordio certis temporum curriculis terminatur, idq. & genus vniuersum patitur, & Animal vnumquodque ab ortu fatale viuendi spatium in seipso exceptis necessarijs passionibus, continet. Etenim trianguli ab ipso initio singulorum vim possidentes, vsque ad certum tempus sufficienter ad vsum vitæ cohærent, vltrà id vita nemini prorogatur. Idem quoque constitutionis modus languoribus cõuenit, quos si quis citrà fatalem temporis cursum pharmacis amputare contenderit, ex paruis ingentes, ex paucis multi euadere consueuerunt. Quapropter diligentia victus corrigendi, & gubernandi sunt morbi, prout cuique datur otium, neque difficile, infestumq. malum pharmacis instigandum.* Hic Plato non vult morbus ante fatale tempus à natura determinatum esse medicamentis commouendos, vt v.g. Acuti nonnisi post decimumquartum. nam hi concoquuntur; & iudicantur intra quatuordecim dies, & hoc est tempus illis fatale, quare sinendum erit, morbos concoqui, & quia *Natura morborum medicatrix*, ipsa coctionem efficit, calidis, atque quiete iuuatur, ideò est sinenda. Plato autem diligentem victum tantummodo adhibet.

Natura concoquit.

Omnia ex Platone habent tempus fatale.

Ad coctio vt Victus sufficit ex Platone.

Quòd si materia apta quidem Natura sua ad coctionem turgeat, quia nimirum, vel loco moueatur, vt Galen. explicat, statim est expellenda, ratione enim loci, concoqui nequit. Hippoc. namque 2. in 1. Epid. *Quæcumque*, inquit, *concoqui oportet conclusa esse conuenit*. ergo materia vagans, & in motu non poterit concoqui. Quod si materia turgeat, quia, secundùm aliquos, sit multa, & copiosa, & ideò cedens medicamento, etiam si rarò accidat; tamen quamuis fuerit in principio morbi, permittit Hippoc. euacuationes ob maius periculum imminens. Si verò turgere dixerimus eam materiam, quę prope exitum est (vt in arboribus, & similibus, à quibus nomen turgentiæ desumptum est, prope exitum, quod turget spectatur) materia in intestinis collecta, statim medicamento tollenda erit etiam in principijs morborum. At si materia fuerit natura inconcoctibilis, & quæ coqui nunquam possit; quia de hac in cit. aphor. non loquitur, permittit Hipp. vt euacuemus, quando libuerit; nam semper tempus est.

Mat. turgis, quia mouetur non potest coqui.

Mat. quo cumq. modo turgis vacuãda.

Concludamus tandem in Vomitu ciendo non esse expectandã concoctionem, vt in alui purgatione; hi enim motus cum sint contrarij non debent vna lege contineri, sed omninò opposita, nam; vt sursùm motus opponitur motui deorsùm, ita motus sursùm conuenit in principijs morborum, & in principijs accessionum, & in materia cruda, motus vero deorsùm in declinatione morborum, in declinatione accessionum, & in materia concocta, & de hum. n. 3. paribus diebus deorsùm, imparibus sursùm. similiter fortibus ægris Vomitus, debilibus alui deiectio conuenit. læuis materia sursùm ducenda, grauis deorsùm, qualis est concocta. nec valet obiectio, quòd in hypostasi probatur. quòd sit alba, læuis, & æqualis. & primo prog. 42. pus optimum simile etiam dicitur. nam soluit Galen. 2. prog. 36. omnia, quæ deorsùm inuebuntur in vrinis, vtilia sunt, & quantò magis subsident deorsùm tantò meliora habeantur. Quod igitur exquisitè concoctum, secretumq. est, æquale, ac similare, vt potè nullum habens flatum, in fundum descendit vasis vrinam continentis: quod verò permistum est aereo quodam, & vaporoso flatu, id subductum ab eo, quod proportionale sit quantitati subducentis, minùsq. & magis sursùm fertur. verùm concocta ex Hipp. esse crudis grauiora patet, quia coctione, Vrinæ, sputa, narium mucus, oculorum, & alui excrementa crassiora redduntur, Gal. etiã teste 2. prog. & 1. de humor. crassa autem tenuioribus esse grauiora nemo negabit. at crassa infrà ducenda, læuia verò sursùm docuit etiam Gal. 9. de vsu part. cap. 1. Accedit, quòd Hipp. lib. de hum. num. 2. videtur vituperare Vomitus, quibus excernantur simul cocta, & cruda. quùm cocta non sint per superiora euacuanda, vt etiam aduertit ibi Martianus. & subdit Hipp. *maturatio descensus eorum, quæ infrà sunt redundãtia, & fluitatio eorum, quæ supra*, idest concoctione descendunt, vt grauiora, concocta, & infrà sunt purganda. & cruda, & turgentia, quia læuiora, & sursùm vergentia per superiora purganda. nec differt Martianus in com. *Quæ sunt concocta* (inquit) *per inferiora expurgantur; quæ verò redundant in corpore, & quantitate molestant, & perturbant, per vomitum potiùs educi solent.*

Vomitus, & alui deiectio motus contrarij.

Cruda sursum, cocta deorsum.

Concocta grauiora.

Cocta non sunt euacuanda sursum.

Dices, igitur in omnibus morbis licèt vti Elleboro quolibet tempore? Vomitum concedam, elleborum non: etenim vomitus conceditur in quolibet morbi tempore, etiam in principio accessionum, quo tempore nullum aliud conceditur medicamentum, immò neque etiam alimentum, tam in morbis acutis, quàm in longis, & à quolibet humore, dummodo adsint conditiones aliquæ requisitæ. Elleborus autem non conceditur, nisi extremis morbis, & longis, atque à materia crassa, non autem in Inflammationibus, neque in febribus, cum hæc sint de genere inflammationum, in quibus non purgat caput. Hipp. 4. de vict. acut. 21. & 22. atque etiam de med. purgantibus.

Obiectio.

Responsio.

Elleborus prohibitus.

Hic autem possumus determinare vtrum pręstantior sit euacuatio per Vomitum, an verò per secessum. & dicemus Vomitui maiorem fidem habuisse Hippocratem; deiectionibus verò infernis Galenum, vt patet ex eorum scriptis. siquidem Vomitus curat magnos morbos citiùs & certiùs, & requirit tantùm quandam corporis, & Ventriculi præparationem. At alui deiectio

An præstatior sit euacuatio sursù, an deorsùm.

Modus.

Vomitus citò, sub. purgatio iucundè curat.

ctio totiùs, & iucundiùs: sed tardiùs curat, & præsequirit humorum, seu morborum coctiones. Præterea in euacuando viscida potentior est vomitus, ac in euacuatione ventriculi: quo ad partium situs expressè vult Hipp. sexcenties, partes

Situs.

supra septum transuersum supra; infrà hunc, subtùs, meliùs euacuari; quoad motum humorum

Motus.

si sursùm ferantur, suprà, si deorsùm infrà cómodiùs, & faciliùs ducuntur. Sed in reuellendo fluxiones ad inferna, vomitus conuenit: ad superna, alui deiectio. vel ergo Vomitus deiectioni præstat, vel æquiualet, virtute. solùm obijci potest vomitum esse molestum, & quandoque cum periculo aliquarum partium, ac non ita naturæ assuetum, & familiarem. sed molestia nihil nos tardare debet; periculum euitabimus si corpus prius præparauerimus, & quibus imminet periculum, non exibuerimus. Medicamenta autem, quæ simul, & semel sursùm, ac deorsùm euacuant, quibus etiam quandoque vtitur Hipp. in euacuando, mihi videntur multò perfectiora, quàm sola deiectoria, & minus molesta, quàm sola Vomitoria. sed in reuellendo non videntur quicquam memorabile posse. sed præter dicta Vomitum esse præstantiorem alui deiectione videtur docuisse Hipp. de victu Acut. & de Veratri vsu. *Neque medicamenta* (inquit) *danda sunt decoloratis, raucosis, lienosis, exanguibus, spirituosis, & siccum tussientibus, siticulosis, flatuosis, & his, qui præcordia, & latera, ac dorsum distenta habent, & torpentibus, & obscurè videntibus, & quibus aurium sonitus sunt; & vrinæ meatus impotentibus, neque item morbo regio laborantibus, aut ventre debilibus, aut his, qui sanguinis eruptiones, aut tubercula habent. Si verò medicandum esse videbitur Veratro securus sursùm purga, deorsùm verò non. Optimum autem his est victus rationem constituere.* Hic Hipp. enumerauit affectus, qui euacuationem non ferunt. sed optimo victu sunt curandi: quòd si tamen aliquod vacuandum visum fuerit, concedit Hipp. experimentis, & rationibus suffultus magnus magister supernam euacuationem, vetat autem infernam, ergo præstantiorem, & tutiorem iudicauit supernam euacuationem, & nos ne à tanto præceptore discedamus, cum eo sentiemus.

Vomitus deiectione præstantior.

Obiectio.

Solutio.

Medicamenta sursum, & deorsum vacuantia perfectiora.

Vomitus præstantior deiectione.

Conceditur Vomitus non deiectio.

Obiectio.

Dices 2. Hipp. nũ dat elleborum cruda existente materia. nam lib. de Veratri vsu. *Quicumque* (inquit) *inflammata in principio morbi, velut in libello de ptisana dixi, statim medicamento soluere aggrediuntur, hi de eo quidem, quod distentum est, ac inflammatum nihil auferunt. neque enim remittit, qui crudus est affectus, ea verò, quæ morbo resistunt, & sana sunt consumunt. Corpore verò debili fiente, morbus superat, & immedicabile malum habent.*

Responsio.

Respondeo, optimam esse Hippocratis doctrinam, & in inflammationibus frustra tentari euacuationem, idest ante fatale tempus, iam suprà docuimus. ob id, neque Elleborus, neque aliud medicamentum est dandum. sed quando dicimus crudam materiam esse Vomitu euacuandam non includimus inflammationes, in quibus humores sunt inclusi, & euacuationi inepti; sed de alia materia extra inflammatam partem. Præterea supradictis adhærentes dicimus concocta inflammatione neque conuenire Elleborũ, sed infrà deiectorium. & Hipp. ibi videtur esse loquutus de inflammatione iecoris, & cum per ipsum euacuatio debeat fieri, ea omninò est prohibenda in tali casu ratione transitus excrementorum per partem affectam, sic inflammatis intestinis prohibetur deiectio per medicaméta; inflammato Ventriculo, Vomitus; inflammatis renibus, diuretica; inflammato Vtero menstrua educentia non sunt assumenda.

Post coctionem non conuenit Elleborus albus.

Fernel. 3. meth. cap. 12. Si corruptus vitiosusq. humor, aut in ventriculo, aut circa hunc consistere signis deprehenditur, siue pituitosus, siue biliosus, siue alio quouis præter nat. genere corruptus sit, primo quoque tempore expurgandus est, præsertim si impetu quodam spontè mouetur, neque locis illis tenacius adhærescit, alioquin leniter est præparandus: eius verò concoctio haudquaquam est expectanda, vt quæ propriè futura non est, neque eius ab vrinis mutatio quærenda. Qui autem vitiosus humor altiùs, aut in liene, aut circum pancreas, atque iecur, aut in mesenterio conditus erit, siue lentã febrem, siue intermittentem, siue melancholiam, siue diarrhæam, siue cachexiam, siue ingentem obstructionem protulerit, protinus quoque detrahi potest, nisi aut admodum lentus, crassusq. sit, aut ventriculi impuritas obsistat. Hæc enim quùm adsunt primum quidem leuiter detergendus est ventriculus, deinde attenuandus, ac detergendus humor, postremò, aut vniuersè, aut particè vacuandus.

Quo Anni tempore Vomendum. Cap XI.

IN morbis longis (vt qui dent inducias) eligenda sunt tempora ad euacuationes commodiora. In acutis verò nihil cunctandum, quia *Occasio præceps.* & vt tradidit 4. aphor. 10. *Medicari in valde acutis, si materia turgeat, eadem die, tardare enim in talibus malum.* ideò cum tempus habemus in nostra electione, quæritur, quod anni tempus sit in Vomitionum, ac Veratri exhibitione eligibilius; nam variè auctores sentire videntur.

Aestate Vomendum.

Plinius videtur sensisse Aestate potiùs dandum Elleborum. *Nam Aestate* (inquit) *potiùs, quàm hyeme dandum, non est in dubio.* videtur Hipp. id confirmasse 4. aphor. 4. *Medicari æstate superiores magis, hyeme verò inferiores.* & Galen. in com. Rectè, inquit, æstate purgat superiùs, quoniam, & qui tunc humor superabundat, flaua bilis est, & omninò tota natura animalis propter ambientem caliditatem magis ad superiora mouetur. Qualibet autem superfluitas, eò, quò

vergit,

vergit, ducenda est per loca conuenientia. lib. de humorib. initio, & sic etiam natura ipsa operatur, quam imitari debemus. vndè 3. Aph. 2. scriptum est: *Aestate accidunt Vomitus, &c.* & in com. scribit Galen. Vomitus bile per summa natante fieri. Auic. etiam 4. primi doc. 5. cap. vlt. asserit. Aestatém esse tempus vomitui conuenientius. & Haliabbas. 1. pract. cap. 12. *Tempus autem, quo maximè exhibendus est Vomitus est æstas. hoc enim tempore liquefacti sunt humores, & natant in stomacho.* Oribas. 7. collect. cap. 26. ex Ruso. hyeme, & æstate si inanire cogaris; hyeme per inferiora, æstate per superiora, & contrà etiam quàm materia vergat, id facies. nam reuellere in quibusdam est melius, aliàs verò, qua materia vergit, euacuabis, præcipuè cum recedit, neque vtiliter, neque moderatè vergit, in cæteris contra erit faciendum.

Gal. 3. de remed. fa. parab. 166. ex Basil. Icto Melitinoto. *At Iulio mense, & Augusto te per biduum vomere oportet, vtrumque: quoniam per diem vnicum stomachus purgari non potest.*

Auicen. 3. primi doc. 5. cap. t. *Aestate si potuerit Vomet.* & 4. primi d. 5. cap. 4. *Hippocrates quoque*, inquit, *qui fuerit macer, & fuerit naturæ, cui vomere sit facile, melius erit in mundando ipsam. & ad vomitum adducatur, & vt fit hoc in Aestate, aut Vere, aut Autumno, & non in hyeme; quod si sibi euacuatio, quæ fit Vomitu necessaria fuerit, vsque ad æstatem expectet.*

Recentiores autem ferè omnes cum Galeno sentiunt Aestiuum tempus vomitibus aptius, vt repetit etiam Galen. 1. de hum. com. 12. Hippoc. etiam lib. de affection. nu. 13. in febre forti æstiua. *Si bilis, aut pituita ad cor* (idest os Ventriculi) *consederit, aqua frigida, aut aqua mulsa pota vomant. si verò venter non secesserit, clysteri vtendum.* deinde num. 15. ad dolores in æstate circa ventrem, seu præcordia, & cor à pituita. *Aquam mulsam aquosam facito, & aceti tribus heminis affusis, tepidam bibendã dato, & vbi modico tempore ipsam retinuerit; & igne, ac vestibus concalefactus fuerit, vomat. Si verò à vomitu rursùs accesserint, ac suffocauerint: rursùs vomitum faciat.*

Vomitus prohibitus æstate.

Sed contrà est primò Hippoc. ipse de salubri diæta num. 5. *At æstus vbi vigeat, vti cataclysmatis: quippe hoc tempus torridum est, & corpus biliosius, & grauitates lumbos, & genua afficiunt, calorq. vrgit, præterea fiunt in ventre tormina, quare corpus oportet refrigerare, & quæ eleuantur, deorsum ab his locis subducere.* & 3. de diæta num. 5. scribit: *Aestate vomitibus, nisi si qua repletio contingat, vtendum non est.* Celsus autem lib. 2. cap. 12. Elleborum æstate non rectè dari, affirmat.

Gal. totũ corpus purgat æstate per Vomitum.

Sed Galenus noscens hanc contradictionem, sic eam soluere conatur. *Vniuersum corpus* (inquiens com. de Diæta cit.) *si purgare institutas, æstate per ventrem superiorem, hyeme per inferiorem purgabis.* & rationem tradere conatur, quia æstate corpus totum per Vomitum est euacuandum, tunc enim abundat bilis, quæ ob læuitatem natura sua sursùm fertur: siquidem purgatio instituenda, quò vergunt per loca conferentia. & subdit: *Quoniam hyeme generatur in ventre pituita, auctor nobis est, vt pituitam vomitibus expurgemus, & bilem æstate innatantem retrahamus deorsum.* vult ergo Hippoc. ex mente Galeni æstate totum corpus per vomitum esse purgandum, at si obsistere velimus, per contraria loca esse retrahendum. ideò primo de humoribus 11. subiungit, perspicuum esse, vomitum interdum accommodatè adhiberi ijs, qui vomere soliti sunt: interdum verò consuetudinem esse interrumpendam; si igitur in ventriculum flaua bilis confluat, homoq. sit ea natura, vt amara bilis in eo coaceruetur, regioq. calida sit, & vitam laboriosam, atque ærumnosam homo degat, is assuefaciendus ita est, vt bilem priùs, quàm cibum sumat, euomat; si verò malum inde ortum sit, quòd multum vini à balneo ante cibum velit bibere, tum & vomendi consuetudo omittenda est, & de potus, deq. pastus copia est detrahendum, ventriculus enim propterea factus imbecillis totius corporis redundantias in ipsum confluentes excipit, & quamuis Hipp. hic fateatur humores sursùm ferri, tamen in contrarium ducere conatur.

Vt reuellatur bilis.

Elleborũ non esse dandum æstate.

Mihi autem videtur cum Celso, Elleborum non esse dandum æstate, quia non abundant humores crassi, sed tenues, quos non respicit Elleborus; prætereà ex Hippoc. 4. aphor. 5. *sub cane, & ante canem difficiles sunt medicationes.* & Galen. optimè in com. inquit. Nam & exusta tunc natura nostra non fert eam, quæ à medicamentis purgantibus prouenit, acrimoniam. Quare plures quoque purgati hoc tempore incidunt in febres, & natura ob æstum imbecillis, magis expurgatione dissoluitur. sed & purgatio hæc parua fiet, cum calor aeris ambientis in partem trahat extrinsecam, contrariam ei, ad quam medicina ducit humores: sicut enim Balnea calida natura apta sunt obsistere purgationibus, sic & calor æstatis, tunc præcipuè cum se ipso vehementior extiterit. Non erit igitur æstate opportunus Ellebori vsus, neque etiam aliorum validorum vomitoriorum, etiam biliosorũ: sicut in febribus quoque Elleborus improbatur. sed cũ breue sit Ver ex Hipp. vt mox dicemus, & longa æstas, concedi poterit Elleborus in principio æstatis, & hoc videtur voluisse Plinius, & alij cit. concedenda autem solummodo vomitoria læuia. vndè Hippoc. de affect. num. 15. *Quicumque verò alij dolores in æstate circa ventrẽ fiunt, siquidem ad præcordia, & cor tenderint, &c. vomat.* non tamen vomitus, quamuis læuis, multum erit frequentandus, quia cum materiam biliosam ad ventriculum ducat, iam per se ad ipsum vergentem, ac tunc temporis ventriculus ob calores sit imbecillis, non est efficiẽdus cloaca omnium superfluitatum: nam bile repletus, & cibos corrumpet, & inappetentiam, & sitim patietur, præter alia incommoda. Igitur

Aestate difficiles purgationes.

Vomitus læuis æstate conuenit.

tur

tur æstate humor natura sua sursum vergens, ne lædat ventriculum, & caput (membra pituitosa) deorsum est reuellendus, ex decreto Hippoc. de sal. diæta, num. 5. immò simul etiam euacuantur partes sub septo transuerso affectæ, per secessum. Etenim si vult Hippoc. partes supra septum esse superiùs euacuandas, & è contrà; hic autem quia pituita afficit superiora, esse per vomitum euacuandam, sequitur æstate bilem per inferiora esse euacuandam; quia inferiora lædit, vt patet ex Hipp. scribente de salub. diæta nu. 5. *Quum verò æstas, ac calor fuerit, infusis vtendum est, hora enim hæc æstuosa est, & corpus biliosius, & lumbi, ac genua grauantur, & calor oboritur, & in ventre tormina fiunt.* At dices. si hoc est, sibi contradicit Hipp. quoniam subdit: *Quapropter corpus perfrigerare oportet, & quæ in sublime eleuantur, infernè subducere ex istis locis*. nam si æstate laborant partes sub septo transuerso, quomodo humores *in sublime eleuantur*?

Bilis deorsum reuellenda.

Bilis æstate sursum fertur.

Dicendum bilem æstate sursum ferri natura, quia tenuis, quia calefacta, quia eleuata, & ebulliens, ac fermentatur. sed quum à natura destinata sit ad fluendum ad intestina, & per inferna purgari, (habet enim ductum natura fabrefactum à vesica fellis ad intestina, non autem ad ventriculum) tamen, quia æstate copiosior est, & non solum intestina plus solito vrget; sed etiã ad ventriculum fertur, ita in sublime attolli dicitur. Medicus autem hæc considerans nè sursum tendat ad ventriculum æstate, iustâ bilem euacuare tentat; sic præseruat ventriculum ab imminenti fluxione bilis. contrà, si actu bilis vexat ventriculum æstiuo tempore, curandi gratia per vomitum erit expellenda. cum Aphor. 4. sect. 4. præterea, quia æstate partes sub septo læduntur à bile, euacuari, & curari debent per partem proximiorem: ideò æstate euacuatio bilis per aluum curatiua erit partium inferiorum; & præseruatiua, ac reuulsiua partium superiorum. Aphorismum autem Hippoc. 4. quartæ sect. explicamus, dicentes Hipp. sermonem esse de bile tantùm, quæ æstate per superiora, quo vergit, est vacuanda; igitur æstate licet præbere læuia Vomitoria euacuantia bilem, non autem valida, neque pituitam sursum ducentia, vt Elleb. quicquid dicat Plin. nam cæteri auctores citati intelligunt læues Vomitus ad bilem, quæ fluit ad Ventriculum, ducendam. at Hippoc. quandoque visa fuit nimia fluxio deorsum reuellenda ad intestina magis consueta recipere bilem, quàm ventriculus, nec acceptandus Galen. est, vniuersum corpus æstate per Vomitum purgans, ob allatas rationes.

Bilis deorsum euacuanda.

Vomendū Hyeme.

Hyeme verò danda esse Vomitoria, atque Veratrum, ex eo probari potest, quòd Hippoc. de salubri diæta num. 5. *Sex Brumalibus mensibus vomere, quia id tempus æstiuo est pituitosius, & morbi caput tentant, & regionem supra septum transuersum.* & 3. de Diæta nu. 3. *Hyeme vtendum vomitibus si humidiores sint ter in mense, sin sicciores bis, à cibis omnis generis.* & 2. de morb. num. 68. Morbus pituitosus. *& alidis, atque alidis, maximè tamen Hyeme à lenticula decocto vomat.* Celsus etiam lib. 1. cap. 3. *Vomitus vtilior est hyeme, quam æstate. Nam tum pituitæ plus, & capitis grauitas maior subest.*

Oppositum legitur 4. aph. 4. *Medicari æstate quidem superiores, hyeme verò inferiores.* Auic. 3. primi, doc. 5. Hippoc. abhorret Vomitum in Hyeme, & videtur ei, quòd in æstate fit bonus, quoniam humores in æstate sunt natantes, & in hyeme ad subsidendum declinantes, ipsum ergo imitentur, & aphor. 6. *Graciles, & facilè vomentes purgare superiùs, cauentes hyemem*. ecce Hipp. quamuis sint facilè vomentes, hyemem tamen cauendam vult, ac si alijs temporibus, nimirum Vere, Æstate, & Autumno vomere possint. deinde Aphor. 12. *Quorum alui intestinorum lauitate laborant hyberno tempore suprà medicari malum*. Galen. in com. ait, vel est humor tenuis, vel pituitosus. Pituitosus quando adhærescit intestinis, nunquam est per superiora purgandus. tenuis autem quamuis per superiora debeat purgari, non est faciendum hyeme. & commento de salubri diæta cit. docet, hyeme si ventriculum à pituita expurgare velimus, quam tunc temporis solet multam coaceruare in se, vomitu vtendum; si verò totum corpus, euacuandum per inferiora. Sed quare in facilè vomentibus caueat hyemem, & in difficilè vomentibus caueat æstatem. Galenus non explicauit. crederem in facilè vomentibus, & gracilibus, quia biliosi sunt, non esse excitandos vomitus in hyeme, quia cum in ijs non abundet pituita, sed bilis; ex vomitu euacuaretur bilis, quæ hyeme non est euacuanda; sed æstate. vel euacuaretur pituita, quæ in his naturis non est euacuanda. At in difficulter vomentibus, & benè carnosis cauenda æstas in purgationibus inferioribus. non quidem eò quòd æstiuo tempore inferior purgatio illis nocere possit; sed quia æstate etiam medicamentum deiectorium quandoque vomitum prouocat, quod illis esset valdè molestum, ob naturalem difficultatem ad vomitum. in summa concedit Galenus Hyeme Vomitum ad euacuandum repletum ventriculum, vel ad reuellendum ab inferioribus partibus; quare vomitus læues omninò permittendi, Vomitus autè fortis, veluti ab Elleboro, sicut æstate ita etiam hyeme expressè prohibetur à Cor. Celso lib. 2. cap. 13. cui omninò assentiendum est, si valida fuerit hyems; sed si temperata, hyeme potiùs, quàm æstate ego exhiberem, tunc enim adest copia pituitæ crassæ.

Non Vomendum Hyeme.

Hieme bilis non est educenda per Vomitum.

Cur Hipp. caueat hyeme in facilè vomentibus.

Cur caueat æstas in purgatione deorsum.

Septal. lib. 4. caut. med. num. 10. pro Vomitu vniuersali cauenda hyems, quod crassi humores tunc exuberent, & viæ non sint apertæ, corporisq. compages densior fit, quàm vt locum humoribus attractis concedat, difficillimam reddunt eam actionem; secus est si vacuare humores per se in ventriculo natos tentaueris: frequentius enim id præstare debemus hyeme ex Hippoc. quoniam pituitæ metropolis Cerebri ob ac-

ob aeris frigiditatem maximè pituita abundat, vndè defluxus illius ad pectus, & ventriculum: ideò vomitus hyeme magis conueniunt blandis ijs auxilijs, quæ nauseam promouendo partem illam solam possunt euacuare cum Galen. 5. de vsu part. 4. At si hepate se exonerante, bilis recipiatur in ventriculo, quod ex amarore linguæ, & alijs conspicitur, quouis id anni tempore eueniat, euomi potest, licèt frequentiùs id eueniat æstate.

Autumno vomendũ.

Autumno purgari posse inferiùs, & superiùs ostendi potest eò quod vomitum ipsum Hipp. non prohibuerit. 4. aph. 4. & 6. vbi in vomitibus cauet tantùm hyemem. At de Elleboro propinando, idem 2. de mor. num. 53. in Erisipelate pulmonis. *Et Vere, & Autumno Vomitus inducatur.* Celsus etiam *Optimè Verè, tollerabiliùs Autumno.* & Aretæus de Elephant. *Veratrum quolibet tempore dare; sed potiùs Vere, atque Autumno.* Oribas. ex Ruf. 7. collec. cap. 26. & Galen. 1. de hum. 12. ijsdem verbis post Ver, laudant Autumnũ, *is enim sæpenumero circa Vergilias constitutionem veri parem sortitur; vt quidam non ægrè purgentur, & id opportuno tempore faciant priùs, quàm æstiua excrementa ab hyeme excepta condensentur, & corporibus infigantur.* Oribas. loco cit. etiam ex Ruso. *Autumno, & Vere, per quàm partẽ videatur, educere conueniet.* Haliabas primo pract. cap. 12. Medicamina autẽ vomitum prouocantia sumenda minimè sunt, nisi Vere, & Autumno, his enim duobus temporibus validiora sunt corpora ad ferenda medicamina, quæ inaniunt fortiter. Autumno concedit Vomitum etiam Aetius serm. 3. cap. 125. cum his sensit Paulus lib. 1. cap. 53. *Nihil autem mali fuerit post æquinoctium* (scilicet autumnale ad 6. vel 8. Kal. Octobris) *vacuationem ex commemoratorum aliquo tentare* (scilicet vomitu, purgatione, aut Venæ sectione) *ne aliquid superfluum in corpore retentum hyeme facessat negotium.* At præ cæteris Autumnum eligendũ esse pro Elleborismo, videtur colligi ex Theophrasto de Hist. plant. lib. 9. c. 11. *Affirmant* (inquit) *candido pecudes vesci, atque hinc primo vim deprehensam cum illo pecudes purgarentur tempestiuius Autumno, Vere autem intempestiuius.* Experientia igitur videtur docuisse Vomitum iuuare magis Autumno, quàm Vere. Præterea Autumno fiunt longi morbi, quibus Veratrum conuenit, non Vere; Accidit etiam vt Autumno aer sit æqualis non valde calidus, neque frigidus, ideò minùs molestæ purgationes.

Autumno vtiliùs Veratrum.

Contra Vomitũ autumnalẽ.

Sed obstare videtur Diocles in Epist. ad Antigonum Regem. *in æquinoctio Autumnali, vomitum rarissimè esse tentandum.* Præterea Hipp. 4. aph. 9. *Melãcholicos autem pleniùs per inferiora.* & Gal. in com. ait. quia hic humor ad inferiora declinat, fortiùs per inferiora purgandus. Ergo, si humor melancholicus, qui Autumno abundat, per inferiora est detrudendus, vomitus non conueniet Autumno. Auic. 3. primi doc. 5. Autumno meliùs est abstinere à purgationibus, quidam etiam vetuerunt, ne Vomitus in Autumno fiat, quoniam ad febrem perducit. Theophrasti autem locus est suspectus, siquidem Autumno folia albi ellebori non extant: nam flore producto æstiuo tempore exarescunt. sed verè, & æstate vigent.

Autumno vomitus cõuenit.

Sentiendum tamen Autumno conuenire non modo læues vomitus: sed fortes quoque, atque etiam Veratrum ipsum. ægrotantium enim vires sunt robustæ, neque resoluuntur à nimio æstu, nec à gelu: cum aer sit ferè temperatus, nec in contrarium adducta vim faciunt. siquidem Diocles intelligit Vomitum ad sanitatem tuendam, & ad præcauendos morbos, non autem ad eos curandos. & ratio est, quia eo tempore naturaliter in Ventriculo non viget bilis, neque pituita; melancholia autem tunc abundãs ob grauitatem deorsùm vergit. Hipp. autem ob eandem causam, & quia difficile per Vomitum expellitur, frequẽtiùs, & fortiùs per inferiora, dixit, esse expellendam. & comparatiuè loquens, non excludit superiorem inanitionem: sed cum abundat circa ventriculum, eique molesta est, nec aliter expelli potest, per Vomitum omninò erit purganda, & si opus fuerit etiam medicamento valido: quia morbi ex Hipp. ea parte; quà sunt proximi educendi. Teophrast. autem videtur posse intelligi de principio Autumni, in quo ellebori folia, & caules etiam vigent, nec omninò marcuerunt, in montibus præcipuè altis, & frigidis, vbi serò florent plantæ.

Melancholia fortiùs per inferiora.

In Vere vomitus.

Ver autem exquisitum, & optimum esse vomendi tempus ex fortibus Emeticis, videntur omnes fateri. & primò quidem Hippocr. ipse 1. de Diæta circa finem. *subfuriosos conueniens est etiam Verè veratris purgare.* & 3. de Diæta. 4. in Verè vtendum vult, *vomitibus primùm quidẽ quarto quoque die, deinde per longius tempus.* & 2. de Morb. 15. *Si aqua in cerebro fuerit Vere, vbi ipsum priùs purgaueris, primùm Veratro, &c.* & in Tabe dorsali nu. 49. *Optandum autem fuerit, vt Vere hanc curationem aggrediamur.* & nu. 53. in Erisipelate pulmonis, *& Vere, & Autumno Vomitus inducatur.* & de Affect. 21. *Splenici in Vere sursùm per Veratrum purgentur.* Gal. 1. de hum. 12. *purgationes verno tempore sunt optimæ quod excrementa hyeme collecta eaueunt priùs, quàm calor exuperans ea moueat, ac perturbet.* eadem omnia verbatim refert Oribas. ex Rufo. 7. collec. cap. 26. consentiunt Celsus, Aretæus, & Haliabas supra citati. Paulus lib. 1. cap. 53. *Vere autem ineunte, alius Vomitu, alius per aluum euacuari debet, alius sanguinis demissione prout cuiusque cõsuetudo, & voluntas fuerit.* Aetius autem ser. 3. cap. 125. *Tempus vernum* (inquit) *aptissimum est ad sumendum Veratrum, deinde Autumnus. Aestas incongrua est, & nimirum hyems quoque nisi valde magna vrgeat necessitas. Et tunc hyeme quidem, qui valde calidum temperamentum habent aptiores sunt. Aestate verò senes.* Auic. 3. primi doct. 5. initio. *in Vere propriè Vomitus prouocandus est.*

Dicimus etiam ideò Veratrum dandum Vere,

quia

Cur Vere vomendum. quia tunc planta germinat, tunc etiam vires validiores habet radix ipsa siccata, etiam post multos annos (nota Cabalisticam) sicut enim in Pulegio (teste Plinio lib. 2. cap. 41. & lib. 18. cap. 25. & lib. 19. cap. 8.) florem brumalibus diebus vidimus, suspensa in tectis, & carnarijs arenti herba: ostēdente natura se plantas exiccatas, nonquam dereliquisse, sed eo tempore moueri, & incrementum virium capessere, quo viuentes vigebant. sicut etiam scilla domi appensa, quolibet anno statuto tempore folia, & caules emittit. sed sapienti pauca.

Conclusio. Statuamus nos quolibet anni tempore conuenire Vomitum leuem, tam ad euacuandum Ventriculum, quàm ad reuellendum eò infernas fluxiones. Validum verò, & per fortia medicamenta Vere, & Autumno esse excitandum, vt commodè, & sine molestia totum euacuetur Corpus. Auer. 7. coll. 4. scripsit. *Neque debet euacuari tempore æstatis, nisi ducat ad hoc necessitas magna, propter siccitatem magnam temporis, & caliditatem ipsius, & quia acquisiuit ægritudini complexionem similem complexioni suæ. Neque sumenda est medicina tempore hyemis: eo quod humores sunt duri illo tempore. Et Medici laudauerunt pharmaciam Vere, & Autumno, quia humores non egrediuntur, vt plurimùm tempore Autumni à natura, nisi in qualitate solum. Homines verò, quos non cogit ad sumendum medicinam nisi conseruatio sanitatis, sumere debent postquam pluerit, eo quod pluuia frangunt siccitatem illius temporis.* Addo ego, si ad Veratrum requiruntur corpora fluida, hæc talia non sunt in sicco, & calido cæli statu. Ergo. Corpora autem fluida facit Hipp. cibo, potu, & quiete, non siccitate, & caliditate.

De Syderum, Ventorum, & aliorum consideratione. Cap XII.

PRAETER Anni tempora, alia quoque occurrunt in morbis, & ipsorum curationibus obseruatione digna, præsertim verò circa Vomitus, & alui deiectiones: & sicut anni tempora 4. superiùs allata pendent ab accessu, & recessu solis; ita etiam à positu Lunæ nonnulla obseruanda occurrunt. Ergo omnium maximè (& si Hipp. id reticuerit) Lunæ aspectus timendos esse censemus, nimirum Pleniluniuм, & Nouilunium, vt in his diebus à medicamentis caueamus; quandoquidem vidimus nos tres ægros leuiter affectos ex solo pota Melius rof. solu. ad vnc. iiij. his diebus sumpto, post 4. horas interijsse, & alios multos obseruauimus dicto tempore à medicamenti potu malè affectos, multùm vexatos, & cum difficultate, anxietate, & molestia purgatos; sine conscientia, & tollerantia. non benè igitur Orib. 8. collec. cap. 1. ex Archig. *Vomitus a cana Luna desinente cientur.* & iterum repetit Vomendum: *sub Lunam desinentē.* neque Cardanus de malo medendi vsu c. 24. Medicos iurè reprehendit, sic scribens: *Vigesimusquartus error est, cum Luna radiationes in exhibendis pharmacis vitant: nam cum ducere volueris Elleborum, mouere corpus dixit Hippocr. cum verò Luna cum Sole coit, vel radiationem inijt, mutantur tempora manifestè, quia Elementa, & humores agitantur. Igitur bonum est, tunc medicinam exhibere: in coniunctione, corpus repletum purgabis, in quadrato post oppositionem purgabis meliùs, post venam incides.*

Lunæ post tio consideranda.

Error Cardani.

Cum igitur volueris rectè operari, facies illud hora aspectuum, maxima cum vtilitate, cauebis tamen tria. primum quod dies illa non sit Critica, vel vetita ratione naturali. secundum, quod æger non sit nimium debilis, nè si moriatur alia causa, culpent te. tertium congressus Luna cum Saturno. vel Marte, quod si hora radiationis cum Sole, Luna, Ioui, vel Veneris societur, optimum erit purgare, vel minuere, vt placuit Galeno 3. de dieb. decret. in principio. Sed decipitur à sua Astrologia Cardanus, quæ etiamsi delectabilis scientia sit, quia tamen fallax nimis est, & ab Ecclesia iterum, atque iterum damnata. nobis Medicis sufficiet sola Hippocratica astrologia. Nequaquam igitur humores ab Astris agitati commouendi amplius sunt Elleboro, vel alio forti medicamento, vt censuit Cardanus. Namque alia est commotio corporis, alia verò commotio humorum. Vt autem faciliùs ab Elleboro purgetur corpus, Hipp. mouet corpus, exemplo motus Nauium, qui Nauseam, atque Vomitum excitat: sed cum non moto corpore, humores ipsi mouentur, agitantur, feruent, medicamenta fortia, vt Elleborum omninò negat, læuia verò vix concedit in febribus. immò etiam vetat in diebus imparibus, ob naturalem humorum motum. & scribit 4. de morbis 21. eos, qui commotis humoribus medicamenta sumpserunt mortuos esse.

Astrologia refellitur quæ est Iudiciaria.

Humores ab astris agitati nō mouendi.

Imparib. diebus nō vomendū.

Solenander sect. 5. consil. med. num. 2. in artritide. *Faciliùs succedet si cieatur in diebus istis, cum Luna in signo aliquo reperta fuerit ruminante, quale Taurus, & Capricornus est.* hæc Astrologia est fallax, quia Vomitus, & ruminatio non est idem, nec ruminantia dicta vidi vnquam vomere, multos enim ventres habent, ideò ruminant, non vomunt. sed quæ vnico tantum sunt prædita ventriculo, vt homo, vomunt. nimirum Canes, Feles, &c.

De Luna in signis ruminantibus.

Sed quia Ethesijs spirantibus plerique Medicorum tempus esse aptum ad propinandum Elleborum censuerunt, ducti Hippocr. verbis in Epistolis. ideò de Ethesijs pauca addere mihi fuit visum necessarium. Itaque Hippoc. in Epist. ad Damagetum daturus Helleborū Democrito scripsit: *Adhortabar ipsos, vt considerent, tamquam fortasis nihil esset mali, aut si quid esset, medicum id esset, & correctu facilè consisit horis anni Ethesijs.* Hic autem Hippocrates vel dicit, parum, vel nihil mali adesse, quia spirarent

De Ethesijs.

rarent Ethesiæ : sed ob Ethesias esse correctu facilè. & ratio est, quia Ethesiæ modò spirant, modò non. Hippoc. num.2. 10 1.Epid.4.scripsit:

Quid sint Ethesiæ.

Ethesiæ perpetuò spirarunt. & t. in 1. Epid.7. & 3. in 3. sexto. *Ethesiæ pauca, parua, sparsim spirarunt*. Ethesiæ autem ventus est aliàs dictus Aquilo, teste Plinio lib. 18. cap. 34. *Aquilo* (inquit) *mollit sidera æstate media, mutatque nomen. & Ethesias vocatur*. cum igitur non spirant Ethesiæ, æstas austrina est, atque squallidas inde sequitur Autumnus morbosus, vt patet locis Hippoc. citatis. præterea lib. de aere, aquis,

Ethesias ventus salubер.

& loc. nu.26. *siquidem circa Canis exortum accedat aqua, ac tempestas, & Ethesiæ spirauerint, spes est cessationis, & autumnus salubris fiat, sin minus, periculum est, ne pueri, & mulieres moriantur*. Ex quo etiam texto patet Ethesias spirare circa Canis ortum. quod etiã confirmat Arist.2. meteorol. c. 2.

Quando spirant Ethesiæ.

Ethesiæ autem flant post versiones, & Canis ortum, & neque tunc quando maximè prope fuerit sol, neque quando longè, & diebus quidem flant, noctibus autem cessant. Plinius autem lib. 18. cap. 28. & ex eo Scaliger de subt. exerc. 47. *Decimo octauo Kal. Augusti Ethesiarum prodromi flatus incipiunt*, qui cum quadraginta dies spirẽt *quinto Kal. Septemb. desinunt*. vt ait c.31. præterea scribit lib. 2. cap. 47. *ardentissimo autem æstatis tempore exoritur Canicula sidus, sole primam partem Leonis ingrediente, qui dies decimusquintus ante Augustas Calendas est. Huius exortum diebus octo fermè Aquilones antecedunt, quos Prodromos appellant. Post biduũ autem exortus, ijdem Aquilones constantiùs perflant diebus quadraginta, quos Ethesias vocant. Molliri eis creditur vapor geminatus ardore syderis, nec vlli ventorum magis stati sunt*. Sed hoc etiam notandum Ethesias non in omnibus Regionibus ab

Ethesiæ variant locum.

eadem parte spirare. vnde Plinius loco mox citato. *In Hispania, & Asia ab Oriente flatus est eorum, in Ponto ab Aquilone, reliquis in partibus à meridie, spirant autem, & à Bruma cum vocantur Ornithia, sed lentiores, & paucis diebus*. Scaliger autem loco cit. *Hic in Vasconia eos nunquam sensimus: sed Austros tum crebros, tum perniciosos. Quin etiam in ora Carnorum ad Adriaticum eorum nullum sensum cepi: sed potiùs Subsolanos, qui secundo Sole flant, vt loquitur Nigidius, idest vt obseruauimus, Solem comitantur*. Ex quibus patet, cum benè spirant suo tempore Ethesiæ, idest media æstate, & exorto cane, calorem æstiuum minui. ob id Hipp.2. in primum Epid. 4. *Aestas non admodum fuit feruens, Ethesiæ perpetuò spirarunt*. inde etiam Tempestas salubrior. nam ex Plin. lib. 2. cit. *Saluberrimus omnium Aquilo*, & ex Hipp. de aere, aquis, & loc. allato, patet, Ethesias salubritatem afferre.

His positis ad Hipp. dicimus, ipsũ horas Ethe-

Hipp. explicatur.

sias non intellexisse æstiuum tempus esse aptius ad elleborum potandum, vt aliqui censuere, quãuis dixerit æstate per superiora purgandum. Nam contrà est, quia ante Canem, & sub Cane difficiles purgationes, & præcipuè validissimæ, quales ab albo Veratro: imò etiam dicere potuisset, se confisum Caniculæ exortu, æstiuo tempore, &c. idem enim sunt. sed memorans Ethesias, aliquid

Sub Cane non conuenit Vomitus.

de illis particulatim docere voluit, scilicet quia, & si nec Vernũ tempus erat, in quo meliùs conueniebat Veratrũ, nec Autumnale, in quo etiam tollerabiliùs. sed Æstas erat, & Canicula, in qua Veratrũ dare non conueniebat: tamen quia casus Democriti vrgebat, & Abderitę Hipp. cõuocauerãt dicentes, *citò adsis*. & ipse Dionisio scribit: *ad me venire festina, per summam enim necessitatẽ abeundum est mihi in Abderam*. & Damageto scribit. *Vrget res ipsa, vt valdè citò in Abderam nauigem*. Cum igitur Canicula prohibeat Veratri potum, tamen, quia spirabant eo anno multùm Ethesiæ, quæ calorem mitigabant, & temperatam æstatem reddebant. inde erat salubre tempus, vt ait in Epist. ad Dionysium.

Hippoc. à flatu Ethesiarũ indicauit Democritum non ægrotare.

Nescio quomodo ex casu contingit, vt saluber sit annus, & pristinam naturam habeat. Cum igitur Tempestas anni ob flatum ethesiarũ esset temperata, & salubris, ob id confisus est Hipp. morbum Democriti sanatu fore facilem: nam remedia etiam apta adhiberi poterant.

Dies serena requiritur.

Addit ad obseruanda circa Vomitum nõnulla Plinius scribens. *Cauendum est felici quoque cura, ne nubilo die detur, quippe impatibiles cruciatus existunt*. Aetius autem. *Constitutio idonea est serena, & calida, & insolata*.

Meridies aptior.

Præterea aptior diei hora videtur meridies ad vomendum, & apud Hipp. exemplũ habemus, de salubri Dla ta tex. 17. *Obesi ieiuni vomant, currendo, aut celeriter eundo, meridie*. tamẽ aliquis suspicari posset, aptè vomi secundum humorum motus. Vndè quia circa meridiem mouetur bilis, est enim tempus diei calidiùs, & bili proportione respondens, tunc erit bilem vomitu expellendi tempus. circa vesperam verò melãcholicus humor, quia tunc mouetur, erit expellendus vo-

Imbecillitas.

mitu, ac noctu pituitæ Vomitus erit excitandus, quia diei hora frigidior, & in qua pituita mouetur. Mane solùm erit vomitus excitandus reuulsionis potiùs, quàm euacuationis gratia. quilibet suo modo agat, hæc mihi, notasse sint satis.

Arist. problema.

Quoniam autem in sermonem incidimus de Vomito secundùm Tempora, æquum est, vt explicemus Problema 4. Arist. sectionis primæ, vbi scripsit: *Cur Vomitus, cum tempora immutantur, citari maximè debeat? An ne conturbatio redundet, cum varia excrementa materia inutilis, ex mutandi ratione proueniant? vnde fit, vt cibum alij parum consequant, alij parum cupiant*. Quæsitum in hoc problemate dupliciter legitur. Iustiniani codex legit negatiuè, non esse vomendum. cæteri codices affirmatiuè, & meliùs. nam ex solutione noscitur esse vomendum ad excernenda excrementa. Loquitur autẽ Arist. de leui Vomitu, cuius potissimum vsus est ad præcauendos morbos. & per temporum mutationes intelligit non solum mutationes quatuor temporum, sed etiam æquinoctia, solstitia,

& syde-

& ſyderum ortus, Orionis, Arcturi, Vergiliarum, Caniculæ, quæ mutationes flatus, imbreſque excitant; necnon ſerenitates, frigora, tepoteſque ſolent adferre, vt ipſemet explicauit. probl. 3. ſed aduertendũ non eſſe neceſſarium in qualibet mutatione vomere. ſed ſolũ quando ab excrementis genitis timetur aliquis morbus, ſignum autẽ horum excrementorum iam genitorum, videtur etiam ibi poſuiſſe Ariſt. nimirum *quia cibnm aliȷ̃ parum concoquant, aliȷ̃ parum capiant*, quæ affectiones indicant ventriculum repletum, & ideò Vomitu eſſe inaniendũ antequam ea excrementa morbos pariant, à mutationibus temporum alterata, & commmota. quæ vltima verba quamuis neque in Græco textu, neque in antiqua verſione legantur. tamen eũ à Theod. Gaza ſint repoſita. crederem in ſuo textu ea legiſſe. At Ariſtotelis problemati oppoſitus videtur tex. 30. Hipp. lib. de aere, aquis, & loc. vbi in temporum mutationibus prohibet medicamenta. ſed reſpõdeo cum Aponenſi, Septalio, Guaſtauino, & Manelpho in com. Ariſt. loqui de Vomitu læui, & de materia replente ventriculum, apta lædere. Hipp. verò de Medicamentis fortibus.

Quando vomendũ.

De mutationibus temporũ.

Reſtat, vt de Syderum ortu, & occaſu, & de mutationibus temporum, de quibus mox mox mentionem fecimus, breuiter agamus. ab his enim aer intemperatus redditur, & vel nimis calidus, vel nimis frigidus fit; ob id mutationes temporũ morbos parere ſolent. de quibus Gal. lib. 1. de hum. in com. 12. ita protulit. *Temporum quoque anni repentinas mutationes, aſtrorumque ortus, & occaſus, à quibus tẽpora valde immutantur. Arcturum dico, Vergilias, Solititia, Aequinoctia, Caniculamque obſeruare oportet, qua de re Hipp. lib. de aer. aquis, & locis. mentionẽ fecit, prius enim quam probè conſtiterint non eſt accommodata euacuatio.* Hipp. autem de Aere, aquis, & loc. n. 30. *Maximè autem obſeruare oportet magnas temporum mutationes, vt neque medicinas in illis libenter exhibeamus, neque vramus, quæ circa ventrem, neque ſecemus prius quam præterëant dies decem, & non pauciores. Periculoſiſſima ſunt etiam ambo ſolſtitia, maximè verò Autumnale. Oportet autem, & Aſtrorum exortus conſiderare, præcipuè Canis, deinde Arcturi, & Pleiadum occaſum: morbi enim in his maximè diebus iudicantur, & aliȷ̃ perimunt. aliȷ̃ verò deſinunt, aut in aliam ſpeciem, aliumque ſtatum tranſmutantur.* & 4. aph. 5. *ſub Canem, & ante Canem difficiles ſunt purgationes.* & lib. de purgantibus med. *Tempore æſtatis à Canis ortu dies quinquaginta, vitare oportet, & non dare medicamentum.*

Temporũ mutationes obſeruanda.

Aſtrologia Hippoc.

Hæc eſt Aſtrologia Hippocratis, quæ fallax non eſt, citò diſcitur, & Medico ſatis eſt, immò neceſſaria. vt autem anni tempora diſtinguantur docuit 3. de Diæta, num. 2. his verbis. *Annum quidem in 4. partes diuidunt, quas plerique omnes nouerunt, Hyemem, Ver, Aeſtatem, & Autumnum, & Hyemem quidem à Pleiadum occaſu, vſque ad Aequinoctium vernum. Ver autem ab æquinoctio vſque ad Pleiadum exortum. Aeſtatem verò à Pleiadum ortu vſque ad Arcturi exortum. Autumnum ab Arcturi ortu vſque ad Pleiadum occaſum.* particularis autẽ determinatio horum temporum apud Auctores nõ vna reperitur, ob regionum enim varietarem variant etiam dies, ſed nõ multum, vt Gal. primo in 1. Epid. 1. adnotauit. nos ex Hipp. tum lib. de Diæta, necnon etiam de hom. ſtructura. ex Paulo, Aetio, Varrone, Collumella, Dionyſio, atque paucis alijs oportet, vt colligamus Auctorum diſſenſiones, & conſenſus de die præciſo dictorum temporum, & vt exactè omnia in particulari conſideremus, agemus primò de Vere, Aeſtate, Autumno, & Hyeme; ſecundò de Aequinoctijs, & Solſtitijs; tertiò de quatuor ſyderum principaliorum ortu, & occaſu, nimirum Orionis, Arcturi, Canis, & Pleiadum.

Circa primum, Aſtrologos notandum eſt, non conuenire cum Medicis Hippocraticis. hi enim (cum quibus etiam ſentiũt Halyabbas, 5. Theoricæ cap. 3. Petrus Aponenſis ſect. 1. probl. 3. & nonnulli alij medici) cuilibet tempori tres menſes tribuunt ſecundùm Zodiaci peragrationes, aſſignantque vnicuique ſpatia æqualia. Ver quidem incipiũt à principio introitus Solis in Arietem, ideſt circa medietatem menſis Martij. Aeſtatem in introitu Cancri, ideſt circa medium Iunij. Autumnum in introitu Libræ, ideſt circa medietatem Septembris. Hyemem in introitu Capricorni, ideſt circa medium Decembris.

Aſtrologorũ opinio de temporibus anni.

Igitur *Ver* incipiunt Aſtrologi, quùm Sol ingreditur ſignum Arietis, & Haly ſcripſit, hoc fieri 17. die menſis Martij, vſque ad 16. Aprilis. ſecundus Veris menſis, ab ingreſſu Solis in Taurũ, ideſt 17. Aprilis ad 17. Maij. tertius menſis ab ingreſſu in Geminos, ideſt 18. Maij, ad 18. Iunij. & eſſe in totum dies nu. 94. Plin. lib. 18. c. 25. *inter brumam, & æquinoctium die 45. flatus Fauonȷ̃ Vernum tempus inchoant.*

Ver.

Hippoc. 2. de Diæta num. 2. Ver eſſe dicit *ab Aequinoctio vſque ad Pleiadum exortum.* ita Gal. 3. aphor. 14. principium Veris Æquinoctium facit. ſed Æquinoctium Vernale, vt poſtea dicemus, non vnanimiter à Scriptoribus ponitur. Nam ex Hippoc. lib. de hom. ſtruct. fit 25. *Martij.* & Hippoc. in epiſt. ad Antiochum regem, quæ eſt apud Marcellum, Æquinoctium incidit 8. kal. Aprilis. Galen. de Dinamidijs 12. Kal. Aprilis, ideſt 21. Martij. Ex Adamanto apud Aetium ſer. 3. cap. 164. fit 23. *Martij.* ex Columella lib. 1 1. de re ruſt. cap. 2. viij. Calendarum Aprilium, ideſt 25. Martij. ita etiam Plin. lib. 18. cap. 26. Nos ſentiemus cum Hippoc. Plinio, & Columella, qui de noſtris regionibus loquuntur, & quia ab Hippoc. ad noſtra tempora Æquinoctiũ anticipauit 11. diebus, vt dicemus, ideò Ver ſecundùm Medicos debet incipere 13. Martij, calculo veteri. ſed Gregoriano accidet 22. vt paulopoſt de Aequinoctijs dicemus, deferendo M. Varronem, qui lib. 1. de re ruſt. cap. 31. ſcripſit. *Dies primus Veris eſt in Aquario, Aeſtatis in Tauro, Autumni in Leone, Hyemis in Scorpione. Cum vniuſcuiuſque horum qua-*

 tuor

tuor figurorum dies tertius, & vicesimus, quatuor temporum sit primus, efficitur, vt Ver dies habeat nonaginta vnum. Aestas nonaginta quatuor, Autumnus nonaginta duos, Hyems octoginta octo. Qua redacta ad dies ciuiles nostros, qui nunc sunt primi verni temporis, extant ad septimum Idus Februarij. idest septima die Februarij. 9. Ouidius. quod tempus cum sit nimis præcox à nemine recipitur.

Sed dixit Varro loco cit. Ver habere dies 91. Hippoc. autem 3. de Diæta cit. ab Aequinoctio vsque ad Pleiadum exortum perdurare. & lib. de struc. hom. scripsit. *à Vernali Aequinoctio ad Vergiliarum ortum dies quadraginta.* (sed ego numero quinquaginta) *seu à 25. Martij, ad 13. Maij.* & Diocles apud Paul. lib. 1. cap. vltimo intercedere scripsit dies 46. Plinius 48. Galenus autem primo in 1. Epid. com. 1. *Veris autem tempus*, inquit, *ne habet duos quidem solidos menses, quo factum est, vt iure indiuisum permanserit.* diuidebant enim Antiqui, præsertim Hippoc. in lib. de septimanis, qui non extat, vt scribit Galen. Annum in septem partes, Hyemem in tres, Aestatem in duas, Ver autem, & Autumnus indiuisa manebant. perdurabit igitur Ver secundùm Medicos, vel dies 46. vel 50. quòd maximè notandū à Medicis Hippocraticis.

Qui autem Morbi vigeant, & quæ sint facienda in Vere, non est quod hoc loco tradam. dicā tantùm, quæ de Vomitu proculi faciendo in Vere, intelligenda de hoc Vere Hippocratico, & Galenico, quod incipiebat 25. Martij, & desinebat 13. Maij, nunc autem à 22. Martij, ad 3. Maij, & durat 50. solùm dies.

Aestas. *Aestas* secundùm Astrologos, & Halyabbatem habet tres menses, incipit primus mensis ab ingressu Solis in Cancrum, seu die 19. Iunij, vsque ad 17. Iulij. secundus ab ingressu Solis in Leonē, seu 18. Iulij ad 17. Augusti. tertius in Virgine à 18. Augusti ad 18. Septembris. Varro scripsit etiam Aestatis diem primum esse in Tauro die 23. & habere dies 94. ac incipere 7. Idus Maij, idest 9. die Maij. Columella autem dixit 7. Idus Maias Aestatis esse initium. Plin. lib. 18. *Ab aequinoctio Verno initium Aestatis die 48. Vergiliarum exortus matutinus incohoat.* Galen. de Dinamid. 8. Kal. Iulij.

Hippoc. determinauit Aestatem lib. 3. de Diæta. *à Pleiadum ortu vsque ad Arcturi exortū*, diximus autem ex antiquis Pleiades oriri 13. Maij. igitur hoc tempore incipiet Aestas Medica, quæ ab Hippoc. vt retulit Gal. primo in 1. Epid. 1. in duas partes fuit diuisa. prima pars ad Canis vsque exortum protenditur. secunda ab hoc ad Arcturi ortum, & Oporam vocant. ita 3. aph. 14. scriptum reliquit. *Principium Aestatis est Pleiadis ortus: postea Canis ortus Oporam, idest fructuum generationem incohoat, quam & ipsam pro secunda parte aestatis ponunt.* & quia Arcturus exoritur, cum Plinio nostro, 10. Septembris. Aestas hæc habebit dies num. 120. quorum dabuntur primæ parti vsque ad Canis ortum (scilicet 18. Iulij cum Plinio) dies 67. & à Canis ortu ab Arcturum dies 53. Nos incipiemus Aestatem ob varietatem Aequinoctiorum, vt dicemus, 3. Maij.

De morbis Aestiuis, & de Agendis hoc tempore non agemus hic; sed quæ de Vomitu dicta sunt, referantur ad hanc Aestatem.

Autumnus incipiet ex Halyabbate, & Astrologis, quum Sol ingreditur Libram, idest 19. Septembris, vsque ad 18. Octobris, & secundo mense in Scorpium à 19. Octobris ad 18. Nouembris. & tertio mense in Sagittarium 19. Nouēbris ad 15. Decembris. Varro autem scripsit, quòd Autumni dies primus est in Leone die 23. seu 3. Idus Sextilis, quæ erit 11. Augusti. & ait Autumnum habere dies 92. Galen. de Dinamid. 6. kal. Octobris. Columella etiam scripsit incipere pridie Idus Augusti, idest die 12. Plin. lib. 18. cap. 25. inter Solstitium, & Aequinoctium Autumni, Fidiculæ occasus Autumnum inchoat die 45. Autumnus.

Hippocrates de Diæta terminauit Autumnū *ab Arcturi ortu ad Pleiadum occasum.* & Galen. 3. aphor. 14. scripsit: *Arcturus oriens initium facit Autumni.* & primo in primum Epid. 1. *Sicut Arcturi ortus, finis Aestatis: principium verò Autumni, qui ad dies duodecim Aequinoctium Autumnale antecedit. Iam Vergiliarum occasus, & hyemis principium, & finis est Autumni.* & paulò post de temporum duratione scribit de Aestate. *Est enim inter Vergilias, & Arcturum tempus mensium quatuor. Plurium etiam quàm quatuor* (de hyeme) *quod inter Vergiliarum occasum, & Aequinoctium vernum interest. Veris autem tempus ne habet duos quidem solidos menses; quo factum est, vt iure indiuisum permanserit. Hinc etiam Autumni erat tempus, Veris maius, quod in menses duos extenditur: hoc tamen magnitudine longè ab Aestatis tempore, & Hyemis vincitur.* Itaque ex Hippoc. incipiet Autumnus 10. Septembris, & desinet 11. Nouembris: & perdurabit dies 62. Galen. mox dixit duos menses, ratio autē est, quia ex Galeno Arcturus oritur duodecim diebus ante Aequinoctium, & Pleiades occidunt quinquaginta diebus post Aequinoctium, quod spatium continet dies 62. & quia ex Pracast. Aequinoctium nunc vndecim diebus anticipauit, incipiet vltima Augusti ad primam Nouembris. Sed ex Calendario Gregoriano restituuntur illi vndecim dies. & ideò Septalius Non's Septemb. idest die quinta incipere cēsuit.

Et tantum durat Autumnus, dō quo loquuntur Hippoc. & Galenus, & cum ipsis nos quoque hunc accipimus pro Vomitionum vsu.

Hyemem denique Halyabbas cum Astrologis incipere scripsit, cum Sol ingreditur Capricornum, seu 16. Decembris vsque ad 13. Ianuarij. secundò in Aquariū, 14. Ianuarij ad 13. Februarij. tertiò in Piscibus 14. Februarij ad 15. Martij. Varro incipere scripsit in Scorpione die 23. seu 3. Idus Nouembris, idest die 11. & perdurare dies 88. Columella autem 5. Idus Nouembris. quæ est nunc dies 9. Plin. lib. 18. ab æquinoctio autumni ad bru- Hyems.

ad brumam Vergiliarum matutinos occasus hyemem inchoat die 43.

Hippocrates libro de Diæta cit. *à Pleiadum occasu vsque ad æquinoctium vernū*. ita Gal. 3. aphor. 14. *Occasus*, inquit, *Pleiadum principium facit Hyemis*. quod tempus erit ab 11. Nouembris ad 25. Martij in totum dies nu. 134. Hyemem diuisere antiqui in tres partes, vt refert Galen. primo in 1. Epid. cit. dicēs. *Atqui ijdem hyemem in tres partes dissecant: cuius sub Solstitium tempus medium constituunt: de externis duobus primam sementem: postremam φυταλιαν, quod est inserendi tempus: nam hoc illi pacto appellāt ista*. Hoc autem est tempus hyemale, quod proposuit Hipp. in Aphor. in Epidem. & alibi, & sequitur Galenus; sed debemus etiam considerare quòd circa fines, & principia omnia debiliora. nam principium hyemis participat de Autumni temperie, finis verò accedit ad Ver: tempus medium est pura hyems. qua distinctione multæ apparentes contradictiones scriptorum conciliari facilè possunt. sed dices, Hyems quomodo dicitur occupare sex Menses ab Hipp. de sal. Diæta num. 5. An quia opponens Hyemem æstati, vtrique anni medietatem tribuit? nec propriè loquitur vocem Hyemis strictè sumendo; sed pro tempore anni frigidiore, opposito calidiori. & quia (vt mox dixi) circa principia, & fines omnia debiliora, ideò hic comprehendit cum hieme partem Autumni, & Veris, veluti frigidiusculam. aliā partem cum æstate, vt calidiorem.

Quo ad secundum Caput de Aequinoctijs, & Solstitijs, ex Gal. 1. Epid. cit. habemus esse signa vniuersalia, & omnibus gentibus communia, & ex horum cognitione vult, nos venire in notitiam ortus, & occasus Siderum.

Aequinoctium Vernale. *Aequinoctium Vernale*. Galen. 1. Epid. citato scripsit Macedones habere vernum æquinoctium initio mēsis Artemisij. Nam in principijs mensiū æquinoctia, & solsticia apud ipsos fiunt, qui illo pacto, & numerant, & appellant menses. Aetius ex Adamanto incidere scripsit. 23. Martij. Dionysius Vticensis, siue Constantinus Cæsar lib. 1. Agricult. cap. 1. ex Florentino ad 8. Kal. Aprilis quidam ad 9. Ouid. Columella, & Plinius. viij. Kal. Aprilis, idest 25. Martij, quod idem scripsit Hipp. de struct. hom. & in Epist. ad Antiochum regem, quę refertur à Marcello Empirico. sed parum differt ab ea, quam Paulus tribuit Diocli. Dictionaria habent vel 4. idus Martias, vel 8. Kal. Aprilis. quod est vel die 12. vel 25. Martij, quæ magna est diuersitas, nobis standum erit cum Astrologis: & dicemus, quamuis dicat Gal. æquinoctia vbique, & semper esse eadem, variasse aliquātulum ab antiquis temporibus Hipp. siquidē Fracastorius Astrologus insignis in Homocentrica cap. 6. scribit existimasse Ptolomeum singulis 300. annis præueniri æquinoctium vna die priùs, quàm ratio quadrantis posceret. ipse autem Fracastorius obseruauit à Christi natiuitate ad sua tempora anticipasse diebus circiter 13. (scripsit *Fracastorius.* autem Fracastorius anno Domini 1534.) *siquidem* ait *circa Natalem Domini erat æquinoctium die 24. Martij labente, nunc verò labente vndecima Martij spectatur*. & paulò post subdit. *Manifestum igitur est in annis 1500. tantum anticipasse æquinoctia secundum rationem hanc nostram, & nihilo plus. Quippe tempore Iulij Cesaris æquinoctium spectabatur die 25. Martij labente, circa initia eius, annis verò natiuitatis Christi die 24. circa finem eius cadebat; quum verò anno 1500. æquinoctium habitum fuerit die 11. circa finem eius, palàm quod aptissimè dies 13. anticipationibus æquinoctiorum dantur à Natali Domini ad annum 1500.* sed modò neque standum Fracastorio, quia ob centum annos hucusque præteritos, medius dies deberet fortè demi, & fieri Aequinoctium die 10. Martij, & Cardan. 3. de Subtil. primus dies Aequinoctij Aetate nostra est 10. Martij. sed quia sequimur Gregorianam Kalendarij reformationem, dicemus Aequinoctium fieri die 22. Martij, cum Patre Clauio 21.

Circa facultates Aequinoctij scripsit Hippoc. de Aere, aquis, & locis. 30. *Periculosum Aequinoctium vtrumque, magis verò Autumnale*, *Vis Aequinoctij.* quod etiam in mentem reduxit Galen. 1. de hum. tex. 12. ob repētinas aeris mutationes. & Arist. sect. 1. probl. 3. dixerat, temporum mutationes morbos intendere, aut tollere, aut iudicare, aut facere. quia corporum temperaturam soluit, ob mutationem temperaturæ aeris. Columella loc. cit. scribit. *viij. Kalendarum Aprilium, Aequinoctium vernum, tempestatem significat*. Aetius *maxima aeris turbatio*. Hoc tempore, inquit Diocles; & Hippocrates apud Marcellum citatum, pituita crescit, & Vergiliarum ortu bilis; sed meliùs alter Hippocr. lib. de struct. hom. ait, *hi dies sanguinem augent*. nam tempus est Vernum. At cum verò Hippoc. lib. de Aere, aquis, & locis, maximè obseruare oportet has magnas temporum mutationes, vt neque medicinas in illis libenter exhibeamus, neque vramus, quæ circa ventrem, neque secemus priusquam prætereant dies decem, & non pauciores. & credo intelligere decem dies ante, & decem dies post.

Ab hoc Aequinoctio ad Solstitium, intercedere ait Diocles dies 91. Varro 93. nam ait ab Aequinoctio ad Vergiliarum exortum dies 44. ab hoc ad Solstitium dies 49. sed Hippoc. de struct. hom. dies 82. scribens: *A vernali Aequinoctio, ad Vergiliarum ortū dies 40. à 25. Martij ad 13. Maij. à Vergiliarum autem exortu ad æstiuum Solstitium dies 42. à 13. Maij ad 24. Iunij*. Plinius dies 93. horas 12.

Solstitium Aestiuum, ab hoc dicit Galen. 1. *Solstitiā.* Epid. Macedones inchoare suum Mensem Loi. Aetius fieri scripsit 25. Iunij. Ouid. Columella 6. kal. Iulij, idest 26. Iunij. Hipp. autem de struct. hom. 24. Iunij. Dionysius de Agricult. cit. ad octauum kal. Iulias, quamquam aliqui ipsum ad sextum Nonas esse velint, idest 24. Iunij, secundùm aliquos 2. die Iulij. nos suspicabimur antiquitus fuisse 24. Iunij, quæ erat nox Natiuitatis S. Ioan. Bapt. sed si sequenda erit reformatio Fracastorij, si Aequinoctium anticipat per

dies

dies vndecim incideret modo 13. Iunij. Fuchsius sect. 4. aphor. 55. *hodie 12. Iunij fieri solet*. & ex Kalend. Gregoriano, anticipatis decem diebus, accidit 22. vt antiquitus, cum Clauio, & alijs.

Et ab hoc Solstitio ad Aequinoctium Autumnale intercedere censuit Hippoc. lib. de struct. hom. dies 93. idest à 24. Iunij ad 25. Septembr. ita etiam Diocles dies 93. Varro autem dies 96.

Hoc Solstitium est à Medicis considerandum. prout præcepit Hippoc. de Aere, aquis, & loc. dicens: *Periculosissima sunt ambo Solstitia, maximè verò æstiuum*. quare decem dies ante, & decem post ipsum, neque præbere medicamenta, neque venam secare, neque aliud opus chirurgicum magnum facere licet. quùm mutatio temporis nimis lędat corpora. hoc tempore ex Diocle, & Hippoc. apud Marcellum. Venus est perniciosa; quod asserit etiam Hippoc. de struct. hom. Aetius. 25. *Iunij Orion mane oriri incipit. sunt autem Solstitia æstiua, & aer tribus diebus ante valde alteratur*. Columell. calorem adesse notauit. Plin. lib. 2. cap. 41. Oleæ, & populus alba, & salices folia Solstitio circumagunt.

Aequinoctium. *Aequinoctium Autumnale* apud Macedones erat principium mensis Dij. Hippoc. apud Marcellum, & Columella scribunt fieri 6. kal. Octobris, idest 26. Septembris. Dionysius 8. vel 6. Kal. Octobris. Hippoc. de struct. hom. 25. Septēbris. Aetius verò 25. Augusti. sed si hoc Aequinoctium debet anticipare, vt facit Vernale vndecim diebus eueniet 14. Septembris, secundùm computum veterem; nunc ex alijs 17. Septemb. sed ex Clauio 23.

Ab hoc Aequinoctio ad Solstitium Hyemale, Diocles voluit intercedere dies 91. Varro 89. Hippoc. de struct. hom. 97. nam ait ab Autumnali Aequinoctio ad Vergiliarum occasum dies 48. ab his ad hyemale Solstitium 49. Plin. dies 89. horas 3.

De hoc Aequinoctio idem dicendum, quod de altero Aequinoctio; sed hoc est periculosius. vndè per decem dies ante, & decem post, medicamentum validum Vomitorium, vel deiectorium non dabimus. nec venam secabimus, nec vremus, &c. quod monuit etiam Aetius scribens: *Septembris 25. Aequinoctium fit Autumnale, & est maxima aeris turbatio tribus ante diebus. Quare cauendum est, ne venam secemus, neque purgemus, neque aliàs corpus vehementi motu moueamus à 15. Septembris vsque ad 24. eiusdem mensis*. & hic Aetius cauet à medelis per decem tantum dies ante. & non cauet in ipso 25. die Aequinoctij, quare accusandus est. nam Hipp. de aere, aquis, & loc. vult quòd prætereant dies decem, ergo post Aequinoctium. Columella hoc die *pluuiam significat*, inquit, Plin. lib. 2. cap. 41. ait, partibus quoque signorum quorumdam sua vis inest, vt Autumnali Aequinoctio, brumaq. cum tempestatibus confici sydus intelligimus. Nec imbribus tantùm tempestatibusque, sed multis, & corporũ, & ruris experimentis. afflantur alij sydere, alij commouentur statis temporibus, aluo, neruis, capite, mente.

Solstitio Hyemali, quod Brumam vocant Latini, dicit Galen. Macedones Mensem κατ' ἐαυτὸν πέρατον initiare, & quòd Romani ab hoc incipiebant annum. & Hippocr. de struct. homin. accidere voluit prima Ianuarij. sed Columella est dubius scribens: *Sextodecimo Kal. Ianuarij*, idest 17. Decembris, *Sol in Capricornum transitum facit, brumale Solstitium, vt Hipparco placet. itaque tempestatem sæpè significat, vel nono Kal. Ianuarij* (idest 24.) *sicut Chaldæi obseruant*. Aetius 23. Decembris. & Hippoc. in Epist. apud Marcellum 8. Kal. Ianuarij, idest 23. Decembris. ita etiam Dionysius Vticensis. & Galen. de Dinamid. Varro. Sed Brasauolus in indice Galen. nos admonet, vt consideremus quomodo Christus natus sit in Solstitio, sed ad nos nõ attinet. nos si cõsentire voluerimus Hippocrati citato facienti Solstitium primo Ianuarij, & voluerimus anticipare vndecim dies, accidere suspicabimur nunc 23. Decembris. & Clauius in Sphæram, 22. Decembris posuit. Solstitii.

Ab hoc Solstitio ad Vernale Aequinoctium Hippoc. de struct. numerat dies 84. idest à prima Ianuarij ad 25. Martij. Varro ponit dies 87. Diocles dies 90. Plinius dies 96. horas tres.

In hoc Solstitio, vt in alijs canebimus extrema remedia ob maximam aeris mutationem, & frigiditatem. his diebus Columella prognosticauit tempestates. Plin. lib. 2. cap. 41. accidere non solum imbres, & tempestates, sed siderari corpora aluo, neruis, capite, mente, florere ipso brumali die suspensa in tectis arentis herba pulegij: rumpuntur ait intentæ spiritu membranæ; sed fortè intellexit Solstitium Aestiuum, quo floret Pulegium.

Tertiò restat, vt Syderum dictorum ortus, & occasus consideremus. itaque *Pleiades*, quas Latini Vergilias dicunt, sunt stellæ septem positæ ad Tauri abscissionem, ac tredecim orientibus Tauri partibus exoriuntur. ex Aetio 21. *Aprilis Pleiades cum Solis ortu oriuntur*. postea subdit, *Mensis Maij septima Pleiades manè apparent*. ex Halyabbate oriuntur principio Maij. Columella 10. *Kal. Maias Vergiliæ cum Sole exoriuntur*, postea *Nonis Maijs Vergiliæ exoriuntur*, idest 22. Aprilis, & 7. Maij. Plinius lib. 2. cap. 47. & lib. 18. cap. 26. *Virgiliarum ortus ante diem sextum idus Maias*, idest decima Maij. Hippoc. de struct. hom. decimatertia Maij. Dionysius Vticensis lib. 1. cap. 1. ex Florentino quarto Idus Iunias, idest 10. Iunij. deinde cap. 9. ex Diophane. 23. *Aprilis Pleiades simul cum Solis ortu exoriuntur*. deinde 7. *Maij Pleiades matutinæ apparent*. Hipp. apud Marcellum, *pridie Idus Maias*, idest 14. Maij. Gal. de Dinamidijs 6. Idus Maij, idest decima. Deinde Cardanus incidere scripsit 12. Iunij. at Septalius in sect. primam Arist. probl. 3. *incidit in diem quinctum ante Nonas Maij per quatuor dies ante terminum earumdem exortus positum à* Pleiadū ortus.

Ptolo-

Ptolomeo, ideſt tertia die Maij. in tanta Auctorum varietate, quo me vertam vix video. ſequar Septalium.

A Vernali Aequinoctio ad Vergiliarum ortū Hippoc. de ſtruct.hom.facit dies 49.& ab horum ortu ad Solſtitium æſtiuum, dies 42. & Diocles. ab Aequinoctio verno ad ortum Vergiliarū dies 46. ab his ad Solſtitium dies 45.

Galen.3.aphor.14: cum Hipp.lib.de Diæta. Ortus Pleiadum æſtatis principium eſſe ſcripſit. de his Aratus à Cicerone conuerſus ſic cecinit.

Arati verſus. *At propter læuum genu* (ſcilicet Caſſiopeiæ)
omni ex parte locatas.
Paruas Vergilias tenui cum luce videbis.
Hæ ſeptem vulgo perhibentur more vetuſto
Stellæ, cernuntur verò ſex vndique paruæ.
At non interijſſe putari conuenit vnam.
Sed fruſtra temere à vulgo ratione ſine vlla
Septem dicier, vt veteres ſtatuere poetæ,
Aeterno cunctas æuo qui nomine dignant.
Alcyone, Meropeq., Celeno, Taygeteque.
Electre, Steropeque ſimul ſanctiſſima Maia,
Hæ tenues paruo labentes lumine lucent,
At magnum nomen ſigni, clarūmq. vocatur,
Propterea quod, & æſtatis primordia claret,
Et poſt hiberni præpandens temporis ortus,
Admonet vt mādent mortales ſemina terris.

Aetius. Menſis Aprilis 21. Pleiades cum Solis ortu oriuntur, & eſt maxima circa aerem turbatio. Menſis Maij 7. Pleiades mane apparent, & aer ſedari incipit. Columella 10. *Kal. Maias*, ideſt 22. *Vergiliæ cum Sole oriuntur, Africus, vel Auſter dies humidus.* deinde, *Pridie nonas Maias nepa medius occidit, tempeſtatem ſignificat. Nonis Maij Vergiliæ exoriuntur mane, Fauonius. vij. Idus Maias Aeſtatis initium, Fauonius, aut Corus, interdum etiam pluuia. vj. Idus Vergiliæ tota apparent, Fauonius, aut Corus interdum, & pluuia. iij. Idus Maias fidis mane oritur, ſignificat tempeſtatem.* quùm igitur circa Pleiadum ortus magnæ aeris mutationes contingant, & ortus Pleiadum ex Cardano perduret dies 18. iurè volunt; vt caueamus à medicamentis per decem dies ante, & decem poſt Pleiadum ortum. ſed Hipp. Pleiadum occaſum cauendum voluit. quòd ſi Pleiades 3. Maij oriuntur, quando aer eſt temperatus, noſtri Medici tùm maximè propinant medicinas, & mos eſt in Gymnaſio Romano 10. Maij indicere vacationes ob potiones, & non prætereunt decem dies ab ortu Pleiadum.

Pleiadū occaſus. *Pleiadum* autem occaſus. Halyabbas in principijs Nouembris cadere cenſuit. Dionyſius cap.2. ex Florent. 4. Nonas Nouembris, ideſt ſecunda Nouembris. deinde cap. 9. Kal. Nouembris. Columella 5. *Kal. Nouembris Vergiliæ occidunt*; deinde vj. *Idus Nouembris Vergiliæ mane occidunt*, ideſt 28. Octobris, & 8. Nouembris, Aetius 23. Octobris, & 6. Nouembris, Plinius ante iij. Idus Nouembris, ideſt 11. Nouembris. Hippoc. de ſtruct. hom. 12. Nouembris. Hippoc. apud Marcell. iv. Idus Nouembris, ideſt die 10. idem Galen. de Diuanidijs. Plin. lib. 18. cap. 25. Auctorum diuerſitatē admiratus pro exemplo poſuit. Occaſum matutinum Vergiliarum Heſiodus tradidit fieri cum Aequinoctiū Autumni conficeretur. Thales 25. die ab æquinoctio. Anaximander 29. Euctemon 48. ſed ipſe ſequitur Cæſaris obſeruationem. deinde cap. 25. fieri ipſe dicit ab æquinoctio Autumnali die 43. Cardanus in lib. de aere, aquis & loc. tex. 12. lect. 44. *Occidunt circiter 13. Nouembris, occaſus terminatur 23. eiuſdem.*

Hippoc. de ſtruct. ab æquinoctio Autumnali ad Vergiliarum occaſum intercedere dies 48. ſcripſit. & ab hoc ad hyemale Solſtitium dies 49. ſed Diocles ab æquinoctio ad Vergiliarum occaſum dies 46. ab hoc ad brumam 45. Gal. autem 1. Epid. occidere dixit die 50. poſt æquinoctium autumnale.

Occaſum Pleiadum Hippoc. de Diæta, & Gal. ac Plin. lib. 2. c. 47. faciunt principium Hyemis. Columella ſcripſit. *Tertiodecimo, & duodecimo Kalen. Nouemb. Solis exortu Vergiliæ incipiunt occidere, tempeſtatem ſignificant. xj. Kal. Nouemb. Tauri cauda occidit. Auſter, interdum pluuia. viij. Kal. Nouemb. Centaurus exoriri mane deſinit tempeſtatem ſignificat. vij. Kal. Nouemb nepæ frons exoritur, tempeſtatem ſignificat. v. Kal. Nouemb. Vergiliæ occidunt hyemat cum frigore, & gelicidijs. iiij. Kal. Nouemb. Arcturus veſpere occidit, ventoſus dies. iij. Kal. & pridie Nouembris Caſſiope incipit occidere, tempeſtatem ſignificat. & vj. Idus Nouemb. Vergiliæ mane occidunt ſignificat tempeſtatem, hyemat.* Ex quibus colligere eſt maximam fieri aeris turbationem paulò ante, & poſt occaſum Pleiadum; vndè iurè negauit Hipp. danda eſſe medicamenta per decem dies ante, & decem poſt Pleiadum occaſum.

Orion ſydus eſt ex pluribus ſtellis conflatum, figuratur homo armatus ſuccinctus enſe, dextra manu clauam tenens, ſiniſtra ſudariolum, continet 38. ſtellas. Aetius ſcripſit, 25. Iunij Orion mane oriri incipit. Iulij 3. Orion totus oritur. Dionyſius 23. Iunij Orion oriri incipit. Plinius vj. *Kal. Iunij*, (ſed fortè Iulij) *Cæſari Orion exoritur*, ideſt 25. Maij. Zona autem eius 4. Nonas Aſſiriæ, 3. Nonas Iulij Atticæ Orion totus eo die exoritur, pridie Idus Iulij, & Aegyptijs Orion deſinit oriri. Franciſ. Vicomercatus in com. ad 2. metheor. Ariſt. reprehendit Alexandrum, & Theophraſtum tamquam falſa ſcribentes, & vult exoriri Sole finem Tauri, & initium Geminorū tenente. ſed Septalius ſect. 1. probl. 3. Ariſt. ſcripſit. *Incipit oriri à manu dextra prope Tauri cornu dextrum aſcendentibus Geminorum 18. 20. quod poſt emendationem Gregorianum incidit in v. Idus Iunij. totus autem aſcendit orientibus Cancri 20. 30. quod incidit in v. Idus Iulij. cum autem de exortu loquuntur Ariſtoteles, & Hippocr. non de tota figura apparente loquuntur; ſed de exortus initio.* *Orionis ortus.*

Theophraſtus lib. de Ventis. *Ventorum autem inconſtantia ſub ortum, & occaſum Orionis propterea contingunt, quod in mutationibus* *Orionis facultas.*

bus inconstantiæ fieri soleant. Nam in mutationibus semper omnia maximè varia, & incerta sunt. Oritur Orion initio eius æstatis partis, quæ ὀπώρα dicitur, occidit autem sub principium hyemis, ut ideò, & venti incerti, & inconstantes sint, quod nondum certum, constitutumq. sit anni tempus, altero scilicet desinente, & ineunte altero, quod ancepi'i, & non unius natura utrumque sit, & quia tam difficilem esse Orionem; & dum oritur, & dum occidit, rectè affirmant, quod anni tempus terminatum, ac certum non est, turbulentum enim, & inæquabile sit oportet. Arist. 3. probl. sect. 1. dixit, Morbos parere ortum Orionis, & aliorū syderū; quia flatuum, aquarum, serenitatum, frigiditatis, & teporis causæ esse solent. & probl. 14. sect. 26. *Qua de causa Orionis exortu dies maximè varient, flatusq. importuni moueantur? An quoniam in mutatione varia maximè omnia sunt, quia non uno, certoq. tempore, motuve describuntur: atque oritur Orion ineunte Autumno, occidit Hyeme: ergo quia non uno tempore constat, sed alio incipit, alio cessat, flatus etiam inconstantes esse necesse est, utpotè eum ancipiti conditione prouenient, quoi sibi tempus utrumque sortitum est. Et quidem difficilem esse Orionem, & cum oritur, & cum occidit, ex temporis varietate rectè affirmant, turbulentum enim atque inæquabilem esse necessum est.* hic Arist. & Theoph. non conueniunt in tempore ortus Orionis. sed antiqua versio Arist. legit: *Orion autem oritur in principio fructus.* & ita explicat Apamensis, & conuenit cū Theophrasto, ita Aponensis in com. *Quoniā oritur, & occidit in temporibus prædictis in quibus nondum confirmatum est, & habituatum aliquod tempus perfectè, cum Sol tunc extet in signo bicorporeo, siue communi, unum enim cedere incipit temporū, & initiari aliud, ita ut duæ, in uno commungantur tempore, naturæ, ut veris, & æstatis, præsertim Arist. tempore, cum Orion fuerit circa principium Geminorum confixè; & secundum Ptolomeum in 100. annis moueatur una parte, itaque eius ortus erit circa medium Maij: occasus verò per oppositum circa medium Nouembris, Sagittario occidente in principio, quo tempore Autumnus recedere incipit, & hyemis apparent indicia, necesse quidem fit, tunc temporis ventos confirmatos, & potentes reddi: declinat enim ad utramque partem extremitatum.* Est igitur à Medicis considerandus Orionis ortus, & occasus, quamuis de eo non faciat mentionem Hippocrates.

Dissensio Arist. & Theoph.

Canis.

Canis, Canicula, Ante Canis ab aliquibus confunduntur, in quem errorem videtur incidisse Plinius, quùm Procyonem confundit cum Canicula, quod etiam faciunt Interpretes Arati. Fuchsius sect. 4. aphor. 5. Auega ibidem, & alij, qui decepti sunt à Gal. 1. in primū Epid. 1. est igitur in cælo duplex Canis maior, & minor. Minor quidem dicitur à Græcis προκύων. & Plin. lib. 18. c. 28. *Procyon æstuosus, quod sydus apud Romanos non habet nomen, nisi caniculam hanc velimus intelligi, hoc est minorem Canem: sanè vt in astris pingitur.* At hūc Cicero Latinitate donauit in versibus Arati, conuertens Anticanem.

Antecanē Graio Procyon qui nomine fertur.

Et paulò post.

Et Lepus, & Procyō, qui sese feruidus infert
Ante Canem, inde Canis vestigia prima videntur.

Vitruuius, & Hyginus Canem minutulum vocarunt.

Procyon.

In *Procyone* duæ potissimum stellæ considerantur, vna in capite, altera in lateribus, quæ in capite est, minùs quidem splendens est; sed priùs oritur, & tunc Procyon exoriri dicitur, quùm hæc apparere incipit. Stella autem in latere maiore splendore fulget, & aliquot post dies exoritur. quidam tamen Procyonem exoriri dicunt cùm splendida, & fulgida in latere posita apparet. de hoc Manilius scribit:

At Procyon oriens cum iam vigesima Cancri
Septimaq. ex vndis pars sese emergit in astra.

Scripsit Columella *Idibus Iulijs Procyon exoritur mane.* idest die 15. Dionysius 13. Iulij, Aetius 14. Iulij Procyon mane oritur. Plinius autem Nonis Iulij in Aegypto Procyonem exoriri. 17. Kal. Augusti Assyriæ. Fuchsius 19. Iulij. sed Septalius omnium optimè probl. 3. lib. 1. scribens post Correctionem Gregorianā. *Procyon,* inquit, *cum duas habeat stellas, alteram in capite, alteram fulgentissimam in lateribus. incipit oriri à priori Sole vigesimam sextam partem Cancri occupante, incidit verò dies is in XIV. Kalend. Aug. qua dies est 19. Iulij. Fulgida verò in lateribus Canis minoris, à qua quandoque ortus totius Procionis denominatur tamquam à nobiliori, fine quod tunc absoluatur eius exortus, Sole primam Leonis partem occupante. incidit verò hoc, vt plurimum in nonam Kal. Augusti, qua dies est 24. Iulij.*

Canis.

Canis maior à Græcis dicitur κύων. oritur post Procyonem ex pluribus figuratur stellis. in ore insignem habet stellam; quam caniculam Latini communiter dicūt, Græcis σείριος, Sirium. Galen. 1. in primo Epid. 1. Stellam, quæ in Canis est mandibula, Caniculam à Græcis dictam, aliqui nomine abutentes totius syderis, Canem etiam nominant, sed rectè Anticanem, non Canem appelles. exoriuntur autem primò stellæ à pede Canis, postea oris. Plinius scripsit exoriri ardentissimo æstatis tempore Caniculæ sydus xv. Kal. Augusti, idest 18. Iulij. Aetius Iulij 19. canis oritur. Haly abbas, & Dionysius lib. 1. cap. 8. die 20. Iulij. Auega cum Plinio sentit. Vgo Senensis 4. aphor. 5. incipit 10. Iulij, finitur circa 20. Augusti. Cardanus 23. *Iulij, finit 22. Augusti.* Dionysius cap. 9. Canicula mane oritur. 24. Columella 7. *Kal. Augusti Canicula apparet,* idest die 26. Iulij. Fuchsius 27. Iulij. At Septalius loco cit. omnia aptè determinat ita. *Canis maior cum multas habeat stellas, incipit apparere à priori, quæ est in pede sinistro, Sole existente in tertia parte Leonis, quod accidit sexto*

Syrii Canicula.

sexto Kal. Augusti, quæ dies est 27. Iulij. Canicula autem quæ maximè est fulgens stella in ore Canis maioris, à qua dies caniculares dicitur, exoritur, Sole sextam Leonis partem occupante, quod fit tertio Kal. Augusti, 30. nimirum Iulij die,

Canis ortus.

Scripsit Galen. 3. aphor. 14. & 3. de humorib. 19. *Canis ortus Operam appellatam inchoat. quam etiam secundam partem æstatis vocant.* in quo dissidet ab Arist. & Theoph. mox citatis, qui Orionem dicunt oriri in tempore Operæ, id est dum fructus maturantur. & Aponensis interpretatur de Cerasijs mense Maij. Gal. verò Operam vocat tempus à Canis ortu ad principium Autumni: quod etiam videtur intellexisse Hipp. 3. de humor. tex. 19. *Atque in temporibus Diætæ cibi, ac potus, quales sint: nam hiems vacuationem habet ab actionibus, & quæ in corpus ingeruntur, ea matura, simpliciaq. requirit: hoc enim etiam per magni refert, Opora laboribus est dicata, sub insolationibus autem crebri sunt potus, cibi inconstantes, vina, arborum baccæ.*

Hippocr. dilucidatio.

Mihi videtur Hippocr. opponere Aestatis partem calidiorem Hyemi, nam vt colligant fructus, coguntur homines laborare, manere in Sole, ideò plus potant, & arborum baccæ tunc vigent. sed Galen. in com. *Quod verò ipse ait, in autumno contrario nomine opponitur ijs, quæ in hieme dicta sunt: hoc enim tempore cibi simplices sunt; hoc verò inconstantes, & item fructus arborum, & vina, nisi fortè Oporam, appellat medium æstatis, quod tempus Græci Oran nominant: quamquam hoc nomine appellant etiam autumnum, hyemem, & ver, per excellentiam tamen Oran nuncupant eam anni partem in qua fructus, quos horæos vocant, ad maturitatem perueniunt.*

Canicula vis.

Plin. lib. 2. cap. 40. *Nam Canicula exortu accendi Solis vapores quis ignorat? cuius syderis effectus amplissime in terra sentiuntur. Feruent maria exoriente eo, fluctuant in Cellis vina, mouentur stagna. Canes quidem toto eo spatio maximè in rabiem agi, non est dubium.* & lib. 18. cap. 28. *In hoc temporis internallo res summa vitium agitur, decretoria vuis sydere illo, quod Caniculam appellauimus. Vnde carbunculare dicuntur, vt quodam vredinis carbone exustæ. Non comparantur huic malo grandines, procellæ, quæque numquam annonæ intulere caritatem. Agrorum quippe mala sunt illa. Carbunculus autem regionum late patentium.*

Problema.

Arist. probl. 11. & 32. sect. 26. quærit, *cur Auster flat cane oriente*, idq. lege naturæ certissima fieri soleat. quia cum Boreas flet ante Canem, post Canem per quindecim dies Auster succedit.

Aphorismus.

Hippoc. 4. aphor. 4. *sub Cane, & ante Canem difficiles purgationes.* Galen. in com. Nam & exusta tunc natura nostra non fert eam, quæ à medicamentis purgantibus prouenit acrimoniã. Quare plures quoque purgati hoc tempore incidunt in febres: & natura ob æstum imbecillis, magis ex purgatione dissoluitur. Sed & purgatio hæc parua fiet, cum calor aeris ambientis in partem trahat extrinsecam, contrariam ei, ad quam medicina ducit humores. Sicut enim balneæ calidæ naturà aptæ sunt obsistere purgationibus, sic & calor æstatis, tunc præcipuè cũ se ipso vehementior extiterit.

Galen. de puero epilept. ponit Scillam in Vase mellis ad Solem quadraginta diebus, viginti antequam Canicula oriatur, totidem post. & 12. ad Glau. cap. 14. Ambientis aeris temperatura, loco accidentis cuiusdam habenda, quando exquisitè calida, ac sicca fuerit. qualis hoc anno fuit tempore medio inter Canis ortum, & Arcturi. Atque ideò omnes, quibus Medici nihil omninò de temporum statu cogitantes, sanguinem abstulerunt, interierunt.

Sanguinis missio mortalis.

Triuerius in com. Aphor. non prohibetur simpliciter omnes purgationes sub Cane, & ante Canem: nam morbus sæpè talis, ac tam acutus, vt differri nequeant. verumtamen cum maiori religione eas obseruare oportet, nam multa est eo tempore resolutio, ac quæ facilè leniotis euacuationis vicem subeat: sed neque excessus ille caliditatis facilè medicamenti caliditatem admittet.

Arcturus.

Arcturus restat considerandus ab huius ortu Hippoc. & Medici Autumnum inchoant. Plinius scripsit exoriri vndecim diebus ante Aequinoctium. Galenus verò, & Ptolomæus duodecim diebus. quare ex Plinio orietur 10. Septembris, ex Dionysio 15. ex Aetio 17. eiusdem. Card. 19. Septembris, & perdurare ad 14. Octobris.

Sed quid sit Arcturus definiendum: propriè autem Arcturus est fulgens stella, vna ex viginti tribus, quas habet Arctophylax, seu Bootes. de qua Aratus:

Arctophylax vulgò qui dicitur esse Bootes,
Quòd quasi temone adiunctum præ se quatit arctum.
Huic autem subter præcordia fixa videtur
Stella micans radijs Arcturus nomine claro.

Deinde post multos versus:

Existit pariter larga cum luce Bootes,
Cuius in aduerso est Arcturus corpore fixus.

Septalij explicatio.

Septal. censet Hippoc. Arist. & Galenum non loqui de stella Arcturi, sed de Boote, & ab hoc Autumnum inchoare. nam Arcturus stella Bootis particularis circa tertiam Libræ post æquinoctium saltem per tres dies exoritur, & ideò non erit principium Autumni. Bootes autem exoritur orientibus Virginis 13. efficitur, vt apparere incipiat Nonis Septembris, idest die quinta; ita etiam dixit Columella. & replicat xv. Kal. Octobris, idest 17. Arcturus exoritur. vbi fortè intelligit prima vice Bootem, à quo incipit Autumnus.

Hipp. contradictio.

Sed non est prætereunda maxima contradictio, quæ legitur in Hippocr. 3. de Diæta. nam num. 2. Autumnum incipere ab *Arcturi ortu scripsit*. deinde num. 3. cum egisset de Solstitio hyberno subdit: *Postquam autem tempus adduxerit Fauonium, & mollius factum fuerit,*

opor-

oportet etiam cum tempore Diætam sequi diebus quindecim, quum Arcturus oritur, & hirundo volat. Sequens verò tempus magis variè transigere oportet vsque ad æquinoctium diebus triginta duobus. Facit igitur hic Arcturi ortum diebus 32. ante æquinoctium vernum, quod incideret circa 20. Februarij; sed contradictio hęc facilè tollitur ex Aetio ser.3.cap.164. vbi ait: *Februarij vigesimaquinta Arcturus vesperi oritur vigesimasexta hirundines volāt, & apparent.* Quare dicemus Hippoc. tex. 2. cit. loquutum esse de Ortu Arcturi Cosmico, diurno, & matutino. tex. autem 3. de ortu Chronico, nocturno, & Vespertino, seu post Solis occasum supra horizontem ex parte orientis chronicè emergente Arcturo. hanc tamen apparentem contradictionem nemo considerauit, quod legerim; sed mihi proposuit soluendam Angelus Colius Senensis Medicus Romanus, & in Hippocrate obseruando, & abstrusa inuestigando diligentia, & acutie nemini cedens, adeò vt ipsius Senis auditor fuisse videatur.

Solutio.

Angelus Colius.

Plinius lib. 2. cap. 39. Arcturi Sidus, inquit, nō fermè sine procellosa grandine incipit. sed quæ de principio Autumni diximus circa aeris mutationem ad hunc etiam locum spectant. Vt autem tempus à nobis determinatum dictorum temporum vno intuitu dignoscatur in hanc tabellam redegimus.

Astrologia Medica Hippocratica.

Ver incipit.	21. Martij.
Æquinoctium Vernum.	21. Martij.
Æstas.	3. Maij.
Pleiadum ortus.	3. Maij.
Orion oritur.	9. Iunij.
Solstitium	22. Iunij.
Procion oritur.	19. Iulij.
Canis oriri incipit.	27. Iulij.
Canicula oritur	30. Iulij.
Autumnus.	5. Septēbr.
Arcturi exortus.	5. Septēbr.
Æquinoctium Autumnale.	23. Septēbr.
Hyemis	14. Nouēbr.
Pleiadum occasus.	14. Nouēbr.
Solstitium hyemale.	22. Decēbr.

Quo tempore Morbi conueniat Vomitus. Cap. XIII.

DVPLEX in morbis tempus cōsideratur, vel totius morbi, vel particularium accessionum. De priori primùm; de altero posteriùs agemus. Itaque in principijs morborum, si Vomitum requirant, ipsum pro natura affectus semper tam validum, quàm debilem (vt mea fert opinio) excitare conuenienter possumus. & non solum euacuatiuum; sed etiam reuulsiuum, quicquid alij sentiant, neque enim expectanda est concoctio, quam vult Galenus, vt dixi. & quāuis ipse scripserit 1. de Crisib. 8. Vomitus in principio nunquam per Crisim ægritudines finire. tamen primò de diff.feb.4. fatetur, in pestilenti febre cum summa putrefactione, purgationibus se statim ab initio ægrotos sanasse. Hipp. autem 4.aphor.10. *Medicari in valde acutis, si materia turget eadem die, tardare enim in talibus malum est.* cui etiam consentit Gal. in com. & 2.aphor.29. *Cum morbi incboant, si quid mouendum videtur, moue: cum verò consistunt, ac vigent, meliùs est quiescere.* Præterea in fractione calcis eodem die dat Veratrum. & tandem ex ipso quoque Galeno colligitur 4. de san. tuen. cap.3. Oportet Excrementum, siue calidum id sit, siuè frigidum, ipsum aut expellas, aut certè alteres: recipit verò non omne excrementum alterationem à Natura, siquidem, nec omnis cibus in cuiusuis animantis ventriculo concoquitur, sed cognatio quædam ei, quod concoquit, cum eo, quod concoquitur esse debet. Quod igitur omninò alienum est, nulla fieri ratione potest, vt id naturæ suæ gratiam recipiat. sed educere id quàm primùm est tentandum, æquè certè, vt quæ in Ventre corrupta prorsus sunt, ea vel vomitione, vel deiectione expelli profectò est optimum. Idem 10.meth.cap.2. pro magnitudine imbecillitatis impeditur vacuantium auxiliorum vsus. Sanè rariùs accidit, vt protinus in primo, secundoúe die vires imbecillæ cernantur: accidit tamen interdum, vel propter ægrotantis malum corporis habitum, vel propter senium; nonnullis etiam fatigatio, vbi vstio, & tristitia, vigiliæq. præcesserunt, & inedia per totum secuta est diem; dein febris prius, quàm homo cibaretur, circa vesperam occupauit, & nox insomnis est acta, vires magnopere resoluit. Sicut igitur in principijs morborum purganti medicamento deorsùm euacuamus: non solùm humores inconcoctibiles, vt venenatos, putridos, & alienos: sed crudos, tenues, & turgentes: ita conuenientiùs etiam per Vomitum, non solùm eijciemus easdem materias. sed etiam crudas, & crassas, siuè fluentes, siue fluxas, siuè etiam fluxuras. Oribasius lib.7. collect. cap. vltimo. *De eo (ait) quod ad totum morbum refertur, sic statuendum est, si morbus quispiam sit, qui suaptè natura diuturnus esse soleat, multò meliùs est, vt in principio medicamentū purgans detur. Cum præsertim maximam vtilitatem ei, qui morbo detineatur, sit allaturum. ergo insanienti, artritico, scabioso, & cui nerui stupore laborent, statim medicamentum dandum; priusquam morbus maiores vires acquirat; quàm hoc medicamentum habeat. quēadmodum pleraque similes affectiones consuetudine; & tempore inuicta, atque insuperabiles euaserunt: quæ tamen admodum facilè sublata sunt, si ægrotantes in officio permaneant, & Medicus excellens, & peritus sit. si verò morbus de numero eorum sit, qui incerti sunt, qui & citò, & serò iudicantur; ei, qui statim, non dandum medicamentum est; illi verò. qui seriùs,*

In principijs morborum Vomendum.

Ex Hipp. Vomitus in principio.

Quid euacuat Vomitus in principio morbi.

Oribasius euacuat in principio morbos lōgos.

In morbo leui an vacuandum in principio.

feriùs, exhibendum, atque ita de toto morbo censendum est.

Vomitus etiam fortes in augmento. In Augmento autem morborum, non solùm debilibus vomitorijs, sed fortibus etiam vtemur; siquidem (cum ars imitetur naturam) etiam in Augmento bonas crises quandoque videmus. & deiectoria ipsa etiam concedunt plurimi doctissimi Medici, vt Valesius controu. lib. 7. cap. 14. Abraham Nehemiæ lib. 2. cap. 14. & alij; contrà autem vtentur nos vomitorijs, nec timendum purgationes coctionibus aduersari, & quæ coquuntur non esse cocta. nam in Vomitu concoctionem non respexit Hippocr. in longis autem morbis, in quibus præcipuè cōuenit Veratrum; non respicimus tempus vllum, nam Augmentum (sicut & alia tempora) longum habent.

In statu conceditur Vomitus lenis. In statu etiam, si libuerit, sursùm purgabimus, cum etiam infernas purgationes hoc tempore concedant plures Medici, vt Fernelius, Mōranus, Cenomanus, & alij. obstant tamen Sabuesclanus, Valesius, nec pauci aliquot. Nos decernimus in statu morborum posse nos, vti leuibus vomitorijs, non autem fortibus. Nam ex Gal. de opt. secta. in Vigore non debemus euacuare, ob virium imbecillitatem, & Hippoc. decantatus aphorismus est lib. 2. aphor. 29. *Cum Morbi incboant, si quid mouendum videtur; moue, cum verò consistunt, ac vigent, melius est quiescere.* *In statu nulla purgatio conuenit.* igitur in vigore omnem motum vetat Hippoc. & præterea 2. de hum. 21. *Multa autem* (inquit) *purganda sunt: eaq. non propè iudicationem; sed longiùs, rarò autem in acutis: multa ducenda sunt, in delassatis verò totum.* *Morbi acuti in principijs euacuantur medicamentis.* Nos in morbis, qui manifestum vigorem, & incrementum habent, quales sunt Acuti, in principijs, tam leuibus, quàm fortibus medicamentis purgantibus vtemur. nam 2. aphor. 30. *Circa initia, & fines omnia imbecilliora, circa vigores verò fortiora.* *In augmento quæ Vomitoria eligenda.* in Augmento verò, versus principium tantùm, fortibus vti vomitorijs conueniet. non autem circà statum; sed toto augmento leuia vomitoria permittuntur. & in Vigore, ac prope Crisim quiescemus, & abstinebimus omninò à fortibus medicamentis, leues aũtem vomitus permittuntur tutò. Hippoc. in Coacis num. 1. *Morbi acuti iudicantur, sanguine, &c. sudore, Vrina, &c. Abscessu, aluo, &c.* & Vomitibus non prauis contingentibus circa iudicationem. *In longis morbis semper conuenit euacuatio.* In longis verò morbis, qui longissima tempora, eaq; nec manifesta habent, vt in Hydrope, in lienosis, in Epilepsia, &c. non respicienda sunt tempora; sed est euacuandum, quandocumque placuerit.

Vomitus in declinatione non conuenit. De Vomitu in Declinatione vniuersali morborum citando, vt apertè sententiam proferam meam: mihi videtur dicendum, non conuenire, quia, *quò natura vergit, eò ducere oportet, &c.* in declinatione morborum, materia concocta, reddita grauior deorsùm tendit; & per aluũ secessum est ducenda: contrà, ac in principijs, quando materia sursùm vergens per vomitum est expellenda. & dicimus per Vomitum in declinatione nunquam fieri Crisim. ob id neque Medicus eo tempore Vomitum prouocare debere, intelligo autem validum Vomitum: nam leuis etiam in declinatione conuenit. At Gal. 1. ad Glau. cap. 11. in Quartana apparente coctione elleborum album exhibet. ergo in declinatione. Respondeo non conuenire, sed in principio potiùs, vt probabo cap. de curatione quartanæ.

De accessionibus particularibus.

Quærendum primò est; an Vomitus conueniat in die accessionis, necne; deinde in qua parte, seu tempore accessionis sit aptior. Hic autem notatur, & manifestè cognoscitur, quantùm differat superna purgatio ab inferna: nam superna conuenit in die impari, quando natura mouetur sursùm, atque Accessionem commouet. inferna verò euacuatio conuenit in die quietis cum febris non vrget, & humores deorsùm feruntur. *Vomitus in diebus paribus.* immò cibus in accessionibus prohibetur, vomitus autem laudatur, & sanguinis missionem prohibuit Celsus. sententia est Hipp. 5. Epid. num. 25. repetita 7. Epid. 32. *Ventres subpurgare oportet in Morbis, quùm matura fuerint, infrà quidem, ubi consedisse videris. signum habes; si neque anxij, aut capite grauati fuerint, & quùm calores mitissimi fuerint, aut quùm post exacerbationem cessauit, sursum verò in exacerbationibus. Tunc enim etiam sua sponte eleuantur, quùm anxij, & capite grauati fuerint, & se iactarint.* *Vomendū in exacerbationib.* Concocta medicari videtur voluisse, tam in purgationibus infernis, quàm in supernis. quòd si ita est, concocta etiam erit materia in exacerbationibus, sed non potest Hippoc. intelligere ad purgationem supernam, matura requiri: quia si maturitatis signum est, non esse anxios, nec capite grauatos, & calores mites. *An concocta materia in omnibus exacerbationibus.* contrariæ cruditatis contraria signa erunt, anxietas nimirum, capitis grauatio, & iactatio. quòd si hæc contraria essent signum tantùm, per quam partem deberet fieri euacuatio, quomodo agnoscemus matura? Dicendum igitur Hippocratem matura infrà, immatura suprà purgare. *Matura infrà purganda.* Vomitu etiã cibos crudos sæpè reijcimus, secessu verò nemo eos crudos expellere conatur; nec Vomitu concoctos. igitur cruda sursùm, concocta deorsùm sunt expellenda: quia contraria contrariò expellenda. sic igitur in declinationibus morborum, cum accidentia cessant, & in accessionum declinationibus: quia materia est concocta, & infrà consedit, infrà purganda; ob id ipse Hipp. dixit *subpurgare*, idest per inferiora purgare. & non inclusit Vomitum, vt dixi cap. 10. *In declinationib. infrà purgandum.* In accessionibus verò materia cruda sursùm vergit, sęduq. infert accidentia, ob quæ vomitu est expellenda. *In princip. sursū purgato.* sed 7. Epid. citato additur huic sententiæ. *Propterea verò in principijs purgandum non est, quoniam sua sponte in his temporibus expurgantur.* *Difficultas.* quæ particula, vel est addita, quia 5. Epid. non habetur, vel interpretanda, vt supra cap. 10. pag. 45. vel illud *non* est expungendum,

F cum

cum Mariano doctissimo, alioqui Hippoc. sibi contradiceret. non enim post accessionem est vomendum, quia iam ipse dixit, cum in exacerbationibus proritandum esse; non in Accessionis declinatione, quia tunc est subter purgandum: neque etiam in Augmento, ac Vigore, quia quiescendum, nec natura eo tempore solet moueri. ergo excitandus Vomitus erit in principijs, cum natura solet moueri, eam enim debemus imitari, si ipsa non mouet, vel insufficienter. ob Id Auic. dixit, *quum natura non mouet, moue tu hora motus eius.* ideò cum Hipp. dicemus. Propterea in principijs accessionum esse vomendum, quoniam sua sponte in his temporibus vomitus excitatur, vt naturam imitemur. supradictam sententiam confirmat Hipp. de humorib. num. 5. *Hac imparibus diebus* (inquit) *sursum, si & circuitus, & constitutio talis sit ex exacerbationibus. Fiunt autem plurima paribus diebus deorsum: sic enim & sua sponte prosunt, si non circuitus faciant exacerbationes in paribus. In talibus autem, in paribus sursum, in imparibus deorsum. Tales autem pauci sunt, & tales constitutiones etiam difficilius iudicantur.* praeterea lib. de Affect. num. 19. in Quartana. *Pharmacum sursum versus purgans dato in ipsa apprehensione. & interpositis diebus aliud deorsum purgans dato in ipsa apprehensione.* hic, quia in ipsa apprehensione exhibet tam pharmacum sursum purgans, quàm deorsum, sunt distinguenda tempora, ita vt Vomat æger initio accessionis, & infrà deijciat in declinatione. hęc sententia cõfirmatur ab alijs etiam. Cor. Celsus lib. 2. cap. 12. *Vomitus necessarius est omnibus, qui ante febres horrore, & tremore vexantur. Sed si acutus morbus est, sicut in colera. Si febris est: vt inter horrores, asperioribus medicamentis opus non est. satisq. est ea vomitus causa sumi, quæ sanis quoque sumenda esse proposui.* & lib. 3. cap. 12. ad horrores febrium. *Agitur cum primùm aliquis inhorruit, & ex horrore incaluit: dare ei oportet potui tepidam aquam subsalsam, & vomere eum cogere. nam ferè talis horror ab his oritur, quæ biliosa in stomacho resederunt. idem faciendum est, si proximo quoque circuitu æquè cessit, sæpe enim sic discutitur.* deinde subdit: *si quid euomuit, danda aqua tepida, iterumq. vomere cogendus est, vtendumq. eisdem est, donec horror finiatur.* cap. 14. de Tertiana, ea Asclepiade. *tertio die post accessionem dicit aluum duci oportere. quinto post horrorem, vomitum elicere.* & subdit ipse: *Tutiùs tamen est, vt hoc ipso ordine vtamur tria remedia, Vomitus, alui ductionis, vini potus per triduũ.* scilicet Vomitum in tertio, & alui ductionem in quinto, & cap. 15. de Quartana. si quarto die cum horrore febris reuertitur, vomendum voluit, sicut supra dixit, Galen. lib. quos, & quando. *dum accessio infestabit à superioribus educes: vbi destiterit, quod intermissionem dicimus, ab inferioribus trahes:* ad hoc etiam faciunt, quæ spontè in morbis eueniunt: multis enim per accessiones vomitus excitatur, & sanguis è naribus erumpit, non paucis intermissione facta, lotium, & aluus fluit. præcipuè verò quo tempore accessiones, & iudiciales dies, adueniant, obseruandi erunt, si quando per inferna purgare molieris. Nam si ad superiora humores inclinauerint purgantis medicamenti efficacia impedietur. Aetius ser. 3. cap. 125. *In quartanis verò, & intestinis fluxione vexatis in ipsis accessionibus.* Arnald. de Villanoua in Antidotario cap. 25. de Vomitiuis. *In febribus interpolatis exhibitum vomitorium ante horam accessionis eradicat, vel alleuiat valdè paroxysmum.* Nicolaus Alexandrinus in suo Antid. magno ponit aliqua Electuaria laxatiua sumenda ante horam accessionis non ad Vomitum proritandum. vt cap. 278. ad quartanam, & quotidianam cap. 462. ad Tertianam cap. 463. ad Quartanam, 464. ad Quotidianam: sed voluit, vt in declinatione aluum deijcerent, dat autem ante accessionem per horam, quia tardè operantur: sed quartanarijs Vomitum in principio accessionum præscribunt Auic. Rasis, Alexander. & ex recentioribus Pedemontanus, Altimarus, & alij, quos referemus lib. 2. cap. propr. de Tertiana, Quotidiana, & Quartana. initio etiam Accessionum Vomitum laudãt Langius lib. 2. Epist. 60. Fernel. lib. 3. meth. cap. 12. At quo die morbus exasperatur, agitataq. eius materia in motu est promptiùs detrahitur. Quocirca si per vires licet, neque ingens metuitur perturbatio, impari die acutorum morborum, atque etiam decretorio, (quo tamen natura decretura non est) copiosior, expeditiorque; pari verò tutior fiet purgatio.

Quare vomendũ in principijs.

In diebus imparib. & exacerbationib. sursum, in paribus deorsum.

Celsus.

Asclepiades facit Vomitum in accessione.

Imitanda natura.

Aetius.

Arnald.

Sed circa supradicta non pauca insurgunt difficultates: nam in primis Hippocr. 1. Aphor. in Accessionibus abstinere oportet, &c. & idem Hippoc. 4. de mor. 21. *Quicumque* (inquit) *iam à febre continua correpti, pharmaco vsi sunt in diebus paribus; hi nimium purgati numquam sunt. Qui verò in diebus imparibus medicamento forti vsi sunt; nimium purgati sunt. Multi verò etiam perierunt. Proinde priores Medici in hoc maximè peccarunt: medicamenta enim exhibuerunt in diebus imparibus, & homines peremerunt, non scientes, quod hæc res se ita habet. Humor enim in corpore ægroti magis turbatur in imparibus diebus, nimirum corpore humorem ad ventriculum transmittente. Et si quis iam turbatum, adhuc magis turbet medicamento immisso: nihil miri est, ex talibus hominem perire.* Auicen. prima quarti tr. 2. cap. 7. & non moueas in die paroxismi aliquid, quantum possibile est tibi. lege Costæum in com. 1. pag. 28. Itaque in diebus imparibus, & quùm humores conturbati sursum irruunt, non sunt danda Vomitoria, ne fiat superpurgatio. & pereant infirmi.

Non purgandũ in diebus imparibus.

Secundò Hippoc. lib. 2. de morb. 39. ad Quartanam non exhibet Vomitum nisi in declinatione, scribens. *Altera verò exacerbatione, vbi multa calida laueris, & stragula ipsi iniece-*

Veratrum datum in declinatione.

ris

rit donec exudet statim Veratri albi radices, &c. vbi si post sudorem dat Elleborum, quia sudor non fit in principio, sed in declinatione, dedisse apparet post accessionem.

Tertiò, C. Celsus lib. 3. c. 7. de febre pestilent. *Vomitus post febrem eliciendus est*. deinde subdit: *Si pituita in stomacho coÿt, inclinata iam accessione, vomere cogendus est*.

Vomitus post febrē.

Quartò, Galenus, seu Herodotus in libro dicto Introductio. cap. 14. *Conuenit (inquit) per superiora purgatio morbis longis demoliendis. Tempus huius est, cum morbi intermittunt. Inferiori parte adhibita, acutis, vt pleuritidi, & peripneumoniæ. Tempus verò vniuersa est particularium accessionum remissio.*

In intermissione.

Quintò, Aetius ser. 3 cap. 125. *In morbis in quibus interualla sunt, dandum est Veratrum in interuallis. in alÿs, quandocumque contigerit.* Auic. prima quarti tex. 2. cap. 7. *& non euacues per fluxum ventris in die periodi, neque phlebotomes.* sed non prohibuit Vomitum. & cap. 39. de terciana. & oportet, vt non moueas in die paroxismi aliquid, nisi propter necessitatem.

Responde-tur.

Vt his satisfaciamus, prænoscendum erit Accessiones dici, tam in febribus redeuntibus, quā in alijs morbis, vt Epilepsia, Hemicrania, Vertigine, & alijs. & in his accessionibus non intelligimus vomendum, neque in harum principijs, sed in intermissione. at in febrium typis vomendum volumus, & in earum principijs. nobiscum videtur sensisse Oribasius lib. 7. collect. cap. vltimo. *In Accessionibus verò (inquit) morbo, qui magnas, & ordinatas intermissiones habeat, & multas, ante mediari oportet. Cum verò paruas, & inordinatas, purgatio adhibenda est, cumprimum accessio cessat, & præsipue in morbo Comitiali; verendum enim est, ne morbus vocis, & sensus expertem hominem reddens, & omnium immoderatissima occupet, & graue, ac terribile aliquid faciat. In continuis verò morbis ratio temporis; tum ab hora sumitur; tum cum ægrotans promptus est, & mente constat, & robur corporis adest, & cætera, quæ pertinent ad apparatum, suppetunt.*

Oribas.

Ad primum dicimus, duo præcipuè esse notanda, de quibus verba facit Hippoc. in hoc textu, nimirum *febrem continuam*, non autem per accessiones repetentem, alterum verò *medicamentum forte*. itaque verè dixit in febre continua medicamenta fortia non conuenire. in qua (vt alibi dixi) fortia medicamenta non conueniunt, & tantò minus, quantò in diebus imparibus morbus est grauior, & natura relaxata, ob id contingunt superpurgationes, & indè mors, sed leuia medicamenta, vel etiam fortia medicamenta in febri non continua ex hoc loco non prohibentur; sicut neque medicamentum læue in febri continua, nam si in diebus imparibus (quùm exacerbatur febris continua, & materiæ motus ad ventriculum tendere videtur) læue aliquod vomitorium dederimus, vt aquam tepidam, & similia, nulla timenda erit super purgatio, sed maximum erit expectandum vexationis decrementum.

Ad secundum respondeo, quamuis negare non audeam hic Hipp. in declinatione Quartanæ Elleborum exhibere; & necessariò existimandum rear posse dari Elleb. alb. nō solum in Accessionis quartanæ principio, vt iussit lib. de affect. sed etiā post eius declinationem, vt lib. de morbis velle videtur. tamen, quia ambobus his locis multa similia verba leguntur, & ferè eadem curatio, existimo, quod in vno loco deficit, supplendum, & declarandum esse ex alio. ita quia lib. de affect. manifestè dicit medicamentum esse dandum *in ipsa apprehensione*. eodem modo ipsum intellexisse lib. de morbis. sed quando dicit, calida lotum, & stragulis tectum donec sudet, interpretor hoc esse faciendum per horam ante imminentem accessionem; nam iste sudor est prouocatus à balneo, & à stragulis, non à febris declinatione, nec in statu feb. conuenit calidæ lotio.

Ad tertium respondeo, etiam si Celsus in feb. pestilenti exhibeat Vomitum post accessionem ad materiam confluxam ad Ventriculum, non tamen ex hoc inferri, nō conuenire in principio, etiam, cum materia ad os Ventriculi fluit. illud postea cap. 12. & 14. concedit, vt dixi.

Ad quartum respondeo, Galenum velle in longis morbis, vt Epilepsia, & similibus, qui habent accessiones, cum morbi intermittunt, idest cum particulares accessiones fuerint remissæ. & rectè loquitur de Vomitu, qui quùm Natura ferè succubuit non est prouocandus. in acutis verò morbis dictorum iure exhibet Gal. in declinatione. quis tunc tendit materia deorsùm.

Ad quintum facile respondetur, nam Aetius optimè diffiniuit in aliquibus morbis dandum esse Veratrum in interuallo, vt est Epilepsia; in alijs, in accessionibus, vt in quartana. & denique in alijs quandocumque contigerit, vt in ictero, &c.

Oribas. 5. collect. cap. 30. *Qui sumpto cibo febricitarint, aut facta conuenienti ciborum corruptione, si in principijs quoque annotationi nutriti fuerint, vel suspicio est, ne quid vitiosi alimenti sumpserint, si eis vomendum esse iudicauerimus, his Vomitum post assumptum potum (calidum) imperabimus, quibus quidem, vt reliquiæ diligenter expurgentur, etiam secundo loco dabimus, & sæpè etiam vt rei subiectæ attemperentur.* deinde ait, si in incremento quid vrgeat. *si multum humoris eis præbuerimus, eos quodammodo abluemus, ijs cum enomuerint, accidit vt, statim post assumptionem, & Vomitum, calor confestim per corpus euehatur, & ad statum proprietates proximè accedat.*

Sed plura de hac materia afferemus lib. 2. cap. de Quartana, & de Terciana.

An Vomitus ordine præcedat alias euacuationes. Cap. XIV.

SI eidem ægroto Venæ ſectio, Vomitus, & alui deiectio conuenire Medico viſum fuerit, quærendum eſt, quod auxilium priùs ſit adhibendum.

Si igitur Venæ ſectio, & Vomitus ſimul neceſſaria eſſe iudicauerit, à venę ſectione auſpicandum illi eſſe cenſeo. hęc enim omnes miſtim euacuat humores, & venas non multùm plenitudine diſtentas reddit: vndè poſteà à vomitus motu, non imminet periculum earum diſruptionis: ſic igitur expurgata copia, Vomitus fieri poterit, qui qualitatem humorum reſpicit. Nec poſt Vomitum ita apta cenſetur venæ ſectio, cum expurgatus iam ab eo ſit ſanguis, ablatis humoribus ipſum inquinantibus, & tunc euacuaretur ſanguis purus; non autem, vt priùs, impurus. Exempla deſumemus ab Hipp. qui 5. Epid. nu. 31. & 7. Epid. n. 44. Phœnici priùs ſecat Venã, poſtea Veratrum dat. & ſimiliter agit 7. in 6. Epid. primo in Angina. præterea 4. de Vic. acut. 21. *Nam venæ ſectio in his præferenda venit, deinde cliſmis eſt opus, ſi vehemens, & magnus fuerit morbus: ſi verò non, & poſtea medicamento opus ſit. ſanè id poſt ſanguinis miſsionem, ſecurè, & mediocriter porrigendũ.* quod probat Gal. in com. deinde tex. 28. *Talibus* (inquit) *ſanè priùs adhibitis fomentis, venam confeſtim ab initio ſecare oportet, cum nondum fixa ſunt omnia, quæ contriſtant, tum ſpiritus, tũ fluxiones: faciliùs etenim remedijs parent. Poſtea reficere expedit, & habita indicationis ratione, ſuperiorem ventrem, ſi non leuetur purgare.* Galen. in com. putat intelligere de Veratro. ipſe autem Galen. 5. Meth. cap. 14. pro Curando pulmonis vlcere. *Cæterum* (inquit) *de mittendo bis ſanguine ſciri illud licet. Quicumque parum habere ſanguinis videbitur, ijs ad quendam ſuccum probiorem reductis, detrahere ſanguinem poteris, tum rurſus reficere: eoſdem etiam rurſus purgare, ac rurſus reficere: denuo ſi res ſuadet, ſanguinem mittere, potiſsimum quibus veluti limus vitioſus, & craſſus, totus eſt ſanguis, at qui validi ſunt, multiq. ſanguinis, ijs ſtatim à principio eſt detrahendus.* & cum Gal. omninò ſenſit Auic. 4. primi doc. 5. cap. 4. *Quum autem,* ſcribens, *minutio neceſſaria fuerit, & ventris ſolutio ex aliquo, quod ſit, vt Elleborus, & violenta medicina, à minutione incipere debes: quoniam hoc eſt ex præceptis Hippocratis in lib. Epid. & hæc eſt veritas, & ſimiliter ſi humores fuerint phlegmatici cum ſanguine mixti. quod ſi viſcoſi, & frigidi fuerint: fortaſſe minutio groſſitudinem, & viſcoſitatem eis augmentabit. incipiendum ergo erit à ſolutione ventris. Et ad ſummum ſi humores fuerint æquales, præmitte minutionem, & ſi poſtea humores ſuperabundauerint, euacua; quod ſi æquales non fuerint, in primis ſuperabundantem euacua humorem, donec æquetur: poſtea minue. Et ei, qui ante minutionem præmiſerat medicinam, quàm minutionem præmittere debebat, poſtponat minutionem diebus paucis: & cui parum intereeſſit ſpatium, ex quo minutus fuit, & euacuatione indiget; medicinam ſumere eſt ei conuenientiùs. Multoties præterea ex hauſtu medicinæ, ille, qui minui debebat, peruenit ad febrem, & æſtuationem. Et ſi ex eis, quæ quieſcere faciunt, non quieuerit: ſciat quod minutionem præmittere debebat.* Coſtæo in com. viſum fuit in copia ſanguinis cum virium robore à venæ ſectione eſſe inchoandum. at ſanguine pauco, aut prauo, cum viribus imbecillis, à purgatione exordiendum.

Hoc autem accipi velim pro vniuerſaliori decreto, ita tamen vt poſſint multi caſus excipi. vt quùm v. g. cruditates ſunt in Ventriculo, ne ab inanitione venarum crudi ſucci, & impuritates inteſtinorum ad venas trahantur, conueniet primò Vomitus, ſicut communiter clyſter præmittitur. & Hippoc. 2. de mor. 71. in morbo nigro. *Poſt medicamentorum potiones ſurſùm purgantes, de manibus ſanguinem detrahito, ſi non fuerit debilis.*

Cruditate exiſtente primo Vomitum.

Ita etiam ante fortem alui deiectionem faciẽda eſt phlebotomia, vt meatus ſint laxiores. immò, ſi non fuerit facta, quandoque ob periculum ſuffocationis in ipſa vomitione, Plinius eamdem adhiberi ſcripſit. & ex Valeſio, phlebotomia præcedit alui deiectionem lib. 7. controu. cap. 9. Hęc etiam regula, ait, ſępè tranſigitur à Medicis, qui primò dant minoratiuum, & poſt tertium ſyrupum mittunt ſanguinem.

Phlebotomia ante forte ſolutiuum.

Quis autem ordo inter vomitum, & alui deiectionem ſit ſeruandus, vt determinetur, conſulendus Hippocrates erit, qui videtur, vt plurimùm, Vomitum præmittere. nec pauca exempla adferri poſſunt, vt ſecundo de Morb. num. 70. ad affectum quendam Hypocondriacum difficilem. *Veratrum bibendum dato, & caput purgato, & poſt capitis purgationem, pharmacum deorſùm purgans bibat.* Præterea idem retulit eodem lib. num. 12. ad morbos à capite. & num. 13. ad vlcera capitis: & num. 15. ad aquam in Cerebro, & num. 49. in Tabe dorſali, & num. 69. in pituita alba, & num. 72. in alio morbo nigro. vbi ait: *Hunc medicamentis ſurſùm, & deorſùm purgare oportet.* non dixit medicamento, ideò non vnico vtendum, quod ſimul ſurſùm, & deorſùm purgat. & lib. de inter. affect. nu. 21. in Tabe, num. 28. in aqua intercutem à Splene. & num. 38. 39. 40. & 41. in quatuor morbis regijs. & primo de morb. mul. 83. ſi Vteri pituita fuerint impleti. & num. 91. ad vlcera vteri. & ſecundo de mor. mul. 8. in fluxu fuluo. & num. 14. ad alium fluxum. & de nat. mul. num. 10. ad menſes albos dat Veratrum, & ſubdit: *Poſtquam autem ſuperior Venter tibi purgatus eſſe videbitur, pharmacum infrà purgans bibendum dato.* &

Vomitum ante alui deiectionem.

Hipp. per Vomitum purgat deorſum.

num. 15.

num.15. ad fluxum album. de sterilibus 8, & alibi etiam idem videtur docere. Celsus etiam lib. 3. cap.14. de Tertiana, vt supra dixi, tutiùs censuit præmittere Vomitum, quàm alui subductionem. *Ratio id probans.* & ratio est, quia tam Natura, quàm medicamenta (quæ suprà, & infrà purgant) priùs supernum ventrem, deinde infernum, euacuant. sic febris initio Vomitus fit, in declinatione verò alui deiectio. sic Antimonium, Lathyris, Elaterium, &c. priùs per Vomitum; deindè per alui subductionem actuantur; tenuiores enim humores superna petentes. vel crassiores etiam ventriculo contenti priùs sunt euacuandi. Atqui repleto vetriculo facilis succedit Vomitio; sed post alui subductionem exinanitus venter non suffert magnum motum, atque violentiam Emeticorũ. *Vomitus post alui deiectionē nocuus.* ideò quandoq. Vomitus post multam alui deiectionem plurimùm læsit patientes, siue fuerit à natura excitatus, vt in longis intestinorum læuitatibus, siue ab arte, & ab Elleboro. cuius exemplum habemus apud Hippoc.5.Epid.nu. 16. *Qui ex Eubæa*, inquit, *venit Adolescens, quùm multum esset deorsùm purgatus, intermissione facta, quietus febricitauit: deinde quùm putaret se purgatione sursùm versus opus habere, non validam radicem Veratri bibit, & post potionem quarta die mortuus est, nihil expurgatus: Verùm somnus ipsum tenebat, & sitis sedari non poterat.* Huic igitur ab assumpto sursùm purgante post purgationem deorsùm (quamuis in pauca quantitate Veratrum sumpsisset) mors contingit. *A Veratro mortuus.* namque ob præcedentem multam purgationem non fuit à Veratro purgatus; sed commoto corpore, iam priùs inanito, sitis, & somnus accesserunt. Idem videtur accidisse anno 1627. cuidam Medico Romano nõ vulgaris eruditionis. qui in septima, & in accessione plurimùm vomuerat. & in octaua multùm infrà deiecerat, assumere voluit in nona, instante accessione stibij Vitrum vino infusum in pauca dosi, & post potionem quarta die mortuus est, nihil expurgatus, sed solum vncias iij. vel iiij. humorum. Verùm delirium accessit, & nihil contulit.

Ordo seruandus. Præcedat igitur Phlebotomia Vomitum, Vomitus autem alui deiectionem. At clyster sicut præcedere debet Venæ sectionem (quàuis Hipp. de Victu acutorum postea imperet) ita etiam erit dicendum de Vomitu.

Hipp. aliquando contrarium fecit. Contrarium tamen aliquando iussisse Hippocratem reperio. & primò dedisse deorsùm purgans, deinde sursùm. vt secundo de morb.64. in Morbo siccatorio. *Huic medicamentum bibendum dato, primum deorsùm purgans, postea superne, & caput purgato.* & num.66. in Morbo liuido. *Huic medicamentum & deorsùm, & sursùm purgans bibendum dato:* Salius primo deiectorium explicat, deinde Vomitorium. ego crederem, simul per vtramque partem purgans. & de Inter. affect. 52. in morbo crasso. *primò deorsùm per Hyppophaes succum, deinde sursùm per Veratrum.* præterea Oribasius 7.Collect.cap.23. seu Galenus lib. quos, & quando. *Hydrops, quem φλεγματίαν appellant, eget medicamento pituitam educente, ac primò quidem per inferiora, deinde per Vomitum, postremò per nares, & palatum.* Quare dicemus id esse præstandum quùm vel reuellere in animo fuerit, vel ventriculum esse repletum innotuerit.

De frequentia Vomitus.
Cap. XV.

VOMITV vti solemus, & rarò, & sæpè; sicut etiam, & debili, & forti; & præseruationis, & curationis causa. ob id obseruandæ sunt ægrotantis vires, & morbi pertinacia, quæ vnico medicamento tolli nequit. Celsus ad insanientes scribit lib.3.cap. 18. *si semel datum Veratrum parum profecerit interposito tempore, iterùm dari debet.* & lib.cit.cap.23.ad Comitiales. *ter quoque aut quater Veratro vtendum, non ita multis interpositis diebus, sic tamen, nè iterùm vnquã sumat, nisi coegerit.* & ad Strumas lib.5.c.28. *debet sæpiùs dari donec ea digerantur.* & Dioscorides lib.6.cap.ad Canis morsum. *Non semel, atque iterum; sed frequentiùs dandum.* Hipp. autem primo de mor. mul.25. in mensibus pituitosis, *frequenter Vomere.* & secundo de mor. mul. 8. ad fluxum fuluum. *frequenter ieiuna vomat.* & 64. in capitis dolore. & alibi. vt autem hanc frequentiam exactè explicemus, ad particularia erit descendendum ab auctoribus posita.

Bis in Anno quandoque esse vomendum scriptum reperio apud Hipp. de inter. affect. 21. ad Tabem scribens. *& primum quidem Veratrum bibendum dare, infra autem subpurgare epithymo, aut peplio, aut grano cnidio, aut tithimallo. hæc quater in anno dare oportet, sursùm bis, deorsùm bis.*

Semel in mense. Galenus meminit, scilicet de Vsu part. 4. *Rectè*, inquit, *veteres Medici vomitus à cibis in singulos menses repetiti præcipiebant, alij quidem semel, alij verò bis.*

Bis in Mense. legitur apud Hippocr. de salubri diæta.7. *Quicumque autem bis in mense vomere consueuit, &c.* & 3.de Diæta.3. & de Insomnijs. 6. *bis in mense vomat.* & secundo de morb. 13.

Ter in Mense. scripsit 3. de diæta. 3. *Hyeme vtendum est Vomitibus, si humidiores sint ter in mense, si siccatores bis à cibis omnis generis.* sic etiam de Victu Acut. circa finem, seù 64 post Hemorrhoidas sanatas.

Decimo quoque die præscripsit. 3. de diæta. 12. & 14. *decima autem à Vomitu die rursùs vomat.* ita etiam num.19. & 20. nec non de insomnijs. num.8.

Septimo quoque die. vomendum voluit. 3. de Diæta. 11. & nu.17. *Vomat, & post 7. die omnem cibum assumat, & vomat rursùs.* & de Victu Acut.67. *Vomat per interpositos dies septem.*

 Sexto

Sexto quoque die etiam probatur Vomitus. 3. de Diæta. 8. & de int. affect.47. ad Voluulum . *vomitus faciat per sextum diem*. & dixerat priùs num. 44. ad Typhos. *Veratrum per sextum diem dato*.

Quarta, aut tertia die. scripsit 3. de diæta 3 nu.4. *vti, & vomitibus primum quidem quarto quoque die, deinde per longiùs tempus*. & primo de mor.mul.91.

Vomitus continuatus. Sed continuis pluribus diebus Vomitum adhibuit Hipp. aliquando per biduum, vt constat de salubri diæta. 7. *Quicumque autem bis in mense vomere consueuit, huic meliùs est, vt consequenter in duobus diebus vomat, quam quintodecimo quoque die. Verùm aliqui penitus contrarium faciunt*. Gal. com.21. nihil differre censet. sed rationabile est meliùs euacuari ventriculum cõtinuato Vomitu, quàm intermisso. quod enim prima die remansit, secunda omninò expellitur. Gal. 3. de med.paratu fac. 166. ex Basilio, te per biduum vomere oportet, vtrumque, quoniam per diem vnicum stomachus purgari non potest. Celsus id confirmauit lib. 1. cap. 3. *Qui vomere bis in mense vult, meliùs consulet, si biduo continuarit, quam si post quintum decimum diem vomuerit, nisi hac mora grauitatem pectori faciat*. Auic. 4. primo d. 5. 13. idem attulit dicens. *Hippocrates praecepit vomitũ fieri in vnoquoque mense duobus diebus continuis, vt in secundo emẽdet id, quod in prima die fuit difficile. & vt expellatur id, quod aduenit stomacho*. Haliabbas autem primo pract. c.12. *Nec incongruum est* (inquit) *uti hominem vomitu in mense semel, aut bis, magisque æstate, quo mundetur stomachus, & caput, & corpus à superfluis. Quandoque meliùs hac in re, vt vtatur Vomitu duobus continuis diebus, vt mundetur omninò stomachus in secunda die, & egrediatur, quod priùs non potuit superfluitatis. prima etenim die attrahitur vomitu, quod superfluum in venis remotis ad stomachum paulatim, nec potest exire eadem die propter paruitatem eius. hoc ergo cum sit collectum in stomacho, secunda die oportet recurrere ad vomitum, vt exeat crapula hæc, & mundetur stomachus ab ea: non debet autem cognita quauis hora vomitum facere, ne forte fiat consuetudo: sed oportet variare tempora eius, quandoq. igitur acceleret, quandoq. differat. hoc quidem modo Vomitu vtendum est*. *(Vomitus per biduũ.)* Ego autem vsus sum Elleborismo duobus diebus continuis in febribus longis, & de facto morbum abstulit: sed secunda die fuit molestior prima, securè autem dari potest Vomitus læuis pluribus diebus continuis, videmus enim prægnantes per plures dies continuos euomere. *(Solenander sect. 5 consil. 2. id etiã improbat in arthritide.)* At Vomitus fortis tempus requirit, quo natura recreari possit. ob id Auic. monet nos sic. 4. primi doc. 5. cap. 11. *Minutio non est cum eo continuanda: sed tardanda tribus diebus, & præcipuè si in ore stomachi fuerit grossities*.

Vomitus frequens. Sed ab Hipp. per tres continuos dies laudatur. vndè scripsit de int.affec.21. de Pituita. *Vomitus post cibum facere oportet per duos, aut tres dies*. Quinque etiam continuis diebus aliquando vomendum est, sed à læuioribus irritantibus, vt docet Hipp. de intern.affect. septimo. in inflam. pulmonia.

Septem autem continuis diebus vomitum præscripsit Hippoc. primo de mor. mul. 101. ad conceptum. post cœnam ex aqua mulsa.

Celsus lib. 1. cap. 3. non laudat frequentem vomitum, dicens: *Itaque istud luxuriæ causa fieri non oportere confiteor, interdum valetudinis causa rectè fieri experimentis credo. Commoneo tamen ne quis, qui valere, & senescere volet, hoc quotidianum habeat*. itaque quotidianum, & caninum vituperat, quùm quis eò Vomit, vt meliùs ventriculum impleat. & Plinius scribit, meritò Asclepiadem vituperasse Vomitum nimis frequentem. *(Vomitus frequens nocuus.)*

Pluries etiam eadem die Vomitum excitauit Hippoc. vt de inter.affect. num.30. in morbo Hepatico dat mulsam, & subdit. *Et si quid pituitæ, aut bilis euomuerit, rursus idem facere oportet ad horas quatuor, proderit enim*. & nu. 42. in Typho. *Si verò sitis fortis premat propter calorem. potu aceruatim dato, euomere iubeto, bis aut ter hoc repetito*.

(Tempus inter Vomitorium & deiectorium.) Præterea est notandum, post vomitum præcipuè validum non dedisse Hippoc. statim sequẽti die deiectorium; sed vires priùs roborasse. vt secundo de mor. mul. 8. in fluxu fuluo. *Veratrum ipsis dato, & intermissis tribus, aut quatuor diebus pharmacum deorsùm purgans exhibeto*. & num. 24. in alio fluxu. *pharmacum sursùm purgans dato, deinde intermissione facta. rursus, quod infra purgat*. in læuibus vomitibus, si validæ fuerint Vires, id non mihi videtur necessarium. sed & post sanguinis missio. nem reficit priùs vires Hipp. quàm medicamentum Vomitorium exhibeat 4. de vic. acut. 29.

Fomentis adhibitis venam secat, & subdit: *Refectis viribus, & consideratis indicationibus med. adhibere sursùm purgans, &c.* vel clysterem. tandem deorsùm purgat lacte.

Verum ab assumptis venenis, vt illico tota expellantur. ex Dios. & alijs; non modo eadem die, & hora reiterandus est pluries Vomitus, vt omninò exinaniatur, & defœcetur Ventriculus; sed etiam statim per assumpta, & per clysteres aluua ducenda, vt Venefica materia diu non moretur, neque in intestinis.

Vsus Vomitus Præseruatorij. *Cap. XVI.*

HIPPOCRATES (vt ex eius scriptis, præcipuè verò de salubri diæta. de diæta. & de insomnijs, colligere licet) ad conseruandam sanitatem, non alis videtur vsus fuisse corporis euacuatione, quã per vomitum: vndè nunquam meminit venæ sectionis; vel deiectionis in libris de sanitate tuenda so-

da solummodo. 6. aph.47. scripsit. *Quibuscumq; vena sectio, vel purgatio cum medicamento conuenit, hos Vere purgare, vel venam incidere oportet.*

Hipp. aph. explicatus.

possem dicere Vere purgare per superiora voluisse ad præseruationem. sed non mihi videtur Hipp. loqui de præseruatione, & sanitate tuenda; sed de curādis morbis actu existentibus. Nam ait, *quibus conuenit* scilicet in præsenti ob vrgentiam morbi, & patet manifestè id voluisse Hipp. quia nunquam legitur ipsum Vere secasse venam, vel aluum purgasse ad tuendam valetudinem. siquidem lib. de sal. diæta. non secuit venam ad conseruandam sanitatem. sed vomitu

Vomitu tamen Hippocr. vsus ad preseruandum.

tantum hyeme vtitur, Æstate clysmate. & tribus libris de Diæta, atque lib. de insomnijs Vomitu, & Veratro vtitur, non alio medicamento purgante, nec Venæ sectione. sed semel tantum 3. de Diæta num. 11. scripsit. *Exhibendi sibi laues, ac molles ad dies decem, atque hi aluum mouentes, quo venter inferior superet, & de capite reuellere valeat.* Non igitur optimi in-

Galen. notatus.

terpretis munere functus est Galenus in explicatione Aphor. 47. citati scribens. *liquet, quod de ijs, qui adhuc sani, sed ægri futuri sunt, nisi euacuentur, nunc sermo habetur Hippocrati, His enim oportet, vt anticipemus euacuare Vere adueniente, vel per Venæ sectionem, si plenitudinis passionibus subijciuntur, vel per purgationem, si eis, quæ ex corruptione proueniunt.* falsa est interpretatio, scilicet, non ad Hippoc. mentem, qui Vomitu tantùm, vt diximus, futuras ægritudines arcebat: præsentes verò curabat venæ sectione (si magnæ, & cum virium robore)

Obiectio.

atque purgatione sursùm, & deorsùm. sed dices conuenit in Athletis sanguis missio ad præseruandum, & tempus aptum Ver, tunc enim magis abundat sanguis.

Respondeo, est peccatum magnum in copia superabundantis sanguinis, ideò contrarium mox indicat, quia sanguis est causa mox futuræ vasorum ruptionis. & quia hic morbus per instans imminet, tamquam præsens curatur. licèt reuera sit præseruatio. quare dempta sanguinis nimia copia, non est exemplum Hipp. ad præseruationem phlebotomasse. Et quamuis Galeno benè successerit, laudentq. Moderni, Vere venam secare, & per secessum purgare ad præcauendos

Vsus modernus.

morbos, nec repugnet quotidiana experientia. non tamen est ad mentem Hippocratis, sed Galeni. & quamuis hic vsus non sit reprehendendus, tamen in hoc casu Hippocratis morem, & medicandi per Vomitū modum censeo præstare.

Sed ad Hipp. reuertamur ex quo Vomitus cōuenit, vt sani degamus, nec in morbos incida-

Vomitus præseruatorius hyeme.

mus, præcipuè Hyberno tempore: vndè scribit de salubri diæta. siue Hippocrates fuerit, siuè eius discipulus Polibus. *Sex menses hybernos vomendum est: hoc enim tempus pituitosius est æstiuo, & morbi circa caput fiunt, & regionem eam quæ est supra septum transuersum.* Hyeme præcipuè Vomitu vtitur præseruationis causa, per sex Brumales menses, intelligit autem à medietate Autumni vsque ad medium Ver, siue ab occasu Vergiliarum vsque ad earum ortum, scilicet à medietate Octobris, vsque ad initium Maij, & vt supra diximus. Rationem autem attulit Hipp. nimirum, quia tali tempore pituita abundat, quod Medicis omnibus notum est. expurgat autem potiùs per Vomitum, quàm per secessum;

Cur Vomendum hyeme.

nam morbi sunt educendi, qua parte sunt proximi; ideò pituita in Ventriculo, existens per vomitum euacuanda, & quia morbi, qui supra septum transuersum sunt, commodiùs per vomitū purgantur: ideò supra Hyeme purgat Hipp. afficitur enim caput catharris, & pituita in Ventriculum fluit, ac aliæ partes supernæ pituita vexantur, rectè igitur pituita per superiora expel-

Cōtra Galenum.

litur, non quidem, vt reuellat materiam deorsum fluentem, vt voluit Gal. in com. sed vt propriè Ventriculum, & partes supra septum transuersum euacuet. nec vlla contradictio est inter hunc textum, & Aphorismum illum, quo scribit. *Medicari æstate superiores magis, hyeme inferiores.* nam hic loquitur de bile: at de salubri

Hipp. explicatus.

Diæta, loquitur de pituita, humores autem per tempora anni, ita se habent, vt Hyeme pituita sursùm petat, bilis deorsùm feratur. Aestate autem bilis sursùm feratur, pituita verò deorsùm. quæ veritas patet ex altero Hipp. Aphor. lib.3. aph.23. vbi morbi Hyemales numerati, cū fiant à pituita, caput, & partes supra septum transuersum petunt. *Hyeme verò* (inquit) *morbi laterales, & pulmonis inflammationes, grauedines, atque raucedines, tusses, dolores pectoris, & laterum, atque lumborum, capitis dolores, Vertigines, & Apoplexia.* Non ergo pituita hyeme deorsùm vergit, vt putauit Galenus. Quare euacuabitur per superiora æstate bilis; Hyeme verò per superiora pituita, medijs autem temporibus, quādo vterque humor abundat, per vtramque partem euacuabimus. & sic quoque explicabimus aphor. 6. lib.4. *Graciles,*

Hipp. aph. explicatio.

& facilè vomentes purgare superius, cauentes hyemem. vt graciles, & biliosi facilè vomentes, si sint purgandi, Vere, & Autumno superiùs purgentur à bile; nam de æstate iam priùs definiuerat Hipp. vult autem cauendam hyemem in vomitu biliosorum, quia hyeme Ventriculus abundat pituita non bile. quòd si euacuanda sit peccans bilis in vomentibus difficulter, qui solent esse benè carnosi, Hyeme, Vere, & Autumno, commodè per inferiora euacuabitur, tunc enim facilè descendit. Æstas verò cauenda ab ijs in bile euacuanda deorsùm, quia eo tempore hic humor non inferna, sed superna petit. Quoad concordantiam tex. 15. de

Explicatio Galeni refellitur.

sal. diæta. cum Aphor. 4. sec. 4. quam imaginatur Galenus, nimirum, si Vniuersum Corpus sit euacuandū æstate per superiora, hyeme per inferiora. scilicet vt potius reuellamus contrario motu non est legitima explicatio, nec verum est, semper pituitam descendere. & bilem descendere; vt alibi probabo, nec Galen. dissentit. Haliabbas primo pract. cap.17. *Si videris* (inquit) *signa superabundantis cholera, festines inanire vomitu, si est tempus æstatis, & patiens senserit falli-*

rit falli-

rit fastidium, aut punctiones, vel morsus in stomacho exhibebis Vomitum, cum Oximelite, & aqua calida, aut cum aqua hordei, & sem. melonis, vel citruli, endiuiæ, atriplicis. Cum dominabitur flegma acceleres, necesse est, euacuationem eius per vomitum, si tempus æstiuum fuerit, aut Autumnus: sin autem aliud tempus medicamine laxatiuo flegmatis. fit autem Vomitus cum rachate (an ficus Pharaonis; idest Ricinus?) *& nama, aut cum Strutio, & squalenego cum decocto Aneti.*

Vomitus ad acuendam mentem.

Quo ad præseruationem à quibusdam morbis, & ad tuendam sanitatem Hippoc. 1. de Diæta num. 33. vtitur vomitu in sanis, vt sapientiores; & acutiores vltra naturam fieri queant, & præter Victus, & exercitij rationem addit. *Confert, & vomitibus uti, quo corpus depurgetur, si quid defectuosius labores transegerunt.* Igitur non ad curandum insaniam; sed ad conseruandam sapientiam vomitus proficit. hoc confirmat illud, quod tradidit Plinius de Elleboro. *Quondam terribile, postea tam promiscuum, vt plerique studiorum gratia ad peruidenda acrius, quæ commentabantur, sæpius sumptitauerint. Carneadem responsurum Zenonis libris, &c.* vtemur igitur non solum vomitu, sed etiam Elleboro, non quidem vt amentiam depellamus; sed vt sapientiam tueamur. Euacuando enim superfluam pituitam, quæ sua frigiditate, & crassitie ingenium obtusius reddere poterat, efficiemus, vt spiritus animales fiut puriores, ac tenuiores, indè mens erit acutior. quod si bilis abundet ea euacuata vomitu, partes superiores meliùs se habebunt depuratæ à superfluitatibus, quæ spiritus animales perturbare poterant.

Spiritus animales tenuandi.

Vomitus humectat & siccat.

Scribit etiam secundo de Diæta 22. *Vomitus attenuant propter cibi euacuationem, non tamē siccant: si quis postridie rectè curet: sed humectant, propter repletionem, & colliquationem carnis præ labore: si verò quis sinat hæc postridie consumi in alimentum caliditatis, & diætam sensim adhibeat, siccant. Ventrem autem compactum vomitus soluit, & egerentem magis, quam oportet sistit: illum quidem humectans, hunc verò siccans.* Notanda est hic Vomitus mirabilis proprietas, siccat enim, & humectat, diuersa efficiens pro diuerso vsu, sic purgat aluum, & sistit. Attenuat autem vomitus ipsum corpus, euacuando enim cibum, reddit corpus illo alimento destitutum, tenuius, non tamen ex euacuatione siccum redditur, si voluerimus. Quare si attenuatum, ac siccum reddere libuerit, postridie diætam paulatim adhibebimus, & paucum cibum, vel inediam imperabimus: sic enim illa humiditas, quæ præ labore à carnibus colliquatis fuit expressa, & repleuit corpus, consumetur in alimentum caliditatis corporis inaniti, & exiccabitur corpus, si verò corpus humectum maluerimus post Vomitū pleniùs nutriemus, sic enim colliquatio carnis præ vomitus labore, quæ repleuerat corpus à caliditate non consumpta; sed cibo aucta, corpus humectabit, & hæc est sententia Hipp. si verò aluum voluerimus astringere, vel laxare, hoc faciendum docet Hipp. subdens. *Quum igitur aluum quis sistere volet, auidè deuoratum cibum euomere oportet, prius quam humescat & infra detrahatur, & magis acerbis, & austeris edulijs uti. Vbi verò soluere aluum quis velit, plurimo tempore cibis immorari cōfert, & acribus, ac salsis, & pinguibus, ac dulcibus tum cibis, tum potionibus uti.* postea vomendum intelligitur. vult autem Hipp. ad sistendam aluum à cibo auidè, & celeriter ingesto, statim vomendum esse, sic enim nihil cibi ab intestinis detrahetur, & fiet reuulsio ab inferioribus ad superiora. at si aluus sit mouenda, cibo paulatim, & longiori tempore, & non citò ingesto Vomendū, & fortasse post aliquod tempus. sic enim ex succo descendente, iam aliquod attraxere; vndè humectata fuere intestina, vomitu autem accedente ob motum, & expultricem irritatam etiam infrà deijciuntur excrementa. accedit etiā pro astringenda aluo, vsus ciborum astringentium, pro citanda verò, ciborum laxantium, & citantium.

Purgat aluum, & sistit.

Vt attenuet.

Vt corpus humectet.

Vomitus aluum sistens.

Aluū humectans.

Ad tuendam valetudinem etiam pertinet lassitudinum ablatio à nimijs exercitijs ortarum. curare autem per Vomitum eas, docet Hipp. 2. de Diæta n. 31. lassitudinisq. causas sic refert. *Lassitudo autem à consuetis Exercitijs hoc modo fit: à moderato quidem labore lassitudo non mouetur, quum verò maior, quam oportet labor fuerit, carnem superexiccat, euacuata autem humore caro, calefit, & dolet, & horret, & ad febrem perducitur longiorem, si non quis rectè curet. Oportet autem primū quidem ipsum balneo non valde multo, neque nimis calido lauari: deinde exhibito à balneo molli Vino, in cœna offere plurima, & omnigena edulia, & potu aquoso, vino verò molli, ac multo uti: postea longo tempore his immoretur. donec venæ repletæ attollantur. deinde verò vomat, & post modicam stationem, molliter dormiat: postea per dies sex sensim ad cibos, & labores consuetos adhibeatur atque ita ad consuetum cibum, ac potum perducatur: vim autem habet hæc curatio talem. Resiccatum excellenter corpus humectare potest citrà excessum. Siquidem igitur possibile esset, laboris excessum nosse, quantus is esset, commodū foret ipsi per moderatum cibum mederi. nunc verò illud impossibile est. hoc verò facilè. Corpus enim resiccatū ab ingestis omnigenis edulijs, id, quod conducibile sibi ipsi est, sumit. vnaquaque pars de singulis cibis: repletum autem, & humectatum, aluo per vomitum euacuata, rursùs excessum remittit. aluus autem vacua existens reuellit excedentem itaque humiditatem caro eructat, moderatam verò non remittit, nisi per vim, aut labores, aut medicamenta, aut aliam quandam reuulsionem.* Hæc est ratio, qua Hippocrates lassitudines à nimijs laboribus curabat; at Galenus diuersam rationem instituit libris de sanit. tuenda. curat autem ipse conuenienti victu, frictionibus, & balneis, quandoque alui deiectione, vel venæ sectione, vomitu non vtitur, quem in ijs sex libris vix ter,

Lassitudinis causa.

Vomitus à cibo pro lassitudine.

Corporis humectatio.

Galeni curatio lassitudinis.

qua-

quaterve in ore per transitum habuit, ita eum abhorrebat. vndè 4. de sanitate tuen. 6. in lassitudine vlcerosa, cui coniuncta sit cruditas primarum viarum, sic scribit: *Haudquaquam tamen in eiusmodi affectibus vomitu vtendum suaserim, sicut nonnullis est visum, tum Medicis, tum Gymnastis falsis (vt opinor) ex ijs, quæ à Philotimo, & Praxagora de eiusmodi succorum curatione sunt scripta. Non enim si cum lassitudinum affectu abundant; sed cum soli infestant, Vomitus eos expellunt. quippe cum nullum periculum sit, nè intrò violentius reuellatur aliquid eorum excrementorum, quæ in carne consistere, quemadmodum certè est. cũ ambo redundant, & in primis venis cruda, & in solidis mordacia, caueri enim in talibus satiùs est vtrumque reuulsum, & forâs crudorum, & intrò mordacium.* deinde subdit: *Quod si vel Vomitu eos, vel alui deiectione educere violentiùs tentes, vtique eorum, qui foris sunt, aliquid intrò rapueris. Neque accusandus Philotimus est, si tali vsus expulsione, vbi citra vllum alium affectum crudorum abundãtia in primis venis constitit, quin potiùs nos ipsos assuefacere par est, vt Veterum scripta diligentiùs inspiciamus. Ergo quibus intus crudi succi copia est, & foris lassitudinis sensus, ijs hyssopum in mulso coquens, non statim, nec primo die, sed sequentibus dabis: Vomitu verò abstinebis, veritus, vt diximus, nè quid excrementi externi intrò rursum reuocetur. Praxagoras autem, ac Philotimus rationabiliter post eiusmodi mulsam, vomitum probant, propterea quod crudos, citrà lassitudinem succos curant.* hactenus Galenus, qui in lassitudinibus prohibet vomitum, etiamsi indicetur à cruditate in primis vijs, timet autẽ, nè materia excrementitia ad cutim, & musculos expulsa retrahatur in venas. sed Hippocr. in sola lassitudine non timuit vomitum; & eo ipsam curare tentauit, multò minùs timuisset adiuncta cruditate in primis venis. & non solùm magis credendum est Hippoc. experimentis innixo, quàm Galeno rationibus tãtùm suis quibusdam suffulto; sed id clarum etiã videtur, quia ex Vomitu materia cruda omninò tollitur. lassitudinis autem materia à leui vomitu non potest intùs reuelli; & si vellemus, vix fortibus assequeremur intentum; sed natura exonerata à cruditate molestante fortiùs insurget, & faciliùs resoluet, & expellet excrementa, quæ lassitudinem causant. curatio autem Galeni praua est, quia materia cruda in primis venis existens, quæ deberet expelli, mulso ex hyssopo attenuata (non autem concocta, natura enim concoquit) pertransibit ad venas, & ibi retenta (cum impossibile sit eam, coctione illa in sanguinem verti) aliquid mali parturiet.

Gal. verba Vomitum repellentis.

Gal. concedit cruda per vomitũ euacuando.

Cur vereatur vomitũ Galenus.

Galeni curatio praua.

Iterum Hippoc. 3. de Diæta num. 3. ad tuendã valetudinem hyeme vtendum vomitibus scribit; *Vtendum & vomitibus, si humidiores sint ter in mense; sin sicciores bis à cibis omnis generis à vomitibus sensim perueniendum est ad consuetum cibum per dies tres, eoq. tempore laboribus lenioribus, ac paucioribus vtendum à bubulis autem, & porcinis carnibus, aut alijs, quicquid tandem modum excesserit, repletus vomat, & à caseosis, & dulcibus, ac pinguibus, eum, qui non est adsuetus repleri, vomere conducit, & ab ebrietate, ac ciborum mutatione, & regionum alteratione vomendum est.* At Vere (quod ipse Vernali æquinoctio descripsit) sic agendum num. 4. *Vomitibus primum quidem quarto quoque die, deinde per longiùs tempus, quo & corpus pura carne incarnatum constituas.* At in Æstate num. 5. subdit: *Vomitibus, nisi siqua repletio contingat, vtendum non est.* Opposita certè sententia Aphorismo illi, quo iubet æstate per superiora. sed soluimus iam nos dicentes hic loqui de pituita, in aphorismo de bile: vel hic ad sanitatem tuendam, in Aphorismo ad curandos morbos. Gal. autem explicauit per superiora æstate, si fuerit euacuãdum totum corpus, aliter non. æquus index esto tu Lector. nos cum Hipp. vltrò pergamus.

Vomitus ad tuendã valetudinem

Hyeme.

Vere.

Æstate.

Repletudinem eodem 3. de Diæta. vomitu curat. sed videtur quædam cachexia, muco in naribus, & saliua abundant, & decolores sunt, & febres accedunt, si non curetur, scribit autem num. 8. ita: *Exercitatum in consuetis exercitijs citrà lassitudinem, calidaq. lotum, cibis omnigenis expleto, ac vomere facito: à vomitu verò os, & fauces colluat vino austero, quo oscula venarum constringantur. & nihil attrahant, velut à vomitu fieri solet, deinde surgens modicè deambulet in tempore. Postridie verò deambulationibus quidem vtendum est: exercitijs autem paucioribus, & lenioribus, quã priùs, & si æstas fuerit, impransus degat, sin minùs, parum comedat, & de cœna, quam sumere solebat dimidium detrahat. tertia autem die labores quidem omnes consuetos obeat, ac deambulationes; verum cibos sensim ingerat, quo quinta die à vomitu consuetum cibum assumat. Et siquidem ab hoc satis benè habuerit, de cætero cibis quidem paucioribus, laboribus autem pluribus curetur. Si verò signa repletionis non quieuerint, interpositis duobus diebus ab ea, qua consuetos cibos assumpsit, rursus vomat, & eodem modo sensim ad consuetos cibos redeat. Quod si non successerit, etiam tertium eadem repete, donec à repletione liberetur.* sic etiam curat alios, qui ob repletionem graues, & somnolenti fiunt.

Vomitus ad plenitudinem quandã.

Ad plenitudinem cum somno.

Quod si ob repletionem dolet corpus aliquibus totum, aut pars quædam, velut lassitudo, & si non curentur ad febrem perueniunt, & peripneumoniam. *Oportet prouidere* (inquit num. 10.) *antequam ad morbos perueniant, & hoc modo curare, vt maximè mollibus fomentis hominem foueamus, aut si id fieri nequeat, multa calida lauemus, ac corpus dissoluamus, & à multis ingestis cibis: primum quidem acribus, ac plurimis, deinde salsis, probè vomere faciamus, quo facto exurgat, ac modico tempore deambulet in tepore,*

Ad lassitudines ob repletionem.

Præterea eodem lib. num. 11. scripsit Hippocr.

Qui-

Vomitus ad aliam repletionē capitis.

Quidam verò etiam talia à repletione perpetiuntur. Caput ipsis dolet, ac grauatur, & palpebræ ipsis à cœna concidunt, & in somnis turbantur, ac calor inesse ipsis videtur, & aluus aliquando sistitur, & talibus, vbi venere vtitur, leuior statim esse sibi videtur, postea verò magis grauatur his caput repletionem reuellens, & aluum sistit, & ipsum grauatur. Periculum autem subest, vt quo erumpat ipsa repletio id ipsum corrumpat. Verum prouidere hoc modo oportet. si curam celerem facere velit,

Veratrū.

Veratro purgandus est, deinde exbibendi cibi leues, ac molles ad dies decem, atque hi aluum mouentes, quo venter inferior superet, & de capite reuellere valeat, &c. & postea subiungit:

Vomitus à cibis.

Si verò medicamentum bibere nolit, multa calida lotus à cibis dulcibus, ac salsis vomat, à vomitu verò satis est, vt exurgat, manè autem deambulationibus adhibendus est, & exercitijs præscriptis ad dies sex: die septima repletione corporis facta à similibus cibis vomitum faciat, & eodem modo cibi rursus sensim adyciendo exhibeantur: atque his hoc modo ad quatuor hebdomadas vtatur, in tanto enim tempore maximè sedatur.

Ad repletionē Ventriculi.

Idem num. 12. eiusdem libri, ob aliam repletionem, dixit, non concoqui cibos in ventriculo, & non nutriri corpus, & succedere Diarrhæā, postea disenteriam. & sic curat. *Oportet prandium detrahere, & cœnæ tertiam partem. Cursibus autem pluribus, & luctis, ac deambulationibus vti, tum ab exercitijs, tum manè: quùm verò dies decem præterierint, dimidium cibi detracti apponere, ac Vomitu vti, atque sic ad dies quatuor cibum exhibere: vbi autem alij decem dies præterierint, etiam reliquum cibum apponere, ac vomitum facere, atque sic ad consuetudinem cibum reducens.*

Ad ructū acidum.

Alij verò (ex eodem num. 14.) *talia patiuntur faciem decolorem habent, & vbi comederint, paulò post eructant acida, & acor in nares proserpit. His corpora pura non sunt, & plus est, quod de carne colliquatur præ labore, quā, quod depurgatur præ circuitu. Et hoc sanè intùs manens alimento contrarium est, ipsumque violat, ac acidum facit: Alimentum quidem igitur eructatur; illud ipsum verò sub cutem expellitur, & hominem decolorem facit, & morbos similes aquæ inter cutem parit. Verùm prouidere oportet hoc modo.*

Velocior curatio.

Velocior quidem curatio est, poto Veratro exhibere cibos, vt scriptum est.

Tutior.

Verùm tutior Diæta hoc modo. primùm quidem calida lotus vomitum faciat, deindè septem à vomitu diebus cibum consuetum capiat: decima autem à Vomitu die, rursùs vomat, & similiter cibum assumat, & tertium similiter faciat. Inter multos, qui Hippocratis sententiam confirmant, est Haliabbas 1. pract. cap. 12. qui ait. & excellentiùs, quo vtimur in repletione corporum, ēst inanitio per vomitum, hic enim cum hoc, quòd multum prodest à multis liberat passionibus.

Pergit Hippoc. num. 16. scribens: *Qui inexercitati de repente laborauerunt, & colliquationem carnis violentam, ac multam fecerunt, hos sic curare oportet.*

Ad colliquationē ab exercitio.

De cibo detrahenda est tertia pars. Vtendum autem cibis acribus, & siccis, & austeris, & odoratis, & vrinam cientibus. Cursibus verò plurimis curuis in vestitu, rectis, aut reuertentibus, & circularibus, exutis vestibus, frictione, & lucta modica. Micatio per summas manus commodior est, quam follis. Vtendum & deambulationibus ab exercitijs multis, itemque matutinis. à cœna verò etiam vocis exercitatio valde commoda est. humiditatis enim euacuationem faciens rarefacit carnem. Conducit, & impransum degere. His autem cibis vtendum est per dies decem, deinde dimidium ablati apponendū est ad dies sex, & vomitus faciendus, ab vnoquoque verò Vomitu ad dies quatuor sensim adyciendo exhibendus est cibus.

Ad lienteriā spuriam.

Et n. 17. scriptum reliquit. *Quidam etiā talia perpetiūtur secedit ipsis cibus per aluum liquidus, inconcoctus, velut ex intestinorum leuitate, & dolorem nullum exhibet, patiuntur autem hoc ventres maximè, qui humidi, ac frigidi sunt, & propter frigiditatem quidem non concoquunt, propter humiditatem verò secessus fit. Corpus igitur contabescit, alimentum conueniens, ac debitum non accipiens, ventresq. corrumpuntur, & in morbos incidunt. Verum prouidere oportet. Confert huic de cibis tertiam partem auferre. sint autem cibi panes non fermentati ex tota farina collata, clibano cocti, aut subcinericij calidi in vinum austerum tincti, & piscium partes ex dorso, ac cauda: verum capitales, & sub ventre fugienda sunt, velut humidiores, & coctos quidem pisces in muria edere oportet assatos, aut in aceto. Vtendum etiam carnibus sale, & aceto inueteratis, & caninis assatis, & de palumbe, ac reliquis eiusmodi volucribus, assatis, ac coctis. Oleribus verò minimè. Vino vtendum est nigro, & deambulationibus à cœna, ac matutinis, à deambulatione autem dormiat. Cursibus verò curuis sensim accessione augescente vtatur. sic & frictio multa, & lucta tarda, & in oleo, & in puluere, quo caro concalescens reficcetur, & humiditatem ex ventre reuellat. Vugi autem magis conducit, quam lauari, impransus verò degat. Quum autem dies septem transierint, dimidium cibi apponatur, & ad quatuor dies exhibeatur, & vomat. post alios verò septem dies, omnem cibum assumat, & vomitu rursùs facto cibus eodem modo exhibeatur.*

Vomitus.

Ad diarrhæa fāciem.

Deinde num. 19. *Sunt etiam* (inquit) *quibus secessus liquidus, ac putrefactus per aluum abit, & qui aliàs sani sunt, ac exercentur, nullum dolorē rei exhibet. quibusdam verò excluduntur ea, quæ conueniebant, progressuq. temporis venter per caliditatem carnes attrahit, & dolorem exhibet, & cibi excluduntur, & venter exulceratur, & ipsum sistêre iam operosum, ac difficile est. Verùm priùs prouidere oportet, ac nosse ventrem calidum, ac humidum*

ma-

magis, quam debet esse, laborumq. incommodorum excessum factum esse, &c. & post aliqua subdit: *Vbi in hac Diæta transegerit dies decem apponatur cibi dimidium, & laborum tertia pars, & vomitum faciat à cibis siccis, & acerbis, & in cibo ne moretur; sed quàm celerrimè vomat. à Vomitu ad dies quatuor, & cibus, & labor partitus exhibeatur; vbi autem dies decem præterierint, reliquum cibi apponatur: & Vinum potabile, verum labores pauciores, & vbi vomitum fecit, cibus velut dictum est, exhibeatur.*

Vomitus.

Tandem tex. 20. scribit Hippocr. *Alijs porrò quibusdam siccus, & perustus secessus fit, & os siccum, & progressu temporis etiam amarum fit, & aluus sistitur, itemq. vrina. Quùm enim non habeat intestinum humiditatem circa excrementum, intumescens transitus obturat, & dolorem exhibet, & calor occupat, & quicquid biberit, aut ederit homo, id ipsum reuomit. Postremum verò etiam stercus vomit, atque hic non superuiuet, quùm ad hoc peruenerit. Verùm prouidere oportet, ac nosse, quòd caliditas, & siccitas in homine prædominantur. Victum igitur &c.* postea subdit: *Et Vomitum faciat à dulcibus, & pinguibus, ac salsis, hisq. plurimis, moretur autem plurimum tempus in cibis, vsque ad Vomitum, deinde cibum exhibeat ad triduum, & non maneat impransus. Quùm verò dies decem præterierint, labores sensim adijciendo augeat, & siquidem repletio interit à cibo, aut Ventris vitio, vomat: sin minus, sic reliquo tempore curetur.* Ex his colligere possumus Hippocratem in libris de Diæta ad præcauendos morbos, & iam imminentes auertendos, nec venæ sectione, nec alui deiectione vsum fuisse: sed vomitu à cibo, aliquando etiam ipsum Veratro excitasse. Et in libro quoque de Insomnijs simili vtitur methodo ad præcauendos imminentes morbos, quos ex insomnijs imminere docet. quod etiam obseruauit doctissimus Martianus in lib. de Insomnijs, ver. 136.

Ad aluũ astrictã.

Vomitio.

Scribit autem Hippocr. lib. de insomnijs n. 3. *si itaque somnianti appareat aliqua pugna, & controuersia, turbationem in corpore significat. Et siquidem fortis fuerit, forte est malum; si verò leuis, debilius. repletione enim intus facta, secretio quædam contigit, quæ animam perturbauit. si igitur fortis fuerit contrarietas, Vomitum facere conducit, & cibos leues exhibere sensim adijciendo aliquod ad dies quinque, & deambulationibus multis, ac velocibus, sensim augescentibus vti.*

Ad turbationem in corpore.

Et num. 4. *Astrorum quidem exterior est in corpore circuitus, solis verò medius, lunæ autem ad cauitates. quodcumque igitur horum astrorum extingui, aut lædi, aut disparere, aut sisti à circuitu suo videtur. iuxta illam ipsam partem morbum redundare significat.* & subdit n. 5. *si igitur Luna patitur reuulsionem intrò facere conducit, vtique vomitu ab acribus, & salsuginosis, ac mollibus cibis, ob id autem intrò reuellendum est; quia ad cauitates corporis offensa est.*

Luna patiente, seu corporis cauitatibus.

Eodem no. 5. *Si sol pati videatur fortiùs iam malum est, & difficiliùs exigi potest. Oportet autem in vtramque partem reuulsiones facere, & rectis cursibus, & curuis, & circularibus vti, & deambulationibus, & alijs laboribus omnibus. Ciborum autem detractione, ac rursus appositione, eodem modo. deinde vomere & rursus sensim cibos augere ad dies quinque.*

Sole patiente.

Et num. 6. *Si autem igneum, ac calidum esse videatur, quod se illis Astris opponet, bilis secretionem significat. si verò superata hæc disparẽãt ac euanescant, periculum est ad mortem perueniendi ex morbo. Si verò versa, ac mutata hæc esse videantur, præsentem statum in fugam verti significat. fugere autem ipsa celeriter, esseque, qui ea persequatur, periculũ denunciat futuræ insaniæ hominis, si non curatus fuerit. Omnibus autem his conducit; vt Veratro purgati, optimam victus rationem instituant. sin minus, vt victu ad aquam tendente vtantur, Vinum verò non bibant, aut omninò album, tenue, molle, & aquosum: abstineant autem ab acribus, resiccantibus, calfacientibus, ac salsuginosis. bonum est & fomentis vti, à fomentis verò vomere, per triginta verò dies non repleatur. Qui autem repletus fuerit, bis in mense vomat, à dulcibus, & aquosis, ac leuibus.*

Ad bilis secretionem.

Ad insaniam imminentẽ.

Veratrũ.

Num. 8. *Quæcumque Astra nigra, & obscura sunt, & ad Vesperam ac occasum ferri videtur, aut in mare, aut in terram, aut sursum, ea magis morbos significant. Et quæ quidem sursum feruntur, fluxum capitis significant. Quæ verò in mare, ventris morbum. Quæ in terram, tubercula maximè significant ex carne enascentia. His conducit tertiam cibi partem detrahere, & à Vomitu ad dies quinque eandem rursus sensim adijciendo exhibere, in alijs autem quinque diebus cibos omnes assumere, & Vomitu facto, rursus eodem modo cibus sensim auctus adhibeatur.*

Ad fluxũ capitis.

Ventris morbos.

Tubercula.

Num. 12. *Si quis somniet cruribus esse lapsis, Vomitibus reuellendum est.*

Num. 14. *Terram, aut Domum moueri videre; sano quidem viro debilitatem significat, ægrotanti verò sanitatem, & ex præsenti statu transmutationem. sano itaque transmutare diætam conducit. Itaque primum vomat, & rursus vbi paulatim cibum assumpsit, à præsenti enim diæta totum corpus mouetur.*

Imminẽs morbus.

Et eodem num. 14. *Terram ab aqua aliqua, aut mari inundatam videre, morbum significat, humiditate multa in corpore existente. Verum oportet vomitibus, & prandij detractione, & laboribus, & sicco victu vti; deinde sensim adijciendo, ac modico cibo renutrire.*

Nimia humiditas.

Num. 16. *Si quis videat mortuos, nudos, aut nigris vestibus indutos, aut non puros; aut aliquid accipientes; aut ex domo portantes, non est commodum, morbum enim significat. quæ enim in corpus ingeruntur nociua sunt; verùm oportet cursibus circularibus, & deambulationibus*

Ad morbum imminentẽ.

nibus depurgari, & alimento molli, ac laui à vomitu seusim nutriri.

Ad morbum periculosum.

Num.17. *Quacumqne verò forma peregrina corpora in somnis apparent, & hominem perterrent, ciborum iuconsuetorum repletionem, & secretionem, & bilis snpernè, ac infernè eruptionem, & morbum persenlosum significant. Verum oportet vomitū facere, & ad dies quinque cibos quam lauissimos, non multos, neque acres, neque siccos, neque calidos sensim adÿciendo accipere, &c.*

Vomitus à cibo.

Num.20. *Quùm verò quis pugnat, aut pungitur, aut ab alio ligatur, secretionem circuitui contrariam corpori contigisse significat. Conducit igitur vomere, & attenuare, ac deambulare, & cibis lauibus vti, & à Vomitu ad dies qninque renutrire.*

Insania imminens

Num.21. *Oberrationss, & ascensus in somnis visi, grauia significant. Fluminum trausitiones, & hostes armati, monstra forma peregrina, morbnm, aut insaniam significant. Confert itaque his, qui talibus insomnÿs vexantur, cibis modicis vti, lanibusque, ac mollibus. itemque vomitibus, atque sic sensim rursus ad dies quinqne cibum exhibere, &c.* hæc sunt præcipua loca, quibus docet Hippocr. vomitum læuem à cibo, & quandoque etiam Veratrum ipsum conuenire ad euitandos morbos, scilicet præseruationis gratia..

Galenus de Vomitu.

Quid scripserit Galenus de Vomitu præseruatiuo tempus nunc est, vt perpendamus; sed hunc reperio (vt verum fatear) vomiti fugam, ita vt nonnisi summa coactus necessitate eo vtatur. nō tamen verbis ipsum palàm vituperauit, non ausus contradicere Hippocrati, cuius se esse sequacem dicit, quamuis ab eo dissentiat sæpè. itaque veritate coactus Galenus 5. de vsu part. cap.4. in hæc protupit verba. *Si vnquam in eiusmodi hominem incidisti, qui ciborum boni succi esum auersatur, abstinentiaq. se ipse conficeret. ac si quando mandere cogeretnr nauseabundus efficeretur, sola autem acriora admitteret, à quorum esu nè benè quidem haberet, sed illi ventrienlus flatibus intnmesceret, ac distenderetur, & nausearet, plusculum tamen ructibus solis leuaretur, & autem quando ipsa quoque assumpta cibaria corrumperet, ea potissimum corruptione, quæ acorem refert, si, inquam, in eiusmodi incidisti, deinde qua ratione curatus fuit meministi, facilè puto te ÿs, quæ mox dicam, assensurum, sin minùs, certè eis, qui eiusmodi morbo conflictantur curandi rationem præscribam. Tu verò si veri discendi es cupidus, ad tuam ipsius normam rationem nostram excute, atque ea euolue remedia, quæ à Medicis fuerunt tum inuenta, tum litteris prodita, quæ omnia huc pertinent, vt pituita à Ventriculo abstergatur, qua cum natura sit viscosa, multò adhuc viscosior in huiusmodi affectibus à mora in loco adeò calente efficitur. Equidem noui aliquando quendam eorum, qui ita laborauerunt, qui sumptis ex Oximelite radiculis, cum incredibilem quamdam crassissima pituita copiam vomuisset, confestim sanitatem planè recuperauit, quamuis tribus ante mensibus, neque Ventrienlus, neque coctiones ipsæ bellè habuerint.* (hæc eadem transcripsere Paul. lib.1. cap. 41. Oribas. ad Eustac. lib.5. cap.38. Rasis ab Almans. lib.4. cap.6.) *qnod igitur necesse sit, tum in ventriculo, tum in intestinis, eiusmodi excrementum, prouenire, alibi, vt dixi, demonstrauimus, cæterùm, qnod generetur, declarat, tum Anatome, tum etiam morbi, quibus quotidie homines prehendnntur, ab huiusmodi superfluorum abundantia, quorum curatio est simplex, eorum scilicet, quæ crassa, ac viscosa, diuidere, incidere, atqne abstergere potest exhibitio.* Ex his Galeni verbis notum nobis erit, quàm citò, & quàm facilè per vomitum curetur ventriculus, & euacuetur à copia pituitæ viscidæ, quæ per intestina educi nequit. *Gal. laudat Vomitum.* & paulò post iterùm sic loquitur. *Rectè veteres Medici (vt alia omittam præcepta salutaria) vomitus à cibis in singulos menses repeti præcipiebant, alÿ quidem semel, alÿ verò bis: omnes tamen qualitates ipsas eo casn comedendorum acres, atque abstersorias deligere consulebant, vt pituita omnis à ventriculo purgaretur, neque prauo succo corpus afficeretur; nam quæ mordent, & abstergunt cibaria, biliosa, vt plurimum sunt, & cacochima. Benè igitur, & ab illis sine totius noxa ventriculi purgatio est præscripta, & à natura ipsa præcognita fuit, Ventriculi quidem purgatio facillima, intestinorum autem tum difficilis, tum etiam noxia nonnihil, occasione cacochimia ipsi Animali fore.* Et his quidem Galenus optimè nostræ fauet sententiæ, quamuis in libris de sanitate tuenda, parùm vomitu sit vsus: sed benè fecisset, si huius etiam rationem reddidisset. optimè tamen etiam loquitur Galenus 1. de hum. 12. *Vomitus* (aiens) *multa commoda affert, nam & pituitam euacuat, caput, alioqui graue, leuat, totum corporis habitum agiliorem reddit: ac vetat, ne is, qui nimio se vino ingurgitauit, aut multa deuorauit, offendatur.*

Vomitus facilis, alui purgatio difficilis.

Modò audiamus Hippocratem Latinum, dico C.Celsum auctorem plurimi faciendum, qui lib. 1. cap. 3. sic loquitur: *Cum verò inter extenuantia posuerim vomitum, & deiectionem, de his quoque propriè quædam dicenda sunt. eiectum esse ab Asclepiade Vomitum in eo Volumine, quod de tuenda sanitate composuit, video: neque reprehendo, si offensus eorum est consuetudine, qui quotidie eÿciendo vorandi facultatem moliuntur. Paulò etiam longiùs processit, idem purgationes quoque eodem volumine expulit. Sed hæc tamen submouenda esse non est perpetuum: quia corporum, temporumque ratio potest ea facere necessaria, dum & modo, & non nisi cum opus est adhibeantur. Ergo ille quoque ipse, si quid iam corruptum esset, expelli debere confessus est. Ita non ex toto res condemnanda est. Sed esse eius etiam plures causæ possunt: estq. in ea quædam paulò subtilior obseruatio adhibenda.* & postea subdit;

Inutilis

Inutilis est gracilibus, & imbecillum stomachum habentibus: vtilis est plenis & biliosis omnibus, si vel nimium se repleuerunt, vel parum concoxerunt. Nam siue plus est, quam quod concoqui possit, periclitari, nè corrumpatur, non oportet. si verò corruptum est, nihil commodius est, quam id, qua via primum expelli potest eÿcere. Itaque vbi amari ructus cū dolore, & grauitate pracordiorum sunt, ad hunc protinus confugiendum est. Item prodest ei, cui pectus æstuat, & frequens saliua, vel nausea est, aut cui sonant aures, aut madent oculi, aut os amarum est. similiterq. ei, qui vel cælum, vel locum mutat, hisq. quibus, si per plures dies non vomuerunt, dolor pracordia infestat. dixit etiam, *Interdum valetudinis causa rectè fieri experimentis credo. commoneo tamen, ne quis, qui valere, & senescere volet, hoc quotidianum habeat.* & lib. 2. cap. 12. scribit: *At Vomitus, & in secunda quoque valetudine sæpe necessarius biliosis est, sic etiam in his morbis, quos bilis concitauit.*

Incommoda Vomitionis.

Diocles in Epistola ad valetudinem tuendam conscripta Antigono Regi, prout refert Aegineta lib. 1. cap. vltimo. quam tamen Epistolam Marcellus Empiricus refert sub nomine Hippocratis ad Antiochum Regem. *Quùm autem* (inquit) *à Thorace morbus nascetur, totum corpus incipit sudare, thoraxque, lingua fit crassior, sputum salsum, aut amarum, aut biliosum existit, dolor costas, aut scapulas sine occasione inuadit, oscitatio frequens, vigiliæ, suffocatio, sitis ex somno, animus tristior, pectus frigidum, brachia, & manus tremiscunt, succurrendum est prudenter hoc modo: Vomitum quam optimè fieri potest, post cœnam sine repletione, sineque medicamento citari debet: vtiles sunt, & Vomitiones ante cibum, quas Graci Syrmaismos appellant. Oportet autem eum, qui sic vomet, radiculas tenues præsumere, nasturtium, erucam, sinapi, & portulacam, mox aqua tepida superbibita vomere. At si huiusmodi indicia contemnantur, hi morbi solent obuenire. Pleuritis, peripneumonia, melancholia, febris acuta, phrenitis, lethargus, febris ardens cum singultu.* Adest etiam alia Epistola apud Marcellum Empiricū sub nomine Hippocratis ad Mecenatem, quæ videtur esse potiùs Dioclis. in qua scribitur ad Thoracis morbos. *Ex his ergo cū aliquid acciderit, vitabis vitiū graue, si vomueris, siue ieiunus, siue post cœnā, vel in balneo. Plus autem prodest, si ieiunus bilem ieceris. Eam enim dicimus matrem morborum. sed qui vomere nolunt, vel non possunt, quia stomacho laborant, decimo quoque die ieiunando, omni cibo se abstineant, quo facto vitium grande vitabunt. nam frequenter vomendo, solet stomachus corrumpi.*

Diocles de Vomitu.

Vomitus ante cibum.

Bilis mater morborum.

Ad præcauendos morbos Vomitum conuenire cognoscens Arist. scripsit sect. 1. probl. 4. *Cur in mutationibus temporum vomitibus vti oportet? an ne fiat conturbatio, varÿs genitis excrementis in mutatione?* & sect. 4. probl. 8. *Cur neque coire, neque vomere, neque flatum emittere, neque sternutare oporteat, nisi turgeat, & vrgeat.* & sect. 5. probl. 7. *Cur lassis corporibus euomendum praecipuè, cùm tamen vomitus sit laboriosus? An quod lassitudo collisis ossibus, aut pressatis, aut fatigatis consequi soleat, quos quidem effectus patiuntur extrinsecus, aut intrinsecus: idq. bifariam: aut enim copia carnis vires exuperauit ossium, aut cum frequens corpus se cætero corpori miscuit, quo loco sibi obtinere aptè non possit: quale genus excrementorum est. Pondera enim quæcumque extrinsecus corpori applicentur, laboriosiora sunt, quàm ipsa corporis membra, etiam si pondere grauiora illis esse contigerit. Argumentum, quod, qui plus æquo, vel ederint, vel biberint, hi minus, quamuis laborauerint, quam ieiuni, grauiùs tamen fatigantur. quoniam cibus locum suum non obtinet, vtpote, qui adhuc maneat crudus. Cum autem fatigatio maceret, atque colliquefaciat, colliquamentum autem nonnisi excrementum sit. hoc est, quod lassitudinem mouet, dum temerè vagatur, occursatq. ossibus, & neruis, & intimis carnis, quæ rara, soluta, patefactaq, substant. Vomitus igitur cum id extrudat, quod fatigationem induecit, meritò hominem recreat, liberatq. à lassitudine, corpus enim quale principio fuerit, tale restituit. Blaxat autem vomitus non nimÿ motus ratione; sed si ita fuerit, vt non plenè agatur. Copia enim ciborum, quæ in Ventriculo remanserit, & excrementa quæ his incidant cibis, faciunt, vt lassitudo vomitum consequatur, quē admodum in corporibus nimium impletis dictū iam est. Quod si nec illis causam lassescendi labor inferat; sed cum ita sese haberent, laborarint, nec ÿs, qui non totum cibum eiecerint, vomitus causa foret lassescendi. Nam si hoc esset, haud erat, quod non omnibus euomentibus lassitudo incideret: nunc verò multi post, vbi euomuerunt, alacriores certè redduntur.* his, quæ de lassitudine ab Arist. dicta sunt, confirmatur. quod nos superiùs contrà Galen. diximus, in lassitudine cum cruditate in primis vijs conuenire Vomitum, quia ambo separata vomitu curantur: præter Auctores citatos sunt etiā alij commendantes Vomitum, vt Aetius ser. 3. cap. 122. qui ait: *Veratrum potest corpora transmutare, ac permutare, temperaturamque ipsorum recentiorem, ac robustiorem efficiens. multi autem accepto Veratro, ipsoq. concocto, omninò quidem non sunt purgati, vtilitatem verò non minorem perceperunt, quam hi, qui purgati fuerant.* Itaque si Veratrum robustiorem temperaturam facit, præseruat corpora ab imminentibus ægritudinibus. Paulus Aegineta & ipse Galeni simia Vomitum laudauit, lib. 1. cap. 42. scriptum relinquens. *Vomitus pituitam inanit, caput leuat, & ne, qui auidiùs nonnumquam cibum ingesserint, cruditate laborent: item ne, qui Vinum liberaliùs sumpserint, offendantur, prohibet.*

Vomitus ad tuendam valetudinem ex Arist.

Ad lassitudinem.

A cibo labores graniores.

Vomitus vt conferat delaxatis.

Aetius laudat Vomitū à Veratro.

Veratrū iuuat etsi non purget.

Inter Arabes Rasis 4. ad Almans. cap. 26. *Vomitus*

mitus (inquit) si, uti debet, temperatè fiat, stomachum purgat, & digestionem efficit meliorem, corpusq. renouat, & mundat, caput quoque, & sensum alleuiat, visumq. acuit, qui si multus fuerit, corpus desiccabit, & Hepati, ac pectori, necnon oculis, & pulmoni nocebit. Venas quoque quandoque findit, atque rumpit, ex quo etiam passio accidit hæmoptoica. in cuius autem stomacho multum adunatur flegmatis, sanitas Vomitu conseruanda erit, cuius signa iam nominauimus. Et istis quidem necesse est semel in mense, vel bis vomitu uti, quod etiam post cibi saturitatem fieri oportet. vomere enim sine stomachi repletione, durum est, neque absque magno labore, & studio fieri potest. Vomitus præterea non frequenter fieri debet, corrumpitur enim stomachus, & ipsius destruitur virtus. & Haliabas primo prac. cap. 12. Vomitus à multis liberat passionibus, Cauet enim à labore renum, & aperit oppilationem, quæ est in visceribus propter nimium vsum motus. Prodest etiam Vomitus in multis passionibus, custodit sanitatem, & regimen: conferens maximè, quibus in stomacho nascitur flegma grossum, multumque in hac dispositione conferentior soluenti potu: hic enim humor multum congregatur in stomachi villis, qui loca vomitus purgat diligenter; medicina autem laxatiua descendit in fundum eius, quem & mundat. Anicen. autem 4. primi d. 5. cap. 3. Vomitu fit attractio, & eradicatio è conuerso, ac in Ventris solutione, scilicet ab inferioribus trahit, & à superioribus eradicat. Quùm ergo materiæ fuerint in inferioribus ad diuersum trahet eas. & cap. 13. Et Vomitus quidem euacuat phlegma, & choleram, & mundificat stomachum. Ipse namque non habet, quod ipsum mundet: sicut intestina habent choleram rubeã, quæ ad ea descendit, & mundat ea, & remouet grauitatem, quæ accidit capiti, & clarificat visum, & aufert nausentiuam satietatem, & confert ei ad cuius stomachum descendit cholera, quæ ipsius corrumpit cibum; quoniam, quùm præcesserit vomitus, eius cibus semper mundus veniet, & remouet abominationem, quæ fit propter vnctuositatem, & casum desiderij ipsius meri, quod facit desiderare acutum, & acetosum, & ponticum: & confert lassitati corporis, &c.

Inter Latinos Arnaldus Villanouanus In Antidotario cap. 25. de Vomitiuis. Quamuis euacuatio (inquit) per Vomitum sit periculosior, & laboriosior, quam euacuatio per secessum, idq. ob multitudinem nocumentorum, & motum contra naturam, nihilominus minister naturæ Vomitorium in conseruationem sanitatis, & in præseruationem ab infirmitatibus, & in curationem ipsarum cogitur exhibere interdum, vt in materijs contentis in stomacho. & lib. de regimine sanitatis cap. 43. de Vomitu in sanis. Quamuis homines (inquit) simpliciter sani, & à tempore non indigeant vomitu, tamen homines, in quorum stomachis multiplicatur phlegma, & cholera per Vomitum ab ægritudinibus præseruantur, & in propria sanitate conseruantur. si igitur huiusmodi homines vomitu vtantur. secundùm quòd expedit, eorum stomachus à superfluitatibus mundificatur, digestioq. efficitur melior, & corpus renouatur, caput etiam, & sensus alleuiantur, visus acuitur. è contra si fiat Vomitus immoderatè, & vbi non oportet. corpus desiccabitur, nocebitq. hepati, pectori, oculis, & pulmoni, venas quandoque scindit, & rumpit, ex quo passio hæmoptoica causatur. debet autem vomitus fieri bis in mense in regimine sanitatis hominum prædictorum, nec debet talis vomitus fieri stomacho vacuo, quia esset laboriosus nimis: sed post cibi abominabilis repletionem, & diuersæ naturæ, habentis quodammodo incisiuam, & abominabilem virtutem: nec debet fieri frequenter, ne stomachus corrumpatur: & eius virtus destruatur. sic debet obseruari certus numerus dierum inter Vomitum vnum, & alium.

Sed addemus Cardanum (vt refert Euonimus) sic loquentem. Cum Elleboro aqua fit, quæ iuuentutem instaurat, talem apud patrem meum vidi. cum Elleborus fit vomitiuus, aqua ista Vomitum etiam excitabit, & ita conseruabit corpus sanum, vti iuuenem.

Doctissimus Fernelius Hippocrates Gallus lib. 3. meth cap. 3. Vomitio (inquit) quæ facilis, & moderata obtigerit, saluberrima est, & purgationum omnium præstantissima. Noxios quippe humores ex ipsis fontibus syncerus elicit, & vacuat omnem, quæ in ventriculi capacitate, in eiusve tunicis hæret illuuiem in primis expurgat, è præcordiorum membranis, è cauis iecoris, & lienis, & ex pancrea omnis generis superuacuos humores, syncerus elicit, quos plerumque nec hiera, nec aliud vehementissimum vllum etiam frequens pharmacum in aluum exturbare potest. in Ventriculum enim ex his locis viæ breues, ac expeditæ magis, quàm in aluum directæ sunt, per quas facilis est vomitio. Quamquam autem primum ab interioribus euellit, consequutione tamen caput, reliquumq. corpus leuat. Quocirca omnibus opitulatur affectibus, qui à præcordiorum impuritate ortum acceperunt, languenti appetentiæ, nauseæ, cibi fastidio; crebra vomitioni, ventriculo præcordijsve distentis, ictero, cachexia, febribus intermittentibus, hemicrania, Vertigini, Incubo, Epilepsiæ, suffusioni, omnibusq. capitis affectibus, qui præcordiorum sympathia contracti sunt, & quos è præcordijs in reliquū corpus effusa impuritas protulit. In quocumque igitur affectibus languescit appetentia, & nausea vomendiq. desiderium fatigat, si pharmaco non satisfit, vomitione curandum. Nam, quæ purgatio non eluit, extirpat vomitio, & quæ illinc non facile labuntur vomitionis vis æstimanda.

Alexander Petronius de Vict. Roman. & sanitate tuenda lib. 4. cap. 20. recenset plures ex illis affectibus, quos Hippoc. 3. de Diæta posuerat.

sed

Marginalia: Vomitus innamen ta in Ras. — Haliab. — Ex Anic. Vomitus vtilitas. — Ex Arnal do. — Quando fieri debet Vomitus. — Ex Cardano. — Ex Fernelio. — Al exander Petro nius.

sed curationem aliquantisper variat Petronius, & in paucis vomitu vtitur, solùm in tribus, vel quatuor casibus. & lib. 5. cap. 6. ad senes. *Neque* (inquit) *vllo pacto eos imitari, qui bis in mense vomendum esse consulunt. Vomitus enim præter Nat. est, & pectori & Cerebro, & oculis, & dentibus nocet: nisi malum aliquod, aut immineat, aut adsit, neutiquam fieri conuenit. plures etiam sunt, qui vt Asclepiadei vomitum pro tuenda valetudine fugiant. Verum dicendum omne nimium naturæ inimicum, atque vomitum nimium quotidianum, intempestiuũ, & sine necessitate, non esse probandum. nec sanitati conducere posse; nec probatur abusus eorum, qui sine plenitudine phlegmatis, vomitum sibi excitant, vt plus cibi capiant. vel sine cõsilio vllo, hi enim vt bestiæ se gerunt, canesve, qui cibũ etiam ter eiectũ resumunt. nec mirum, si his postea ventriculus imbecillitatur? At Vomitus tempestiuè, & maturo consilio factus, cum necessitas vrget: & periculum imminet alicuius morbi, salutare remedium, probandum, & necessarium erit, sine dispendio, ac noxa aliqua.*

Huc etiam faciunt, quæ habet Prosper Alpinus de med. Aegypt. lib. 3. cap. 10. & 17. *Aegyptios in balneis vomitu vti; nam horum plerique semel in mense, alijq. non pauci bis saltem. sunt, qui singula hebdomada id facere studeãt.* & lib. 4. cap. 14. *Aegyptij, atque Arabes bis in mense tuendæ sanitatis gratia in balneo vomũt ter, quaterve, tantùm aqua, in qua radix gliciriza ebullierit, & modicum seminum fœniculi assumentes, quantum stomachus continere potest, postea aqua tota reiecta maxime vomitione purgantur.* & addit: *Quam tutò illi, has vacuationes in balneo exercere queant, non intelligo, quamquam rectè nouerim, quam vtilis sit vomitio multis facile vomentibus, maximeque biliosis, atque per æstatem, quando hac vacuatione stomachus ab excrementis multis mũdetur. multos etenim noui à podagra, renũque calculis vexatos, vomituum crebro vsu magnopere iuuatos.* deinde subdit: *Vomere nihilominus in balneo humido homines faciliùs posse, cum id stomachum relaxet, admotumq. accommodatiorem reddat, nemo sane contendet. Hacq. vomitione homines à multis morbis defendi, vel præcaueri posse iisdem sæpiùs à multis comprobatum est. illo verò crebrius frequẽtato homines ventriculo imbecillitatem aliquã comparare verissimum est: quando huiusce modi membrum ex validioribus, crebrioribusq. his motionibus, fieri non potest, nè modo aliquo laxetur, debilitetur que.* & hæc de Vomitu præseruatiuo satis dicta sint. poterant enim addi multorum Auctorum testimonia, & experimenta, quæ tamen afferemus libris sequentibus de morbis particularibus.

Prosper Alpinus.

Vomitus in balneo.

De Vomitu Curatiuo. Cap. XVII.

DIXIMVS Vomitum maximè conuenire ad tuenda corpora, nè in imminentes morbos incidant. nunc esset quærendum, an conueniat morbo iam detentis corporibus, & quibus, an longis; an acutis, vel ambobus. an magnis tantùm, vel etiam paruis affectibus; & quibus vomitus magnus, & fortis, & quibus paruus, & debilis. sed quoniam in quinque libris sequentibus particulatim agemus de morborum curationibus per Vomitum. ideò hoc capite breues erimus, pauca tantùm in vniuersali afferentes, ex probatis auctoribus.

In primis Hippocr. de Veratri vsu. *Quemadmodum autem* (inquit) *in prænotionibus dixi, purgatio sursum versus commodat ei, in quo sine febre est cibi fastidium, aut stomachi punctura, aut Vertigo, aut os amarum, & in summa doloribus suprà septum transuersum; at deorsùm versùs, vbi sine febre est tormen, lumborum dolor, genuum grauitas, menses agrè prodeuntes, dolores in partibus subsepto transuerso.* Itaque ex Hippoc. conuenit Veratrum affectibus suprà septum transuersum deriuando, & euacuando: affectibus verò infrà septum conuenit reuellendo. & addit paulò post. *Cæterum Veratrum his dare oportet, quibus de capite fluxus fertur.* tandem scribit: *Purgat item quartanas diuturnas, & diuturna febri lypiria vexatos, & eos in quibus non est sitis, neque excretio. Hos verò non ante tres hebdomadas. aliquando etiam pleuriticos, & volulosos; & sicut in mulieribus morbis dixi, purgandum est etiam, si Vteri purgatione opus habuerint.*

Vomitus quos morbos curet.

Aetius ser. 3. cap. 119. ex Ruso. *Pituitam mouet vomitus, & caput leuat, & eum, qui auidius cibum ingessit, aut plus vini hausit, lædi prohibet. Auxiliatur autem purgatio per vomitus nimiæ corporis moli. opitulatur item excellenter gracilibus. Omnes autem fluidas affectiones vomitus sanare solet, velut vlcerationem renum, vesicæ, & ani, & aliarum partium, elephantiasim, cancros, malos corporis habitus articulorum affectiones. conuenit, & Hydropicis, maximè aqua intER cutem laborantibus, regio item morbo, & comitiali, in his, quibus à stomacho initium affectionis accepit. Nam his, qui in capite affecti sunt comitiali morbo incongruus est Vomitus. conducit item tremulis, resolutis, siderationibus, spirationibus erecta ceruice, melancholijs, impetiginosis.* Deinde cap. 121. ex Antillo, & Possidonio. *Ipsum Veratrum dandum est his, qui diuturno, ac forti morbo laborant, & qui in alijs auxilijs spem non habent: dandum est hydropicis, ele-*

Rufus ex Aetio.

phantiasis, malo habitu praeditis, resolutis multo tempore, comitialibus, & melancholicis, arthriticisque, ac podagricis. at enumerare in quibus affectionibus probetur Veratrum non facile est propter multitudinem. Galenus autem in Introduct. cap. 14. *Conuenit* (inquit) *per superiora purgatio morbis longis demoliendis.*

Galenus.

Aegineta.

Paulus Aegineta lib. 7. cap. 10. scribit: *Vomitu vtuntur, & sani, qui ciborum, humorumue copia grauantur, & acuto morbo laborantes, quium à pituita, aut eiusmodi quodam infestantur. At medicamentis vomitum facientibus, neque sani, neque acuta agritudine occupati, vt i permittentur. sed in longis prosunt affectibus, & praesertim induratis, qua validam commotionem desiderent, qualis est podagra, morbus comitialis à stomacho originem trahens, elephantia, aqua subter cutem, melancolia, & persimiles.* deinde subdit: *Veratrum dari debet, vbi longi, valentesq morbi sunt, & spei ex alijs praesidijs adempta est, quod agritudo omnibus ipsis fortior extiterit. Conuenit autem sine continuè infestauerit morbus, vt aqua inter cutem, elephantia, malus corporis habitus, resolutio, & id genus alia: siue statis temporibus repat, vt morbus comitialis, podagra.* & superiùs cap. 4. numerãs Veratrum inter Cholagoga dixerat. *Veratrum conuenit, & acuto, & longo morbo laborantibus, qui medicamentum bili ducenda idoneum requirunt, quales sunt, qui insania, altera capitis parte, (Heterocranies dicuntur) humorum impetu in oculis decumbeute, & pectoris affectibus torquentur: accommodatissimum est visceribus, vteri, & vesica vitijs, medicinam requirentibus. Laudatur etiam ad longam aspera arteria affectionẽ, arquatum, eruptiones, qua exanthemata dicuntur, impetigines vel herpetas, vel erisipelata, vel lepras.* Plinius autem lib. 25. cap. 5. haec protulit de Elleboro, quae de forti Vomitu etiã intelliguntur. *Medetur morbis comitialibus, Vertigini, Melancholicis, insanientibus, lymphaticis, elephantia alba, lepris, tetano, tremulis, podagricis, hydropicis incipientibus, timpanitis, stomachicis, spasticis, elinicis, ischiadicis, quartanis, qua aliter non desinant, tussi veteri, inflammationibus, torminibus redeuntibus.* Celsus verò lib. v. cap. 12. *At Vomitus, vt in secunda quoque valetudine, sapè necessarius biliosis est, sic etiam in his morbis, quos bilis concitauit. Ergo omnibus, qui ante febres horrore, & tremore vexantur, omnibus, qui colera laborant, omnibus etiam cum quadam hilaritate insanientibus, & comitials quoque morbo oppressis, necessarius est. sed si acutus morbus est, sicut in colera, si febris est, vt inter horrores, asperioribus medicamentis opus non est: sicut in deiectionibus quoque supra dictum est, satisq. est ea vomitus causa sumi, qua sanis quoque sumenda esse proposui. At vbi longe, valentesq. morbi sine febre sunt, vt Comitialis, aut insania, veratro quoque albo vtendum est.* possem addere, quae retulit Auicen. 4. pri-

Plinius.

Celsus.

Auicen.

mi doc. 5. cap. 11. *Fit Vomitus cum sunt agritudines chronica, & lepra, & podagra, & sciatica.* & cap. 13. *confert vlceribus, qua sunt in renibus, & Vesica, & est lepra forte medicamentum, & malitia coloris, & epilepsia stomatica, & icteritia, & asthmati, & tremori, & paralisi, & est ex curationibus, qua conferunt habentibus impetiginem.*

Andernaeus in annotat. Pauli Aeginetae lib. 1. cap. 42. *Medicamentis vomitum facientibus, neque sani, neque acuta agritudine occupati vtentur. Nam ea longis tantum affectibus, & induratis conueniunt. hinc etiam Veteres cum nihil in medicina spei deprehendissent ad vomitum solebant confugere. id quod hodie etiã empirici quidam sine vlla ratione factitantes, optimis quibusque Medicis laudem praeripiūt. Nam ea medicamenta propinant, qua suprà, & infrà validissimè purgant: qua si ager ferre possit, sanitati plurimum restituitur, sin autem moritur, audacia sua, & temeritatis patrocinium habent, quod scilicet morbus fuerit desperatus, tot Medicis antea curationem frustra molitis.* addam etiam, quae scripsit Fernel. 3. meth. c. 3. *Qua Vomitio facilis, & moderata obtigerit, saluberrima est, & purgationũ omnium praestantissima. Noxios quippe humores ex ipsis fontibus synceros elicit, & vacuat, omnem qua in Ventriculi capacitate, in eiusve tunicis haret illuuiem in primis expurgat, è pracordiorum membranis, è cauis iecoris, ac lienis, & ex pancrea omnis generis superuacuos humores synceros elicit, quos plerumque nec hiera, nec aliud vehementissimum vllum etiam frequens pharmacum in aluum extrahere potest. In Ventriculum enim ex his locis via breuis, ac expedita magis, quam in aluum directa sunt, per quas facilis est vomitio. Quamquam autem primum ab interioribus euellit consequutione tamen caput, reliquumq. corpus leuat. Quocirca omnibus opitulatur affectibus, quia pracordiorum impuritate ortum acceperunt, languenti appetentia, nausea, cibi fastidio, crebra vomitioni, ventriculo, pracordijsve distentis, ictero, cachexia, febribus intermittentibus, hemicrania, vertigini, incubo, epilepsia, suffusioni, omnibusq. capitis affectibus, qui pracordiorum sympathia contracti sunt, & quos è pracordijs in reliquum corpus effusa impuritas protulit. In quocumque igitur affectu languescit appetentia, & nausea vomendique desiderium fatigat, si pharmaco non satis fit, vomitione curandum. Nam qua purgatio non eluit, extirpat Vomitio, & qua illinc non facilè labuntur in aluum, promptè in ventriculum remeant. Tanti igitur Vomitionis vis astimanda.* Haec satis in praesenti sint vniuersaliter dicta, in libris verò sequentibus, in particulari de omnibus morbis agemus, vt vomitu curari queant. & plurimorum Auctorum auctoritatibus, rationes nostras confirmabimus, & demùm experimentis quoque adductis roborabimus, nihil intactum pro, & con-

Andernaeus.

Fernel.

contrà relinquentes, quantùm nostræ permittent vires.

Indicantia Vomitum. *Cap. XVIII.*

ANTE Vomitus incitationem, considerandum est cuius causa fiat, seu à quo requiratur, & indicetur, & si quid ipsum prohibeat, vel permittat,

Si propriè loqui voluerimus, neque morbus magnus, neque locus affectus, neque Anni tempus, neque consuetudo, neque Virtus valida erunt indicantia Vomitum: sed sub alia ratione concurrent: cum igitur Vomitus sit euacuatio, opponetur, & contrarius erit repletioni, non enim euacuatur Morbus, non locus affectus, non anni tempus, &c. sed plenitudo, & causa morbi illa est, quæ euacuatur, prout repletionem faciebat. dicemus ergo Vomitum, vt est euacuatio, indicari à repletione, cum Hipp. qui dixit. de Natur. hum. primo, & 2. aph. 22. *Quicumque Morbi ex repletione fiunt, curat euacuatio, & quicumque ex euacuatione repletio, & aliorum contrarietas.* & quia est euacuatio determinata, conueniet etiam repletioni determinatæ. Curabimus ergo morbos aliquos euacuatione per Vomitum, eo, quod nascantur à repletione quadam, quæ per Vomitum euacuari possit. *Vomitus indicatur a repletione.*

Quare dicimus vomitum indicari à repletione apta euacuari per vomitum, siue actu causa sit alicuius morbi, siue in proxima potentia: sed quia hęc requisita aptitudo non ita nota est, ideò requiruntur aliqua signa, quæ quandoque (impropriè tamen) indicantia dici possent, quæ tria erunt. *Humor ipse replens. Hic idem commotus. Et pars humore repleta.* hæc autem sunt signa repletionis aptę per Vomitum euacuari, quę etiam possent dici, tria indicantia vomitum, latè accepto indicantis nomine. siquidem morbus magnus, vel debilis, non est verè indicans Vomitum; sed eius fortitudinem, vel debilitatem faciendam requirit, quia fortibus morbis fortia remedia conueniunt. hoc est, prout humor expellendus maiori, vel minori vi debet cômoueri. *Quæ repletio vacuetur vomitu.* *Tria impropriè indicantia.*

Primò autem humor superabundans, aptus euacuari per superiora, indicat Vomitum, in specie autem biliosus, & præcipuè tenuis, tum quia facilè ob tenuitatem euacuatur. tum etiam quia natura sua ventriculi os petit, & ideò aptior est expulsioni ex Gal. seu Oribas. lib. quos, & quando. primo de hum. 12. & Celso lib. 2. cap. 12. Verùm nos supra diximus cap. 9. non solùm bilem; sed pituitam crassam, & cæteros humores, nec non cibos quoque esse aptos, vt vomitu eijciantur; ideò particulari humoris naturæ nihil insigne, & præcipuum tribuemus in indicando Vomitu. *Humores indicet vomitum.*

Secundum signum est motus humorum, & quidem certiùs; ac non leuis indicatio Vomitus, ob manifestam ipsorum aptitudinem ad euacuationem per vomitum. & ideò docemur ab Hippocrate, vt attendamus, & consideremus motum humorum primo aph. 21. & 2. de hum. 16. *Quæ ducere oportet, quo maximè natura vergit per loca conferentia, eo ducere conuenit.* quia Medicus imitari debet naturam bene operantem; ideò attendere eius motum debet, & eum sequi. Hæc autem indicatio videtur constare ex loco affecto, & humore; quod ex parte verum videtur. At nos hic tantùm consideramus fluxionem, & motum, qui distinguitur à loco affecto, & ab humore. Qui motus si fuerit à natura benè operante, quod cognoscitur, *si confert, & facilè ferunt*. primo aph. 2. & 25. ac 4. aph. 3. erit potiùs iuuandus. sic de loc. in homine nu. 45. *Quùm susceperis Vinosum, & Vomentem nè sedato, vomitus enim euacuationem sedat, faciliùs autem vomitus postea sedabitur.* deinde nu. 51. *Si quis homini Vomenti, aquam mulsam bibendam dare velit, eluentur ea, propterq. Vomit, vnà cum Vomitu, & sic quidem per Vomitum vomitus sedatur.* Quem motum attendere nos debemus in accessionum febrilium initijs, quo tempore moueri solent humores ad os Ventriculi, & ideò eo tempore faciliùs euomuntur, quàm desinente accessione, vt cap. 13. diximus, sic æstate bilis, hyeme pituita ad ventriculum mouentur. Quod si motus fuerit Symptomaticus impediendus erit, ac fluxio, & motus aliò reuellenda erunt, quod aliquando difficulter assequimur. teste Hipp. de loc. in homine 45. *bilis (ait) vbi sua sponte eruperit, aut infernè, aut supernè difficiliùs sedatur, quæ enim spontè procedit præ violentia corpori facta impellitur, si verò à medicamento fluat, non à gentilitatis cognatione violatur.* patet igitur hunc motum sursùm, quandoque esse vtilem; quandoque nocuum; seu quandoque criticum, quandoque verò Symptomaticum; vndè aliquando erit indicans Vomitum, quia imitandus à medico, quandoque non indicat euacuationem faciendam; sed potiùs sedandam, & reuellendam, si vergat, quo non oportet. *Motus humorũ indicans vomitum.* *In principijs febriũ motus est sursum.*

Attendere etiam debemus, humorum motum fieri, quadam die magis, quàm alia, scilicet ad os ventriculi. vndè Hipp. 2. de hum. 19. *Hæc diebus imparibus sursùm fiunt: si & circuitus, & constitutio ex ipsis exacerbationibus talis fiat. plurima autem paribus diebus fiunt deorsùm; sic enim etiam, quæ sua sponte euenit, prosunt; si circuitus in diebus paribus exacerbationes nō faciāt, in huiusmodi autem, in paribus sursum, in imparibus deorsùm, tales autē pauci sunt, & tales etiam constitutiones difficilius indicātur. Quin etiā, quæ tempore sunt progressa longiùs ita fiant necesse est, vt ad decimumtertium, decimumq. quartū diem pertineant, ac decimo quidē tertio, deorsùm, decimoquarto verò, sursum, sic enim ad indicationem confert, & quæ ad vigesimum, præterea, quæ deorsùm feruntur.* Docet etiam hic Hipp. in accessionibus materiam sursùm vergere (nec mirum, quia tunc fit ebul- *Exacerbationes in imparibus.*

 litio

litio humorum, vt patet in olla, & materia sursùm crescit) vndè in accessionibus vomitus, & sanguinis è naribus eruptiones fiunt, ac in declinationibus alui profluuia, & sudores, & vrinæ excretio copiosa. dicit autem diebus imparibus materias sursùm ferri, quia accessiones fieri solent imparibus: paribus verò diebus deorsùm ferri, quia non adsunt accessiones nouæ, sed potius declinationes priorum accessionum, quo tempore materia grauis, non sublata, deorsùm cadit. Porrò quia ita Natura moueri solet, eo etiam tempore nos vomitum concitabimus, vel infernas deiectiones suo etiam tempore. Quòd si vice versa accessiones transmutentur in dies pares, quod rariùs accidit, non tamen omninò; verùm cum id contingit, morbus longus est, & difficilis indicij. & tunc humores diebus paribus sursùm mouentur, quia tunc fiunt accessiones. Diebus verò imparibus deorsùm mouentur, quia quiescit accessio. immò addit Hipp. si longiùs tempus perduret affectio, die pari fiunt accessiones, datque exemplũ decimitertij, & decimiquarti. & in decimotertio, qui est impar, tamen deorsùm feruntur humores, vt in decimoquarto, sursùm mouentur, quod accidit, quia accessiones tunc accedunt. scripsit etiam 4. de Morbis num. 21. (à nobis cap. 13. citatus) *Quicumque iam à febre continua correpti, pharmaco vsi sunt in diebus paribus, hi nimium purgati nunquam sunt. Qui verò in diebus imparibus medicamento forti vsi sunt, nimium purgati sunt. Multi verò etiam perierunt nimium purgati. Proinde priores medici in hoc maximè peccarunt: Medicamenta enim exhibuerũt in diebus imparibus, & homines peremerunt, non scientes, quod, hæc res se ita habet. Humor enim in corpore agroti magis turbatur in imparibus diebus, nimirum corpore humorem ad Ventriculũ transmittente, & si quis iam turbatum adhuc magis perturbet medicamento immisso, nihil mirum est ex talibus hominem perire.* loquitur hic Hipp. de medicamento forti per aluum educente, in febre continua, quod in accessionibus iurè prohibendum est: nam cum per se humores ad ventriculum ferantur: si validum etiam accesserit deiectorium, vel etiam Emeticum, ob maximam corporis perturbationem, nimium ab eo purgati ægri pereunt. possumus tamen vti debilibus Vomitorijs; illud autem accidit non quidem ob ipsos dies impares; sed quia in his accessiones inuadere solent: quod si hæc immutato ordine diebus paribus accesserint, tunc eadem, quæ de imparibus dixit Hipp. de paribus dicenda erunt. certè Auic. prima 4. tract. 2. cap. 7. prohibuit in die periodi euacuationem per aluum, non per Vomitum.

Quando vomendũ.

Tertio, Vomitus indicatur à parte, & situ, vbi residet humor euacuandus; profectò non quia pars euretur, vel expellatur, sed plenitudo in determinata parte: ob partis enim situm commodiùs multò euacuatur, vel per vomitum, vel per secessum, vel per alium proximiorem, & conferentem locum. itaque præcipuum indicans vomitum statuemus, non morbum, neque materiã vacuandam, neque motum humorum sursùm; (nam quandoque malus, & nocuus, vt dixi) sed propinquitatem humoris euacuandi; vel distantiam humoris reuellendi, ideò cum Hipp. de loc. in homine nu. 33. dicemus. *Verum hoc studio habere oportet, vt proximum exitum facias, siue infernè, siue supernè aut etiam alia aliqua corporis parte, vbi exitus sunt.* deinde nu. 39. *Hanc oportet medicamentum potare, quod educat, qua parte febris magis hæret, siue supernè, siue infernè, & siquidem supernè hæreat, supernè; sin infernè, infernè.* & non multo post num. 55. *Cæterum morbi ea parte, qua proximi sunt, educendi sunt, & qua parte singulis exitus, quam proximus est, extrahendi.* docet autem sæpe Hipp., vt ad ægros accedentes cõsideremus, qua parte commodiùs purgandus sit æger, quod semper faciendum, & inter cætera lib. de affection. 14. & 36. *an morbum sursum purgare oportet, aut deorsum, siue per vesicam.* statuit etiam Hipp. partes morbosas, & plenitudinem humorum existentem in partibus supra septum transuersum purgandam sursùm, non alia certè de causa, nisi quia ad exitum per vomitum sunt proximiora. ideò etiam 4. aph. 17. *sine febre existenti cibi fastidium, & oris ventriculi morsus & vertigo, & os amarescens, medicamento sursum purgante, opus habere significat.* & aph. sequenti. 18. *Dolores supra septum transuersum, qui purgatione opus habent, sursum versus purgatione indigere significant. qui verò infrà deorsum.* quod confirmans, & magis explanans libello de Veratri vsu, scripsit. *Quemadmodum autem in prænotionibus dixi, purgatio sursum versus commodat ei, in quo sine febre est cibi fastidium, aut stomachi punctura, aut Vertigo, aut os amarum, & in summa doloribus supra septum transuersum.* statuamus igitur cum Hippoc. partes supra septum transuersum euacuandas esse per Vomitum, quia repletio ibi existens, citiùs per Vomitum euacuatur, seu per partem proximiorem. ideò Vomitu in his morbis vtemur, non autem alui deiectione, si causam morbificam euacuare fuerit in animo. ob id etiam dixit, tum lib. de loc. in hom. tum de Veratri vsu. *Veratrum his dare oportet, quibus de capite fluxus fertur,* quia supra septum.

Situs indicans vomitum.

Per quam partẽ purgandum.

Partes supra septũ per superiora vacuanda.

Altera est Indicatio reuulsiua, euacuatiuę quodammodo contraria, quando, si aliqua fluxio, & motus humorum adfuerit ad loca non conferentia, sursum reuellere oportet materiam deorsum fluentem, & sursum vergentem deorsum trahere. si quidem secundo in 6. Epid. 29. *reuellere oportet si non qua oportet repant.* sic etiam natura quandoque bene operatur contrario motu excitato. & 4. aph. 2. *in medicationibus talia educere è corpore, qualia, & sponte prodeuntia vtile, quæ verò contrario modo prodeunt, cohibere oportet.* reuulsionem autem ipsa natura docuit, quæ rectè reuellere nouit. vndè annotauit Hipp. 6. aph. 15. *à longo alui profluuio habito, spon-*

Vomitus reuulsiuus.

spontaneus vomitus superueniens, morbum soluit, scio quidem in lienteria ipsum negasse 4. aph. 12. quod lib. 3. explicabo. preterea Hipp. 3. de fract. nu. 12. in collisione calcis dat elleborum, vt vomitu reuellat materiã, quæ fluere poterat deorsum. & 3. de fract. tex. 48. in dislocatione fœmoris eodem die dat veratrum, quo restitui debet. & 4. de art. in fine, in pede luxato, Veratrum exhibet. ne igitur fluxio feratur ad partem inferiorem dolentem, ipse vomitu sursum valenter reuellit. Galenus autem 13 meth. 6. *in vlceribus (inquit) ani, & intestinorum vomitu vtemur.* & hoc duplici de causa, cum ne fiat euacuatio per partem affectam, tum etiam, vt ab ea fluxio reuellatur sursum. & 14. meth. 8. *Quod autem Priapismo vomitorijs medicamentis potius, quã subducentibus sit vtendum, in lingua vitio contrà, id ex partium situ iudicari manifestum est, Nam auersionis in contrarium, non à substãtia; sed à curandi morbi posita inuentio præstatur.* sic etiam de rem. par. fac. *Coxendicum dolore affectos vomitus, quam alui deiectio iuuat magis, quod humorum ad inferiora defluxum retrahat.* duplex igitur est humorum motus ad superiora, & ad inferiora, vtrique medebitur Vomitus, motui quidem sursum euacuando, & deriuando per vicina, motui verò deorsum per motum contrarium reuellendo ad superiora. Auic. prima quarti tract. 2. cap. 7. *& non agat cum euacuatione artis contra partem euacuationis naturæ*. an de Crisi, an de fluxu?

Hipp. reuellit Vomitu.

Gal. Vomitu reuellit.

Preterea quum euacuatio in corpore fuerit necessaria, & per inferiora præstari non possit, nimirum præsente intestinorum affectione aliqua, vt sunt hæmorroides, vlcera intestinorum, renasmus, disenteria, &c. euacuatio facienda necessario erit per superiora. quamuis etiam per ipsa intestina ob quasdam intentiones, sępè faciamus euacuationes. Oribas. 7. collect. cap. 26. ex Ruso. *Signa autem ex quibus purgatione opus esse cognoscas, erunt vertigines, capitis grauitates, & dolores repentini, aurium continentes soni, aspectus difficultates, obtusus auditus, tardus sensus, sopor, nulla cibi sumptio, siquis vinũ bonum quis bibat, et amarum, aut alio quouis modo insuaue videatur: mentis alienationes, & quorum quis ante meminerat, oblimisci, palpitationes varijs modis per corpus exilientes, insomnia continua, & formidolosa, & perturbãtia, & nescio quis horror sub cute, lumborum grauitas, vêtris distortiones, quumq. nec cibus expetitur, nec vbi expetitus fit, concoquitur. nec si coquatur, eo homo delectetur. itemq; si aluus pro alimenti proportione non deyeit: vrinaque exigua excernitur: nausea, oris humiditates, & color in hoc biliosus, in illo pituitosus, in alio subniger prater flatum naturalem eius hominis in quo inest. itemq. trahi, ægrè spirare, non facile moueri, & tamen corpore bene valere sibi videri. quaque in cute pullulant, aut ex pituitosis vlceribus, aut ijs, qua per se erumpunt, aut ab asperitatibus oriuntur, aut etiam ephelides. Hæc omnia, quæcumque inuenire alius potest, qua nobis argumento sunt, humorum repletionem, malitiamq. subesse ad purgationes obeundas nos hortantur.*

Permittentia Vomitum: Cap. XIX.

CVM triplex sit indicans. Vitale, & dignitate primum sui semper custodiam indicans. 9. meth. 13. Curatorium à morbo, primum in inuentione, sui semper ablationem indicans. octauo meth. primo. Præseruatorium à causa. 12. meth. primo, Executione primum 4. meth. 4. & 10. meth. primo semper sui ablationem indicans. 11. meth. 4. Egimus de Indicatione præseruatiua, quæ expletur à Vomitu, tum præseruante, tum curante; à quo morborum causę tollũtur, & curantur ablata causa morbi. Diximus autem euacuandi per vomitum indicationem non sumi à morbo, quia non aufertur morbus per se: sed per Accidens: sumi autem à causa morbi. Verùm quia in qualibet medica actione semper sunt vires considerandæ: quæ etiam si medicamenta non requirant; sed alimenta potiùs; tamen, quia quandoque medicamenta fortia ferunt, quandoque non, ideò dicimus quandoque permittere, quandoque prohibere medicamenta. Vomitus ergo à causa morbifica indicatus, vel sufferetur à natura, & viribus corporis, vel non, quod pertinet ad scopum Vitalem, à quo nunc non sumitur indicatio; sed contra indicatio. Nam vires ita sunt, vel permittentes, & coindicantes, vel prohibentes, & contrà indicantes Vomitum. Gal. 9. meth. cap. 10. *si abundantia paulò viribus superior fuerit, vtique ex moderata vacuatione adeò nullum accedit viribus incommodum, vt etiam maximum compareturr commodum, quod eas pramebat, sublato. sin, quò affectus fauetur, multa vacuatione est opus, resoluatur autem ex tanta inanitione virtus. non modò rursus homini non proderit, sed etiam maximum illi periculum afferet.* Verùm quia nos latet, num vires permittant, an prohibeant Vomitum, ideo signis aliquot opus habemus, quæ nobis significent virtutis essentiam, & potentiam. Nos hoc capite considerabimus signa commostrantia virtutem validam sufferre vomitum, altero verò capite afferemus signa, quibus innotescet virtutem debilem, non permittere vomitum: sed eum omninò, vel ex parte prohibere.

Indicatio num diui sio.

Vomitus vt à viribus indicetur.

Virtus indicãs, per signa noscitur.

Ergo signa virtutis validæ permittentis, & quodammodo coindicantis Vomitum, ad duodecim capita à nobis reducentur clarioris doctrinæ gratia.

Signa virium validarum.

Primum erit. Habitus corporis robustus, & fortis,

Secundum, Complexio, & Temperamentum.

Tertium, Ætas.

Quartum, Sexus.

Quin-

Quintum, Consuetudo vomendi.
Sextum, facilitas vomendi.
Septimum, Corporis particularum structura.
Octauum, Humores euacuandi.
Nonum, Affectus locus euacuandus.
Decimum, Aer ambiens, scilicet Astra; Tempus anni, constitutio, Regio.
Vndecimum, Repletio, vel inanitio.
Duodecimum, constitutio corporis, salubris, insalubris, vel neutra.

Cum inuenerimus Vomitum indicari à causa morbifica expellenda, tunc consideranda erunt hæc duodecim capita, num aliqua ex his commostrent vires corporis læsi, fore vt facilè, an verò difficulter ferant imperandum vomitum.

Habitus corporis. Primò itaque, Habitus corporis erit considerandus, an fortis, aut imbecillis, & statuendum cum Hipp. fortes fortia medicamenta vomitoria ferre posse, (nisi alia ratione eædem vires per alia signa repugnent) Quare Hipp. 7. aph. 61. *Sudor multus calidus, vel frigidus semper fluens humorem abduci, robusto quidem supra, debili verò infra significat*, quod apertiùs expressit Gal. in com. *robustis quidem supra, idest per vomitus, debilibus autem infrà, idest per alui subductionem euacuationem faciendam*. & sæpius id admonuit Hipp. vt 2. de morb. mul. n. 3. post fluxum muliebrem. *talibus si robusta fuerint, vomitus ciere oportet ieiunis, & post Vomitus praudium exhibere*. si verò non sedetur fiatq. antiquus. *Respectu virium corporis habito, siquidem robusta fuerit mulier Veratrum dato*. & nu. 8. ad Menstruorum fluxum fuluum, *si sine febre fuerit, & robusta Veratrum dato*. & num. 11. in fluxu albo. *Huic si robusta, & iuuencula fuerit, & alia apparuerint ab initio pharmacum sursum, ac deorsum purgans bibendum dato*. & nu. 12. ad alium fluxum biliosum. *si potens fuerit Veratro purgetur*. & num. 14. ad alium fluxum cum feb. acuta. & 2. de Morbis. 48. ad aphtã pulmonis. *si potens Veratrum per se, sin minus dimidium potionis*. Et 4. de vic. Acut. 112. in Colliquatione. *si valentes fuerint reuelles elleboro albo*. quod sæpè etiam alibi monet. Nec sine ratione id docuisse Hipp. credendum est, cùm enim euacuatio per vomitum, à forti præcipuè medicamento, molesta, atque violenta est; ideò requirit corpus robustum, & vires validas, quæ illi vehementi motui opem ferre possint, & labore nimio non deficiant, nec succumbant. At Vomitus debilis à debiliori etiam virtute permittitur.

Robusti supra va cuandi.

Fortis Vomitus requirit fortes vires.

Tempera. mentũ aptum ad vomitũ. Secundò. Consideranda à nobis est corporis complexio, seu Temperamentum, & an gracilea, aut benè carnosi; & an biliosi, aut pituitosi.

Temperamentum humidum facillimè omniũ ferrè vomitum, apparet voluisse Hippocratem, dum balneis præhumectat corpora, quiete, pluri cibo, ac potu. Ec 4. aph. 6. *Graciles, & facile vomentes purgare superiùs caueutes hyemẽ*: & quamuis Gal. videantur gracilea. quia magna ex parte biliosi sunt, sursum esse purgandi: tamen nisi facillimè vomant non sunt ad vomitum incitandi, cum tabis naturam quodammodo sapiant ob carnis imbecillitatem. Nam aph. 8. *Tabidos verò cauentes ad superiora purgationes*. ob imbecillitatem partium spiritalium, vt in com. scripsit ipse Gal. Vomitum autem Celsus lib. 1. cap. 3. vtilem plenis asseruit. Præterea Hipp. 2. aph. 35. *In quouis morbo (inquit) partes ad vmbilicum, & imum ventrem attinentes, crassitudinẽ habere, meliùs est: vehemens autem extenuatio, & eliquatio, prauum: sed & hoc quoque ad inferiores purgationes periculosum*. Gal. autem io com. scripsit. Quod earum partium tenuitas ad inferiores purgationes sit periculosa, manifestum est. Oportet enim omnia quæ sunt infra thoracem, esse robusta, vt benè purgationibus seruiant: alioqui magna incommoda patiuntur. Cur autem de solis inferioribus purgationibus fecerit mentionem, dignum est quæsitu. Superiores enim hoc est, quæ per Vomitum fiunt, sunt ijs, qui ita affecti sunt, periculosæ. An has quidem tanquam manifestas prætermisit, illarum verò commeminit, vt de quibus magis posset dubitari. sed verbũ *quoque* indicat inferiora addi ad *superiora*. ità vt præcipuè de vomitu sit sermo, deinde per inferiora. si igitur in corporibus extenuatis inferiores purgationes periculosæ, multò magis superiores. Quare per graciles in dicto Aph. intelligemus, non Tabidos, & nimiũ extenuatos; sed aliquantò minùs, quàm mediocriter benè carnosos, & cum hoc modo graciles, & mediocriter carnosi parùm inter se differant. dicemus Hipp. 4. aph. 6. & 7. præcipuè loqui de facilitate, & difficultate vomendi. ita vt, qui facilè vomunt, etiam si sint graciles possint per superiora purgari, quamuis alioqui gracilitas prohibeat vomitum. hoc tantùm notat in gracilibus, vt caueatur hyems. & ratio esse potest, quia graciles solent esse biliosi. cum autem hyeme ventriculus pituita repleatur, & bilis infrà secedat, si in illa facilitate vomendi detur medicamentũ vomitorium bilioso eo tempore, euacuabitur pituita, quã educere non requirebamus. quòd si graciles difficulter vomuerint, nullo modo, & nullo tempore sursùm erunt euacuandi. Contrà, qui difficilè vomunt, etiã si sint bene carnosi, bono habitu, & robusti, ita vt videãtur facilè posse ferre vomitũ, tamen ob illam vomẽdi difficultatem, infrà purgandos consulit. cauet autem æstatem, quia cum fiat, vt plurimum pituitosi, & æstiuo tempore pituita deorsùm vergat, vel euacuabitur pituita tunc nõ peccans, vel medicamẽtũ deiectorium inueniens bilẽ in ventriculo æstate superiora petentem, eam ibi commouens, periculum est, ne difficilem excitet Vomitum. quòd si tali habitu prædiri non fuerint difficiles ad vomitum, non erit dubium, quin omnium maximè sint per Vomitum euacuandi. etiam, & præcipuè æstate. & sicut biliosos superiùs per Vomitum purgandos voluit Galen. 4. aph. 6. & primo de hum. 18. Celsus lib. 1. cap. 3. & Paul. lib. 7. cap. 4. ita etiam pituitosos infra. Auic. 4. primi d. 5. cap. 13. & ille quidem, ait, cui maius iuuamentum affert Vomitus est, cuius complexio prima est cho-

Tenues minus vomant.

Hipp. explicatur.

A minor ad maius

Graciles non vomant.

Difficile vomentes non vomant.

cholerica, & est macer. sed nos iam diximus Vomitu æstate bilem esse euacuandam, Hyeme pituitam.

Aetas pro Vomitu. Tertio. Ætas consideranda est pro vomitu ciendo. vnde Hipp. primo in 6. Epid. 6. *Iuuenes veratro purgare*. ac si aliæ ætates eo abstinere debeant. sed intelligendum est, de forti medicamento, vt est Veratrum: nam Vomitus debilis à qualibet ætate permittitur. immo Io: Zecchius consf.46. ex Hippoc.3. aph. 24. Vomitus, inquit, pueris facilis est, tum ob ventriculi laxitatem, tum etiam ob frigidorum humorum è cerebro in Ventriculum delabentium copiam, necnon etiam ob ingluuiem, & lactis, ciborumq. quantitatem immodicam. Plin. scripsit Elleb. non dari pueris, neque senibus.

Sexus ad Vomitum aptus. Quartò, Sexus, Masnè, an fœmina sit, non videtur consideratione dignus, dummodo sit fortis æger; validua tamen vomitus, qualis ab Elleboro, ex Plinio, fœminis minùs, quàm viris competit. Hippoc. certè in lib. de Mor Mul. Veratrum sæpè dedit. contra tamen leuis vomitus mihi videtur familiarior mulieribus, quàm viris, videns vtique prægnantes per plures mẽses quotidie, sine damno, vomentes, quod in hominibus, rariùs spectare est, Auic. lib.3. fen.20. trac. 1. cap.12. de regimine abortus. inter causas abortus ponit Vomitum. quod nos negamus, & Auic. aliter interpretandum censemus, vt lib.9. patebit.

Consuetudo vomẽdi. Quintò. Consideranda est vomendi consuetudo quæ nobis indicare solet virtutem permittentem. quæ scilicet non multum læditur à vomitu; nam ab assuetia non fit passio, vel si fit non tanta fit. vnde Galen. lib. quos, & quando purgare oportet. & primo de hum. 12. *Consuetudo quoque haud parum euacuationis modum ostẽdit. Nam qui assueti sunt vomere per superiora purgari facilius tollerant, non assueti periculum subeunt, præsertim si elleboro purgentur*. Etenim docuit Hippoc. 2. aphor. 49. *Qui consueti solitos labores ferre, & si fuerint imbecilles, & senes, non consuetis, fortibus, atque iuuenibus faciliùs ferunt*. & aphor. 50. *Quæ ex longo tempore consueta sunt, & si deteriora sunt, insuetis minùs molestare solent*. scripsit etiam Hippoc. facilè vomentes purgandos superiùs, quæ facilitas cum consuetudine mixta est. Galenus autem 4. aph. 23. asserere non dubitauit. *Qui sumpturus est elleborum per continuos Vomitus assuescat ad promptè vomendũ*. quòd desumpsit ex Hippocr. ex quo nos postea circa id plura afferemus.

Facilitas vomendi. Sextò. Facilitas vomendi consideranda est; cuius causam diximus supra cap.4. esse oris Ventriculi dispositionem, vel naturalem, vel acquisitiam ex consuetudine vomendi, nimirum os Ventriculi natura pateas, & satis latum, vel laxum, & humidum, calidumque; vndè facilè distenditur, & hanc conditionem considerauit Hippocr. quando dixit: *Facile vomentes purgare superiùs*.

Corporis structura. Septimò. Corporis particularum structuram considerare debemus; nam si aliquæ partes malè fuerint à natura compositæ, hæc praua structura signum nobis erit, virtutis debilis illius partis, propterea non ferentis vomitum, ita ipsum prohibere dicemus. Contrà verò omnia benè disposita, circa Thoracem, collum, & ventrem, quæ partes in vomitu vexantur, & commouentur, indicant nobis à natura corporis Vomitum permitti. nam periculum aliquod ijs partibus fortibus, & bene dispositis à motu, qui fit in Vomitu, non videtur imminere. si igitur Thorax latus, mediocriter carnosus, venter musculosus, & collum non longum fuerit, sed latum, & breue, Vomitus facilior.

Humores vacuãdi. Octauò. Si considerauerimus Humores euacuandos, hi erunt vel crassi, vel tenues; vel crudi, vel cocti ex Galeno, vel neutri, vt diximus nos suprà cap.9. præterea vel fixi, & quiescentes, vel fluentes, in motu, & turgentes ex Galeno. Tenues quidem faciliùs expelluntur; ideò Galenus attenuare studet; sed in purgationibus, præsertim verò in vomitibus ciendis, non reperio Hippocratem attenuantem. Crassi verò difficiliùs profectò expelluntur, ideò validiora requirunt medicamenta. an verò sint attenuandi, necnè humores crassi; qui expurgari debent, vt voluit Galenus, considerabimus postea diffusiùs de præparatione loquentes lib.8.

Concoctos humores deorsum vacuamus. Concoctos tantùm expellendos esse Galenus asseruit, sic voluisse Hippocratem ratus: at nos concoctos potissimum expellemus infrà, quia grauiores sunt, & facilè obediunt deiectorijs: crudos verò, (quales sunt ij, qui extra venas putrescunt, in inflammationibus, & febribus,) quia non habent vias conuenientes, per quas possint attrahi ad Ventriculum, vndè sunt inobedientes, relinquemus, donec natura concoquendo vias aliquas aperiat calore agente; per quas attrahi ad ventriculum possint, & ideò dixit Hipp. 4. de Vic. acut. 22. & lib. de Veratri vsu. *Quiescit que autem, ea, quæ inflammantur statim morborum inter initia medicamento soluere conãtur, ij non solum ab intensa, inflammataque parte nihil adimunt, cùm non cedat, obsequaturque, quæ adhuc cruda est affectio. Verùm quoque, & quæ morbo resistentia, & sana sunt, absumunt, colliquantque, vbi autem corpus imbecille sit, morbus praualet, vbi autem morbus corpori praualuerit, remedium non habet.* Affectionem crudam appellat Hippoc. eam, in qua non cedit, obsequiturq. contentus humor, qualis est inflammatio, & ratio est, quia materia est extra vasa, & ideò non potest fieri attractio, neque expulsio, quia actiones perficiuntur à venis, arterijs, & musculis se mouentibus ad dictas actiones per villos, & fibras suas. non enim concedam attrahi humores, vt à Magnete ferrum. nam tunc in purgationibus dicendum esset facultates naturales otiari, videlicet attractricem, & expultricem, cum per se medicamentum ageret. Cum autem in Vomitibus, & fluxibus spontaneis, sine ope medicamenti, videamus eadem effici, dicemus ab ijsdem facultatibus illa ipsa

Cruda nõ mouẽda. *In principio inflãmat. non purgandum.* *Affectio cruda quæ.* *Naturales facultates euacuant.*

Quintum, Consuetudo vomendi.
Sextum, facilitas vomendi.
Septimum, Corporis particularum structura.
Octauum, Humores euacuandi.
Nonum, Affectus locus euacuandus.
Decimum, Aer ambiens, scilicet Astra; Tempus anni, constitutio, Regio.
Vndecimum, Repletio, vel inanitio.
Duodecimum, constitutio corporis, salubris, insalubris, vel neutra.

Cum innenerimus Vomitum indicari à causa morbifica expellenda, tunc consideranda erunt hæc duodecim capita, num aliqua ex his commostrent vires corporis læsi, fore vt facilè, an verò difficulter ferant imperandum vomitum.

Habitus corporis. Primò itaque: Habitus corporis erit considerandus, an fortis, aut imbecillis, & statuendum cum Hipp. fortes fortia medicamenta vomitoria ferre posse, (nisi alia ratione eædem vires per alia signa repugnent) Quare Hipp. 7. aph. 61. *Sudor multus calidus, vel frigidus semper fluens humorem abduci, robustio quidem supra, debili verò infra significat*, quod apertiùs expressit Gal. in com. *robustis quidem supra, idest per vomitus, debilibus autem infrà, idest per alui subductionem euacuationem faciendam*. *Robusti supra vacuandi.* & sæpius id admonuit Hipp. vt 2. de morb. mul. n. 3. post fluxum muliebrem. *talibus si robusta fuerint, vomitus ciere oportet ieiunis, & post Vomitus prandium exhibere*. si verò non ledetur fiatq. antiquus. *Respectu virium corporis habito, siquidem robusta fuerit mulier Veratrum dato*. & nu. 8. ad Menstruorum fluxum fuluum, *si sine febre fuerit, & robusta Veratrum dato*. & num. 11. in fluxu albo. *Huic si robusta, & iuuencula fuerit; & alia apparuerint ab initio pharmacum sursum, ac deorsum purgans bibendum dato*. & nu. 12. ad alium fluxum biliosum. *si potens fuerit Veratro purgetur*. & num. 14. ad alium fluxum cum feb. acuta. & 2. de Morbis. 48. ad aphtã pulmonis. *si potens Veratrum per se, sin minus dimidium potionis*. Et 4. de vic. Acut. 112. in Colliquatione. *si valentes fuerint reuelles elleboro albo*. quod sæpè etiam alibi mouet. Nec sine ratione id docuisse Hipp. credendum est, cum enim euacuatio per vomitum, à forti præcipue medicamento, molesta, atque violenta est; ideò requirit corpus robustum, & vires validas, quæ illi vehementi motui opem ferre possint, & labore nimio non deficiant, nec succumbant. *Fortis Vomitus requirit fortes vires.* At Vomitus debilis à debiliori etiam virtute permittitur.

Temperamentũ aptum ad vomitũ. Secundò. Consideranda à nobis est corporis complexio, seu Temperamentum, & an graciles, aut benè carnosi; & an biliosi, aut pituitosi.

Temperamentum humidum facillimè omniũ ferrè vomitum, apparet voluisse Hippocratem, dum balneis præhumectat corpora, quiete, pluri cibo, ac potu. Et 4. aph. 6. *Graciles, & facile vomentes purgare superiùs cauentes hyemẽ*: & quamuis Gal. videantur graciles. quia magna ex parte biliosi sunt, sursum esse purgandi: tamen nisi facillimè vomant non sunt ad vomitum incitandi, cum tabis naturam quodammodo sapiant ob carnis imbecillitatem. Nam aph. 8. *Tabidos verò cauentes ad superiora purgationes*. *Tenues minus vomant.* ob imbecillitatem partium spiritalium, vt in com. scripsit ipse Gal. Vomitum autem Celsus lib. 1. cap. 3. vtilem plenis asseruit. Præterea Hipp. 2. aph. 35. *In quouis morbo (inquit) partes ad vmbilicum, & imum ventrem attinentes, crassitudinẽ habere, meliùs est: vehemens autem extenuatio, & eliquatio, prauum: sed & hoc quoque ad inferiores purgationes periculosum*. Gal. autem in com. scripsit. Quod earum partium tenuitas ad inferiores purgationes sit periculosa, manifestum est. Oportet enim omnia, quæ sunt infra thoracem, esse robusta, vt benè purgationibus ferniant: alioqui magna incommoda patiuntur. Cur autem de solis inferioribus purgationibus fecerit mentionem, dignum est quæsitu. *Hipp. explicatur.* Superiores enim hoc est, quæ per Vomitum fiunt, sunt ijs, qui ita affecti sunt, periculosæ. An has quidem tanquam manifestas prætermisit, illarum verò commeminit, vt de quibus magis posset dubitari. sed verbũ *quoque* indicat inferiora addi ad *superiora*, ità vt præcipuè de vomitu sit sermo, deinde per inferiora. si igitur in corporibus extenuatis inferiores purgationes periculosæ, multò magis superiores. *A minori ad maius* Quare per graciles in dicto Aph. intelligemus, non Tabidos, & nimiũ extenuatos; sed aliquantò minùs, quàm mediocriter benè carnosos, & cum hoc modo graciles, & mediocriter carnosi parùm inter se differant. dicemus Hipp. 4. aph. 6. & 7. præcipuè loqui de facilitate, & difficultate vomendi. ita vt, qui facilè vomunt; etiam si sint graciles possint per superiora purgari, quamuis alioqui gracilitas prohibeat vomitum. hoc tantùm notat in gracilibus, vt caueatur hyems. *Graciles non vomant.* & ratio esse potest, quia graciles solent esse biliosi. cum autem hyeme ventriculus pituita repleatur, & bilis infrà lecedat, si in illa facilitate vomendi detur medicamentũ vomitorium biliosa eo tempore, euacuabitur pituita, quã educere non requirebamus. quòd si graciles difficulter vomuerint, nullo modo, & nullo tempore sursùm erunt euacuandi. Contrà, qui difficilè vomunt, etiã si sint bene carnosi, bono habitu, & robusti, ita vt videãtur facilè posse ferre vomitũ, tamen ob illam vomẽdi difficultatem, infrà purgandos consulit. *Difficile vomentes non vomant.* cauet autem æstatem, quia cum sint, vt plurimum pituitosi, & æstiuo tempore pituita deorsum vergat, vel euacuabitur pituita tunc nõ peccans, vel medicamẽtũ deiectorium inueniens bilẽ in ventriculo æstate superiora petentem, eam ibi commouens, periculum est, ne difficilem excitet Vomitum. quòd si tali habitu præditi non fuerint difficiles ad vomitum, non erit dubium, quin omnium maximè sint per Vomitum euacuandi. etiam, & præcipuè æstate. & sicut biliosos superiùs per Vomitum purgandos volunt Galen. 4. aph. 6. & primo de hom. 18. Celsus lib. 1. cap. 3. & Paul. lib. 7. cap. 4. ita etiam pituitosos infra. Auic. 4. primi d. 5. cap. 13. & ille quidem, ait, cui maius iuuamentum affert Vomitus est, cuius complexio prima est cho-

cholerica, & est macer; sed nos iam diximus Vomitu æstate bilem esse euacuandam, Hyeme pituitam.

Aetas pro Vomitu. Tertio. Ætas consideranda est pro vomitu ciendo. vnde Hipp. primo in 6. Epid. 6. *Iuuenes veratro purgare*. ac si aliæ ætates eo abstinere debeant. sed intelligendum est, de forti medicamento, vt est Veratrum: nam Vomitus debilis à qualibet ætate permittitur. immo Io: Zecchius consf.46. ex Hippoc.3. aph. 24. Vomitus, inquit, pueris facilis est, tum ob ventriculi laxitatem, tum etiam ob frigidorum humorum è cerebro in Ventriculum delabentium copiam, necnon etiam ob ingluuiem, & lactis, ciborumq. quantitatem immodicam. Plin. scripsit Elleb. non dari pueris, neque senibus.

Sexus ad Vomitum aptior. Quartò, Sexus, Masnè, an fœmina sit, non videtur consideratione dignus, dummodo sit fortis æger; validus tamen vomitus, qualia ab Elleboro, ex Plinio, fœminis minùs, quàm viris competit. Hippoc. certè in lib. de Mor Mul. Veratrum sæpè dedit. contra tamen læuis vomitus mihi videtur familiatior mulieribus, quàm viris, videns vtique prægnantes per plures mēsea quotidie, sine damno, vomentes, quod in hominibus, rariùs spectare est, Auic. lib.3. fen.20. trac. 1. cap.12. de regimine abortus. inter causas abortus ponit Vomitum. quod nos negamus, & Auic. aliter interpretandum censemus, vt lib.9. patebit.

Consuetudo vomēdi. Quintò. Consideranda est vomendi consuetudo quæ nobis indicare solet virtutem permittentem. quæ scilicet non multum læditur à vomitu; nam ab assueris non fit passio, vel si fit non tanta fit. vnde Galen. lib. quos, & quando purgare oportet. & primo de hum. 12. *Consuetudo quoque haud parum euacuationis modum ostēdit. Nam qui assueti sunt vomere per superiora purgari facilius tollerant, non assueti periculum subeunt, præsertim si elleboro purgentur.* Etenim docuit Hippoc. 2. aphor. 49. *Qui consuetos solitos labores ferre, & si fuerint imbecilles, & senes, non consuetis, fortibus, atque iuuenibus faciliùs ferunt*. & aphor. 50. *Quæ ex longo tempore consueta sunt, & si deteriora sunt, insuetis minùs molestare solent.* scripsit etiam Hippoc. facilè vomentes purgandos superiùs, quæ facilitas cum consuetudine mixta est. Galenus autem 4. aph. 23. asserere non dubitauit. *Qui sumpturus est elleborum per continuos Vomitus assuescat ad promptè vomendū.* quòd desumpsit ex Hippocr. ex quo nos postea circa id plura afferemus.

Facilitas vomendi. Sextò. Facilitas vomendi consideranda est, cuius causam diximus supra cap.4. esse oris Ventriculi dispositionem, vel naturalem, vel acquisititiam ex consuetudine vomendi, nimirum os Ventriculi natura patens, & satis latum, vel laxum, & humidum, calidumque: vndè facilè distenditur, & hanc conditionem considerauit Hippocr. quando dixit: *Facile vomentes purgare superius*.

Corporis structura. Septimò. Corporis particularum structuram considerare debemus; nam si aliquæ partes malè fuerint à natura compositæ, hæc praua structura signum nobis erit, virtutis debilis illius partis, propterea non ferentis vomitum, ita ipsum prohibere dicemus. Contrà verò omnia benè disposita, circa Thoracem, collum, & ventrem, quæ partes in vomitu vexantur, & commouentur, indicant nobis à natura corporis Vomitum permitti. nam periculum aliquod ijs partibus fortibus, & benè dispositis à motu, qui fit in Vomitu, non videtur imminere. si igitur Thorax latus, mediocriter carnosus, venter musculosus, & collum non longum fuerit, sed latum, & breue, Vomitus facilior.

Humores vacuādi. Octauò. Si considerauerimus Humores euacuandos, hi erunt vel crassi, vel tenues; vel crudi, vel cocti ex Galeno, vel neutri, vt diximus nos suprà cap.9. præterea vel fixi, & quiescentes, vel fluentes, in motu, & turgentes ex Galeno. Tenues quidem faciliùs expelluntur; ideò Galenus attenuare studet; sed in purgationibus, præsertim verò in vomitibus fiendis, non reperio Hippocratem attenuantem. Crassi verò difficiliùs profectò expelluntur, ideò validiora requirunt medicamenta. an verò fiunt attenuandi, necnè humores crassi; qui expurgari debent, vt voluit Galenus, considerabimus postea diffusiùs de præparatione loquentes lib.8.

Concoctos humores deorsum vacuamus. Concoctos tantùm expellendos esse Galenus asseruit, sic voluisse Hippocratem ratus: at nos concoctos potissimum expellemus infrà, quia grauiores sunt, & facilè obediunt deiectorijs: *Cruda nō moueda.* crudos verò, (qualea sunt ij, qui extra venas putrescunt, in inflammationibus, & febribus,) quia non habent vias conuenientes, per quas possint attrahi ad Ventriculum, vndè sunt inobedientes, relinquemus, donec natura concoquendo vias aliquas aperiat calore agente, per quas attrahi ad ventriculum possint, & ideò dixit Hipp. 4. de Vic. acut. 22. & lib. de Veratri vsu. *Quiescentes* *In principio inflāmat. non purgandum.* *que autem, ea, quæ inflammantur statim morborum inter initia medicamento soluere conātur, ij non solum ab intensa, inflammataque parte nihil adimunt, cùm non cedat, obsequaturque, quæ adhuc cruda est affectio. Verùm quoque, & quæ morbo resistentia, & sana sunt, absumunt, colliquantque, vbi autem corpus imbecille fit, morbus praualet, vbi autem morbus corpori praualuerit, remedium non habet.* *Affectio cruda quæ.* Affectionem crudam appellat Hippoc. eam, in qua non cedit, obsequiturq. contentus humor, qualis est inflammatio, & ratio est, quia materia est extra vasa, & ideò non potest fieri attractio, neque expulsio, quia actiones perficiuntur à venis, arterijs, & musculis se mouentibus ad dictas actiones per villos, & fibras suas. non enim concedam attrahi humores, vt à Magnete ferrum. nam tunc in purgationibus dicendum esset facultates naturales ociari, videlicet attractricem, & expultricem, cum per se medicamentum ageret. Cum autem in Vomitibus, & fluxibus spontinis, sine ope medicamenti, videamus *Naturales facultates euacuant.* eadem effici, dicemus ab ijsdem facultatibus illa ipsa

la ipsa effici, etiam medicamento dato, à quibus naturalis excretio excitabatur. In inflammationibus profectò, naturales facultates non possunt opus suum perficere: namque partes inflammatæ ob plenitudinem sunt nimis tensæ; ideo se movere, atque constringere nequeunt: & tunc cruda dicitur affectio, temporis autem processu calor naturalis inflammationis materiam subtiliorem resoluendo affectum concoquere dicitur, vndè diminuta aliquantùm materia, & quæ remansit, rariore reddita, particulæ relaxatæ moveri, & se constringere possunt ad expellendam materiam contentam. Illa verò materia, quæ extra venas est, initio non obsequitur, quia vias non habet, & quas priùs habuit, obturatæ sunt; natura autem suo insito spiritu, calore, & facultate, post aliquod tempus obseratas vias aperit, vel nouas, si opus est, aperit de nouo, ita sagax, & sapiens est circa sui custodiam; hoc autem modo dicitur affectio concoqui. hoc etiam voluit Hippoc. illo aphor. *concocta medicari*, &c. scilicet, vt in affectibus inflammatorijs expectemus donec natura, vias aperiat, per quas attrahi, & expelli humores possint. ideò secundo de hum. 21. Hippoc. *Multa autem* (inquit) *purganda sunt: eaque non prope indicationem, sed longiùs: raro autem in acutis multa ducenda sunt: in delassatis verò totum*. In delassatis partibus inflammatis, & rarefactis, quæ priùs erant tensa, & infarcta, totum quod continetur expellere possumus, & debemus, hoc autem accidit numquam in principijs. sed postea, nam coctio fit in tempore, quapropter scripsit Hippoc. initio lib. de hum. citati. *Impetus, & ferocitas humorum, vbi non reciprocatio humorum est, velut fluxum, ducendus est quà repit per convenientes, ac commodas regiones, exceptis his, quorum maturitas tempore contingit. Maturationes extra, aut intrò repunt, aut alio, quo oportet*. itaque maturitas tempore fit, & ex Plat. habet fatale tempus. ergo maturanda non sunt purganda; sed alia omnia. Quod si alij morbi fuerint sine inflammatione, & partium tensione, non perpenditur hæc coctio, vel incoctio materiæ; sed expellenda est, qualiscumque sit; etenim tantùm attrahetur cruda, quàm, à Gal. dicta, concocta: præcipuè verò ex ventriculo, & ei vicinis partibus. sed præter dicta adesse materiam inhabilem coctioni, & neutram, & venenatam certum est, quæ cum nunquam coqui possit, cruda nequaquam dici debet. itaque hanc citò debemus euacuare, & cum non habeat naturam retinentem, satis manifestum est, à natura vacuationem ipsam permitti.

Quomodo fit expulsio in cocta inflammatione.

Materia Venenata non est coquenda.

Cum autem humores sunt in motu, (quia quiescentes difficiliùs attrahuntur, ac expelluntur) natura facilè permittet eos à medicamento euacuari, cum iam ipsa eos de loco ad locum traijcere videatur, itaque cum non adhuc sint in aliqua parte firmati, faciles erunt attractu: vndè, si sursùm fluant, deriuandi, & euacuandi per vomitum erunt, vt diximus superiori capite, si verò repant deorsùm, & ad loca non conferentia, sursùm vomitu per contrarium motum erunt reuellendi.

Faciliùs euacuantur humores moti, quàm quieti.

Nono. Considerandus venit affectus locus euacuandus, qui cum per partem proximiorem aptam sit exinaniendus, vt superiori capite diximus, si supra septum fuerit, virtus permittet superiorem euacuationem, signumque habebimus, virtutem facilè laturam vomitum, ob proximum exitum, & citam liberationem à plenitudine vexante. sicut è contrà commostratur infra septum transuersum partibus læsis, vires faciliùs alui deiectionem ferre, quàm vomitum ob propinquitatem exitus.

Locus affectus.

Decimo. Aer ambiens est notandus, qui continet in se Tempus anni, Aeris constitutionem, Regionem, & Astrorum aspectus. Quod anni tempus Vomitui sit congruentius. cap. 11. diximus. Aeris verò constitutionem, & Regionem extremè calidas, vel frigidas signa esse virtutis debilis non ferentis validum vomitus motum, & euacuationum præstantiam, asserere non dubitamus: nam ex Gal. 2. aph. 28. *Ex regionibus autem, & anni temporibus, ac constitutionibus, calida quidem, ac sicca magis euacuant, humida verò, ac frigida magis adstringunt, ac difflare corpora, atque extenuari non sinunt*. & 4. de victu acut. 55. retulit. *Cæterum, quomodo in pueris, corporis substantia, tum mollis, tum humida, præcipua exolutionis virium causa efficitur, sic etiam in regionibus, & anni temporibus res habet: nempe horum caliditas, velociter, confestimq; virtutem vacuationis quantitate soluit*. & non solum in Vomitu, qui corpus maximè vexat; sed in venæ etiam sectione Gal. pertimescit aeris nimiam caliditatem, vel frigiditatem: ideò docet 11. meth. med. 14. *Sanguinē nō mittes omninò quidem in tempore æstatis, & regione æstuosa, & cæli statu calido, & sicco*. Quod reperit de venæ sect. cap. 3. *Si Regio, aut frigore algeat, qualis Scythia est, aut calore exusta sit, qualis est, quam Aethiopes incolunt, anni tempus vehementer, vel frigidum sit, vel incalescat, nemo est qui venam scindere audeat*. Aptius igitur ad Validum Vomitum tempus erit temperatum, aere existente non nimis calido, nec frigido, quia ab immodico excessu spiritus vitales corporum non resoluuntur. At imbecillis vomitus, & post cibum, quia minùs corpus vexat, non ita omninò prohibetur; vndè permittitur à viribus etiam æstate, & hyeme. Arabes autem semper elleborum timere credimus, quia semper eorum corpora ob regionem nimis calidam, nimis aperta, rara, laxa, & resolubilia sunt. Hinc fortia medicamenta corpus valde commouentia, & magnos labores inducentia non ferunt. propterea Mesues scripsit. *Album corporibus nostri temporis est molestus, immò est eis sicut Venenum propriè præfocans*. sed Mesues in hoc deceptus est, (si non errauit interpres) quia dicere debebat. *corporibus nostræ Regionis est molestus*. & ità verum dixisset. Nam hoc æuo in temperatis regionibus nostra corpora non solùm ferunt Elleborum; sed maiora

Aer ambiens.

Anni tempus.

Regio.

Anni tempus aptū ad Vomitum.

Arabes timent Ellebor.

etiam

Medicamenta magis venenosa quā Elleborū. etiam medicamenta, & magis venenata, & ex Mineris excauata, vt Antimonium, Sublimatum, præcipitatum, & alia mineralia vomitoria validissima, quæ ad grana pauca assumpta mirificam conturbationem in corpore pariunt. immò ferunt suffumigia, & inunctiones ex Mercurio, quæ si quis aspexerit, sine dubio, omnium, quæ fieri possint euacuationum sæuissima, molestissima, ac periculosissima iudicabit, ob atrocia, & continua symptomata circa os, guttur, dentes, palatum, & linguam.

Astra. Astra etiam cum Vigent, vomitus prohibent, vt diximus supra cap. 12. igitur cum ea non vigent, nec prohibent, dicemus, ipsorum ratione, (nimirum, quia corpora non vexant) virtutem euacuationem permittere.

Repletio & inanitio. Vndecimò. Quod spectat ad considerationem repletionis, vel inanitionis corporum, quibus vomitum præcipere habemus in animo, aduertendum repletionem præsentem ventriculi signū nobis esse, vires facile medicamentum vomitorium ferre posse. sic quoque intestinorum læuis euacuatio præcedens, vt etiam per clystere, nimirum, vt ex hac sciamus in ipsis excrementa non contineri, quæ ob Vomitum possint ad ventriculum trahi, ita inanitio intestinorum permittit vomitum. Cor. Celsus lib. 1. cap. 3. *Vomitio vtilis est,* (inquit) *si vel nimium se repleuerunt, vel parum concoxerunt. Nam siue plus est, quā quod concoqui possit, periclitari, nè corrumpatur, non oportet. si verò corruptum est, nihil commodiùs est, quam id, qua via primum expelli potest, eijcere.*

Constitutio corporis. Duodecimò. Consideranda nobis est Constitutio corporis, an patiens sit omninò sanus, vel iam ægrotans; an mox ægrotaturus. nam si iam morbo sit captus, vel eiusdem impendet periculum: conueniet vomitus, qui causam morbi præsentis, vel instantis tollere queat. Quod si sanitas perfecta corporis aderit; non poterit in eodem corpore reperiri, nec debet euacuari, quod non est, *Sana corpora non vacuāda.* frustra ergo daretur medicamentum Vomitoriū, quod ægritudinis causam non inueniens, destrueret sana, & ægritudinem pareret commutando corporis statum. ideò Hipp. *sanas carnes habentibus elleborus periculosus*, dixit.

Instrumēta sana. Sed ex altera parte respicienda sunt instrumēta, & partes vomitui inseruientes, vt Ventriculus ipse, septum transuersum, Thorax, & venter, quæ debent esse sana, quùm valido vomitu vti intendimus, alioqui ipsorum virtus ob morbos proprios imbecillis vomitum non permittet, si igitur hæc absquè inflammatione, & absque apostemate, aut alia re prohibente fuerint, dicemus Vomitum permittere, dum non prohibent.

Prohibentia Vomitum. Cap. XX.

PER eadem signa, quibus cognoscimus virtutem validam in omnibus corporis partibus, & actionibus vomitum permittere, per eadem (inquam) etiam in cognitionem perducimur virtutis aliquo modo inualidæ, & malè affectæ, quæ vomitum sine magno detrimento ferre non possit; propterea hunc ab ipsa prohiberi dicimus. tacebo autem ea, quæ contra Vomitum dicūtur à Plutarcho lib. de san. tuen. Celso lib. 1. cap. 3. immò Asclepiades, teste Plin. lib. 26. cap. 3. Vomitiones meritò damnauit tunc supra modum frequentes, & luxuriæ potiùs, quàm sanitatis causa factas, vt iterum se cibo explerent, vt Canes.

Primò. Igitur exactiùs considerabimus habitum corporis; nam sicut fortis virtus vomitum à forti medicamento permittit, sic debilis eumdem prohibet. sic si debile corpus debilem tantùm vomitum permittit; debilissimum, nullum motum, nullamque euacuationem sustinebit. Virium igitur robur requiritur, quod si non adsit prohibetur Vomitus; &, vt dixi, ex forti medicamento Vomitus prohibetur; si vires non fuerint validæ, quod si adhuc imbecilliores erunt etiam debilem vomitum prohibebunt. igitur in ægris valdè debilibus, vel ob inediam, vel longum morbum, non excitetur arte vomitus, ne labore deficiente ægro, accusetur Medicus. *Habitus corporis.*

Secundò. Perpendenda est Complexio, & corporis temperies. vndè virtus prohibet vomitum in nimis gracilibus, vel nimis crassis, quia motus violentos non ferunt. sic Hippoc. in Aph. 10. *Tabidos verò cauentes ad superiora purgationes.* & de Veratri vsu. *Vitare oportet maximè nigros, & humida carne praeditos, sed & subfuscos, & balbos, & blesos.* & Auicen. prohibet vomitum multum pinguibus, & 4. primi doc. 5. cap. 5. *Trauli* (inquit) *sunt ex eis, qui cholericæ passioni, seu diarrhea sunt apparatis, fortem igitur non tolerant medicinam, ipsorum tamen plurimi, dictos morbos incurrunt, ex rheumatismis suorum capitum.* Plinius verò lib. 25. cap. 5. *Vetant dari mollis, ac fœminei corporis, animive, exilibus, aut teneris, & timidis.* de Elleboro verba faciens. & Aetius de eodem Elleboro loquens ser. 3. c. 124. *Mulierosi* (inquit) *& habitu valde pingues, aut graciles, aut Thoracem non carnosum habentes, & qui valdè frigidam temperaturam habent, & qui multo sanguine abundant, & pusillanimes.* Galenus autem primo de hum. 12. *Sed, vt monui, obseruare oportet, qui pingues sunt, & quorum tabidus est habitus.* & primo ad Glau. 14. *his, qui admodum crassi sunt, aut macilenti, euacuationes integras vereri oportet.* *Complexio.* *Nec graciles, nec crassi nimis purgandi.*

tet. ratio videtur ex eo, quod tradit Galen. ipse, 2. aphor. 44. *Crassis angustæ sunt arteriæ, ac venæ, atque ob id paucum omninò sanguinem; & spiritum habent: adeò, vt cum ætate processerint, celeriter in ipsis, vel paruam ob causam calor innatus destruatur. Graciles autem hac quidem ratione non periclitantur. quia verò partes principales, ita affectæ sunt, vt nullum habeant munimentum, à causis exterioribus promptè offenduntur.* scripsit etiam Cor. Celsus lib. 1. cap. 3. vomitum esse inutilem gracilibus. Auicen. 4. primi d. 5. cap. 4. Vomitus cum macredine Ventris, est difficilior, & laboriosus, & timorosus. & cap. 11. multum pingues non debent vomere, quoniam istis conuenientiùs est, vt venter soluatur, & macris melior est Vomitus choleræ ipsorum aptus. Hippoc. de loc. in hom. 39. Graciles febricitantes purgat supernè, vel infernè, & quo hæret feb.

Ætas. Tertiò circa Ætatem. Plinius nos monitos vult; de Elleboro loquens, quòd sui superiores, & cæteri Medici *vetant dari senibus, & pueris.* quod confirmatur ex Aetio ser. 3. cap. 124. scribente. Pueros quoque, ac senes ineptos esse ad Veratrum. non tamen ob id ijs prohibetur omnis Vomitus. supra enim diximus puerulis etiã permitti facilem Vomitum, & de facto, quotidie videmus infantes lactantes sæpè euomere. id tamen est statuendum pueris, & senibus ob vires debiles non esse dandum Veratrum, vel simile medicamentum.

Sexus. Quartò circa sexum. Plinius Elleborum dari scribit. *Fœminis minùs, quàm viris.* & Aetius. *Viri (inquit) aptiores sunt ad Veratrum Mulieribus, & ex ipsis viris hi, qui fortiorem habitum possident.* Hippocrates tamen mulieribus sæpè exhibuit Veratrum, ex quo dicemus sexum ipsum non prohibere vomitum. sed nos tantùm cautiores reddere, quia viris fœminæ minùs sunt robustæ.

Consuetudo vomendi. Quintò. Consuetudo vomendi consideranda est. Nam si ægri vomere non fuerint assueti, validum motum ex forti vomitorio ferre non poterunt, ideò in eis, virtus insueta non permittit, præcipuè ieiunis. assuefaciendi ergo priùs ad Vomitum erunt, incipiendo eum leuioribus à cibo vomitionibus, quæ parum molesta esse solent, & notabile detrimentum nullum afferre possunt. ob id Auic. 4. primi doc. 5. cap. 11. ait: *non debent Vomere, qui Vomendi non habent consuetudinem, quoniam si istis vomitus pronocatus fuerit fortibus Vomitibus, non remanebit, quin ipsorum venæ in membris anhelitus scindantur, & perueniant ad phthisim.* deinde: *Quum autem alicuius rei, qualis sit ignorabitur. vomitibus leuibus priùs erit experiendus, qui si ei fuerint faciles, erimus ei ausi fortes dare, sicut illum, qui fit ex Elleboro, & sibi similes. quod si fuerit vnus ex eis, quibus non conuenit Vomitus, & fuerit necessarium, vt ipse vomat, prepara ipsum ante, & fac ei consuetudinem.*

Difficultas vomendi. Sextò. Difficultas vomendi prohibet vomitum. vndè Hippocr. in Aphor. *vomentes difficulter per inferiora.* & Aetius ex Antillo. & Possidonio ser. 3. cap. 124. ineptos vocat ad Vomitum *difficulter vomentes, & pusillanimes.* Galenus autem primo de loc. aff. 4. *Cogere eum, qui vomere non potest, absurdum est.* & primo de hum. 12. *Iis (inquit) qui difficulter ad vomendum impelluntur, non mediocre periculum imminet ne, & venula rumpatur, & aspectus offendatur, & gurgulio, ac stomachus dolore constrictentur. & alia item incommoda patiantur. ideò Medici modos excogitarunt, quibus modis homines vomere facile possint.* & hac ratione Hippoc. 4. aphor. 13. *Ad Elleboros, qui non facilè suprà purgantur, eorum corpora ante potionẽ pluri cibo, atque quiete præhumectare oportet.* quod explicans Galen. in com. & lib. quos purg. op. *Ellebori itaque sumpturi (inquit) naturam priùs experiri debemus, quomodo illa se habeat ad superuas expurgationes, eas dico, quæ vomendo fiunt. Experiemur autem, si qua vomitum mediocriter prouocant exhibuerimus, qui enim facile hoc pacto non purgabitur, hic nisi preparatus ad Elleborum accedat.* *Ellebori sumpturi se preparent.*

Septimò. Obseruanda maximè est corporis particularum structura: nam si aliquis in compositione error consistit, hic maximè vomitum prohibet. ideò Galen. primo de hum. 12. *Cauere, si quem in gurgulione, aut faucibus, aut ceruice, morbus exercere consueuit.* & lib. de his quos, & quando purgare. *Cæterum, qui angustum pectus habent, & idcircò pulmonem compressum, ad vomendum ineptissimi sunt, eum alijs vomere facientibus, tum præcipuè Veratro, conceptaculum enim aliquod ex ijs, quæ respirando vsui sunt disrumpent.* Paulus autem lib. 7. cap. 10. *aduersatur ijs, qui suffocationibus opportuni sunt.* Aetius ser. 3. cap. 124. *Thoracem non carnosum habentes, & longam, ac angustam ceruicem habentes inepti sunt ad Veratrum.* addam Auicennam 4. primi. doc. 5. cap. 11. scribentem: *Qui pectus habent strictum, & qui male anhelant, collum gracile, & apostematibus, quæ in ipsorum nascuntur gulis, apto.* Arnaldus etiam in Antid. cap. 25. & de regimine sanit. cap. 43. prohibuit vomitum habentibus spiritualia debilia, & in dispositis ad sputum sanguinis, & ad anginam, cum collo longo, & pectore stricto, humeris eleuatis ad modũ alarum, & cruribus tortuosis. *Structura corporis.* *Thorax imbecillis*

Caput imbecille vomitum fortem dicunt prohibere; non solùm Arnaldus, & alij; sed etiam Celsus lib. 1. cap. 4. *Quibus (inquiens) caput infirmum est, maximè Vomitus alienus est.* sed aduertendum non intelligi caput morbis vexatum. ita vt intelligamus caput affecto ab aliquo morbo non esse vomendum. quod esset falsum, quia vt supra cap. 8. diximus, & vt lib. 3. dicemus Vomitus fortis sanat multos capitis morbos. sed caput natura imbecille, laxum, & rarum, quod læditur à vomitu, dũ repletur vaporibus, & incalescit à motu partium inferiorum. *Caput imbecille.*

Ab

Thoracis debilitas. Ab affectibus, & debilitate Thoracis impeditur Vomitus. ideò Galenus primo de hum. citato scribebat. *In purgationibus per superiora obseruabis tusses, asthmata, interna vlcera, ac pulmonis quidem Tabem, iecinoris colliquationem, sanguinis sputum.* Plinius autem de Elleboro. *Vetant* (inquit) *dari, si exulcerata sint praecordia, vel tument, minimèq. sanguinem exereantibus, causarijs, vel latere, vel faucibus.* Paulus verò, *aduersatur sanguinem exereantibus.* Auicen. quoque loco cit. retulit. ad Vomitum esse ineptos, qui malè anhelant, & qui ad sanguinem spuendum sunt apti. Sed Hippocrates de inter. affect. initio. *Pulmonis vena, & arteriæ distrahuntur, ac rumpuntur ob vomitus violenter fientes.* & 4. aphor. 8. *Tabidos verò cauentes ad superiora purgationes.*

Vomitus vocis ge... Ileri.

Tabidi. per Tabidos autem Galenus explicat intelligendos esse, tam actu tabidos, quam aptos ad Tabem. sed nobis non videtur voluisse Hippocrat. nisi aptos ad Tabem. & explicabimus lib. 6. capite proprio. qui verò sint apti ad Tabem recensentur à Galeno primo in primum Epid. 19. *Qui adeò sunt* (inquit) *angusto thorace, & restricto, vt à tergo, in morem alarum promineant*

Signa Tabidi. *scopula; vndè alatos vocant. Praeterea quibus facile caput impletur, quodque spiritus organis multas destillationes demittit. hi facillimè tabescunt. Haec si ambo in vnum coeant, & Thoracis figura, & capitis imbecillitas, sunt eiusmodi quidem natura semel tabi obnoxia ambabus Tabis de causis. Etenim hi quorum caput ad pulmonem mittit fluxiones diuturnitate temporis fiunt tabidi, ac in pulmone saepe rumpitur illis vas, propter visceris angustiam, & infirmitatem.*

Ventriculus debilis. Prohibetur etiam à debilitate, & affectibus Ventriculi per quem fit euacuatio; hanc enim (scilicet totius corporis) per partem affectam non esse faciendam, inter Medicos iam constat, sed etiam in vomitu læui particulariter negant: ita Auicen. *Prohibetur ijs, qui stomachos habent debiles.* Paulus: *aduersatur malo praeditis stomacho.* & Gal. de Hum. cit. *Si ventriculus propter imbecillitatem continere ea, quae sumpta sunt, non poterit, vomitu non erit vtendum, vel si adfuerit oris ventriculi dolor.* periculum enim est sincopis. Celsus autem lib. 1. cap. 3. *Inutilis imbecillum stomachum habentibus.* & Alexan. Trall. lib. 1. cap. 15. de Epilepsia, *hoc sciendum* (inquit) *quod in ijs. qui os stomachi imbecillum, & bene sensibile habent, non veratrum album, sed potiùs nigrum purgationi iniçiendum sit. sic enim datum sine molestia purgabit, & proficiet, praeterquam quod neque violentos vellicatus inducet.* Galenus 5. meth. 11. *In vlcere ventriculi, qui eluere pus volunt, non sine periculo vomitum mouent: sed tutiùs deiectione vtuntur, cum vomenti periculum sit, ne, & quod exulceratum est dilaceret, & succum quempiam inutilem ex vicinis attrahat.* scripsit etiam com. aphor. 35. sect. 2. ijs, qui partes inferiores tenues habent, vomitus esse periculosos, vt etiam diximus superiori capite. Præterea Ioan. Zecchius cons. 7. scriptum reliquit. *Quod autem quis difficile vomat, fere in causa est, ventriculi firmitas, ob quam aegre humores recipit, & si semel receperit, alacriter iterum retrudit. Hanc autem firmitudinem siccitas illi parit; propterea difficilè vomentis ventriculum antea, tum quiete, tum pleniore cibo; sed non acri. immò suapte natura humido, oportet humectare, & quodammodo laxare. Proinde potiùs à cœna, quàm ante omnem cibum vomitum mouere expedit, quam quidem in cieudo vomitu cautionem innuere visus est Hipp. 4. aph. 13.*

In vlcere ventric. li non vomendum.

Crassi & Crudi humores. Octauò. Crassi, & crudi humores vomitum prohibent, si Galeno credimus, 2. aphor. 9. & lib. quos, & quando, &c. vbi ait: *Oportet autem priusquam purgans medicamentum exhibeamus, crassos humores attenuare, tenacesq. dissecare, & meatus recludere, per quos traijci, atque diduci queant; si purgatio succedere optime debeat, cum in reliquis omnibus, tum praecipue in Elleborum assumentibus. vis enim medicamenti, quæ diuellit, eli humores affectis membris altiùs inhærentes excutiat, & ob hoc longis morbis prosit, faciliùs opus suum absoluit, prius attenuatis humoribus, quod qui negligent, molestias obibunt purgationes, hoc est non sine torminibus; interdum etiam Vertiginem quandam, multaq. nausea, malo pulsu, exolutione, & difficultate.* Sed de horū humorū qualitate, & præparatione nos vniuersaliter suprà diximus, & deinceps dicemus particulariter.

Galeni sententia.

Locus affectus. Nonò. Affectus locus euacuandus, quandoque negat euacuari per Vomitum, vt sunt intestina excrementis plena, vel pituita. vndè Gal. de hum. cit. *Cum verò humor pituitosus adhaeserit intestinis, non est per superiora purgandus, hoc est per medicamentum vomitu purgans educendus, est enim natura comparatum, vt ea solum, quæ in ventriculo sunt, euomantur, eorum verò, quæ intestinis continentur: nihil est, quod euacuari vomitu possit.* praeterea ipse ventriculus, vel œsophagus, vel os, inflãmata Vomitum prohibent.

Aeris intemperies. Decimò. Aerem intemperatum nimis calidum, vel nimis frigidum, vomitum prohibere, satis iam diximus cap. 12. & 19. simul etiam quod Astra quædam ipsum prohibeant, non in aliquibus tantùm morbi diebus, nec in vno tantum corpore; sed in omnibus promiscuè eadem vna die. præterea Lunæ motus esse inspiciendos satis ostendimus cap. 17.

Repletio & inanitio. Vndecimò. Quoad repletionem, & inanitionem, sic intelligere debemus, vomitum prohibere, vt signum sunt virtutis debilis non ferentis motum, qui fit in Vomitu, ita repletio excrementorum in intestinis prohibere dicitur vomitum; vndè Auicen. scripsit: *Et causa praeterea timorosa est, cum medicina ventris solutiua sumatur, fæce in intestinis existente sicca, immò expellenda est, saltem cum clysteri, aut iure mollificatiuo.*

H Re-

Plethora. Repletio autem sanguinis, quæ plethora dicitur ob vires à copia oppressas, & venas nimis repletas, periculum indicat ruptionis venarum; ideò vomitum prohibet. scribente etiam Aetio ser.3. cap. 124. multo sanguine abundantes ineptos esse ad vomitum. vti etiam Auic. 4. primi d.5. cap.4.

Quæ repletio prohibet Vomitum. Repletio verò humorum nunquam prohibet Vomitum: sed illa est, quæ eum indicat, & requirit, qualiscumque ea sit, dummodo non sit extra venas, & in parte inflammata, & infrà septum transuersum.

Vtero latens. Repletio vteri in Grauidis, scilicet fœtus intùs existens prohibet Vomitum validum à forti medicamento: nam Abortus imminet, vel ob valentem commotionem, vel ob medicamenti malam qualitatem, vel ob reuulsionem alimenti fœtus ad superiora, & Auicen. expressè iussit loco sæpè citato, his verbis: *Amplius faciendum non est, vt prægnans vomat, quoniam superfluitates corporis ipsius in ea, non egredientur per eum. & Vomitus. & labor eam ad afluationem perducent: faciendum est igitur vt quiescant.* Vidi tamen ego à forti medicamento, qualis est Lathiris grauidam diu decumbentem, valido vomitu excitato viscosorum humorum, à morbo perfectè liberatam fuisse, sine fœtus detrimento, vidi etiam alias ab Antimonio assumpto optimè per Vomitum purgatas, sine fœtus detrimento: equidem concedo hoc non esse à Medico imitandum. Vomitus tamen lævis conceditur in consuetis, si eo materia tendat. namque ipsa natura multas vtero gerentes solet quotidie per plures dies vomitu expurgare sine fœtus detrimento.

Historia.

Obiectio. Sed dices Hippocr. 4. aphor. 1. & 5. aphor. 29. scriptum reliquit: *Vtero gerentes sunt medicanda, si materia turget, quarto mense, vsque ad septimum, sed ha minus. iuniora autem, & seniora vereri oportet.* intelligit ne purgationem sursùm, an verò deorsùm?

Galeni solutio non accepta. Respondeo. Galenum in com. interpretari de aluum ducente medicamento. mihi autem videri Hippocratem loquutum esse de Vomitu, vel saltem de vtraque purgatione. non solùm quia Hippocrati, apparet, familiariorem fuisse Vomitum, quàm alui deiectionem; sed etiam quia aliquoties meminit prægnãtes ab alui purgatione lædi; numquam autem à Vomitu, qui ipsis familiaris videtur: quod totum ex ipsius verbis demonstrabo. nam quinto aph. 34. *Prægnanti si aluus multum fluxerit, periculum est, vt abortiat.* & 7. aphor. 27. *Mulieri vterum gerenti, tenesmus accedens, abortire facit.* Galenus fieri abortum à Diarrhæa opinatus est, eodem pacto, ac à Venæ sectione, & inedia, nimirum à defectu alimenti. sed non videtur hæc opinio probanda, si quidem plurimæ vtero gerentes, vt etiam adnotauit P. Martianus 5. aph. 34. quotidianis vomitibus adeò sollicitantur, vt cibum assumptum rarò contineant, vndè corpus sufficienti alimento priuari, necesse est, nihilominus abortum indè sequutum esse, nondum

Vtero gerentes quotidie vomunt.

obseruatum est. in diarrhæa verò non tanta fit excretio, & diminutio alimenti, dum mulier cõtinuò alitur; tamen abortus fit. rectiùs igitur dicemus, fieri abortum, quia dum humores ad inferiora mouentur, fœtus, & ipse deorsùm trahitur, vndè ligamentis eum continentibus violentia infertur, ob quam rumpuntur, & sic abortus sequitur, eadem ratione pharmaca deorsùm purgantia abortum faciunt, non quæ per Vomitum purgant. sed totam difficultatem tollere videtur Hippoc. primo de morb. 7. *Medici pra infortunio hæc faciunt. Si mulieri in vtero habenti medicamentum supernè purgans exhibeant; aluus autem inferne erumpens fœtum expellat.* igitur clarum est ex Hippoc. vomitorium per se non procuraturum fore abortum, sed deiectorium id natura sua efficere. Præterea Hippoc. nonnumquam prægnantes vomitu purgat, non veritus Abortum. vt primo de mor. mul. 43. si mulier prægnans corpore male habeat, fuerit biliosa, febricitans, doloribus vexata, &c. *Huic pharmacum in potu exhibendum est, quod bilem ducat. Vomat autem. & aluus succo ptisana, & melle, & ouis, & malua aqua infusa eluatur.* vbi aluum non audet purgare, nisi læui clystere. & sursùm bilem ducit, quia ea vexabatur Ventriculi, & num. 45. in muliere pituitosa, febriente, & pituitam aliquoties vomente. *Huic dare oportet pharmacum, quod pituitam ducit*, intelligit per superiora. nam infrà purgat læuibus, vt lacte coćto, sero, polipodio, cnico, & similibus, quæ pituitam laxant.

Causa Abortus.

Solutio ex Hipp.

Hipp. prægnantes sursùm purgat.

Contrà autem primo de morb. 42. mulieri vtero habenti, si venter fluidus erit, prædicit breui abortum. vt autem curetur subdit: *Statim concludere, ac constringere oportet.* & de nat. mul. 20. *si mulierem parere non potentem purgare velis, & fuerit biliosa, aut pituitosa. & sanè vtrum horum fuerit, infra purgato.* ecce difficulter parienti alui deiectionem imperat, quia vterum deorsùm ducit, non autem vomitum, quia eum sursùm ducit, & prohibet partum. quare cõcludemus in prægnantibus magis timenda deiectoria, quàm vomitoria.

Abortus ex alui purgatione.

Quo ad corporis inanitionem hoc loco considerandam. Vel erit inanitio solius nutrimenti, ob præcedentem inediam, vel defectus spirituum ob vigilias; vel seminis ob coitum; vel sanguinis ob menstrua, ob narium hæmorragiam, ob hæmorrhoides; & ob aliam sanguinis nimiam euacuationem: vel denique nimia est humorum inanitio, ob præcedentes fluxus.

Inanitio corporis.

Inedia nimia præcedente, non est imperanda Vomitus; nam ex Hippocrate: *Vbi fames laborandum non est.* & Galen. in com. Aphor. citati 16. sect. 2. *In inedia (inquit) non Vomitus, nam vires dissoluuntur, siue ægrotent, siue sani sint homines.* & 5. meth. 13. propter inediam trium dierum mulieri venam secare pertimuit Galenus.

Inedia.

Multæ vigiliæ præcedentes ob multos spiritus animales resolutos Vomitum prohibent. quod de om-

Vigiliæ.

de omnibus euacuationibus multis, & subitaneis docuit Gal. 1. ad Glaucon. 14.

Coitus. Coitus præcedens omnes nimias euacuationes prohibet, vt Medicis omnibus est notum. multos autem nobiles viros certò audiui obijsse ob assumpta medicamenta purgantia, quorum vires ob præcedentem nimium coitum (Medicis inscijs) nimis debilitatæ erant. & multò magis his est interdicendus Vomitus; quia ex coitu os ventriculi fit imbecillius.

Sang. fluxiones. Sanguinis etiam fluxiones nimiæ præcedentes Vomitum prohibent ex quacumque parte fluxerit. indicant enim vires esse redditas debiles. Sic *Menstrua* etiam Menstruis ipsis fluentibus prohibendus est Vomitus, nè reuellendo purgationem eorum impediat. sed in nimio eorum fluxu competit, vt fusè dicemus lib. 7.

Alui euacuatio. Alui autem nimia præcedens euacuatio Vomitum quoque impedit, vti omnem similem euacuationem. vndè Gal. 4. Acut. 116. *fluente aluo sanguinem non detrahes. nam si post detractionem perseuerat fluor virtutem prosternit.* quod etiam clariùs explicat. primo ad Glau. 14. sed Hipp. ipse post medicamentum subductorium vetat dari forte vomitorium, immò Historiam refert 5. Epid. nu. 16. Adolescentis ex Eubœa, (vt cap. 14. attulimus) qui mortuus est, quamuis elleborum sumpserit in pauca quantitate, quia post multam purgationem deorsum non conueniebat Vomitorium magnum: & quamuis nihil euacuauerit, tamen mortis causa fuit, quia corpus inanitum, laxum, & debile inuenit. requiritur ergo ab elleboro assumendo mediocris plenitudo corporis, aliter nocet. sic videmus Hipp. corpora præparare ad Elleborum, ea implendo pluri cibo, & potu.

Duodecimo. Considerandum restat, an Corpus *Corpus sanum non vomat.* sit summè, sanum, vel summè morbosum: neutrū enim Vomitum permittit. primò quidem perfecta sanitas prohibet vomitum fortem à fortibus medicamētis. vnde Hipp. 2. aph. 36. *Qui salubritatem corporis habent, cum per medicamenta purgantur citò exoluuntur, & qui prauo vtuntur cibo.* Gal. autem in com. *Colliquantur enim non purgantur.* inquit. præterea Hipp. aph. 37. *sana habentes corpora difficulter ferunt purgationes.* Gal. verò in com. *Nam vertigines* (inquit) *& tormina patiūtur, & difficulter his purgatio procedit, & præterea celeriter exoluuntur, fiunt autem hæc omnia purgatorio medicamento proprium quidem attrahere humorem appetente, vel flauam bilem, vel atram, vel aquosam superfluitatem, quia verò iste non adest, sanguinem colliquat, ac carnes, vt ex ipsis, quod sibi proprium est, attrahat.* sic ex Hipp. nouimus illum, qui ex Eubœa aduenerat ob inopiam humorum à medicamento attrahendorum, non fuisse purgatum. & 4. aph. 16. nec non de Vsu Veratri idem Hipp. scripsit. *Carnes sanas habentibus elleborus periculosus. facit enim conuulsionem.* hinc noscimus elleborum ideò facere conuulsionem, quia corpus sanum inuenit, & sine humoribus. Galenus autem 2. de hum. 12.

Elleborus periculosus sanis.

Ac sanos quidem (inquit) *& in quibus nihil redundat, purgare non oportet: quorsum enim decet, accommodatam naturæ, & culpa vacantem, & non morbosam materiam auferre? immo verò, præter quam quod id cum molestia, & labore facit, non mediocris noxa consequetur, quicquid enim per vim quidpiam facit, id dolores, labores, interdum verò, & animi defectiones, ac partium exolutiones, aliasque molestias inuehere consueuit. Euacuaris tu quidem sed quippiam Naturæ accommodati, & quod rei essentiam attingat detraxeris.* & lib. quos, & quando, &c. *Causa autem horum omnium medicamentum est, quod cum sibi obnoxium humorem ducere cupiat, nec ipsum reperiat, sanguinem & carnes colliquat. vt ex eis, quod suum est, eliciat.* Præterea Hipp. lib. de Veratri vsu: *vitare oportet* (inquit) *qui bona habent corpora.* quod confirmauit Aetius ser. 3. c. 124. scribens. qui sana corpora habent ineptos esse ad Vomitum. Auicen. quoque 4. primi d. 5. c. 4. *& scias quod Vomitus non attinent ei, qui bono vtitur regimine: quoniam ille, qui bene regitur non indiget nisi eo, quod sit leuius.* & etiam, *Amplius* (inquit) *qui biberit aliquod ventris solutionem, aut vomitum sibi faciens corpore ipsius mundo, necesse erit, vt ei vertigo accidat, aut mordicatio in ventre, & angustia, & quod ab eo expelletur, egredietur cum difficultate.*

Nocumenta medicamēti in corpore sano.

Ex altera parte, sicut, qui omninò sani sunt, prohibentur à medicamento Vomitorio, sic etiā, qui omninò morbo deuicti sunt, eos id sumere non conuenit: nè remedium, quod alijs auxilio futurum erit, rectè adhibitum, vituperetur abusu. vndè Hipp. lib. de Arte scripsit. *Medicinam esse morbos ab agris in totum tollere, & morborum vehementes impetus obtundere. & eorum, qui à morbo victi sunt curationem non aggredi, quum id inconfesso sit, quod medicina tales sanare non possit.* sic etiam primo de morbis n. 5. asserit. *Non rectè fit, si qua sanatu impossibilia sunt, te sanaturum recipias* si enim non succedit irridetur medicus. & debet recordari eius quod Hipp. scripsit lib. de purgantibus. nimirum. *Turpis est calamitas, medicamento purgante dato hominem occidere.* sed vt afferamus eos morbos desperatos in quibus Vomitus non conuenit, dicemus cum Hipp. 4. de Vic. acut. 86. *Quicumque verò ex abscessibus, aut venæ ruptura, aut propter intemperantiam, aut ob aliā quidem fortem causam suppurati fiunt, talibus Veratrum nè dato, nihil enim profuerit. & si quid perpetietur æger Veratrum esse in causa videbitur.* & lib. de Veratri vsu. *Non autem est dandum pectore suppuratis, neque decoloratis, raucosis, lienosis, exanguibus, spirituosis, & siccum tussientibus, fistulosis, flatuosis, & his qui præcordia, & latera, ac dorsum distenta habent, & torpentibus, & obscurè videntibus, & quibus aurium sonitus sunt, & vrinæ meatus impotentibus, neque item morbo regio laborantibus, aut ventre debilibus, aut his, qui sanguinis eruptiones, aut tubercula habent.*

Morbo deuicti non purgandi.

Morbi quibus nō dandum Veratrū.

sed

sed notandum Hipp. non simpliciter in dictis affectibus omnē purgationem vetuisse, nam subdit. *si vero medicandum videbitur Veratro secu-*

Quando Vomitus concedatur.

rus sursum purga, deorsum verò non. idest si vires fuerint validæ. Hic autem admonet nos, vt simus cauti in exhibendis medicamentis. nam in his casibus periculosis, si affectus sint valdè intensi, & vehementes, non audet purgare; quòd si purgatio omninò fuerit necessaria, tutiorem esse euacuationem sursum per Veratrum censet, quàm deorsum per alia medicamenta. Quam Hippocratis intentionem, & scopum nostri Medici non considerant, semper vomitum aufugientes. Nec valdè diuersa attulit Hipp. à præcitatis. 4 de victu Acut. 115. quæ huc etiam afferre libet. *Cognoscere autem* (inquit) *eos oportet, qui capite dolent, vel ob exercitationes, vel cursum, vel iter, vel venatum, vel quemuis alium importunum laborem, vel venereas: decolores item, rancos, lienosos, exangues, spirituosos, siccè tussientes, siticulosos, flatuosos, & Venarum interceptiones: Huc adde, quibus extenta sunt Hypocondria, tum dorsum, tum latera, torpentes, obscurè videntes, eos, quibus aurium tinnitus est molestus, eos, qui vrinas non continent, morbo laborantes regio, quorum venter cruda egerit, sanguinem è naribus, vel sede vehementer profundentes, inflatos, & quos vehemens labor infestat. nullum enim horum nisi superuicerint medicamenta purgatoria exhibebis. Nam periculo agrum expones, nihilq. iuuabis, spontaneasq; tum permutationes, tum indicationes adimes.* mihi autem videtur pleriq. ex enumeratis affectibus potius repletione egere, quàm inanitione. sed dixit Hipp. his non esse danda medicamenta, *nisi superuicerint, seu superauerint*, idest nisi adfuerit vrgentia ipsorū morborum, & spes sit pharmaca ipsos fore superatura. quare paucis interpositis subdit, vt libro de veratri vsu citato, *quod si medicamento opus sit elleboro tutò sursum expurga, deorsum verò talium neminem:* igitur taliter affectos non omninò prohibuit à Vomitu, sed cautè agendum admonuit, & potiùs sursùm purgandos. Equidem scio Galenum, Brasauolam, & Valesium in com. supracitati textus reprehendere Auctorem, veluti confusum. sed aduertere debuissent, hanc sententiam parum differre ab ea, quę posita fuit supra tex. 86. necnon lib. de Veratri vsu, & 2. in primum prorritic. si hi textus simul conferentur. nam 4. acut. citato scriptum reliquit. *si verò corpus dissoluatur, vel dolor in capite sit, vel oppleta aures, vel nares, vel sputatio, vel genuum grauitas, vel corporis præter solitum tumor: quodcumque horum contigerit, dabis; modo hæc, neque ob potum fiant, neque ob venereas, neque ob tristitiā, neque ob curas, neque ob vigilias. si enim quippiā horum causam fecerit, ad id curationem dirigere oportet.* At lib. de Veratri vsu scribit Hipp. *Quemadmodum autem in prædictionibus dixi, non sunt medicamenta danda his, qui nigra euomunt, neque cibum auersantibus, neque deliris, & parum dormientibus neque dolore vexatis, neque visum temerarium inclinatum habentibus, neque tumefactis, neque Vertiginosis, neque decoloratis, neque his, qui in febre æstuosi sunt, & confracti.* At 2. in primū prorrit. tex. 37. exaratum reperio ita. *Nigra reuomentes, cibos fastidientes, deliros, in pube parum dolentes, quibus oculus ferox, claususque medicari non oportet, perniciosum enim. Neque intumescentes, Vertiginososque; neque in errando deficientes, neque cibū auersantes, neque decolores, neque in febre comatosos, inclinatosque, perniciosè enim habent.* singulorum horum affectuum explicationem nunc non proponemus, quia libris sequentibus singula exactè explicabimus suis locis. sit hic satis Hippocr. verba attulisse. tamen quod habet Aetius ser. 3. cap. 119. transcribere non grauabor. *Contrarij verò sunt* (inquit) *Vomitus sanguinis reiectioni, strangulatibus vteri, naturis nauseabundis, animi deliquijs, his, qui à suffocatione assiduè vexantur, & qui ex qualibet occasione caput dolent, & qui suffusionem suspectam habent, & in summa omnibus oculorum affectionibus.* præterea cap. 121. & Antyllo, & Possidonio scribit. *Incommodum est Veratrum sanguinis reiectioni, spirationi erecta ceruice strangulationem minanti: & in suffusione imminente, capitisque affectibus, qui ex interuallis violentos dolores inducunt, cum rubore faciei & vasorum distentione, & in vteri strangulationibus, & his, qui assiduè animo linquuntur.* Auic. 4. primi d. 5. cap. 4. admonuit existente aliquo apostemate in interioribus vomitū esse difficilem, multaq. contra prauum vsum Vomitus, quæ legi poterunt, addit: legatur etiam Oribasius 7. collect. c. 26. ex Ruffo. Plin. lib. 11. c. 53. Sed Haliabbas primo pract. c. 12. breuiter dixit. cauendum esse Vomitum illi, qui gracilis per multum est corpore, paratusque phthisi, aut in cuius pectore, aut gutture, aut oculis aliqua passio est, & qui nō consueuit, & cui difficilis est, & grauis ad exeundum, non enim qui eiusmodi est, effugiet, quin accidat illi graue quid in his membris. Fernel. quibus pressum, angustumq. pectus, & quibus ceruix gracilis, & oblonga, ij rarò, ac certè violenter vomunt, & alia 3. meth. c. 3. Et hæc sint satis pro hoc primo libro, potuissem equidem plures auctoritates recentiorum cōgerere; sed antiquis adhæreo, quorum verba omnia transtuleram in hos decem libros, nihil indiscussum pro virili relinquens, quod ad Vomitum pertinere possit.

Vomitus tutior, quam alij deiectio.

Morbi, qui non ferūt purgari.

Explicatur Hipp.

Prohibentia Vomitum.

Hipp. sibi concordat.

Prohibentia Vomitū ex Aetio.

Ex Antillo, & Possidonio.

Ex Auic. Haliab. Celsus. Auicen.

Finis Primi Libri.

EMETICAE PETRI CASTELLI LIBER SECVNDVS.

De omnium Medicamentorũ Vomitoriorum Vi, Vſu, & Doſi.

De Methodo agendi. Cap. I.

OMuem confuſiouem à Philoſopho de Medicamentis acturo, vt doctrinam diſcipulorum captui idoneam, ſibiq; etiam traditu facilem doceat, eſſe vitaudam, conſtat. vitabitur autem hæc, Methodo doctriuali adhibita, quæ ex Galeuo 1. meth. c. 4. eſt via, *quid methodus.* & ordo quidam, quo cognoſcimus ordinatè ſcientiam tradendam eſſe. nempè, vt aliud ſit 1. inueſtigandum, aliud 2. aliud 3. & ſic deinceps, qui quidem ordo in doctrinis triplex eſſe poteſt, vnde Gal. initio Artis Mediciualis. tres eſſe doctrinas ordini iuhærentes, ſcriptum reliquit. ſcilicet tradendi doctrinas tres methodos inueniri aptas, Reſolutiuam, Compoſitiuam, atq; Definitiuam. Enim verò reſolutiua methodus eſt, quã à genere generaliſſimo, ad ſubalterna genera, & ab his ſubalternis ad ſpecies, *triplex:* & hinc ad indiuidua procedimus. qui profectò aptiſſimus eſt ordo. de quo initio phyſicorum loquitur philoſophus, ab vniuerſalioribus ad minus vniuerſalia eſſe procedendum nos commonefaciens. Altera Methodus, quæ compoſitiua dicitur à particularibus ad vniuerſalia contrario modo procedit, Tertia eſt Definitiua Methodus, quæ licet dignitate, ac ordine reſolutiuæ cedat, ſummè tamen quoad totius compendium, & particularium memoriam præſtat.

Poſſemus nos qualibet ex his methodis Emeticorum doctrinam vobis tradere;ſed optimam, *ordo ſeruandus.* nempe Analiticam ſelegimus, quacum, vt memoriæ ſimul, & ordini ſatisſaciamus Definitiuam coniungemus. Habebitis ergo à me hoc libro Medicamentorum omnium per Vomitum quocunq; modo purgantium, cum ſimplicium, tum compoſitorum doctrinam ordine reſolutiuo, atq; Definitiuo traditam, & quidem non modo Theoricam, verum etiam practicam, ita quoq; ad indiuidua deſcendentes, vt quaſi oculatim ea proponamus. Vos verò, ſi volueritis, ex coguitione particularium ad vniuerſalia methodo contraria aſcendere poteritis, & ita compoſitiuam Methodum formare.

Ad rem igitur accedentes, quùm Medicamentum Vomitorium ſit obiectum circa quod, pro officio ſuſcepto verſari hoc libro debeamus. 1. Medicamentum tanquam genus generaliſſimum definiemus, inde definitum diuidemus. itaq; Medicamentum, quod Græci φάρμακον vocant, eſt. *Materia, quæ corpori viuenti applicata, ipſum alterandi vim habet.* *Medicamentum quid.* in hac deſcriptione ponendo materiam, quæ eſt corpus, alia quęq; ceù qualitates, chirurgicas operationes, & res non naturales dictas, i. motum, Animi accidentia, &c. excludemus: etenim cùm corpus calefit, cùm vena ſecatur, cum quis iraſcitur, cum violenter exercetur, alteratur quidem corpus, & incalcſcit, non tamen calefactio, venæ ſectio, iracundia, exercitiumuè medicamentum ſunt dicenda. Porrò huiuſmodi materia tunc dicitur medicamentum, quum corpori viuenti applicatur. minimè autem cadaueri, alteriuè rei inſenſatæ. id autem cui applicatur alterare, & immutare debet; at cum multiplex ſit mutatio, nempè in bonum, & in malum, iure optimo iuris periti cenſent addendam diſtinctionem, pharmaci boni, & pharmaci mali, quum etiam pharmaca amatoria, ſoporifera, purgantiaq; ſint à ſalubribus, & inſalubribus diſtinguenda, veluti neutra, & quandoq; vtilia, quandoq; verò nocua. Sed nollem quis veſtrum obijceret. *obiectio.* baculus eſt materia, quæ corpori animato applicata ipſum alterare poteſt. ergo eſt medic. quia reſponderem non baculum; ſed ictum alterare, qui actio non corpus eſt.

Diuiditur Medicamentum in Naturale, & *Diuiſio medicamentorũ.* Artificiale, & vtrumq; in ſimplex, & compoſitum. Medicamentum naturale ſimplex, dupli-

citer intelligitur, vel *proprie*, quod vnam simplicem substantiam, ac naturam habet, vt aqua pura; vel *communiter*, vt cui ars nihil miscuit alieni, & essentialis. sed solum accidentalia quædam adhibuerit, vt collectionem, exiccationem, repositionem, assationem, decoctionem, pulverationem, &c. & sic coincidit, ac comprehendit etiam Medicamentũ Nat. compositum. Quod à nobis dicitur illud, cui nihil ars super addidit; sed à Natura genitum diuersis substãtijs constare patet, vt Rhabarbarum, Myrobalana, Brassica, Lentes, & similia, quæ ex contrarijs substantijs, nempè astringenti, & solutiua, esse conflata in dies experimur. Medicamentum autem *artificiale simplex* erit, quod simplicem habet formam, & naturam, vt vinum, aqua ardens, Olea, etiam destillata, atque item stillatitiæ, succi, essentiæ, salia, &c. quæ quandoq; simpliciora sunt, quam à natura genita fuerint, quum ars spagirica separet purũ ab impuro, & heterogenea ope caloris disgreget. Medicamenta tandem *artificialia composita*, plurima sunt, sub diuersis formis, de quibus omnibus Medicamentorum generibus, prout vomitui prouocando in vsu esse possunt, à nobis erit agendum.

Medicamentorũ materia. Medicamentorum autem simplicium materia, vel ex Mineralibus, vel ex Plantis, vel ex Animalibus desumitur, quæ infinita propemodum est, nobis autem inseruiet ex quocunq; genere ea, quæ Vomitui inseruit.

Vires medicament. Vires Medicamentorum plurimæ sunt, quum alia manifestis, alia occultis agant qualitatibus; quædam enim multipliciter alterantia dicuntur, quædam alexipharmaca, quædam Venena, & quædam purgantia: sed cæteris dimissis purgantia inuestigabimus. quæ diuidi non poterunt, nisi fuerint definita. Porrò cum ea dicantur purgantia, quæ corpus purgandi facultatem habent, quid sit purgatio erit prius statuendum. *Quid pur gatio.* quæ à Græcis κάθαρσις dicitur. & à viris doctis. *Galenus Fernelius.* *Euacuatio humorum sua qualitate infestantium*. quæ quidem non nisi bonæ purgationi aptari potest. Alter censuit esse *Fallopius.* *Euacuationem omnium eorum, quibus, vel spiritus, vel humores, vel solida corporis partes impura redduntur.* Nihil referẽs an illa impediant sua, vel qualitate, vel quantitate, vel situ, vel forma, dummodo impuros reddant spiritus corporis, vel humores, vel partes solidas. Verum hæc nimis lata est descriptio, sic enim extractio ferri ex vulnere, nec non ignitorum globulorum, & spinæ, atque etiam lapidis è Vesica, & aquæ ex Abdomine esset purgatio.

Purgationis descriptio. Dicemus Purgationem lato modo sumptam esse Euacuationem Excrementorum, ac humorum quorumcunq; à Medicamenti facultate, & ex quacunq; parte, quomodo purgatio, vel erit insensibilis, facta per insensibilem transpirationem, ac resolutionem; vel sensibilis, & sensibus euidens. quæ multiplex est: cum fiat eductio humorum, per plures partes, nempe per oculos, seu lacrimas, per aures, seu sordes; per nares, seu muccum; per palatum; per excreationem; per tussim è pectore; per Vomitum, è Ventriculo, per aluum, per vterum; per vrinas; per Hæmorroides; per vasa seminaria; *differentiæ.* per sudorem; & deniq; per abscessus, ad quos etiam pertinent cauteria, setacea, aurium perforatio, Vesicatoria, Sinapismi, & tandem chirurgica sectio venarum, arteriarum, apostematum, vt & scarificationes; etsi medicamentum purgans per easdem partes non fuerit adhibitum.

proprie purgatio. Proprie autem loquendo Purgationis nomen restringitur ad Euacuãtia sursum per os, aut deorsum per aluum, ita Hippocrates per purgationem intelligit eam Euacuationem, quæ sursum, vel deorsum fit, idest per Vomitum, vel per aluum, licet sæpe dicat *caput purgato*. scilicet per errhina. summum Magistrum sequutus fuit Mesues in canone. tex. 13. scribens. *Medicamentum purgans est aut Vomitorium, aut deiectorium*. Porrò cum semper mihi præ oculis fuerit aurea illa Hippocratis sententia. lib. de Affect. num. 36, exarata. nempe, Medicum ad ægrotum accedentem primo considerare debere. *An morbum sursum purgare oporteat, aut deorsum, sicut per vesicam*. considerauiǀ de purgatione per Aluum à Mesue, & plurimis neotericis exquisitissime fuisse disputatum. de Vomitu vero ex professo à nemine, quum tamen Hippocrates plus Veratro, & Vomitorijs, quæ deiectorijs vsus fuisse videatur. volui equidem his decem libris aliorum defectus supplere.

Quot sint Euacuantium differentiæ. *Cap. II.*

QVadrupliciter deorsum euacuantia Mesue diuisit, in attrahentia, comprimentia, lenientia, & lubricantia, nunc à nobis quæritur, an distinctio ista sit sufficiens, quoniam plures modi, quibus subducatur aluus, occurrunt; veluti abluendo, abstergendo, molliendo, & colliquando. *Quadruplex differentia.* qui ad quatuor prædictos minimè reduci queunt. *Quæsitũ.* Vnde octo potius sursum, vel deorsum purgantium erunt differentiæ. Siquidem Aqua copiose sumpta, siuè calida, siuè frigida aluum deijcit, tepida verò Vomitum prouocat, quæ tamen nec attrahendo, nec comprimendo agere dici potest, sicut neq; etiam lubricando, cum viscida nequaquam sit, immò nec etiam leniendo, quum nullam asperitates tollendi vim habeat; sed sit ferè simplex Elementum. tamen, vt suo loco dicemus, corpus euacuare apta est.

Responsio Costæi. Respondit Costæus abluentia reduci posse ad lenientia, quia suo copioso humore intestinorum, aliorumuè locorum sordes abluendo auferunt. ita naturalem statum, ac formam partibus humore exasperatis conciliant, nempe

ablata extranea asperitate, lenitas naturalis redditur, quare lenire dicenda erunt abluentia siue per se, siue per accidens nihil refert.

Abluentia. Equidem abluentia sub lenientibus contineri posse concederem, non tamen ea leniendo euacuare; tum quia per accidens tantum lenitatem quandam reconciliant; tum etiam quia vera lenientia non nihilo pingui, & abstersorio sunt prædita, quo carent abluentia; tum deniq; quia lenientia videntur agere determinatè, abluentia verò indeterminatè, scilicet lenientia à primis vijs, vel bilem, vel pituitam educunt: abluentia autem quod obuiam venerit solummodo, & promiscue, siue bilis, siue pituita, siue stercus, siue cibus, &c. si ergo alio modo, ac lenientia euacuant abluentia, aliam speciem purgantium constituent, & potius sua quantitate, ac substantia, quàm qualitate agent, & potius per accidens, quàm per se. Ad Mesuem allatum dicemus, ipsum de veris deiectorijs acturum, quæ per se talia sunt, & qualitatibus ad id aptis operantur proponere: non autem per accidens, quorum non datur scientia, reticuisse abluentia, vt pote euacuantia per accidens, deorsum quidem, quum copia grauitant, & deorsum ob pondus cadunt, secum obuia ducendo, ita per accidens vacuant. sursum verò ferè non nisi irritatione addita, quandoq; etiam pondere ventriculum ad sui expurgationem per partem faciliorem irritando.

Ad Mesuem responsio.

Abstergentia. Abstergentia autem abstergendo, vt Sal, Nitrum, Serum, Beta, Absintium, & similia euacuare creduntur, vt enim Sapo sordes à linteis abstergit, sic abstergentia intestina detergunt, & nihil alieni eis adhærere sinunt. Quæ quidem intestina lenire, nisi per accidens, dici possunt. Etenim aliud est, lignum dempta asperitate lenire, aliud verò vel leue, vel asperum à sordibus expurgare, ac detergere. ita aliud erit intestina natura sua læuia ob asperos humores aspera facta detergendo ad naturalem lenitatem reducere. aliud verò sine detersione lenia facere, quare non erit idem leniens, & abstergens. late autem loquendo poterit quandoq; sub leniente collocari abstergens; quia per accidens intestina aliasq; partes natura læues, ad pristinam lenitatem reducere valet. non autem semper; nempè, si pars aliqua natura aspera ob humores infarctos fuerit contra naturam reddita lenis, abstergentia sordes detergendo ipsam ad naturalem asperitatem reducent, quo casu exasperantia potiùs quam lenientia dicentur. quare distingui tergentia à verè lenientibus constat. Hinc dicemus Abstergentia à Mesue non numerari, quia non sunt per se euacuantia; sed præparantia detergendo humores ad facilem expulsionem, quum tenacitate sint contumaces ablutioni, quod enim simplex ablutio efficere nequit, ablutio detersiua perficit. nec enim sapo, sal, & similia per se sola abstergere possunt; sed simul humorem copiosum abluentem requirunt, non tamen idem est abstergens, ac abluens. quandoquidem abstersio sinè ablutione fieri queat, solo puluere. vt quùm vasa ænea, gladios, vasa fictilia sordida, & pinguia, confricatione arenæ, cineris, &c. nitida facimus. ita vt abstergens secum ducat sordes. immo etiam oleum detergere, ac abluere valet. vt si fuerit manus vnguento nigro tincta, quale Typographorum atramentum. oleo dilui fas est, vt abstergatur, cum aquæ non cedat.

Quid leniens.

Abstergens sub leniente.

Cur Mesues reticet abstergentia.

Emollientia. Sunt etiam quædam, quæ emolliendo fœces induratas subductioni eas accomodant, vt pinguia, & Mucilagines, & olea. Costæus hæc ad lenientia reduci posse censuit, eadem enim quæ molliunt, asperitatem quoq; intestinorum leniunt, & eadem lenia sunt, quæ mollia, licet diuersa lenientium, ac emollientium sit ratio. sed fortasse melius reduci ad lubricantia possent, cum non intestina; sed fœces emolliantur, ac mollitæ fœces lubricæ magis sunt. quamuis intestina vncta improprie possint læuia, lubricauè dici. Mesuem ob id mollientium speciatim non meminisse, censemus.

Eliquantia inter soluentia. Quæ autem eliquando purgare creduntur, quale Euphorbiem est, inter soluentia esse reponenda apud omnes in confesso est. Enim verò Euphorbium non euacuat liquando, sed ob vim solutiuam. verum tamen est, id ipsum ob summam caliditatem à frigido coacta dissoluere, atq; colliquare, veluti calor igneus, vel etiam febrilis pinguia colliquant vnde euacuatur pinguedo, quæ carne faciliùs liquatur. Non tamen dicta colliquantia per se euacuandi vim habent. cum sæpe colliquata materia in corpore retenta apostemata, & Hidropes faciat. quum ad euacuationem non sufficiat vis liquefaciens; sed expellens requiratur. Quod si natura ob acredine, & copia materiæ liquefactæ granata ad eam expellendam insurgat, non erit opus Medicamenti; (nisi per Accidens) sed naturæ, nec semper contingens. quare non erit liquefacientium à soluentibus distincta aliqua species.

Eccoprotica quæ. Sed *Eccoprotica, & stercoraria* medicamenta, quæ stercus tantum, & humores quosuis obuios promiscue ex intestinis euacuant, a prædictis diuersa videntur. Etenim licet Mesues tex. 16. tribus his, idest, lenientibus, lubricantibus, & comprimentibus facultatem purgatricem admodum imbecillam esse insitam dicat, obidq; parùm perspicuam; vt quæ materias solùm, quibus illa occurrit, euacuet; neque hepar transcendat. tamen aliter tex. 20. scripsit, dicens esse *Cholagoga*, Aloem, Absinthium, Eupatorium, Lupulum, Myrobalanos citrinas, Fumariam, Rhabarbarum, serum lactis, Rosarum succum, Violas, Cassiam fistulam, Tamarindos, Mannam, Psillium, Pruna. *Phlegmagoga* verò Myrobalanos cepulas, emblicas, belliricas, Stœchadem, Hissopum, Thimum, Mel, Saccharum rubrum. *Melanogoga* esse Epithimum, Stœchadem, Mirobalanos nigras, Fumariam, Lupulos, & Lactis serum. quare si ex Mesue enumerata medicamenta, quæ dicuntur

Eccoprotica irrebentia.

tur leuia, determinatos educunt humores, non intelligo quomodo dicātur obuios quosq; indeterminate trahere, oppositum enim est determinatum indeterminato.

Intestina euacuantia.

Præterea tex. 16. ait Mesue, illa tria lenientia, lubricantia, & comprimentia, euacuare intestina tantùm, nec hepar transcendere. contra tex. 20. Hæc eadem hanc, vel illam partem ob proprietatem insitam magis respicere scripsit. itaut *caput* respiciant magis, & ab hoc materias potius euacuent, Stoechas, Aloe, Epithimū, Myrobalani chepulæ, & indæ, Sal indus: *Thoracem*, & Pulmones Thymus, Hissopus, Manna, Cassia fistula. *Splenem*, Epithymum, Stoechas, Absinthium. *Hepar* Lupulus, Serum lactis, Rhabarbarum, Eupatorium, Absinthium, Rosæ, Myrobalani, Tamarindi, Fumaria. Ab ipsa *Cute* Serum Lactis, Fumaria, Epithymum, Myrobalani indæ, quæ si à cute vacuant, necesse est, vt eorum vis hepar transcendat.

determinatas partibus.

Sed ad hoc respondere quis posset ex Mesue tex. 16. quædam ex his à capite per accidens euacuare, nempe quod materias ad ipsum tolli consuetas vacuent, quod idem de cute dicetur? Igitur euacuant materiam antecedentem, non autem coniunctam; fluxuram, non autem fluentem.

Responsio.

Ad illud respondet Costæus, non implicare medicamenta dicta duplici constare facultate, manifesta, qua leniendo, lubricando, vel comprimendo obuios euacuant humores: occulta verò, qua determinatos respiciunt, quæ cum sit leuis, non nisi leniter actuatur.

Costæus.

Mihi videntur prædicta, & à Mesue enumerata non esse simpliciter eccoprotica, sed simul imbecilliter attrahentia; nam determinatos humores, & à determinata parte purgant. Vnde cum vis solutiua, & occulta, sit imbecillis, & obscura, altera verò manifesta, & validior, à fortiori sumunt denominationem, & dicūtur lubricātia, comprimentia, vel lenientia. Quando autem Mesues dixit, *lenientia* non transcendere primas vias, considerauit in abstracto vim lenientem, &c. At quando dixit, Cassiam V.G. trahere bilem, loquutus fuit de concreto, nimirùm de re, quæ non solum habet vim leniendi; sed etiam trahendi, verùm imbecillam, & quia magis elucet vis leniens, quam trahens; à prædominio Cassia dicitur lenitiua. Ergo etiam dici potest trahere obuios, non quoscunq; sed determinatos, vt obuiam bilem in intestinis, non obuiam pituitam, & sic de cæteris, ita vt non trahant bilem ab hepate, sed educant obuiam in intestinis, si repererint.

Sententia nostra.

Porrò Abluentia, detergentia, ac emollientia magis proprie Eccoprotica nuncupari possunt, hæc si quidem intestina non transcendunt, nec determinatum respiciunt humorem; quod si ob copiam, vel Hepatis caliditate ad renes trahantur, per vrinam transeunt quidem; sed eodem munere, dum funguntur, abluunt, & abstergunt promiscue omnia in Renibus obuia.

Propriè eccoprotica.

At dubitabit forsan quispiam an leniens, & lubricans sit re idem, quoniam recentiores alterum pro altero sumere sæpè solent. immo leniens videtur vniuersale, & contradistinctum solummodo à solutiuis; ita vt per soluentia intelligamus valide purgantia, per lenitiua verò, quæ debiliter. ita vt Falloppius de med. purg. c. 10. sub lenientibus detergentia, lubricantia, abluentia, atq; comprimentia comprehendat.

Dubitatio.

Dicendum ergo. nomen lenientis dupliciter sumi, lato quidem modo, pro eo medicamento, quod lenem, facilem, & debilem facit purgationem, quocunq; agat modo, siue lubricando, comprimendo, verè leniendo, abstergendo, molliendo, atq; abluendo. vt contradistinguatur à solutiuo valido. Hippocrates autem de victu acut. & 4. de morbis. vocauit ὑπάγοντα φάρμακα. idest aluum subducentia, quæ, licet lenia sint, nec à toto corpore trahant, non tamen promiscue quicquid in intestinis inuenerint, siue cibi, siue stercus, siue bilis, siue pituita fuerint, euacuare videntur; sed peculiarem, & determinatum respicere humorem traduntur.

Solutio.

Hippocrates.

Sic biliosa purgantur ex Hipp. 2. de Diæta num. 10. à Brassica, Origano, Tymbra. & 3. de morbis in fine à Pulegio. & de Nat. Mul. num. 26. à Peucedani decocto. Pituitam autem subducunt Thymum, Hyssopum. 2. de Diæta num. 14 Nasturtium, Cnicum, Polipodium, serum. 1. de Morb. mul. num. 45. Hæc eadem lenia medicamenta κοπροφορικὰ idest stercoraria nuncuparunt alij, eo quod fæces tantum ex intestinis subducant, nihil ad ea trahendo; Proprie autem leniens medicamentum dicitur, quod facultate leniēte purgat contradistinctum à lubricante, molliente, & alijs.

Sed hic alia quæstio insurgit, an valida soluentia, coctione, præparatione, & minore dosi, reddi debilia, vel mediocria possint. negant enim nonnulli; sed contrarium affirmant Codronchius de Antimonio. Marsilius Cagnatus de Romana feb. curandi ratione. Fallopius de Med. purg. c. 10. & alij, vt diximus in Critica responsione de Diaphænicone. quod modo definire non est opus.

Quæstio.

Quid sit Emeticum.
Cap. II.

QVum duplicem diximus supra cap. 1. esse purgationis modum, sursum, & deorsum; seu per Vomitum, & per Alui deiectionem, & à nobis de ea tantum his libris sit agendum, quæ per Vomitum fit; hoc autem secundo libro de medicamentis Vomitum excitantibus, cogimur primo explicare quidnam sit Medicamentum vomitorium, & qua facultate Vomitum concitet. Itaq; Mesues Canonum Theor. 1. tex. 14. *Medicamentum Vomitorium*, inquit, *est, quod stomachum* (idest, os ventriculi superius) *sua substantia proprietate debilitans, & in ipso immorans,*

Quid sit Vomitorium.

morans, ad ipsum ex hepate, intestinis, & partibus cæteris materias attrahit, à quibus offensus stomachus, & ad nauseam euersus, vomitu per os expellit, motu scilicet suæ naturæ contrario; ita Mesues describit medicamentum vomitiuum, quæ definitio etiam si à maxime laudato viro sit tradita, non tamen à nobis simpliciter, & absq; vlla consideratione est recipienda. videtur autem describi tantummodo Vomitorium validum, non autem debile. ex quo aliquot difficultates oriuntur.

Difficultates in Definiti. vnd purgat. Prima autem est, an omne Vomitorium suæ substantiæ proprietate debilitet os Ventriculi, quia abluentia, & detergentia, sicut deorsum purgando intestina non debilitant, ita neq; etiam sursum educendo os ventriculi debilitare poterunt suæ substantiæ proprietate, cum benigna substantiæ proprietate sint prædita; neque ciborum copia aliquando ventriculum grauans, & ad Vomitum concitans videtur suæ substantiæ proprietate os Ventriculi debilitare. Immo si inter deiectoria dantur quædam, quæ comprimendo, & astringendo agunt, & potius roborando ventriculum, & intestina, cur inter Vomitoria dari non poterunt? fortasse pilorum comprimendo, & roborando, quæ postea ingeruntur per Vomitum expellentur; & ita Vomitorium roborando Ventriculum aget.

2. Dubitatio. II. Dubitatur an verum sit, quod med. Vomitorium debeat immorari in Ventriculo; ratio enim, & experientia contrarium demonstrant. ratio quidem, quia si deiectoria in Ventriculo manentia per intestina vacuant: ergo etiam Vomitoria vice versa in intestinis manentia per Vomitum educere poterunt, & Vomitoria esse vbicunq; manserint, sicut Cantharides, in brachijs, in cruribus, in Capite, in Ventriculo, vel intestinis existentes semper vrinam prouocant. Experientia verò, quia Veratrum natura vomitorium ano subditum, vel clysteribus inditum, vt Hipp. Diosc. Paul. Actuarius, & alij tradidere, Vomitum pronocat.

III. Dubitatio est, an medicamentum attrahat, vel partes expellant. Nam si attrahit ad se, cur deiectorium non trahit ad ventriculum, vbi ipsum residet? & Helleborus cur non trahit ad anum, cum in eo ponitur?

IV. Non omne Vomitorium trahit ab hepate, quia abluentia, & abstergentia vim trahendi non sunt sortita.

V. Si offensus Ventriculus ab humoribus; an debilitatus, vel vigoratus? nam si motus est auctus, & factus validior, non fiet talis à causa debilitante. si vero vigor Ventriculi dicetur auctus, non poterit esse debilitatus.

VI. An Vomitus naturæ Ventriculi sit contrarius dubium est.

Solutio. Dicendum videtur Vomitorium medicamentum, vel per se, & facultate propria, vel per Accidens esse tale. & quod est tale per se, vel esse debile, vel mediocre, vel validum. vt postea distinguemus, Mesuem autem definiuisse Vomitorium per se; non autem per Accidens. sed si vellemus tradere Descriptionem comprehendentem Vomitorium per Accid. dicere possemus, Medicamentum vomitorium esse. *quodcunq; aptum est Ventriculum quocunq; modo ad Vomitum concitare*. cum autem veri vomitorij definitio à Mesue allata optima sit, vt dilucidior euadat, dubitationes propositæ erunt soluendæ. *Descriptio Vomitorij latior.*

Vnde ad primam dubitationem patet responsio: nempe non definiri, nisi vere, & proprie vomitoria, quæ talia sunt à proprietate. cum Aqua: V. G. licet vomitum excitet, id non habeat à proprietate: sed per accidens, an verò Vomitoria suæ substantiæ proprietate agentia debilitent os ventriculi, videtur affirmandum; nam in vomitu relaxatur, & obedit fundo ventriculi ad motum expulsiuum irritato. & idem fortasse de Ventriculi ore, quod de intestinis dicitur, affirmari potest. hæc enim à Medicamento solutiuo validiore adeo debilitantur, ac relaxantur, vt Diarrheæ, Dysenteriæ, ac Lienteriæ succedant: non tamen clyster abluens, & abstergens debilitat, de comprimentibus Vomitorijs obscura sunt experimenta, ac dubia, si tamen dantur, ea quoq; os ventriculi relaxabunt in actu Vomitus; an verò post Vomitum illud roborent, & in eo adstrictionis vestigia relinquant, vt in intestinis à Rhabarbaro, & Myrobalanis adstrictionis vestigia imprimuntur, non clarè constat. potest esse medicamentum Heterogeneum duplici, eaq; contrarijs qualitatib. prædita substantia, conflatum, vt Rhabarbarum. in quo solutiua vis primo reducitur ad actum, deinde adstrictoria. sic in Vomitu. At dum exercetur Vomitus os ventriculi debile est. postea roborari posset. non tamen simul, & semel roborari, & relaxari potest. & si roboratur fundus, vt sursum expellat, debilitatur os superius, vt laxatus sinat educi contenta. *Respōsio ad primam.* *Purgantia ventriculum relaxat.*

ad secūdam. Ad secundam videtur dicendum, haud esse necessariam Vomitiui medicamenti moram, eiusq; substantiæ præsentiam in ipso ventriculo, cum maxime vrgeat allata experientia de Helleboro, cum Antillus, & alij, apud Aetium, Oribasium, & Paulum medicamenta, ex Helleboro proponunt, forma suppositorij, vel Clysteris, vel Vnguenti, quo Venter, vel Vmbilicus, manus, pedesuè, si illiniantur, Vomitus prouocetur. quare distinguenda erunt in fortia, & debilia, dicendumq; imbecillia debere in ventriculo morari, non autem fortia. etenim vidi ego ex recenti Nicotianæ succo Mulieri ob pediculos satis liberaliter inuncto capite, validum fuisse concitatum Vomitum. At dicet quispiam forte medicamentum Vomitorium assumptum, si cito reuomatur, non amplius Vomitum excitat. ergo debet in Ventriculo permanere, vt diutius agat. accedit Auctoritas Mesues, id asserentis, quæ non est paruifacienda. *Obiectio.*

Respondeo non esse necessarium fortium medi-

Responsio. medicamentorum substantiã in Ventriculo immorari, ad Vomitum concitandum; sed satis esse, ipsorum vim, & facultatem vomitoriam recta ad Ventriculum ferri, & ibi residere, Vomitus enim est Ventriculi actio. vt Cantarides, quamcunq; corporis partem sua substantia tangentes, remittunt tamen, ad Renes, & Vesicam facultatem diureticam. sic Elleborus albus ano subditus ad Ventriculum suos spiritus Vomitiuos mittit. hinc Vomitus. Quod ex Definitione Mesues licet etiam colligere, dum ait. *quod stomachum sua substantia proprietate debilitans, & in ipso immorans.* nam proprietas substantiæ illa est, quæ stomachum debilitat, non autem ipsa substantia: sic etiam eadem proprietas substantiæ ea erit, quæ immoratur in ore ventriculi, quum substantia medicamenti Vomitorij non debeat immorari in ipso ore Ventriculi; sed descendat ad fundum Ventriculi, quare illud quod in ore ventriculi ex Mesuæ immoratur, cum non possit esse Medicamenti substantia, erit ipsiusmet proprietas, & spirituosa facultas. & hac ratione medicamentum Vomitorium validum, in quacunq; corporis parte fuerit, sua valida facultate os Ventriculi afficere poterit. debile autem in fundo eiusdem etiam permanens os ipsius lædere poterit sua facultate, non substantia.

Mesues.

Ad tertium. Ad tertium respondeo. vtrumq; fieri. primo attractionem à toto corpore ad partem, quam Medicamenti qualitas infecit, deinde expulsionem humoris attracti; sed per aliam viam, non autem per quam fuit attractus. immo si medicamenti facultas attraxit, partium vis vegetatiua expellit, tãquã sibi nocuum, nec medicamenti substantia illa est, quæ trahit, traheret enim ad se. sed ipsius facultas, quum infecerit locum suę naturæ conuenientem.

Ad quartum. Ad quartum patet responsio, quia definitur medicamentum per se vomitorium, non autem per Accidens, vt abluentia, & detergentia.

Ad quintum. Ad quintum dixit Mesues, quod stomachus offensus à materijs ad ipsum delatis Vomitum facit, addit, *ipsum debilitans.* Quare si Ventriculum debilitans attrahit, quid est, quod trahit Ventriculus debilis, an medicamentum? si Medicamentum, plures simul efficeret actiones; tum Ventriculum debilitaret, tum humores attraheret. si Ventriculus debilis, hic quatenus debilis, quo debilior magis traheret. quod absurdum. cum Hipp. sæpe ad Vomitum efficiendum requirat ægros robustos. At Natura agit, & Natura Ventriculi, quæ robusta valide agit, contra inualida. quod si medium, quo trahit esset Ventriculi debilitas. non vi magnetica; sed debilitate Ventriculi traheret. At quomodo Ventriculus debilis attrahit? certè suscipiet magis, quia ob debilitatem non posset expellere. An Calefactus Ventriculus trahit? negauit Mesue attractionem fieri à calore; An relaxatus trahit? est impossibile. Mundinus respondet duplicem esse attractionem ab alio; ad se, vel ad aliud. sed sufficit, vt sit attractio ad locum determinatum. Verum hæc non erit simplex attractio; sed mixta, prædominante parte ad se trahente.

Mundini responsio.

In Ventriculo autem duplex consideratur vis. humorum receptio, & eorumdem expulsio. Expulsio quidem irritata, aucta, valdeq; operans non potest dici à Virtute imbecilliori. retentrix verò debilis censetur, quum omne quod in se habet, nec recipit, nec retinet. Porrò, quum superfluum non retinet retentrix; sed expulsiuæ superflua, atq; nocua expellenti cedit. tunc expulsiua dicitur valida, retentrix autem minime offensa, quod si vtilia expellantur, quia, quæ retinere deberet, non retinet, retentrix læsa apparebit, simul cum expulsiua. si ergo debilitata vis retentrix Ventriculi, iungatur cum expultrice debili, licet irritata, nocua quidem nequaquam expellentur; sed vtilia non retinebuntur. igitur si expultrix valida superflua per vomitum expellit, nec retinitur retentrix, non ob id retentiua debilis dicenda; sed cedens, concludendum tamen etiam à debili facultate fieri, posse validum motum, nempe quum causa irritans expultricem valde vrget. vt irati, Phrenitici, Melancolici, & similes sæpe alias debiles, actiones validissimas efficiant.

reiectio.

alij responsio.

Ad sextum scripsit quidem Mesue, quod Natura in Vomitu vtitur motu suæ naturæ contrario: ergo Violento, & præternaturam. Verum non semper esse præter Naturam nos supra lib. 1. c. 5. ostendimus.

Ad 6. responsio.

Quotuplex sit Medicamentum Vomitorium. Cap. IV.

Qvum eadem sit vis, ac potentia Medicamenti purgantis sursum, ac est purgantis deorsum, tot etiam erunt Vomitorij species, quot sunt deiectorij, & licet Mesues Vomitorium in vehemens, mediocre, & clemens tantummodo diuiserit. non tamen talis diuisio dicenda est specifica, & essentialis, quia magis, & minus non variant speciem. vnde Mesues acturus ex decreto de purgantibus deorsum, de vomitiuis incidenter tantum loquutus fuit, & diuisit Vomitoria specifica secundum maiorem, & minorem agendi potentiam, de alijs speciebus Vomitoriorum nihil proposuit. quare ad nos, qui exacte de Vomitiuis agere decreuimus, spectabit essentialiter hæc diuidere, & omnes species proponere.

Mesues de Vomitu breuis.

Itaq; Medicamenta Vomitoria alia sunt à proprietate talia, quæ Mesues in valida, debilia, & mediocria distinxit: alia sine proprietate specifica, alia deniq; per Accidens. vti sunt Aqua, Vinum, Mulsa, Oximel, Oleum, pinguia, &c. quæ Ventriculum quidem aliquando expurgant, vel abluendo, vel detergendo, vel lubricando. non tamen à toto corpore, vel ab Hepate ad intestina, & Ventriculum quicquam

Vomitoriorum differentię.

quam attrahunt. cum igitur vomitus factus ab Aqua pura non sit effectus specificæ proprietatis vomitiuæ in aqua. Aqua enim vt aqua nullam habet propriam facultatem Vomitoriam; sed per Accidens ob irritamentum nempe à penna, vel digito in os immisso, per Vomitum educitur, & in simul secum ducit, quæ in Ventriculo repererat. quo patet dari Vomitiua per Accidens, & sine specifica aliqua substantiæ proprietate. Mesue autem definiuit tantummodo Medicamentum à proprietate substantiæ, idq; diuisit in Validum, debile, & Mediocre; sed nos dicemus totidem esse Vomitoriorum species, quot sunt deiectoriorum. sicut enim dantur Medicamenta Ventriculum tantum à fæcibus, atq; cibis purgantia deorsum; ita dantur quoq; alia medicamenta eundem Ventriculum à fæcibus, & cibis tantum expurgantia sursum, proportione Eccoproticis respondentia: præterea dari non modo lenientia, & lubricantia sursum; sed etiam comprimentia, vt in alui deiectorijs; insuper etiam Abluentia, abstergentia, atq; emollientia, rationi consonum est, soluentia autem deorsum valida satis nota sunt; sicut & Vomitoria. Nos de omnibus Medicamentis ad Vomitum ciendum ab Auctoribus propositis agemus, siue per se, siue per Accidens Vomitui conferant. initio à lenioribus facto procedentes ad validissima. Vnde primo de irritatib. Vomitum, tum de Vomitorijs abluentibus agemus, 3. de Abstergentibus, 4. de Lubricantibus, 5. de lenientib. 6. de comprimentibus. 7. de soluentib. lenioribus, 8. de Mediocribus. 9. de Validis. omniumq; medicamentorum ad id aptorum, differentias, qualitates, vires, atq; Vsum exactè docebimus.

Vomitoria accidens. — *Vomitoria tot, quot deiectoria.*

De irritantibus Vomitum. Cap. V.

FAcultatem oris ventriculi sursum expultricem sine medicamentis excitare, & irritare Ventriculum ad expellendam in ipso contentam materiam, possumus. sed vel faucium titillatione digito in os immisso, vel penna introducta. iisq; vel puris, vel re aliqua ingrata, & medicamentosa illitis. titillatione enim faucium Oesophagus ad rem irritantem expellendam insurgit, qui cum communem cum ventriculo tunicam habeat, in consensum ad actionem suam ipsum trahit Ventriculum, sic nausea, & Vomitus sequitur, quæ quidem haudquaquã vera vomitoria dici queunt: neque enim abluendo, neque detergendo, vel lubricando, vel attrahendo, vel alio ex dictis modis agunt: sed solummodo expultricem irritando per accidens; ita infinita Vomitum irritantia esse poterunt, quum insuauium infinitus sit numerus. immò quibusdam non modo videndo, vel audiendo alios vomentes, requè fœtida, sordida, & ingrata, inspecta, vel odorata Vomitus excitatur. sed etiam re eadem audita. immò tussis à cibo sæpissime ad Vomitum prouocat. nec non etiam valida pituitæ viscidæ in faucibus existentis excreatio.

Irritãtia ad Vomitum. — *irritãtia per accidens Vomitoria.*

Sed his omissis agendum à nobis erit de iis Vomitum irritantibus, quæ à Medicis in vsum trahi solent. inter quæ primum locum, ob facilitatem, tenet *digitus in os immissus*, & linguam comprimens. validior est *penna immissa*, adhuc validior est *digitus, vel penna Oleo aliquo, vel vnguento illitus*.

irritãtia artiata. — *digitus.*

Quorum quidem exempla apud Antiquos habemus: etenim Hipp. de int. affect. num. 7. de inflammatione pulmonis, & num. 13. in tertia Tabis specie. deinde num. 30. ad morbum Hepaticum. post aquam tepidam epotam vomendum voluit irritatione per pennam facta. ita etiam Aetius. ser. 3. c. 119. post Raphanum assumptum per duas horas exhibet plurimam aquam tepidam, & digito, aut penna Vomitum irritat. quod quidem Paulus lib. 7. c. 10. Trallianus lib. 1. c. 15. ad Epilepsiam, & alij communiter docent.

exempla Hipp.

Vehementius autem irritat digitus, vel penna Oleo communi intincta, & in fauces immissa, Olei enim insuauitas expultricem magis irritat. Validiora autem sunt alia Olea, & Vnguenta, quo etiam ingratiora faucibus, & palato. ita Aetius ser. 3. c. 119. nuper citato. *Mouet etiam vomitum*, inquit, *Vnguentum Irinum, & plus adhuc Cyprinum, si quis illitis ex his digitis irritet: similiter Oleum Sesaminum, Raphaninum, Narcissinum*, & Paulus lib. 1. c. 42. *Mouet autem vomitiones Irinum quoque Vnguentum, si digitis eo perunctis irrites*. & lib. 7. cap. 10. *Promptissimum ad vomitum ciendum est Cyprinum digitis, aut pinnis in id intinctis, demissisq; in guttur*.

Oleosa. — *Vnguenta.*

Vnguentũ Irinum à Dioscoride in oleo Iridis radice decocta paratur. & ait. *Difficiles vomitiones adiuuat, perunctis eo digitis, & immissis vel iis, quæ ad vomitum ciendum induntur*. nostri vocant Oleum Irinum. Mesues ex florum infusione in oleo communi parat. calidumq; & detergens euadit.

Irinum.

Cyprinum vnguentum conficiebat Dioscorides ex Ligustri, quod Cyprum vocant, floribus, & Oleo omphacino, addita Mirrha, Cardamomo, Calamo, Aspalatho. hoc calefacit, laxat, & emollit, quæ vis à linguæ radice ori ventriculi communicatur, ob id laxatur, nanseat, & vomit. estq; Irino ad vomitum concitandum potentius.

Cyprinũ.

Oleum sesaminum, & Raphaninum expressis Sesami, vel Raphani seminibus fiunt; sed viribus in hoc casu parum ab oliuarum Oleo distant. Narcissinum verò ex Narcissi floribus, & Oleo eloto conficitur, addito Aspalatho, Calamo, & Mirrha. Ad idem valere crederem Oleum Laurinum, & Susinum, seu Lilinum ex Liliorum floribus. *quæ stomacho aliena sunt, & nausiam pariunt*. Dioscoride teste. Verum Oleum Cicinum, & Balaninum, seu de Ben, ex Diosco-

O. sesaminum.

Dioscoride, stomacho aduersatur. ob id ad Vomitum prouocandum vtile. at non inter simplicia irritantia; sed inter soluentia ob propriam facultatem numeranda erunt.

Vsus.

Vtemur prædictis irritantibus in ijs, qui ad Vomitum faciles sunt, nec medicamentorum ope indigent. quiquè quotidie vomere solent. aut saltem sæpè. ad ventriculum expurgandum, Vtimur etiam ijsdem quando dato leui aliquo vomitorio medicamenti facultas expultrix torpida per vomitum apparet, ideo irritatione ad superiora, eget. cuiusmodi sunt Abluentia, detergentia, lenientia, lubricantia, & comprimentia, quæ licet natura sua non sint Vomitoria irritatione tamen naturæ ad superiora, talia cuadunt.

quomodo.

vbi.

Igitur digitus, vel pinna, vel pannus funiculi in modum conuolutus, & simplex. vel ex dictis vnguine aliquo illitus, & quam penitissime depressa lingua in fauces immissus.

Quantum, & quando patet.

De vomitorijs Abluentibus. *Cap. VI.*

Medicamentorum facultates, vel actu, siue ἐνεργείᾳ, vel potentia, siue δυνάμει, idest potestate operari dicuntur. Actu quidem, quod in præsens tale est, quale dicitur, nec tempore indiget, vt tale fiat, vt aqua humida, ignis calidus, estquè semper quasi perfectum. Potestate verò dicitur, quod tale non dum est; sed tale esse potest, ac quasi quid imperfectum, & adhuc futurum; atquè vt fiat id, quod dicitur veluti habile, non tamen adhuc est: quemadmodum cum hominem recens natum rationalem, lignum vstibile dicimus.

Facultates medicamenti.

Quod verò in potentia dicitur, vel est in proximissima, vel proxima, vel remota potentia: Et quidem in potentia proximissima rationalis dicitur infans, quia in eo natura suopte impetu ad absolutionem, & actum peruenit, dummodo nil ei extrinsecus impedimento fit. Quod verò pauca indiget mutatione in proxima potentia dicitur, vt fumus in flammam, lignum in ignem, sanguis in carnem, & à Galeno προσεχής, idest continens, seu continua, ac proxima vocatur. Ab his quædam, quæ pluribus mutationibus, alterationibusuè egent, vt cibus in Ventriculo est quidem caro in potentia; sed non προσεχῶς; namque oportet vt prius fiat sanguis, in remota potentia talia esse dicentur. Porrò, quæ longius etiam absunt, vt talia fiut, qualia dicuntur, vt triticum, hordeum, panis, &c. quæ pluribus, antequam in carnem vertantur, mutationibus egent, in remotissima potentia censentur.

Med. in potētia.

Quæ verò medicamentariam vim sortita sunt, simili quoq; quadam ratione, qua alimenta, potestate talia esse dicuntur; neque enim suapte natura, sponteuè ad ἐνεργείαν, siue actum perueniunt: sed alteratione opus habent; verùm non tanta, quanta, quæ futura alimenta: uon enim eousq; mutantur, vt iu alimentum conuertantur; sed vt ad actum solummodo deducantur, & talia, qualia dicuntur, fiant, vt calida, videlicet calfaciant, frigida refrigerent, caustica exulcerent, nareotica stupefaciant, & ita cætera, quæ in corpore humano à calido natarali præstantur. Nec enim Animantium corpora à medicamentis afficiuntur, nisi illa priùs ab ipso fint mutata calido insito: quod enim talia actu fiut, à nobis accipiunt, veluti sicci calami, quod accendantur, ab igne. ita nec calefacere, nec refrigerare nos quicquam valet, quin prius actu tale fuerit redditum. igitur, quæ actu sunt, vno agunt modo, alio verò, quæ potestate talia existunt.

Med. quomodo actu.

Accedamus modo ad Medicamenta abluentia, quæ ob facultates haudquaquam potestate talia; sed actu operantur; quandoquidem lotio non nisi ab actuali humiditate fieri potest, nec nisi humore actu humido lauare aliquid licet. Ergo quum simplicem lotionem requirimus, simplici tantum humore, quòd nullam excedentem potentiam admixtam habeat, vtendum erit, qui quidem humor nonnisi simplex aqua erit: Nam tametsi Vinum, Acetum, Serum, Vrina, Aquæ Thermales, & alia plurima eluere corpora actuali sua humiditate optime valeant, quia tamen potentiam aliam adiunctam habent, haudquaquam simpliciter abluentia censentur; sed abluentia simul, & detergentia; vel abluentia, & densantia, vel adstringentia, &c. vt serum ex Gal. 10. de sim. med. fac. extergendi potentiam habet, & quum per clysteres iuijcitur est abluens, & sine mordacitate intestinorum acrimoniam extergens. & 6. Epid. com. 5. idem Gal. scripsit. mordacibus succis in intestinis contentis, eluentia per inferiores partes esse immittenda, inter quæ Mulsa est, & Ptisanæ cremor. Quæ quidem simpliciter Galenus vocat eluentia, quum tamen simplicia non sint; sed vnà, & abluentia, & detergentia. Erit igitur sola Aqua pura, & simplex, nulla nempe qualitate extranea infecta, simplex medicamentum abluens. & tale semper in actu. Verum enim vero cum Aqua ista tripliciter ad Vomitum excitandum vsui esse possit, prout nimirum in simplicibus qualitatibus triplicem potest habere formam. vt calida, vt frigida, & vt tepida actu existens. Hinc de Aquæ calidæ, frigidæ, & tepidæ vsu in Vomitu ciendo, ad Ventriculum abluendum exactè agere cogimur. & eluere quidem Ventriculum, non autem intestina, aliasq; partes potest, si per Vomitum reddita fuerit: aliàs per intestina, vel Vessicā excreta eas quoq; partes abluere poterit, & sicut in externas sordes agit, ita internas abluere censendum erit. vnde abluendo Ventriculum expurgare docuit Hipp. de loc. in hom. 51. *Si quis Vomenti*, inquiens, *aquam multam dederit, eluentur ea, quæ Vomitum faciebant.*

Abluentia actu talia.

Galenus impprie loquutus.

ratio abluendorum.

De

De Aqua Frigida.
Cap. VI.

Quid sit Aqua non est, vt discutiendum proponamus, nec quidlibet aliud ad ipsam attinens; considerabimus solummodo, an, & qualiter Vomitui excitando frigida aqua aptetur.

Aqua frigida non Vomitoria. Et primo quidem ridiculum fortasse alicui videbitur, quod ad Vomitum concitandum Aquam frigidam primo loco conduxerimus. cum tamen potius Vomitus remedium habenda sit, condensat enim, astringit, reprimitq; non autem relaxat, & mollit, continuòq; ab omnibus animantibus auidissime assumitur nullo subsequente Vomitu; immo nec etiam Nausea vlla. Sed potius eadem à frigida sedantur. quibus non assentiri nequimus. Ergo Aqua nullam habet Vomitoriam facultatem. Dicimus tamen, si non per se, saltem per accidens talem sæpe euadere; vt quantitate nimia Ventriculum grauante; vel ob irritationem Oesophagi ab irritantibus factam, & ita nos *Aqua frigida per Accidēs vomitiua.* Aqnam considerabimus. quomodo per os assumpta, & per idipsum mox reddita per irritatum Vomitum, abluit Ventriculum, secumq; extrà quæcunque in eo inuenerit trahit, educitque.

Obiectio. Si quis vero obiecerit Hippocratem de loc. in hom. 39. scribentem. *Si nauseam contrahat à frigefactorio, calefactorijs vtere consequenter.* ergo frigida, qualis aqua præposita, nauseam, & inde vomitum facient.

Responsio. Respondendum erit, aliud esse frigidum, aliud verò frigefactorium: namq; frigidum tale est actu, frigefactorium verò potestate, sic nausea fit à frigido potentia, vt est Cammarum. ex Hipp. ibi. non autem à frigido actu.

Aqua frigida Vomitoria ex Hipp. Quod igitur post Aquam frigidam potatam Vomitus irritamentis excitatus prosit, & ex artis vsu sit, clara est apud Hippocratem doctrina, vt 5. Epid. circa finem. *In febribus acutis*, inqnit, *siticulosi à Medicis potu interdicto, aut etiam à se ipsis abstinentes multum sibi bibere posse videntur, his aqua frigida data, vt reuomant prodest, biliosa enim aderunt.* & de affect. num. 13. *Si bilis, aut pituita ad cor consederit aqua frigida, aut aqua mulsa pota vomant*, idest, ad os ventriculi vexatum bile Aqua frigida vtendum; à pituita verò affecto Aqua mulsa erit vsui, quam fortè non frigidam voluit. 3. autem de Morb. num. 6. in febre ardente scripsit. *Aquam bibendam dato; namplerumque vomitum aqua ciere solet.* frigidam, quæ febri ardenti competit, intellexisse. credo, vti etiam de inter. affect. num. 42. in Typho. *Si verò*, inquiens, *sitis fortis premat propter calorem, potu aceruatim dato, euomere iubeto, bis, aut ter hoc repetito.* vbi propter calorem sitienti si dat aquam, non nisi frigidam præbebit. immo Aquæ prolata voce, simplex, & cum suo frigido naturali temperamento intelligetur.

quod patet etiam 4. Epid. citato. immo 5. Epid. num. 18. in Muliere male affecta à Catapotio conceptus gratia assumpto; ait enim. *Neque Vomitu facto ab aqua frigida laxabatur, neque dolor præsens, neque spiratio.* quo patet ab Hippocrate adhibitum fuisse Vomitum ex aqua frigida, eumq; miratum fuisse, quod non contulisset. dixit autem *sanguinem vomuit non multum.* quo ei patebat locum affectum extitisse Ventriculum. vnde *aquam*, vt euacuaretur tantùm, elueretur què Ventriculus, nec ab alijs partibus fieret attractio, vti voluit: *frigida* autem, vt ea, ne ad ipsum ab alijs partibus transmissos humores susciperet, Ventriculus condensaretur, ac roboraretur. fortè autem timebat Hipp. aliquam in Ventriculo contractam esse inflammationem, vnde frigida ad repercutiendum esset opus. Aquæ autem epotæ, & Vomitu redditæ opus Ventriculi ablutionem esse dixit Hipp. de loc. in hom. num. 51. hisce verbis. *si quis homini vomenti aquam multam bibendam dare velit, eluentur ea, propter quæ vomit, vna cum vomitu, & sic quidem per vomitum vomitus sedatur.* ait enim *eluentur.* *explicatur Hipp.*

Celsus. C. Celsus. lib. 3. c. 9. *Apud Antiquos quoq;* inquit, *ante Herophilum, & Erasistratum, maximeq; post Hippocratem fuit Petro quidam, qui febricitantem hominem vbi acceperat, multis vestimentis operiebat, vt simul calorem ingentem, sitimq; excitaret. Deinde vbi paulum remitti febris caperat, aquam frigidam potui dabat, ac si mouerat sudorem, explicuisse se ægrum indicabat; si non mouerat, plus etiam aquæ frigidæ ingerebat, & tum vomere cogebat. si alterutro modo febre liberauerat, protinus suillam assam, & vinum homini dabat: si non liberauerat, decoquebat aquam sale adiecto, eamq; bibere cogebat, vt mouendo ventrem purgaret: Et intra hæc omnis eius medela erat. Eaq; non minus grata fuit his, quos Hipp. successores non refecerant, quam nunc est his, quos Herophili, vel Erasistrati æmuli diu tractos non expedierunt. Neque ideò tamen non est temeraria ista medicina, quia plures, si protinus à principio excepit, non interemit. sed cum eadem omnibus conuenire non possint, ferè quos ratio non restituit, temeritas adiuuat. ideo eiusmodi Medici melius alienos ægros, quam suos nutriunt.* Hic profectò non vituperat Celsus Vomitum ab aqua frigida: sed omnes febres aqua frigida curari posse, temerarium iurè dixit. nec enim Ventriculum tantum, vel etiam intestina abluere ad febres omnes depellendas satis est. sed sæpissime neq; multo validiora sufficiunt. neque in principio huiusmodi curationem fieri probauit Celsus. *Celsus explicatur.*

Petronis methodus ab Hippocrate 4. acut. t. 5. & 6. desumpta mihi videtur, si non omninò, plurima saltem ex parte, loquens enim de Causo. *Huic*, inqnit, *aqua, vel mulsa cocta, & aquosa quantum voluerit bibendum dato. Quod si amarum fuerit os, vomere confert, & aluum subluere. Vnde si adhuc non* *Petronis Methodus est Hippocratica.*

soluatur lacte Asina cocto purgabis, salsum autem nihil, neque acre exhibendum, non enim descendet. sorbitionem verò, nisi indicationes transferint non dabis. quibus verbis mihi, vt præfatus sum, Petro suam Methodum fundasse videtur. primo enim exhibet Hipp. copiosam aquam, vel simplicem, vel mulsam, & hanc pro pituitosis pro biliosis illam, quam intellexit frigidam, *cum bibat quantum voluerit*, scripserit. Nam si potus datur ad litim, quæ est appetitus frigidi; & appetitua est voluntas quædam, cum ægri voluntati satisfaciat Hipp. certè Æger neque calidam, neq; tepidam, sed frigidam copiosam cupiet. quod explicatur. 2. de morbis. 36. in febre à bile, vbi ait, *aquam frigidam quantum bibere volet, dabis.* quare etiam de Victu Acut. citato. dans aquam secundum voluntatem, frigidam intelliget. adde quod nunquam legitur, calidam, quantum bibere volet, deinde, & confirmatur quia, vt hic dixit *Aqua, vel mulsa*, ita de affect. cit. ait. *Aqua frigida, vel mulsa*. Amplius, quia tantam præbet, quantam bibere voluerit. animaduertere fas est, ipsum in accessione solum tantam frigidæ copiam concedere, minimè autem semper pro libitu extra accessionem. quo patet à Galeno in hoc textu, licet is Erasistratum acerrimè reprehendat, Hippocratis mentem non fuisse perceptam, sicuti etiam neque à Valesio, & Brasauola, qui Hippocratem, de aqua, & de mulsa pro nutrimento sermonem habere censuerunt, quod falsum est, cum Aqua minime nutriat, & de nutritione postea Hipp. agat. t. 9. agit autem prius de aqua, vt est medicamentum, & medicamentum sudorificum. vt volebat Petro, dans febrientibus aquam frigidam copiosum, vt sudorem excitaret, quod si non succedebat, altera frigida ebibita vomitum prouocabat. cum Hipp. sentiens loco citato, *ore amaro existente* vomitum consulente. vti 2. de morbis. similiter ore affecto ægrum purgabat, scilicet sursum; quod si amarum non erat os, Hippocrates ventrem subducebat. sic etiam alibi. *si os non afficiatur, verum ad imum ventrem tormen irruat, pharmacum deorsum purgans bibendum dato, & postea lac Asininum, aut Serum.* eodem pacto 4. Acut. cit. subdit. *Verum si ad hæc non soluatur, lacte Asina cocto purgabis.*

Galenus aberrat ab Hipp. mente.

Hippocrates explicatur.

Petro autem eandem habens alnum sub purgandi intentionem aquam salsam, non autem lac exhibebat. & tamen eam improbauerat Hippocrates dicens, *neque salsum quid, neq; acre esse exhibendum*, quia non descendet, & non subducet aluum. ad quam oppositionem soluendam distinctione opus erit, etenim in biliosis vtendum est lacte cocto, vel sero, non autem salsis cum Hippocrate, qui Causum à bile curabat. in pituitosis autem, quibus mulsa magis conuenit, aquæ salsæ vsui esse poterunt. Petro enim non solum febres ardentes biliosas; sed etiam pituitosas curabat. in quibus detersione opus est. & salsæ aquæ multo magis detergunt, quam Lac. Vnanimes autem sunt Hipp. & Petro in aqua frigida copiose exhibenda in Causo, amaro existente ore, ad Vomitum prouocandum. Deinde Auicenna probauit in febribus aquæ frigidæ potum eo, quod quandoque per vomitum euacuet materiam lædentem. Alij verò in accessione concedunt copiosam frigidam; sed protinus digitis in os immissis Vomitum prouocare satagunt. vt Rogerius.

Auicenna.

Statuemus nos, quandoq; Vomitum ab assumpta copiosa aqua frigida esse probandum, nempe si os fuerit amarum, vel ingens sitis à copia bilis in ventriculo existentis, vel immoderatus calor ventriculum ipsum vexet. vel deniq; si materia in ventriculo existens nauseam, vel vomitum inducat, vt tota educatur. quia omnium Vomitoriorum est mitissimum, tollens sitim, Ventriculum abluens, bilem in ipso contentam educens, calorem extraneum extinguens, materiam fluentem repellens, calorem naturalem antiperistasi resuscitans, substantiam ventriculi densans, quæ à calore resoluente fuerit relaxata. proinde in Causo optimum videtur vomitorium, & remedium, dummodo eorum, quæ vel frigidæ potum, vel vomitum prohibent nullum adfuerit.

quid agendum.

Copiosa debet esse aquæ potio; pauca enim non euomeretur, eamdem auidè retinente natura: ideò Petro copiosius bibere ægros cogebat, quum vomitum optabat. Hippocrates autem quantam volebant ægris permittebat, vt humore satiata natura, eius retentrix postea, irritatæ expultrici non esset admodum renitens.

quantum agendū.

Offerenda autem est frigida in ipsa febris accessione, non autem in eius interuallo. nec in principio, non solum quia pedes frigidi, ex Hipp. aquæ potum prohibent: sed etiam ne motus fiant ægro nocui, nec in febris declinatione, quia tunc materia tendit deorsum, & motus naturalis non est auertendus. sed post principium, & in augmento, quando materia sursum ex se fertur ad os ventriculi. in vigore autem, quum sudores expetimus, vt Petro faciebat, dare licebit.

quando agendū.

Hipp. de inter. affe. in Tipho. ad tollendam sitim bis, & ter repetit aquæ potum, & Vomitum donec sedata sit sitis ob totius bilis lædentis remotionem.

quoties.

Quod ore sit prius potanda aqua, deinde eadem euomenda iam patet.

vbi agendum.

Vomitus autem prouocatio Horæ quadrante ab assumpto potu transacto digitis in os immissis, vel penna oleo inuncta fieri poterit. quo modo, licet aqua frigida vomitum prouocandi vim natura non sit sortita, euomitur tamen ob factam irritationem, secumq; quicquid in Ventriculo inuenerit ducit, ipsum ablutum, & à materia tenui, non autem viscida, liberatum relinquens: viscida enim, & tenax quum nec cedat, nec misceatur aquæ frigidæ potatæ, cum ea educi nequit.

modus agendi.

De Aqua Calida. Cap. VIII.

Potus calidi vsus. Mirari quis modo poterit, quo pacto inter Vomitum excitantia aquam calidam ennmerare voluerim. potum certè antiquis ad delitias in mensis vsitatum, vt Apud Plautum, Athenæum, & alios constat. & Romæ anno 1615. vidimus Iaponenses Legatos Regis Voxu in Mensa sumpsisse Potum calidum vasaq; calefactoria etiam in itinere secum detulisse. quod etiā testatur Franc. Schaccus de salubri potu. plurimis etiā nos ipsi, vt Hyeme Aqua feruenti vinum miscerent, causa fuimus. vti Eminentissimo Cardinali Bisciæ, Matri nostræ, & alijs maxima cum vtilitate, & delectatione, & Hipp. de int. aff. in Erisipel. Pulmonis in declinatione. *Potibus quam calidissimis vtatur*. & Ægrotantib. multis huiusmodi potum concedit Costæus lib. 1. de potu. in Morb. c. 52. & 53. ex Oribasio, Paulo, Aetio, & alijs. Sed mirari desinat, quia Hippocratica est doctrina. 5. in 2. Epid. *Vomitus solutio, aquam calidam bibendam dato, & vomat*. *Vomitus ab aqua calida.* Græcè est ὕδωρ θερμὸν, & calidam Caluus, Cornarus, atq; Valesius verterunt, licet in comm. vti etiam Mercurialis, censeat modice calidam, idest, tepidam intelligendam, quia vomitoria est. sed refellendi, quia vsum calidæ ignorarunt, nos autem vere calidam voluisse opinamur. sicuti etiam lib. de loc. in hom. 51. dum etiam *Hipp. calidæ vsus.* ad curandum vomitum inquit. *Si quis homini vomenti aquam multam bibendam dare velit, eluentur ea, propter quæ vomit vnà cum vomitu. & sic quidem per Vomitum vomitus sedatur*. idem Hipp. 7. Epid. scriptum reliquit. *Pausaniæ filium ex fungi crudi esu, anxietas tenebat, strangulatio, dolor ventris. Aquam mulsam calidam bibere, ac vomere profuit*. & 2. de morb. ad Erisipelas Pulmonis. de mixtura quadam ait. *calidum hoc bibendum præbeto*. & 3. de Morb. in capitis dolore. *Tapsiæ succum in multa calida aqua dato, quo quam citissime reuomat*. qui celer motus fiet tum à qualitate, tum à quantitate potionis. cui videtur subscripsisse *Dioscorides.* Dioscorides, dum lib. 6. in præfact. *assumpto veneno*, inquit, *sine mora calidum Oleum ex aqua, aut seorsum, vt vomere cogantur, dari conuenit*. & addit *sine mora Butyrum cum aqua calida dandum*, quo patet bene calidum voluisse; nam cum tepida Butirum concresceret, alij etiam Auctores ad vomitum prouocandum calidis *Galenus* potibus vtuntur. vti Galenus. 2. de Antid. c. 5. ex Asclepiade *sumpto Meconio*, scribit, *confert aquam calidam, & acetum mulsum dare, & euomere facere*. Si Cerussam sumpsit, *Passum, & aquam calidam sumat, & vomat*. & ad Opium. *Confert Hydrelaon calidum bibendum exhibere, atq; vt vomat cogere. quod si Psilothrum quis forte biba t. Oleum calidum sumendum est, deinde vomendum*. & iterum ad Cerussam. Vomitum *ex Oleo calido* laudat. & *Hidrelaon calidum* ad omnia venena ignota. nec quis iure poterit dicere *per calidam aquam* ab Hipp. intelligi tepidam; quia Hipp. fuisset confusus non distinguens calidam à tepida. cum tamen, vt *Obiectionis solutio.* sequenti capite dicemus, pluries tepidæ mentionem faciat. verùm talia dicentes, quantum à tepida distet calida, & amborum vsum se ignorare palam faciunt. à nobis autem distincte sunt tractanda, quia diuersas habent facultates. sed quod alij auctores ad Vomitum exci- *Calida aqua vomitoria.* tandum etiam calida vsi fuerint constabit. Namq; Marcellus Empiricus. cap. 20. præbet *Marcel lus Emp.* Mandragoræ succum *ex aqua calida* ad phlegma expurgandum. Gariopontus autem lib. 7. c. 7. ad Quartanam. id clarè explicat scribens. *Qui etiam calidam aquam, si in vsu habent*, (ecce in vsu aliquibus aquæ calidæ potus) *Gariopontus.* *bibere si voluerint, bibant. Epithimum, & Cyminum, & Hyssopum creticum in coctura addes calida, & sic bibant, & post escas vomicam prouocabis, & radices in Oximelle infusas per triduum ad satietatem comedant. Et post comestionem, oximel ipsum cum aqua calida bibant, ita vt potu satientur, & sic vomicam prouocabis. quibus Helleborum album sic dabis. Tolle Raphanum, & perunges ex Helleboro, ita vt Helleborum intra radices coniunctum vna die maneat, & eo sublato ad satietatem dabis radices, vt manducent, & vomitu prouocabis, quibus etiam Oxyporium adhibebis, & maxime calida frequenter danda sunt*. ecce maximè calida dixit. non ergo tepida. Est ergo Aqua, vel *Aquæ qualitatum diuisio.* calida, vel frigida. & calida in se continet valde calidam, potabilem tamen, de qua nunc loquimur, & feruentem non potabilem, frigida autem vel est sub dio detenta, vel gelida, & niue refrigerata. in horum medio est lactea supra hanc ad caliditatem declinans *tepida*. infra verò ad frigiditatem vergens *egelida* vocatur. harum aquarum qualitates, & temperamenta per belle docuit Oribasius Collect. lib. 5. c. 30. ex Herodoto, cuius verba huc afferre maximi *Oribasii distinctio.* erit momenti, vt intelligant lectores quid per calidam Oribasius intelligat, & quid per tepidam, ne ipsi hæc confundant, antiquos etiam eamdem confundere rati. scripsit ergo. *Si verò accomodate, atq; apte tepefiat, lactea q; aut egelida reddatur diuersis rationibus ea erit vtendum facta comparatione cum calida. Cæterum tepida ita temperetur calida aquæ potui accommodata cyathis quinque vnus frigidæ addatur. egelida verò sic mutetur, vt calidæ cyathum vnum, & frigidæ quinque habeat, lactea vero ex pari vtriusq; mensura temperatur. fit autem, intenta, qua frigida est. si verò remissa sit, plus frigidæ erit adiungendum*. ex quibus constat temperamentorum gradus, vt Aqua *calida* potabilis sit intensior *tepida*, sub tepida sit *lactea intensa* in medio omnium *lactea simpliciter*. infrà vero *lactea remissa*, postea *egelida*, tandem *frigida*. *qualitates in aqua vires.* Ergo ex his constat, quando Oribasius, Aetius, Alexander, & alij antiqui. scripserunt *Aquam calidam*, quam intellexerint. nec calidam pro

K 2 tepida

tepida posuisse cum diuersas habeant facultates. vt enim tepida vomitum facile concitat, ita calida compescere valet. quod optime nouerat D. Ioannes, dum scripsit, vtinam calidus, vel frigidus esses; sed quia tepidus es, iam te euomere incipio. sed citatus Oribasius Collect. lib. 8. c. 6. ad Vomitum comprimendum. *Nimias purgationes*, inquit, *sistemus calidissimam propinando*. quam lectionem corrigere censens doctissimus Costæus, maximè deprauauit. lib. 1. de potu in mor. cap. 53. reponendum ratus pro *calidissimum*, sic *tepidum*. quia tepida non calida vomitum ciet. erroris autem causa fuit, quia opinatus fuit Oribasium voluisse potu excitare vomitum. quod aliter se habet, namq; dedit calidissimum potum ad sedandum vomitum fine vomitu, sola qualitate plurimum calida. nec ad rem facit, quod Aetius lib. 3. c. 118. ex Oribasio, ad Vomitum compescendum in ijs, qui facile vomunt, aquam tepidam multam det adbibendum, vt immisso digito, aut penna vomant. quia hic vomitu ex tepida, quæ relaxat, vomitum curare intendit educendo causam vomitus per superiora, ibi vero ex calidissima potione roborato ore Ventriculi detergendo morbi causam per inferiora compellere intendebat. nec alia ex Oribasio à Costæo adducta vim faciunt, quia per distinctionem aquæ calidæ potabilis, tepidæ, lactæ, &c. innotescit, quod per calidam Oribasius aliam à tepida velit; sed sententiam nostram Aræteus lib. 6. c. 4. de cholera confirmauit. dicens. *cruda si non exeant, incitare, aquam tepidam sorbitioni dantes, assiduè quidem, sed paucam, ne tensiones inanes in stomacho fiant conuulsioni similes*: & post multa subdit. *Cæterum, si omnia euomit, & stomachus nihil retinet, ad calidas potiones, & cibaria recurrendum: nonnullis enim hæc mutatio vomitionem compescit: calida vero calidissima sumito*. ecce Aræteus tepida ad Vomitum ciendum, calidissima ad sistendum vtitur, ergo, & Oribasius.

Oribasii locus.

pulcherrimus locus Aretei.

Hactenus ab antiquis datas fuisse potiones calidas ad vomitum ciendum, qualitatis gradu tepidis intensiore præditas clarissime ostendimus. nostrum nunc erit causam, ob quam ij calidam potionem elegerint, indagare; nec non in quo à frigida, & tepida pro vomitu excitando calida potio differat. quę vt præstemus, calidæ aquę ebibitæ in ventriculo effectus, ipsum enim quandoq; iuuat, quandoq; lædit, præcognoscere opus erit.

cur Aqua calida ad Vomitũ.

Porrò Auic. 2. 1. *Aqua calida*, inquit, *digestionem corrumpit, & facit natare cibum, neq; illico extinguit sitim, & est quum ad Hydropisim adducit, & hecticam, & consumit corpus*. & adduci potest 5. sectionis Aphor. 16. & de Humid. vsu. *Calidum, vbi quis sæpius eo vtatur, hæc mala affert, carnis effaminationem, neruorum imbecillitatem, mentis torporem, profluuia sanguinis, animi defectionem, quibus mors succedit*. & hæc quidem obijci possunt calidæ aquæ.

Auicenna.

Hippocrates.

Idem tamen Auicenna eamdem laudauit, vt quæ colicam quandoq; resoluat, & splenis ventositates frangat. præterea *confert Epilepticis, Melancholicis, dolori capitis frigido, asthmatbi, ophtalmiæ, pustulis gutturis, & gingiuarum, apostematibus post aures, rheumatismis, vlceribus diaphragmatis, & in pectore, menstrua prouocat, vrinam, & dolores sedat*. & Hipp. sect. cit. aph. 22. *Calidum suppuratorium non in omni vlcere magnum ad securitatem est indicium, cutem mollit, extenuat, dolorem sedat, rigores, conuulsiones, & tetanos mitigat: capitis soluit grauitatem: plurimum autem confert ossium fracturis; sed nudis præcipuè; eorumq; maximè, qui in capite vlcera habent, & quæcumque à frigore moriuntur, vel vlcerantur, & herpetibus exedentibus, sedi, pudendis, vtero, vesicæ; his calidum amicum, & iudicans, frigidum inimicum, & perimens*. licet autem multa ex his ad externum calidæ vsum pertineant tamen ad qualitatum calidæ notitiam faciunt. sicut etiam libro de loc. in hom. 39. *febrienti*, inquit, *in potu dabis aquam calidam, & aquam mulsam, & acetum cum aqua; hæc autem quam plurima bibat: si enim non frigidus ingressus fuerit potus, calidus exiliens, ac manens ex corpore agroto detrabet, & vel per vrinam eijciet, vel exudabit. Vndiq; autem apertum, & respirans; ac motum corpus id, quod conducibile est facies*. licet autem hic Hipp. loquatur, vt pota per se potest ob quantitatem ex corpore detrahere materiam superfluam. & ob qualitatem peruium corpus facientem per Vrinas, vel per sudorem educi. tamen irritatione facta detrahet etiam per vomitum. Præterea Alexander Trallianus in Diaria ex ciborum corruptione à caliditate cum ructu nidoroso. *si cibus*, inquit, *suspendere adhuc in ventriculo videatur, tunc potione ex aqua calida potissimum est sumenda. hæc namque partem humorum eiicere, abstergere, & ad inferiorem ventrem propellere, partem vero in corpus etiam vt distribuatur præparare, & præterea spiritum iam siccum, incensumq; temperare, lenire, meatusq; laxiores efficere potest. Haud noui an quis hoc præstantius remedium ijs, qui ex calida intemperie cruditate laborarunt, & in Ephemeram inciderunt, excogitare possit*.

Auicenna.

Hippocrates.

aqua calida vsus.

Alexander.

His de aqua calida in vniuersum præmissis, cum aqua pura, per se ipsam, neq; vt calida, neque vt frigida sit vomitoria; tamen vel copiosè sumpta, itant mole sua ventriculum, grauet, & distendat, vel irritatione Ventriculi expultricis penna, vel digito immisso facta, vomitione facile redditur; sic egrediens per os, quicquid in ea liquatum, ac solutum erat secum educendo, ventriculum eluit. Eligitur autem aqua calida, quando frigida à Thoracis, vel ventriculi imbecillitate, vel Hypocondriorum phlegmone, vel pituita viscida in Ventriculo stabulante, prohibetur: calida namquè non solum nullam malam imprimit qualitatem visceribus imbecillis: sed si vomitione reddita non fuerit, à Natura,

cur Aqua Vomitoria.

tura, vt docuit Hipp. vel per vrinas, vel per sudores eijcitur. Quum è contra frigida difficilior expulsu si inibi diutius manserit, corpus & grauat, & lædit. Calida præterea crassam materiam in ventriculo existentem facillime tenuat, soluit, & diluit. suo enim actuali calore pituitam à frigore densatam rarefacit, colliquat, & admixtam secum trahit.

Calida faculta.

Euomitur etiam facilius calida, quam frigida aqua, quia Natura pro siti compescenda non calidam; sed frigidam appetit. vnde sitim ex Oribasio. 5. collect. c. 30. magis tollit calida, quam frigida, minoriq; calidæ copia satiatur natura. hinc à retentrice frigida tenacius, quam calida retinebitur, & ideo à calida facilius sequetur Vomitus, non adeo retinente natura.

calidæ aquæ præstantia.

Præstat etiam Aquæ tepidæ: namq; à calido potu non relaxatur ventriculus, vt à tepida, sed densatur, ac roboratur. sic enim in vsu externo obseruamus. Vnde Galenus. 8. meth. med. c. 5. *Epithemata abunde calida* imperat, quia tepida partium firmitudinem dissoluunt. quod confirmant Aetius lib. 5. c. 68. & 78. Alexander, & alij. immo pisces in Oleo tepido relaxari, in feruente frictos densari, obseruamus. sic etiam fercula ex triticea pasta incisa, vel pastilli, vel vermiculi esculenti, si in aquam tepidam fuerint iniecti liquantur, & gluten euadunt inductam amittendo formam. in aqua vero feruente excocti solidi, densi, cum sua acquisita externa figura spectantur, & permanent. ergo calida aqua densat ventriculi tunicas magis, quæ frigida, & alio modo: nempe roborando calorem insitum, vt gelida expellendo.

Epithemata calida.

His de causis in Capitis dolore frigido, in Colica, in flatibus molestantibus, in Asthmate, in suppressis mensibus, in corruptione ciborum, in diaria ex cibis corruptis cum ructu acido, vel nidoroso, vel ex lassitudine. item in Thoracis, Diaphragmatis, Hepatis, Lienis, Renum, Ilei, Vesicæ, & Vteri inflammationibus, si Vomitus erit faciendus, potius ex aqua calida, quam frigida conueniet. Præterea ad pituitam, vel melancholiam, vel sanguinem congelatum è ventriculo educendum. Nec non ad Venena frigida, & crassæ substantiæ educenda, vti Opium, Meconium, Mandragora, Cerussa, Philotrum, & fungi. Hippocrates certè calidam potionem dedit, vt citius euomeretur. calidam quoq; præbuit ad materiam vomitum causantem, vt calore suo eam dissolueret, & facilius abstergeret: non ne aqua feruens sordes à linteis frigida facilius abstergit? Equidem ad humores biliosos, vel salsos causantes sitim eluendos, educendosuè sæpius obtuli, & maxime profuit, alias nihil aqua frigida conferente.

Quid agendũ.

Copiosa Aqua calida vomitus gratia est sumenda; nam pauca, ventriculum non grauans, nec euomeretur, nec ipsum sufficienter elueret.

Quantũ.

Debet autem esse ita feruens, vt fauces non vrat, & potabilis, vt Oribasius docebat. post horæ quadrantem irritatione, vt decet, facta Vomitus excitabitur.

Quomodo.

Dum adest in Ventriculo materia lædens, & nihil prohibet Vomitus est excitandus. Potest autem pluries potio hæc reiterari, donec tota materia nocua è ventriculo educatur, ipsumq; optime eluat. Siquè pro Vomitorio tantum, idest raro, assumatur, nullum ex ijs, quæ Auicenna obtulit, nocumentum affert; nec adeo Ventriculum relaxat, vt tepida; immo potius ipsum adstringit, vnit, roborat, & si valde feruens fuerit, cum quodammodo tepefacit.

quando. quoties.

Patet per se vbi sumenda.

vbi.

De Aqua tepida.
Cap. IX.

AB aqua calida, & frigida ad tepidam deueniemus, circa quam quæsitu primo dignum est, an hæc quoq; sit potabilis ad alterandum corpus extra Vomitus scopum; namq; affirmauit Costæus. lib. 1. de potu in morb. c. 53. Alexandri Tralliani verbis confisus. qui lib. 12. cap. 6. in Tertiana summe laudare tepidam aquam videtur, & quidem Græcè εὔκρατον legitur. idest temperata. at aquam tepidam Andernacus interpretatur. Antiquus tamen interpres calidam vertit. Equidem, quia Alexander videtur Hippocratem imitari lib. de loc. in hom. qui calida non tepida vtitur, pro temperata calidam potabilem interpretor. quam ad Diariam commendans idem Alex. voce θερμῷ indigitauit, quas enim laudes temperatæ tribuit, eas calidæ conuenire clare patet. dum enim ait, *à potione sudores copiosos effundi videbis*. tepidæ nequaquam aptatur. & dum subdit. *bilem per Vomitum reijci*. non est solius tepidæ opus, sed etiam calidæ. & rursus dum idem Alexander lib. 9. c. 4. & 5. pro renibus quà calculosis, quà inflammatis, tepidam laudare videtur, Hippocratis fere verbis calidam commendantis vtitur, vnde ab Hipp. dissentire non poterit. sed eius obscuritatem dilucidauit Aetius serm. 11. cap. 15. ad lapides renum. scribens. *potus aliàs sit aqua calida*. & c. 16. ad renum inflammat. ex Ruffo. *aqua calidæ potu*. expressit. licet Auicenna calidam vituperet, & frigidam proponat. sed quod tepida potui apta non sit, tum quia nemo ea vsus est, tum etiam quia ex Costæo ipso ita colligitur; facile consideranti innotescet, qui, cur vomitum tepida excitari non calida, dum quærit, Respondet. tepidam flatus gignendo, nec vt calida eos resoluendo. Ventriculum subuertere. & copia vomitum concitare. sed si tepida vomitoria est ob flatus genitos, quomodo copiosa vtilis erit potatu? Sed Apocalipsis cap. 3. S. Ioannes *scio opera tua*, inquit, *quia neque frigidus es, neque calidus; vtinam frigidus esses, aut calidus; sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo*. quo patet neq; calidum potum per se ad Vomitum esse valde pronum, tepidum

Tepida potabilis.

Alexander explicatur.

S. Ioannes.

per

per se ad Vomitum esse valde pronum, tepidum tantum natura nauseosum. ergo aqua tepida potui ad vomitum aptior, quam calida, vel frigida. immo neque Vinum tepidum sine nausea bibi potest. nonne Hipp. 7. Epid. num. 40. scripsit. cholericam passionem fieri ἐπιγαλακτοῦ vsu, idest Vino lactei teporis. vt vertit Cornarus, & cum affectus vomitorius Vino tribui nequeat, tepori relaxanti tribuendus erit. at dices ἐπίγαλα. vertitur à Caluo, Fesio, & Valesio. *Vino lacte mixto*, quæ antiquorum potio erat, vt Gorræus, & Scapula aiunt. tamen iidem fatentur, sic etiam ab alijs verti. vnde si sic, erit lacteus tepor vomitorius. quod probe noscens Æsopus aquæ tepidæ potu conseruos suos, qui ficus ederant Hero manifestauit.

Ad Vomitum autem ciendum tepida aqua Hipp. sæpissime vsus fuit. vide Affect. num. 15.
Hippocrates. *Quicumque verò alij dolores in æstate circa ventrem fiunt, si quidem ad præcordia, & cor tenderint. Aquam mulsam aquosam facito, & Aceti tribus heminis affusis tepidam bibendam dato, & vbi modico tempore ipsum retinuerit, & igne, ac vestibus concalefactus fuerit, vomat.* & de inter. aff. num. 13. in 3. tabis specie. *Aqua tepidæ poculo magno super ingesto vomat, irritatione per pennam facta.* & 1. de morb. mul. nu. 101. Mulsam tepidam pro vomitu, ad conceptum. & de affect. num. 21. Vinum cum tepida aqua. & de int. affect. num. 7. in Pulmonis inflammatione bibendam dat mixturam tepidam, vti etiam. num. 30. in morbo hepati-
Celsus. co. Hippocratem sequitur Celsus dum lib. 1. cap. 3. scripsit. *Qui vomere post cibum volet, si ex facili facit, aquam tantum tepidam ante debet assumere. si difficilius; aquæ, vel salis, vel mellis paulum adijcere. At qui mane vomiturus est, ante bibere mulsam, vel Hyssopum, aut esse radiculam debet. deinde aquam tepidam, vt supra scriptum est, bibere.* & lib. 3. cap. 6. & 12. in febre pro concitando Vomitu aqua tepida vti-
Dioscorides. tur. Dioscorides autem ad Cerussam epotam. *Humorem quem Vlmi folia reddiderunt, cum*
Aetius. *tepida aqua, vt Vomat,* exhibet. sic Aetius.
Paulus. ser. 3. cap. 119. & Paulus lib. 7. c. 10. post Ra-
Alexander. phanum deuoratum iubent *aquã tepidam* bibendam esse, deinde digitis, aut pennis in os im-
Aretæus missis vomendum. idem Paulus. lib. 3. c. 39. ad
Aetius. choleram. idem repetit: similiter ad eumdem
C. Aurelianus. morbum agit Alexander lib. 7. cap. 16. Aræteus lib. 6. cap. 4. Aetius lib. 9. Erasistratus libro sa-
Oribasius. lubrium. apud C. Aurelianum acut. Morb. lib. 3. cap. vltimo. Præterea Oribasius 8. Collect.
Gal. cap. 22. ex Diocle. à cæna propinat tepidum
Alexander. dilutum Cucumerum pro leui vomitorio. & Gal. 3. de facile parab. c. 76. Aphronitrum album in aquam tepidam conijcit, & oleo adiecto potandum dat ad Vomitum. præterea Alex. Trallianus lib. & c. 7. ad cibi fastidium, & alibi. tepidam laudat. sed lib. 12. c. 6. ad Tertianam post balneum iubet, vt aquæ tepidæ quantum velit, pauco spatio interposito bibat; *nam à potione sudores copiosos effundi videbis: interim verò etiam bilem per Vomitum reijci, vt æger quam primum ex ijs, quæ superueniebant, morbo fuerit liberatus.* Deinde ait. *Cæterum aquam tepidam non modo semel; sed etiam bis, & frequenter dare expedit, & nihil metuere, in hoc namq; morbo aqua tepida maximum est præsidium. Tentabimus autem in declinatione potus exhibere, & ante accessionem, interim verò etiam in accessione.* mox subdit. *Noui igitur ego in his, qui immoderatè roduntur, tepidam meaquam propinasse, deinde vomitu oborto, & bile copiosissima excreta, istorum beneficio accessionem conquieuisse.* Hactenus Antiquos tepidæ vsos ad Vomitum prouocandum ostendimus Arabes, & Neotericos eandem adhibentes enumerare superfluum duco.

Sed Quæri posset, quæ Vomitui præstantior sit Aqua, tepida nè, an calida, vel frigida. Certè Hip. 3. acut. com. tex. 29. de Oximellite ait. *Quæsitu.*
per quam tepidum dabis. forsan intelligens egelidum. Et Gal. in com. ait. reprobari frigidum in morbis pectoris, *& frigidum coctioni obesse: calidum verò opitulari quidem coctioni: sed ob morbi malignitatem periculum imminere, ne cruda persistens affectio, sitim augeat, sputum viscosius fiat. tepidum autem, quod est exactè medium inter calidum, & frigidum, effugit læsionem calidi, & frigidi.* quibus verbis Galenus tepidam potionem laudare videtur tanquam minus noxiam. Nec è contra Valesius in comm. scripsit. *Quæ propter ventrem, aut hepar, aut venas accipiuntur, largiter epota, frigida, aut calida prosunt magis, quia affatim in ipsum ventrem incidunt, tepida vero eum debilitant, quæ verò propter thoracis partes paulatim accepta, & tepida, quia linctu melius feruntur in pulmonem, quem tepor emollit, laxatq;* nos autem aduertemus hic non sermonem fieri de Vomitu à tepida; sed de relaxatione thoracis, quare nihil ad nostrum quæsitum facit.

Dicendum ergo nulli dubium esse, quin tepida ad Vomitum sit magis apta: tepiditas enim illa per se nauseam excitat. namq; Ventriculum laxat, atq; debilitat; facultatem scilicet retentricem, ob humectationem penetrantem, soluentemuè robur villorum retentricæ inseruientium, relaxat. Neque internus solummodo rei assumptæ tepor calidum naturale resoluit. sed ab extra quoquè naturale partium robur tepida applicata resoluunt, naturalem calorem expellunt, & partes principes relaxant. immo omnia etiam inanimata in aere tepido, minime autem in frigido, vel valde calido, corrumpuntur, atq; putrescunt. Vnde Aristoteles. sect. 11. prob. 56. *Æstate, inquit, calores, teporesq; corpora resoluunt, atq; relaxant.* & sect. 24 prob. 14. scripsit. *Aqua & frigida, & calida ex igne balneum præstat commodum. at quæ sub Sole tepuerit, ob sui caloris imbecillitatem, præbere illorum neutrum habet, sed humificat tantum, perinde ac Luna,* quod confirmauit Galenus 8. meth. cap. 5. ad Ephemeram ex cruditate, & cum ipso Aetius. ser. 5. c. 68. dum scripserunt. *Esto abunde calens talium*

Solutio.
tepida resoluit.
Arist.
Galenus.
Aetius.

talium quodque cum primum imponitur, quippe qua tepida sunt omnia ventriculi firmitudinem dissoluunt. nec dissensit Auicenna, qui 1. 4. trac. 1. c. 26. ad Ephemeram ab euacuatione. *Ponantur,* inquit, *super stomachum Emplastra, & Embroche confortantia calefacta non tepefacta. Nam omne tepidum est mollificatiuum, & resoluit virtutem*, cui subscribunt Fuchsius de Ephemera à cruditate, & alij. immo Aetius etiam in febre ardente ad mitigandum calorem pectori, & stomacho linteos hidrelæo calido imbutos imponit. dicens, *oportere abunde calidum esse; nam tepida partium firmitatem exoluunt.* præterea Galenus 3. de comp. med. p. g. c. 2. in neruis vulneratis ait. *Ego fomentum ex Oleo satis calente vsurpare malui, tepidum semper vitans, adhuc autem magis frigidum.* Hinc Siluius 2. de comp. med. c. 3. *fotus ex aqua tepida neruis noxius lib. 6. meth. quia eorum substantia, & aliarum partium neruosarum à frigido concretum dissoluit. Ventriculum item ratione eadem tepida euertit, vomitumq; ciet.* relaxat igitur tepidum omne omnia viscera, præsertim verò Ventriculum, & præcipue ipsius os, vt pote debiliorem eiusdem Ventriculi partem, hinc vomitus facilis à potu tepidæ aquæ. Contra verò aqua summe calida, siue potu, siue extra applicata minus relaxat, immo potius, quam corporum tangit superficiem, densare videtur. Vnde Hippocrates, 2. de Diæta. num. 25. *etiam caliditatis excessus humiditatem in corpore congelant, in tantum vt diffundi nequeant.* à quo non videtur dissentire Gal. 3. de san. tu. c. 3. de aquis scribens. *quod si iusto calidiores fiant, calida quidem vtique; sed non perinde humida: quippe horrere, & densari eorum meatus cogunt, ita vt nec madescere ab humore extrinsecus accedente possint.* videtur igitur quod aqua calida exiccat, & densat poros, ac quasi astat superficiem, quam tangit, vnde non relaxatur. quod autem frigidum denset, & non relaxet probatione non eget, ergo tepida sola relaxabit. Quo circa patet tepidam aquam nunquam esse salubrem, nunquam suauem, & gratam, semper autem vomitiuam tum rationibus, & auctoritatib. adductis, tum maxime, quia Veteres calidæ aquæ vino admistæ potu summe delectatos fuisse satis constat, & nunc etiam Iaponicis in vsu esse. frigidissima vero aqua, & Vino nostri mirè oblectantur, tepida autem nulli vnquam pro potu placuit, nec suauitatem potanti vllam affert.

Quare concludemus Aquam tepidam ad Vomitum excitandum calida, vel frigida aptiorem esse. ipsumq; ventriculum magis relaxare: vnde ab aqua tepida fortius vomitorium, & diutius perdurans erit, quam ab aqua calida; Verum calida facilius eiicit ventriculum, minus autem frigida.

Aduertendum autem prædictas tres qualitates aquæ exemplo propositas maximæ esse in Medicina considerationis, quum nullum medicamentum, nec intus, nec extra adhiberi queat, quod non sit vel calidum, vel frigidum, vel tepidum, siue enim pharmaca sint deiectoria, siue adstringentia, siue alterantia. pariter si vel erunt clysteres, Epithemata, fomenta, &c. potio enim frigida minus quidem vomitur, tardius tamen operatur. vt in Sicilia obseruamus, vbi multi deiectoria actu frigida absorbent. quod conceditur, quia Regio calida, & temperamentum calidum Ventriculum laxant, & ad Vomitum pronum reddunt. clysteres frigidi facile, & diutius retinentur expultrice sopita. frigidis etiam fomentis Hippocrates vtebatur. Calida autem potio vt & frigidissima, in delitijs fuit, calida deiectoria bene retinentur, & cito in actum deducuntur. calidi Clysteres confortant, vt non vrant, & cito excernuntur. calida fomenta maximè probantur, etiam in febribus roborant, & densant superficiem. Deniq; tepida potio vomitu reijcitur. tepidi clysteres debilitant intestina, laxa reddunt, diutius retinentur. & tepida fomenta relaxantia partes à Gal. Aetio, Paulo, & alijs improbantur, ita enim deiectorium quandoq; fit Vomitorium, si quando tepidum potatum os Ventriculi relaxauit; nam quotiescumq; Ventriculus à vi Medicamenti purgante vexatus ad expulsionem insurgit, ad partem magis laxam materia vergit, sic vomitus insequitur. è contra Vomitorium frigidum potum, fit deiectorium, quia in primo ingressu sua actuali frigiditate os ventriculi superius densauit, ac roborauit; vnde postea expulsio per pilorum facilior succedit.

Quare pueri è tepido lacte non continuo vomunt? an quia cum sint calidissimi, & paulo ante calido vtero egressi, lactis tepor in ipsis valet, vt in nobis frigus. An quia ab assuetis non fit passio? An etiam quia pueri egent tepore relaxante, vt partes maneant laxæ, & carnes raræ nutrimentum, & augmentum suscipiant, videmus tamen pueros lactantes sæpe, & facillime vomentes, forsan aliud lac alio tepidius est? tepor enim lactis ex Oribasio magis, & minus intensus.

Igitur quotiescunque excitandus erit leuis vomitus, vt abluatur tantum ventriculus, atq; à materia contenta expurgetur. vel vt vomitorium assumptum citius operetur, atq; vt Ventriculi os densum relaxetur, aperiaturq; vt in febribus quibusuis, in doloribus ventris, renum, hypocondriorum, capitis per consensum cum ventriculo, in cruditate ciborum in Ventriculo existente, in singultu, in flatibus intestinorum, in venenis assumptis, item ab accepto Vomitorio, vel tarde, vel difficulter, & molestè operante vomendum erit ex aqua tepida ingesta.

Copiosa autem debet esse tepidæ potio, non tamen necesse est vt tanta sit, quanta debet esse frigida; nam facilius vomitu reijcitur tepida, quam frigida. Profectò Hipp. de affec. num. 15. paulo ante citato. trium heminarum mensura, dedisse videtur. quamuis litteralis sensus aceti dosim præscribi appareat, hæc enim nimia esset. etenim Aquæ hemina vncias nouem explet, prout habet Dioscorides. quia xxvij. vnciæ essent

Aceti,

Margin notes (left): Auicenna. / Fuchsi. / Aetius. / Galenus. / Syluius. / Aqua calida roborat. / Hippo. / Galenus. / Aqua frigida densat. / Aqua tepida Vomitoria. / Admonitio pro praxi.

Margin notes (right): deiectorium cur fiat Vomitorium. / problema. / solutio. / quid agendum. / quantum.

Aceti, quod est absurdum. quare dicendum potius totam potionem Hippocratis decreto, trium heminarum mensura esse debere, acetum autem ad gratam aciditatem, & potabilem admiscendum esse. quo patet errare neotericos, qui aquæ tepidæ vncias sex satis esse censent.

Quando. Quum Vomitus indicatur danda est tepida aqua, tam ante accessionem, quam in ea, vel post eam in interuallo, dummodo adsit præsentia materiæ in Ventriculo contentæ, quæ sui expulsionem indicet, & ipsius Ventriculi ablutionem. At dices ex Hipp. in accessionibus abstinendum. ergo tunc non danda tepida. Respondet Alexander loc. supra citato. Hoc verum esse cum nihil vrget. sed frequenter cogimur propter causam vrgentem, non tepidam modo aquam: sed etiam cibum in ipsa accessione offerre. in illis autem hoc agendum est, qui immoderatum stomachi habitum, & virium imbecillitatem habent, vt insultus magnitudinem ferre nequeant; sed Syncopen minetur.

quoties. Et si opus erit post Vomitum iterum aqua tepida potanda bis, & ter, donec omnino sit ablutus, & expurgatus ventriculus; poterit etiam, si opus fuerit, pluribus diebus tepida potio reiterari.

quomodo. Hic erit aduertendum, quod harum trium qualitatum nempe frigidæ, tepidæ, & calidæ, plures vnaquęq; habet gradus. calida enim, vel feruens, vel potabilis. frigida autem, vel simplex, vel gelida. quæ autem nec calida, nec frigida dici meretur, hæc temperata, & tepida dicetur. & in quinque differentias Herodotus apud Oribasium 5. lib. collec. c. 30. distinxit. primo in tepidam, lacteam, & egelidam, deinde subdiuisit lacteam in intensam, exactam, & remissam. *tepidam* vocans, quæ temperata est ex quinque Cyathis aquę calidæ potabilis, & vno frigidæ. *egelidam* contra, quæ ex quinque aquę frigidæ cyathis, & vno calidæ constat. lactea verò exacte, quæ temperatur ex tribus cyathis aquæ calidæ, & tribus frigidæ. ita exactè temperata erit. lactea vero intensa commixtis quatuor calidæ cyathis, & frigidæ duobus componitur. iterum lactea remissa constabit ex quatuor frigidæ partibus, & calidæ duabus. qui tepidæ gradus magis, & minus intensi, magis etiam, & minus sunt vomitorij.

vbi agendum. Locus vsus per se patet.

De Vomitorijs abstergentibus. Cap. X.

NOn solum intestina à crassis, & viscidis excrementis abstergentium medicamentorum ope expurgantur; verum etiam partes externæ à surdibus tenaciter adhærentibus liberantur, Ventriculus autem intestinorum veluti principium; & pars superior à tenacibus humoribus eidem valide adhærentibus, per Vomitum abstergentium pharmacorum auxilio, perbelle expurgatur, & mundatur nulla ad Ventriculum facta tractione, nulla relicta noxa. quare maximi facienda erunt medicamenta sua abstergendi vi, ad Vomitum ciendum inseruientia.

Abstergentium facultas

Sed ante quam vlterius progrediamur, quæ differentia sit inter tergentia, detergentia, extergentia, & abstergentia considerandum erit. dubitandi enim occasio à Veccherio in pract. generali. lib. 4. c. 31. desumpta est. vbi *Abstergentia medicamenta*, inquit, *calida, crassarumq; partium esse debent, cuiusmodi sunt omnia amara, vel nitrosa, quæ crasso, viscosoq; humores abstergere valent. detergentia verò non poros purgant; sed tantum cutis, vel vlcerum sordes, huius generis sunt amara, & dulcia quædam, quæ tenuium sunt partium.* ita ergo Abstergentia erunt crassarum partium, detergentia verò tenuium. *dubitatio ex Vecchero.*

Errata Vecchery. Verum multipliceter errasse Veccherus mihi videtur. namq; apud latinos auctores eadem sunt omnino abstergentia, detergentia, extergentia, & tergentia. quum sint composita à verbo tergo, vel tergeo, & Græcè dicantur ῥυπτικά, & licet legam apud Catonem de re rust. *Salem omnino detergito, & suspendito in ventum biduum, tertio extergito.* non intelligo, vt differant, & hæc quidem abstergentia lentos, & glutinosos humores in cutis superficie, vel in ipsius poris, vel in vlceribus adhærentes eluunt, atq; extergunt; immo etiam in internis visceribus stabulantes hæc ipsa illos prætereuntia rapiunt, secumquè deducunt. debent autem esse substantia haud viscosa, & crassa; sed tenui, nitrosa, & aliquantulum mordaci (ex Gal. 5. de simpl. med. fac. c. 12.) & vim habent exiccandi; nec refert calida sint, an frigida, neutra enim qualitas actionem impedit, nisi excesserit. siquidem tum calidis, tum frigidis humoribus apta, accommodataq; sunt, quod. vtrisq; lentor plerumq; sit. Nam multa frigida veluti Hordeum, Limonum succus, Acetum, spiritus Vitrioli, Cicorium, non minus detergunt, quam plurima calida, vti Absintium, Aphronitrum, Eruum, Iris, Mel, Nitrum, Saccharum, Vrticę semen, &c. quæ omnia cum sint tenuium partium inepte Veccherus scripsit. abstergentia debere esse, crassarum partium. dum autem scripsit *esse calida*, sibi metipsi contradicit: nam inter abstergentia Cucumerem satiuum, Equisetum, Glandes, Hordeum, Lambruscam, Nimpheam, Plantaginem, & Veneris vmbilicum enumerat; quæ frigida abstergentia sunt. *detergentia quænam.* *Vecchery contradictio.*

deobstruentia. Verum quidem est, quod *Abstergentia* sunt valde affinia *deobstruentibus*, ex Gal. 5. de simpl. med. fac. 12. & quasi sub eodem genere locata. scripsit enim quod *in ratione maioris, & minoris inter se differunt, substantia genere minime diuersa, tum emplastica, ab ijs, quæ sordes nutriunt, tum poros repurgantia ab extergentibus. Nam quæ in superficie sordem auferunt, siue in cute, siue in vlceribus ea extergentia, siue rhyptica, nominantur. Quæ verò poros etiam expurgant, ea subtiliorum his partium sunt, & Emplasticis*

fticis contraria, proinde pororum Ecphractica, quasi expurgantia, & farctu liberantia dicas, appellantur, sunt autem hæc tum nitrosa, tum amara. Sunt igitur Ecphractica validiora, tenuiora, amara, & nitrosa, aliquando habent etiam quandam adstrictionem admixtam: Rhyptica verò solam nitrosam qualitatem possideant exactam est opus ad sordes abstergendas. Quæcunq; vero, inquit Gal. repereris nitrosa, & amara; ea ad purgandos meatus omnes valere noueris, idest, tam intro, quam extra corpus adhibita. At cutis vniuersæ, ac vlcerum sordes non hæc tantum; sed viribus minora auferre possunt. qualia sunt dulcia, quæ tenuium sunt partium puta mel, & ex cerealibus seminibus quædam, vt Eruum, Faba, Hordeum, Lupini: quamquam in ipsis fabacea, hordeaceaq; farina tantum extergit, non etiam meatus farctu liberat: Erui autem, & lupinorum, potissimum si amara fuerint, supra quam quod extergunt, non nihil quoq; meatus purgare valent. At verò quę intra corpus assumuntur abstergentia, etiam si adiunctam habeant quandam astrictionem, possunt tamen sic quoq; magnos purgare, abstergereq; meatus, cuiusmodi sunt in vasis. Nam foris meatuum exiguitas prius ab astrictione occlusa, quàm probe queat expurgari, non etiam inde in altum abstergentem substantiam recipit, nec expurgatur: atq; circa ventrem sunt partes omnes, quæq; in iecinore, liene, alijsq; omnibus visceribus, cum maximos in se meatus habeant, maius accipiunt commodum ex vasorum corroboratione, quam propter osculorum exiguitatem lædantur. Proin intus Absinthium repurgare potest, foris non potest, quippe, quod compositum est, vt supra dixi ex amara, acerbaq; facultate. Verùm amara, & nitrosa omnia ad meatus expurgandos sunt apta. vnde Amigdalæ hæ, quæ amaræ sunt, & detergunt, & meatus expurgant, quæ verò edendo sunt, detergunt quidem, non tamen infarctu liberant. Quin & Vrticæ semen, non secus, atq; Eruum, Amigdalaq; amara, meatus purgant. Ex eodem genere scilicet sunt Scilla, & iris, & quæcumq; alia vincentem in se qualitatem amaram possident. Si quidem Nitrum ipsum per se, & Aphronitrum, & Seriphon, & Abrotonum, & id genus reliqua cum cibo, potuq; assumpta eandem vim obtinent. Protinus enim his inest, vt crassos, lentosq; humores extenuandi vim obtineant. hactenus Galenus ex quo perbelle didicimus qualiter à deobstruentibus, seu Ecphracticis abstergentia differant. Vecchetus autem ista deobstruentia vocauit abstergentia. c. 31. deinde c. 39. de veris abstergentibus agit mutato nomine vocans detergentia.

Galenica doctrina.

Galenus contra Vecchetium.

Sunt igitur abstergentia ad tergendum ventriculum apta, atq; ab eo humores viscidos separandum; nam crassi incidentibus egent: ita autem detersa ventriculo adhærente materia, facilè postea expultrix irritata per vomitum educere eam valebit, etiamsi abstergentia ipsa per se quidem non sint propriè vomitoria; sed solummodo ex accidenti, & irritatione facta; sæpe autem detergentibus abluentia miscentur summa cum ventriculi vtilitate, & commodo. Porrò nos de omnibus abstergentibus, quæ ad vomitum abstersiuum excitandum Medicis in vsu esse solent acturi, incipere à leuioribus, & gradatim ad fortiora ascendere vellemus. Verum quia difficillimum penitùs est, gradus exactè determinare à detergentium natura, cum experimentum fallax reddatur ob diuersam patientis naturam. Quum præsertim detergentia omnia in vniuersum per se leuia vomitoria sint. Quare ordinem Alphabeticum sequemur.

Abstergentium vtilitas.

De Aceto. Cap. XI.

INeptum sanè non paucis videbitur, Acetum ad Vomitum excitandum hic proponi. Siquidem scripsit Dios. lib. 6. *Acetum refrigerat, adstringit, stomacho vtile, appetentiam excitat, erumpentem vndecunq; sanguinem, potu; insessuuè sistit: prodest alui fluxionibus coctum cum cibis.* & Hipp. 2. de Dieta num. 13. *Acetum frigefacit, quia colliquans, humiditatem in corpore consumit, sistit autem magis, quàm mouet aluum, quia non alit, & acre est.* Adstringendi autem vim habere patet, quia Hipp. 2. de Morb. mul. 5. ad fluxum vteri decoquit Oleæ siluestris folia, vel Rhoen rubrum in aceto acerrimo, & pudenda perluit. & num. 7. suffitus ex Aceto. & 2. de morbis. 20. ad Cerebrum corruptum *si sanguinem vomat,* inquit, *aut è naribus fundat acetum album aquosum bibendum dato:* Galenus autem 1. de Aliment. fac. c. 1. *aliquid eorum* scripsit, *quæ aluum modicè sistunt inijcito (puta acetum) ea mensura; vt gustum non offendat: ita enim iucundissimum, atq; vtilissimum effeceris pharmacum, & cibum non paucis, qui diuturna diarrhœa conflictantur:* & 1. de simpl. med. fac: 18. *Acetum haud perinde, vt crustam facientia medicamenta: sed potius vt adstringentia, & refrigerantia, extra crustam, sanguinis fluores cohibet. itaq; hac quidem ratione non excalefacere; sed refrigerare putetur.* Præterea C. Aurelianus, C. Celsus, Scribonius, Gariopontus, Aretæus, Marcellus Empiricus, Plinius, Aetius, P. Ægineta, Oribasius, Actuarius, Trallianus, atq; Auicenna Acetum constringere fatentur, quibus Neoterici plurimi adstipulantur, vt diximus Epistol. 2. decadis 1. Quare cum impossibile videatur, quod adstringentia, quæ vomitum prohibere apta sunt, Ventriculum relaxent, vomitumq; procurent, impossibile etiam videbitur Acetum tale existens Vomitum concitare posse.

Acetum adstringit.

Hippocr.

Galenus.

Medici antiqui.

Contra tamen est, quia Hipp. Aceto ad Vomitum ciendum vsum fuisse claré constat. nam de affect. 15. *Quicunq; verò alij dolores in æstate circa ventrem fiunt, si quidem ad præcordia, & cor tenderint, aquam mulsam aquosam facito, &*

Acetum vomitiuum.

aceti tribus heminis affusis tepidam bibendam dato,& vbi modico tempore ipsam retinuerit, & igne, ac vestibus concalefactus fuerit, vomat. Si verò à vomitu rursus accesserint, ac suffocauerint, rursus vomitum faciat. & de inter. affec. 30. ad morbum hepaticum ab atra bile. *Si verò etiam suffocatio accesserit, hæc dare oportet, quo vomat; Mel, aquam, acetum, salem, permista in ollam nouam infundito; deinde tepefacito,& Origani capitati ramulis vnà cum semine agitato. vbi vero tepefacta fuerint tepida ebibenda dato.* & de Nat. Mulier. 4. si vteri prodierint. *bibens aquam Lentium, & mel, & Acetum donec vteri fuerint eleuati, vomat.* & 1. de Mor. mul. 123. ad purgandas steriles. *Vbi Lenticula decoctum, & Mel, & Acetum mixta bibit, vomat.* 2. de mor. mul. 40. si quid ex osculis vteri complicatum fuerit. *vomat à lentis decocto, Melle, & Aceto admixto.* & de sterilibus. 27. si vteri extra naturam progressi fuerint. *Aquam Lentium bibens Melle, & Aceto ammistis vomat donec vteri fuerint retracti.* & 7. Epid. 53. Epicharmi filio. *vbi aquam, acetum, salem bibisset, euomuit pituitam.* & hoc fuit Hippocratis vomitorium leue, sed non ex simplici Aceto.

Hippoc.

At merum Acetum pro vomitorio alij vsurparunt, vt Dioscorides lib. 5. *Acetum calidum,* inquiens, *potum, atq; vomitionibus redditum, aduersus omnia venena efficax est, præsertim contra Meconium, & haustam Cicutam, conglobatum in ventre Sanguinem, Lac coagulatum, Fungos, Ixiam, Taxumq; cum sale.* & lib. 6. cap. 17. ad Meconium laudat *calidum per sese Acetum.* & eodem modo præbet ad Ixiam. Galenus autem 2. de Antid. 7. ex Asclepiade. *Taurino sanguine epoto remedium est Acetum bibere, & vomere.* Scio quidem Dioscoridem lib. 6. cap. 15. de sanguine Taurino contrarium scripsisse, dum ait. *Vomitum vitabimus: sanguinis enim globi attractu illo in sublime relati, magis gula inculcantur. Dari ergo opus est, quæ concretum sanguinem discutiunt, & aluum subducunt.* sed an, quando, & quomodo sit prouocandus vomitus in tali casu definire non est huius loci, sed libro octauo huius operis discutietur.

Dioscorides. *Asclepiades.* *oppositio Gal. & Dioscoridis.*

Nos autem, vt exacte cognoscamus, an possit, & debeat Aceto epoto Vomitus prouocari; Aceti qualitates præscire debemus; de quo ipsi quidem multa in dubitationibus de Vitrioli spiritu, & prima epistolarum decade scripsimus, vbi frigidum, siccum, & acidum statuimus, nullo modo adstringens; sed densans, quid autem sit densare, Epist. 2. pag. 26 & Epist. 3. pag. 80. clarè explicauimus. ex Galeno autem de attenuante victus ratione incidit, & attenuat, præterea digerit, seu discutit, reprimit, seu repellit tenuium est partium, & penetrans, congelatum sanguinem dissoluit: Venenis aduersatur etiam ex Hipp. 6. in 6. Epid. tex. 5. vbi Galenus in com. ait. *Acetum verò vt glutinosos, quales fungorum esu creantur, succos dissecet, vel etiam refrigerandi causa, sicut aduersus Tapsiam requiritur.* præterea biliosis vtile, melancholicis aduersum est, neruos debilitat, vlceribus, & cuti mordax est, & corrodens. Notandum autem quandoq; exhiberi Acetum purum, quandoque verò aqua dilutum, quam mixturam Græci *Oxicratum*, latini *Poscam* dicunt. hæc sitim maximè extinguit, refrigerat, densat, non mordicat, repellit, tenuat, incidit, & vlcera glutinat.

Aceti qualitates. *Galenus.* *Posca.*

Porro hic aptus videtur locus (ad hoc vt Aceti facultas exactius noscatur) explicandi Hippocratis verba 3. Acut. tex. 38. quum ait, *Vt autem in summa dicatur, quæ ab aceto est acuties picrocolis magis, quam melancholicis prodest: amara siquidem dissoluuntur; desiccantur, in pituitam, cum ab aceto in sublime attolluntur, nigra autem fermentantur, attolluntur, & multiplicantur, nempe atra educit acetum, &c.*

Hippocratis textus explicatus.

Quæ ab Aceto est acuties. ἡ ἀπὸ ὄξεος ὀξύτης. hoc verbum ὀξύτητος variè varij interpretantur, cum autem hæc qualitas illa sit, per quam agit Acetum, optime erit prænoscenda. *Acredinem* interpretatus fuit Io. Vasseus, quem sequutus est Brasauola, & vere quidem Acetum acre videtur dicendum. Nam Hipp. 2. de Morb. in Erisipel. pulm. num. 53. ὄξος ὡς ὀξύτατον. *Aceti quam acerrimi.* vertunt Fœsius, & Caluus. vertissem ego *acutissimi.* sed Celsus lib. 4. agens de difficultate respirandi. *Acetum acerrimum* requirit, & C. Aurelianus 2. Cronic. cap. 13. vult *Acetum acerrimum* temperandum aqua. pariter Archigenes apud Gal. 8. de comp. med. 2. loc. cap. 4. Acerrimum acetum laudauit. Præterea Matthiolus. *Acetum vetustate fieri acerrimum, & calidum.* scripsit. Cornarus autem sic vertit. *Acredines, siue acriditates ex Aceto.* quæ versio à superiore non multum differre videtur. Fœsius, & Valesius *Aciditates ex Aceto* interpretati sunt. *Aciditas* Mercurialis. quo etiam modo verti posse Brasauola fatetur. Caluus *Aceti acumen* vertit. Nos posuimus *Acutiem* quum enim vox ὀξύτης (acumen, & acies dicitur à lexicis) deriuetur ab acuto, quod ὀξὺ dicitur. nil aliud, quàm quid acutum indicare poterit, quæ qualitas in sapore, *mordax, & mordacitas* indicari, licet. ipse enim Hipp. 2. de Diæta num. 13. Acetum scribit esse δριμὺ, & licet Cornarus acre vertat. tamen proprie loquendo *mordax* verti debet. quæ qualitas acri, amaro, & acido communis est. ex Galeno 4. de simpl. m. f. 17. cum igitur mordacitas sit nomen pluribus commune, malefaciunt, qui acre vertunt. est igitur Acetum mordax, linguam pungens, ac si fuerit res acuta. ista ergo mordicatio aceti, quæ ab omnibus degustantibus sentitur, sensumq; afficit, hic ab Hipp. proponitur. cum vero tribus conueniat hic amaro non aptari satis est notum. an autem ab acrimonia, vel ab aciditate proueniat, dubitari potest. Sed dubitationem soluit Galenus loco mox citato. inquiens. *Mordicationem fieri ab acido, vt frigidum simul, & subtile est, ab acri verò, vt calidum.*

Aceti aciditas *Interpretatio varia.* *Acetum mordax.* *Galenus*

fidum. Verum quia Acetum nullo pacto est calidum, sed frigidum, & subtile (vt probauimus. dec. 1. Epist. 3. ex Hipp. Diosc. Galeno ipso, & alijs. mordicatio, quæ est ab Aceto, erit ab eo, veluti acido. vnde illa Aceti acuties, & mordicatio, de qua loquitur Hippocrates, optime vertì potest *aciditas*. cum Valesio, & Mercuriali.

Obiectio. At forte dices Hipp. scripsit *aciditates*, non autem *aciditatem*. quia duo sunt mordacitates in Aceto, vt explicauit Galenus ab acri, & ab acido. At Græcorum mos est quandoq; abuti numeris, & plurale pro singulari ponere. ideo Vassens, Caluus, Fœsius, & Valesius verbum *confert* singulariter proferunt, non vt in Græco. hic dicendo *mordicationes* intelligit punctiones, sapor enim mordax quasi per plures puncturas mordet partem sensitiuam; vnde dixit Hipp. mordacitates. quia in mordicando intermissa fit actio, non vnica continuata. vnde plures videntur, non vna aciditas, & mordacitas. Quare qui *acredinem* vertunt improprie loquuntur, & tunc vocem acris, pro mordaci sumunt. vt in Dodecaporio, & in Epistolis declarauimus. est igitur mordacitas ab aciditate Aceti, quæ operatur ex Hipp. ij verò, qui *Acetum acerrimum* vocant, intelligunt mordacissimum, & acidissimum, non autem acre, & calidum. & alibi diximus deceptum fuisse Matthiolum acetum *vetus acidissimum* calidum esse pronuncians.

Hipp. textus conuersus. *Picrocolis magis, quam melancholicis prodest.* ex Vasseo. at Caluus vertit. *Amarebiliosis, picrocolisuè, quam atrabiliosis, melancholicisuè confert*. deinde Valesius, & Fœsius. *biliosis naturis magis confert, quam melancholicis*. Cornarus verò. *amara bile abundantibus magis conferunt, quàm atrabiliarijs*. Græce est πικροχόλοισι μᾶλλον, ἢ μελαγχολικοῖσι ξυμφέρει hic autem

Dubitatio. dubitari posse videtur, an natura biliosa differat ab amara biliosa. si quidem si non differrent, satis fuisset Hippocrati scribere *biliosis*, seu χολώδεσι, absq; additione amari. scripsit enim Gal. 3. de victu acut. 1. de Nat. hum. & alibi. per simplicem bilis vocem flauam bilem intelligi. atram verò semper cum additione denotari. at nonne omnis flaua bilis est amara? ergo superfluus fuit Hipp.

Solutio 1. Respondeo primo, Hippocratem non fuisse superfluum. nam Picrocoli à biliosis differre possunt secundum maiorem ipsius bilis amaritudinem, minime sanè implicat alteram bilis speciem altera amariorem existere. fortassis enim flaua bilis sincerissima omnium est amarissima. pallida vero, & naturalis bilis, quæ sanguini est commista, valde amara non est, ipsum enim nimis inficeret. bilis autem exusta, quæ ab Auicenna vocatur minoris famæ, ad melancholiam accedere videtur, admixtumq; habere acidum, & acrem saporem. sic bilis dicta vitellina, quæ pituitæ crassæ mixtura fieri creditur, minus erit amara. Porracea, & æruginosa bilis in Ventriculo genita valde amara non erit, quia parum deusta. deniq; in venis genita, quia nimis exusta, acris potius erit. igitur per Picrocolos, abundantes bile præter naturam, quæ est omnium amarissima, intelligere fas erit.

Solutio 2. Respondeo secundo, ob maiorem bilis copiam picrocolos à simpliciter biliosis distingui. Galenus enim quotiescunq; hoc Hipp. verbum exponit, semper plurimam adesse bilem refert. vt lib. de fract. 3. com. 49. ait. *Quanam igitur ratione nunc picrocolis exhibet, nisi scilicet picrocolos alios esse, quam biliosos existimet? sed quod eos, qui plurimam bilem flauam coaceruant, picrocolos appellat, nemo est, qui nesciat*,

Solutio 3. Respondeo tertio, Picrocolos non solum esse illos, qui multam bilem in ventriculo congerunt, qui quia facile amaritiem ore sentiunt; ideo amara bile abundantes dicuntur. sed duplex etiam genus esse Picrocholorum, *superius, & inferius*. ἄνω, ἢ κάτω. Nam Hippocrates 2. de victu acut. com. 39. scripsit, πικρόχολοι τὰ ἄνω. & Galenus in com. quærit. *Cur autem non simpliciter* οἱ πικρόχολοι; *sed addit* τὰ ἄνω? *Nempe quod bile flaua, quam & pallidam, & amaram nominant, in superiore ventriculo innatante, eos iure optimo superioribus partibus picrocolos dicimus. Cum vero per sedem subit, picrocolos partibus inferioribus vocamus*. cum igitur duo sint Picrocholorum genera, quando Hipp. voluit picrocholos supra denotare addidit τὰ ἄνω. picrocolos autem infra simpliciter nominat. species enim contrarias vni tantum parti addito cognomine distingere solet Hippocrates, vt Elleboro nigrum addit ad differentiam albi. hic ergo, quia non distinguit, picrocolos infra intelligit. adde quia tex. 36. ramenta facere dixerat.

Solutio 4. Respondeo quarto, distinctionis gratia, ita loquutum fuisse Hippocratem. cum enim esset acturus de Aceti vi in duplicem bilem, aliam oportuit vocare amaram scribens πικρά, aliam verò nigram scribens μέλαινα, ita eos, quorum venter, vel intestina amara bile abundant Picrocholos vocauit, sic Gal. 2. acut. 29. *Paulo rhetori, qui toto corporis habitu pituitosus erat, diebus singulis supernatabat flaua bilis, primamq; ipsam vomebat à lauacro, non paucam, Eudemo autem philosopho, qui temperamento biliosus erat per sedem demittebatur, raroq; is pallidam vomebat bilem*.

Textus Hipp. *Magis conferunt*. μᾶλλον ξυμφέρει. magis, & minus non variant speciem; sunt enim in eodem prædicamento. si igitur acetum confert magis biliosis, quam Melancholicis. è contra conferet minus melancholicis, quàm biliosis: sed parum, vel minus conferre in comparatione ad alterum. non significat contrarietatem affirmandi, & negandi, nec nocumentum; sed vtilitatem, & conferentiam omnino, quæ quidem licet per se magna esse possit, alterius tamen respectu, quia minor est, parua dicetur. Quum igitur Hippocrates comparatiue non autem oppositiue his loquatur, omnibus biliosis; sed magis

 amara,

amara, minus nigra abundantibus conferre. non debet interpretari, quod amaræ bili conferre, nigræ verò nocere, velit. Quare Hippocratis mentem non videtur assequutus fuisse Galenus. dum scripsit *biliosis idoneum esse Acetum, quod Melancholicis aduersissimum existat*. picrocolis tantum conferre ratus. At, breuis esse cupiens mistica Hippocratis verba haud exactè considerauit. Brasauola autem in comm. à Galeno non dissentit, immo respondens obiectioni. cur dixerit, conferre magis Picrocolis, quam atrabilarijs, ait. *Quia nonnunquam posset, & atrabilarijs conferre, quando est atrabilis ex adustione bilis*, quæ inualida sunt, etenim scripsit Hippocrates *magis*, & subintelligitur *minus*, nec voluit id aliquando accidere; sed semper, nam praua esset eius doctrina de aliquando contingentibus. Peiùs Valesius Galeno nimis addictus hunc locum interpretatur, scripsit enim, quod *Hippocrates de Aceto dixerit, dicens biliosis magis, quam melancholicis conferre, non autem quod vtrisq; conferat, & his minus, vt hæc oratio videbatur innuere; sed quod illis vtile, his noxium sit*. hic profectò non vult Hippocratem interpretari, vt verba sonant; sed vt imperauit Galenus. mihi quidem non est modo ad manus exemplum, in quo Hipp. aduerbia magis, & minus pro vere oppositis ponat. & licet in hoc libro sæpissime comparatiue loquatur verbis vtens *magis*, & *minus*, nullibi tamen oppositiue intelligi potest. vti com. 3. tex. 2. *Vinum dulce vinoso minus caput grauat*. & tex. 10. *Mulsa siticulosa minus, quam dulce vinum*. & tex. 13. *Mulsa aquosior sputum educit magis*. Quando verò Hippocrates loquitur oppositiue alijs vtitur verbis. vt tex. 44. de Balneo ait. *in plerisque morbis confert, in his quidem perpetuo, in alijs verò non. estq; quando minus vtendum sit*. vbi priùs oppositiue loquitur. deinde comparatiuè, quando ait minus. ita vt illud *minus* sit medium inter conferre, & distinctum ab eo *non*. Nos quidem, qui Hippocratici interpretis munere fungimur, nullis fidimus interpretibus: sed Hippocratem per Hippocratem interpretari conamur.

Galenus notatur.

Acetum confert Melancholicis.

Valesius notatur.

magis, et minus apud Hipp.

Quæres fortasse; verba fecit Hippocrates de biliosis, & de Melancholicis, quid de pituitosis? amara quidem mutari in pituitosa, seu pituitæ naturam adipisci, clare dixit. pituita autem non poterit in pituitam mutari. an cruda permanebit? an potius, nec magis, nec minus mutata, nullam percipiet conferentiam? certè quoad frigiditatem, Acetum frigidum pituitam frigidam magis congelabit, & corpus ad gignendam pituitam magis pronum reddet.

Quæsitū.

Respódeo hic loqui Hippocratem de acuitatibus, & mordacitatibus Aceti, idest, de vi incisiua, mordicat enim non vt calidum, vel frigidum; sed vt spirituosum, penetrans, ac pungens, veluti incidens subiectam materiam. vti enim flatus tum in Animantibus, tum sub terra, sub mari, inter nubes, ex puluere pyrio incluso, in dolijs musto feruente, in vasis Theriaca ebulliente, in Vitris chymicorum, dum spiritus metallici eliciuntur, in fructibus, vt castaneis, dum assantur, spiritus viam sibi faciens, penetrando, dissecando, incidendo, dolores pungitiuos parit, terræ motus, eiusq; scissuras facit, tempestates, tonitrua, ruinas minarum, eruptiones, fractiones, & similia producit. ita in pauca quidem copia, verum subtilissimus effectus, ob suam penetrandi vim, incidit, & tenuat crassa, & viscida, & ita mordicat. Nonnè Vinum respatitium pungit, mordet, ac quasi linguam incidit, & secat? non adepol vt frigidum, vel calidum; sed vt tenue, spirituosum, atq; penetrans. hac ergo ratione mordicabit acetum, & ob huiusmodi mordicationem biliosis magis, melancholicis minus, medio autem modo pituitosis conferet, incidendo nempe eius crassitiem. satis autem fuit breuiloquo Hippocrati denotasse extrema; quia medium, quod est tertium subintelligitur. Et quidem biliosa ita eneruat, amarumq; spiritum ita resoluit, vt eò priuata, pituitæ naturã remaneant. Pituita verò remanet quidem pituita, secundum primas qualitates non immuta; sed plurimum incisa, secundum alteras crassas, & eductioni prompta reddita apparet, vnde mediocrem conferentiam ab aceto pituitosi acquirunt. minus ab Aceto iuuantur Melancolici, licet enim nigra ab ipso educantur, fit tamen prius maxima fermentatio. vnde resoluto etiam acido spiritu, melancholia enervata, & pituitosior quasi remanet. Certe pituitam crassam, & viscidam incidit, & detergit acetum sua mordacitate; tenuem verò, quæ est veluti incisa, mordicatione quidem ipsam non afficit; sed partes corporis mordicando illas ad eandem pituitam expellendam incitat. Verum a pituita aceti mordacitas retunditur, spiritusq; acidus congelatur; vnde nec fermentatur, nec attollitur ab aceto pituita (nisi fuerit acida) sed dissoluitur solum, ac dissecatur. Exempla habemus in mixtura Aceti, & aquæ, quæ pituitæ tenuis naturam quodammodo representat, & nulla succe it fermentatio; mistura vero Aceti, & oui albuminis, quod pituitæ crassæ quodammodo assimilatur, sine vlla fermentatione fit viscididatis, quæ in albumine est, dissolutio. Sed aduertendum, quod Hipp. non dixit bilem, melancholiam, aut phlegma pati; sed amarum, idest sapores. illud enim, quod agit, est acidum, quod verò patitur neq; calidum, neq; frigidum; sed amarum, acre, acidum, &c. vt ait lib. de loc. in hom. Nigra autem à saporibus pati, non amplius dictum, quid enim colori cum sapore commune? an quia nigra esse acida solent, & simul acria, ideo nigra posuit ambas denotantia qualitates? & ita colorem pro colorato.

Respõsio.

mordacitas à quo.

quid Pituita ab aceto patiatur.

animaduersio.

obscuritas.

Amara dissoluuntur. τὰ μὲν γὰρ πικρὰ διαλύεται, & ita omnes interpretes. at Caluus *discutiuntur*. Verum Fœsius in Oecon. ab Hipp. corpora ab Austro dissolui, idest languida reddi, dictum fuisse ostendit. Dicemus nos compagem, ac substantiam solui, & in aliam transire

Hippocratis versio.

fire naturam, quia spiritus insiti resoluuntur mixtumq; idest bilem, deserunt. Vnde hæc dissoluta, suisq; priuata spiritibus, à quibus vires, ac motus, & quietis principium, idest propriam naturam, habebat, veluti corpus mortuum anima, atq; spiritu priuatum remanet: vnde non amplius bilis dici meretur: sed quodammodo pituita, non quidem exusta; sed similis humor excrementitius, sine vlla bilis vi. & ideo dixit in pituitosa mutari. non autem in pituitam.

Acetum an in bili agat. Volens enim Hippocrates ostendere, ob quam causam biliosis naturis Acetum conferat, id accidere nunc docet, quia sua mordaci, & incisiua aciditate bilem amaram ita dissoluit, & expugnat, vt ea languida facta, bilis naturam amittat, amissaq; amaritudine pituitæ potius insipidæ assimiletur. & ideo dixit amara dissolui. sapor enim amarus bilis proprius remittitur, & euanescit, remanens inde humor insipidus insipidæ pituitæ saporem habebit.

Quo autem modo, & quo medio Acetum amara impugnet, & dissoluat, ex ipso etiam Hippocrate patet, nempe tum per fermentationem, tum per acuitatem, & mordacitatem, seu per spiritum acidum fermentantem. de quo nos pluribus in Epist. decade 1.

Hipp. textus. *Et in pituitosa mutantur*, vertit Valesius. Græcè enim ἐξαφλεγματοῦται, dicerem ego pituitescunt. At *desciscunt in pituitam*, Vasseus interpretatur. *in pituitam transeunt*, Cornarus, & Fœsius. quam tamen particulam Caluus omisit. Sed Brasauolo *inflammantur* vertere placuit. verum ex pluribus Hippocratis locis à Fœsio in Oeconomia adductis etiam *tumefiunt* intelligi posse colligitur. certe Galenus hoc *Galenus notatus.* verbum sicco pede pertransiuit. igitur Valesius *in pituitosa mutantur*, inquit, *non sane quod possit bilis in pituita naturam, & substantiam redire. (nam qui possit?) sed amara ab acidis dissolui dicuntur, quia cohibentur, attemperantur, & coercentur. in pituitosa verò mutari, quia biliosa corpora, acidorum vsu abeunt in pituitosa, bile gignenda pauciori, & pituita pluri; vtrumq; autem fit ob acidorum frigus. Biliosis ergo his de causis est vtile acetum.* *Valesius reprehensus.* Porrò Valesius nimis dissoluit, laceratuè Hippocratis verba, ineptèq; loquentem facit.

Neque enim amara corpora dissolui, inq; pituitam mutari dixit. neq; item biliosa in pituitosa; Cum autem quod mutatur omnis transmutationis semper sit subiectum, sequetur, quod idem numero subiectum debeat esse in termino à quo, & transire ad T. ad quem. igitur si corpora amara sunt mutationis subiectum, eadem numero pituitescere debent, nempe ex amaris non amara reddi, sic enim pituitæ assimilantur. *Quid amarum ex Hipp.* At quum per *amara* non intellexerit Hippocrates animal biliosum; sed ipsam, quæ est amara, bilem, seu biles amaras. ita neque vltimo loco de animali pituitoso loqui poterit. vndè nequaquam hic docet Hippocrates, quod corpora biliosa Aceti vsu pituitosa deueniant. Quod etiam patet, quia addit *dissoluuntur*, oporteret enim corpora biliosa dissolui, & quod magis est, subdit. talem fieri mutationem, dum *eleuantur*, attolluntur, & in sublime feruntur; quæ verba Valesium manifeste conuincunt. *Valesius conuinctus.* Adde quod ex ipso Valesio pituitosa non fiunt corpora, eo, quod attollantur, vt censuit Hippocrates; sed ob acidorum frigus, quod ad præceptoris mentem non est, qui clarè, *in pituitosa mutantur, dum eleuantur*, scripsit. Ergo cum haud dici queat, corpora biliosa, dum ab aceti qualitatibus, spiritibusq; acidis eleuantur, dissolui, & in pituitosa commutari, Valesij opinio non recipietur. Et dicemus minime quidem Hippocratem voluisse, Acetum quà frigidum biliosis conferre; sed alia de causa. non enim frigidū agit, verùm amarum, acidum, &c. ex Hippocratis decretis.

contra positio. Si quis dixerit, amaram bilem in pituitam verti, fidem non merebitur, namq; bilis est extremè cocta, pituita verò extremè cruda, in quorum medio existit sanguis optime concoctus: cum igitur in bilem, nisi prius in sanguinem concoquatur, assari nequeat: ita retrogrado ordine, bilis in sanguinem prius dilassari, & commutari, demum in pituitam recrudelcere deberet. quod cum fit impossibile, sicuti, & vt quod est assatum, & exustum redeat crudum, pariter, quod bilis, quocunque modo infrigidata *absurdū.* in pituitam reducatur, impossibile censebitur. nec Mercurialis hoc comm. quid dignum relatu attulit.

Brasauola. Brasauola quidem opinatus fuit, noluisse Hippocratem pituitam veram exoriri; sed quid ad pituitæ naturam vergens, nempe infrigidata bile ab aceti mixtione. miscetur enim cum bile acetum, quo illa suam acrem remittit qualitatem. Quod si acetum multiplicetur, idest frequentius exhibeatur, tantum aget, vt frigiditatem in hoc corpus, in quo erit miscela bilis cum aceto, inducet. Opus est ergo intelligere de remissione caloris, & in aliquam frigiditatem reductione. Verum neq; iste doctus vir Hippocratis verba exactè considerauit. Etenim infrigidatur quidem bilis, atq; non caliditatem modo sibi propriam, verum amaritiem quoq; connatam ammittit. Considerandum tamen dixisse, *amara dissolui*. idest sapores, non substantiam, non calidas biles. Quare resolui debet amarities, quæ à frigiditate sibi è directo nullo modo, contraria, dissolui nequit. Nec Aceti frigiditatem (quæ apud nonnullos adhuc est in controuersia) hic declarauit actuam Hipp. sed mordacitates, & acumen, seu spiritus attollentes. *Clara Hipp. sententia.* nonne bone Deus! clarè dixit Hipp. huiusmodi alterationem perfici ob eleuationem materiæ amaræ ab aceti vi excitatam? quam quidem frigiditas efficere non posset? sed spiritus acidus. Ergo bilis alteratio, & dissolutio non ab Aceti frigiditate efficietur; sed ab acido spiritu in aceto existente, qui substantiam amaram attollendo, ac eleuando ipsam dissoluit, eiusq; spiritus *Aceti spiritus.* sibi contrarios depellit. quam alterationem nos

nos albi explicauimus, genuinam Hippocratis mentem Epist. 4. 1. decadis pag. 128. enunciantes. Ita Chimicus dum Tartarum Vitriolatum parat. Hippocratis verba percipit. si quidē, vel solido, vel humido Tartari sali acerrimo, quum infunditur, inspergiturue acidus Vitrioli spiritus, salsedo illa fermentatur, attollitur, & multiplicatur, idest maiorem locum ob ebullitionem occupat, hinc quia ob fermentationem acres spiritus resoluuntur, deperduntur, ac euolant, materia tandem tot spiritibus priuata frigidior remanet. Quod autem amara, & salsa sint congenera, vt ex inductione vnius inferamus de altero, salsi maris amaritudo id palam facit. bilis siquidem amara sanguinis adustione saporem huiusmodi sortita, salis nimia copia abundat. Fermentatione igitur ab aceto excitata acres ipsius bilis spiritus dissoluuntur, atq; euolant simul cum aceti spiritibus, hinc calidis spiritibus tota reliqua materia priuata, in pituitosum quid degenerat pituitæ non naturali excrementitiæ, vel acidæ, vel salsę simile, si parua fuerit facta fermentatio, vel insipidæ, si multa. Nec est dubium, quin acetum, veluti aqua fortis, Metallum, V. G. plumbum, erodendo attollatur, fermenteturq; in qua fermentatione non solum plumbum in Cerussam degenerat, ac dissoluitur, sed aceti quoq; spiritus, vel aquæ fortis adeo resoluuntur, vt aciditas, & acrimonia cuncta pereat; solaq; dulcedo in cerussa sentiatur. pugnantes enim Aceti, ac Plumbi spiritus simul resoluuntur, remanente corpore mortuo. ita ex Aceti, & amarę bilis spirituum pugna, dum attolluntur, ambo pugnantes, simul materiam subiectam attollentes, ambo etiam simul resoluuntur, bilem dissolutam, & veluti corpus mortuum, sine spiritu, ac non amplius bilem, vt pote sine bilis amaritie, ac sine bilis calore, & colore, relinquendo. reddita ergo talis substantia frigida, exalbida, & subdulcis Pituitæ, vel salsæ, vel acidæ, vel insipidæ naturam sibi assumet, & ita vere dicetur in pituitosam degenerasse naturam, scilicet in formam pituitæ quodammodo similem, non autem in veram pituitam, à qua differt in modo generationis.

Tartarū Vitriolatum.

fermentatio.

pugnantes spiritus resoluuntur.

Si dicere cum Brasauolo placeret *amara dissolui, & inflammari, dum eleuantur ab Aceto.* Nam inquit ipse, Acetum veluti id, quod est tenuium partium per bilis corpus penetrare, & ebullire facere. atq; in vapores ipsum in sublime eleuare. vt id verbum φλεγμαίνεται non in pituitam verti significet; sed inflammari, & post inflammationem consumi, sicut Calx aqua accenditur, & sicut ignes ex siccis exalationibus in aere accenduntur. Hæc Opinio non est penitus absurda; Nam alijs Hippocratis locis, & ex græca elocutione roborari potest. tamen dicimus ex spirituum contrariorum fermentatione, qui velociter inuicem mouentur, & quassantur, calorem, & inflammationem sentiri manifestam, vt à simplici aqua in Calcem effusa, & ab Oleo Vitrioli in Tartari Oleum dictum, ac in omnibus aquarum chimicarum fermentationibus experimur. At in Aceti cum bile pugna, dum ea elauatur, aliqua fortasse inflammatio, & phlogosis exoritur, quæ à nobis non percipitur, vt pote cito cessans.

sententia Brasauolæ.

Sed si hoc modo interpretabimur, quæ ab Aceto vtilitas erit? quo conferet modo? an bilem attollendo, dissoluendo, vel inflammando? de bile dissoluta, quid fiet? nonne eam bilis naturam ammisisse, inque pituitæ formam degenerasse dicere præstat? vt homines ad coitum ineptos, nempe Scythas effæminatos (libro de Aere, aquis, & loc.) dixit Hipp. atq; muliebribus fungi officijs. Nos vero eo, quod Masculi vim non retineant, & fœminæ naturam induerint, euiratos dicere aptè possumus. nunquam tamen veræ fœminæ erunt. vti pariter Eunuchi perfecti viri haud quaquam sunt, & muliebrem naturam circa carnes, vocem, pilis carentiam, &c. acquisiuerunt, veræ tamen fœminæ minime sunt. pari igitur pacto bilis dissoluta; & eneruata pituitæ faciem quandam induet, vera tamen pituita nunquam euadet.

Brasauola refellitur.

Deniq; si dixerimus *amara dissolui, intumescere, & in sublime ferri* ab aceto, veram proferemus sententiam; non nihil forte vtilitatis nobis pariet.

Verior sententia.

Nam bilis tumefactio, elatione, sunt tantum in ordine ad bilis dissolutionem. At scire quod bilis degeneret in pituitæ naturam est maxime vtile, quia est illa vtilitas, quæ ab aceto prouenit.

Cum in sublime attolluntur. Vassæus, & Fœsius μετεωριζόμενα ὑπ' αὐτοῦ. *dum ab ipso attolluntur*, Cornarus. *ab eo subleuata*, Caluus. *eleuata ab ipso*, Valesius. *in sublime eleuata*, Brasau. Hic considero aliquot ex his interpretibus ponere tempus præsens *dum attolluntur*. alios verò præteritum *eleuata*. aliud enim est bilem eleuari, seu alterari dum fermentatur, aliud verò post fermentationem. sed Hipp. loquitur in præsenti. igitur mutatio bilis, & dissolutio fit, dum bilis attollitur, non autem postquam eleuari cessauit.

Hipp. textus.

Nigra verò fermentantur. ζυμοῦται. at Caluus vertit *glifcunt*. Hippocrates autem postquam explicauit Acetum conferre biliosis, quia amara, quibus ij abundant, dissoluuntur, naturamq; commutant, aggreditur explicare, vt Melancholicis conferat, qui nigris humoribus scatēt, nec dixit nigra dissolui, vel in pituitā mutari. igitur alio modo biliosis conferet Acetum, alio verò melancholicis, in quibus nigros humores non dissoluit; sed fermentat, Porro quid sit fermentatio, & vt à spiritu, qui acido in corpore existit, incitetur, exactè Epist. 4. 1. Decadis nostræ, & in Antidot. com. de Triphera Phenon. diximus. Sed si in Aceto est vis fermentatrix; quæ eodem actuatur humi sparso, vel Corallijs, Margaritis, & alijs conchis Marinis affuso, vel etiam Oleo Tartari dicto, & huiusmodi alijs, cur non fermentatur cum bile? quę eleuatur tantum, non autem fermentatur? dices quoque, quid differt fermentatio ab eleuatione?

Acetum pro Melancholicis.

Quæsitũ.

Respondeo non sine causa ab Hipp. dictum amara

Solutio.

amara eleuari: nigra autem fermentari, & eleuari. Si eleuari, & fermentari esset idem, frustra Hipp. fermentationem in nigris posuisset. Videtur quidem, quod quæ fermentaotur, eleuentur etiam simul, & è contra, quæ eleuantur simul dici possint fermentari. tamen dicere debemus, quod fermentatio sine eleuatione fieri non possit. ita panis dum fermentatur attollitur, & Acetum semper eum facit fermentationem attollitur. Vinum nouum dum feruet eleuatur. & omnia, quæ fermentantur attolluntur, maioremq; occupant locum. ita Theriaca dum fermentabatur, Galeno teste, ita elata fuit, vt Vasis operculum distorserit. & Mustum in Dolijs clausum impetu maximo ad magnam altitudinem opercula eleuasse vidimus. Sed non omnia, quæ eleuantur feruent: vnde bilis vi flatuum ab Aceti facultate eleuatur non tamen fermentatur. Melancholia autem eleuatur, atq; fermentatur. idcirco, quia calidissimo in corpore, qualis est bilis, fermentatio fieri non potest; sed acidus spiritus fermentator, vt alibi explanauimus, cito dissoluitur, & euanescit, secum calidæ bilis tenuissimos spiritus educens, qui in raro, tenuique corpore continebantur. sic in pane, donec tepiditatem quandam obtinet, fermentationem fieri, videmus: sed quum in furnum ponitur; acidus spiritus fermentans à nimio externo calore è pane resolui cogitur, sic cessat fermentatio ipsius actio. Eleuatio autem à spiritibus copiosis non acidis, & ideo sine fermentatione fieri potest. Nam Pasticia dicta, quæ ex pane azimo, & sine fermento fiunt, inclusa carne, dum in furno coquuntur à flatu interno ob calorem genito absq; fermentatione, ita attolluntur, & inflantur, vt si ei paratus non fuerit exitus per aliquod paruum foramen, vi propria, & rima facta sibi exitum comparabit. & hic clarè se prodit eleuatio à flatu sine fermentatione. intumescit ergo bilis à sola flatus copia: Melancholia verò eleuatur etiam à flatus copia; sed insuper fermentatur, non quidem à copia flatus; sed à qualitate ipsorum flatuum, qui in sui naturam subiectum alterant, & mutant, acidam qualitatem producendo, & ampliando; omnia enim quæ fermentatur, aciditatem sapiunt, & contrahunt. Potest igitur Acetum producere, & augere aciditatem in Melancholia, non potest in bile: ideò fermentatur Melancholia, non bilis, crassa enim Melancholiæ substantia, tenuis vero ipsius bilis.

fermentatio, & eleuatio quid.

Acidus spiritus resoluitur.

Obiectio.

At acida tenuia esse dictum est alibi. melancholia acida. ergo tenuis. Pro solutione dicendum Melancholiam esse corpus Heterogeneum compositum ex substantia terrestri, crassa, adusta, & cinerea: & ex substantia tenui, acida, & spirituosa, ob quam in se fermentandi vim continet, hinc humi sparsa spumescit, & feruet. cum ergo componatur ex substantijs heterogeneis, contrarijs, non bene inuicem commistis; sed iuxta positis, quacunq; leui occasione inuicem pugnant; vnde in terram proiecta Melancholia, eius pars terrestris vires acquirit, & insurgit in partem tenuem, quæ à lateris siccitate absorbetur, hinc pugna, & fermentatio. Qua propter 2. de Mor. 71. ait Hipp. in morbo nigro. *id quod vomitu reiectum est terram eleuat.* fermentantur ergo nigra, non autem amara; quia nigra fermentandi vim in se continent: neqnaquam amara. Porrò bilis in terram eiecta non fermentatur, quia spiritibus non abundat. at Melancholici sunt flatuosissimi, minime autem biliosi. scriptum enim est 5. aph. 73. *Ictero laborantes non multum flatuosi sunt.* quia bilis non est amica flatuum.

solutio.

Nigra fermentantur.

Eleuantur, & augentur, Valesius. *multiplicantur*, Vasseus, Brasauola, Cornarus. *crescunt*. Caluus. *& multis partibus augentur*, Fœsius. ἢ μετεωρίζεται, ἢ πολλαπλασιάζεται. Profectò, vt eleuetur niger humor nuper dictum est. vt autem multiplicetur est obscurius.

Censent aliqui, vt Brasauola, multiplicari, & angeri Melancholiam, quia Acetum, post fermentationem, & eleuationem, fit atra bilis: nam ambo frigida, sicca, & acida sunt. vnde ob similes qualitates facilis vnius in alterum transmutatio. At Valesius non refert ad substantiam illud *augeri*. sed ad formam, & locum, quem occupat. Acetum melancholicis noxium ratus, quia nigra fermentantur, eleuantur, & augentur ab Aceto, nimirum Acetum est Melancholiæ congener, atquè ita est, vt quoddam illius fermentum, quod cum ea permixtum, eleuat, tumefacit, augetq; auget sane eum succum proprie ob naturam, quam habet frigidam, & siccam, magis autem, & citius ebullire faciens, velut Mustum in dolijs, cum feruet, augetur vsque dum per summum regurgitat.

Opinio Brasauolæ.

Valesius.

Nos dicemus Melancholiæ incrementum quadrupliciter considerari posse, vt crescit substantia, vel quantitate, vel viribus, vel loco.

Nec quidem ipsius copiam crescere asserendum videtur, quia hoc augmentum fieret, vel ex qualitate corpori generanti inducta, vt copiosiorem eam gigneret, vel ex aceti substantia transmutata. non enim, vt censuit Brasauola. quia nunquam in alijs alterationibus; ac fermentationibus acida transmutari spectamus; sed potius transmutare, vel post pugnam resolui. sic in Tartaro Vitriolato spiritus sursum euolat, sal infra descendit, nec transmutatio apparet. Nequè dicemus primum cum Mercuriali, quia si hoc esset, Melancholicis nequaquam Acetum conferret. immo succum Melancholicum augendo noceret. Verum quia *conferre* scripsit Hipp. ideo Aceti vsum in Melancholicis conferentem (quem hic intellexit Præceptor) censere debemus, non considerari, vt corpus refrigerat, siccatuè; sed alia ratione. & patet ex Hippocrate ipso, quia angeri dixit simul cum attollitur, & fermentatur: vnde auctio est fermentationis effectus, à qua non quantitas; sed locus augetur.

nostra sententia.

Vt augeatur Melancholia.

Neque Melancholiæ vires augeri dicere licet, nempe, vt ad agendum, & nocendum sit validior, acrior, acidior, contumacior, &c. cuncta

ita enim simul fiunt *fermentatio, eleuatio, & incrementum*. immo quia in fermentatione spiritus resoluuntur, melancholiæ vires deserescere potius asseremus, sicuti ob eandem eleuationem bilis vires languescunt.

Vi crescant nigra. Dicendum ergo nigra simul, & semel ab Aceto fermentari, eleuari, & augeri, idest, tumida fieri, maioremq; locum occupare. quæ enim subleuantur, quia maiorem locum occupant, augeri videntur. ita Melle in aliquo vase efferuescente, eius fit tumefactio, & eleuatio, quia verò maiorem locum occupat, erescere dicitur. legitimum tamen incrementum non est; sed ob spumam ab igne excitatam apparens. sicut etiam, ex Theoph. 6. de caus. cap. 1. ab acido fit fermentatio. Igitur per mordaces Aceti spiritus, non autem ab ipsius substantia, vel frigidis, & siccis qualitatibus fit in Melancholia fermentatio, eleuatio, & apparens augmentum ex quibus nihil vtilitatis Melancholici capere posse videntur. sed potius ex fermentatione, tumefactioneq; humoris nigri aliqua impendet Venarum obstructio, flatuum generatio, eorumque per corpus motus. *Hipp. explicatur.* Verùm conferentiam statim explicat Hipp. dicens. *ἀναγωγὸν γὰρ μελαίνων ὄξος.* quia *Acetum adiuuat ad generationem melancholicis*. Antiquus interpres. *Nam Acetum atram bilem parat*, seu parit. Copus. *Nam Acetum atra discutit, educitque.* Caluus. *Efferens enim nigra est Acetum.* Valesius. *nempe acetum atra deducit*. Vasseus. *Acetum enim nigra sursum educit*. Cornar. *Acetum namque nigra sursum educit*. Fœsius. quib. notandum, vocem *ἀναγωγὸν*. dupliciter ab interpretibus sumi. aliquibus *eductiuum*. alijs verò *generans*.

Si verò dixerimus Acetum sursum educere nigra. vel intelligetur extra corpus per vomitum Melancholiam educere. minime verum videtur, cum hæc difficillime per vomitum euacuetur. nec acetum id præstare vnquam obseruamus. immo potius pituitam. 7. Epid. 53. *Sursum eductio Melancholia.*

Si sursum ad Caput attollere cum Mercuriali, qui tradidit, Acetum quum fermentat humorem melancholicum generare aerem, qui eleuatus secum ducit humorem ad caput, cor, vel aliam partem: & hoc est quod Plinius. lib. 9. c. 33. loquens de Murænis piscibus melancholicis, inquit, si sorbeant acetum huiusmodi animalia melancholica, in rabiem ferri, quia fermentatus humor melancholicus capitur ab aere incluso petenteque superiora in Cerebrum. nec nobis placet, quia essent Aceti nocumenta, non autem iuuamenta.

Si fortè illud ad partes superiores ferri intelligemus ad Ventriculum, nempe à Splene, vbi stabulatur melancholia, ad Ventriculum: ita deperdito appetitu ex defectu melancholiæ à Liene ad ventriculum transmitti consuetæ, Acetum vtile erit, quia sursum nigra ducit, vnde appetitus excitatur, ciborumq; fermentatio adiuuatur, vt Epistolarum decade 1. ostendimus, sed tempore, & modo conuenienti assumptum conferet.

Quod si sursum ducere intelligemus fermentari, attolli, & intumescere, erit idem, quod supra dictum est. & ex Hippocratis oratione scire non licebit, quomodo conferat Acetum, & quam vtilitatem, vel noxam Melancholicis afferat, eleuando, fermentando, & tumefaciendo nigra: nam bilem dissoluendo, & in Pituitam vertendo biliosis confert; at nigra magis alterat; fermentatione, eleuatione, incremento; & sursum ductione. nec doceret Hipp. quid inde sequeretur commodi; immo repeteret eadem, quod contra Hippocratis morem est.

Si denique cum Copo, Brasauola, & antiquo interprete Acetum bilem parere, generare, atque augere dicemus, quia humores sua frigiditate, ac siccitate exiccat, & infrigidat, & ita atra bilis euadant, nempe cum temperamento frigido, & sicco melancholico fuerint affecti, ipsa melancholia erunt. *Acetum bilem an pariat.* Quod si verum esset, proculdubio rectè dixisset Gal. acetum biliosis vtile, melancholicis aduersissimum, & male scripsisset Hippocrates magis vtile biliosis, minus vtile melancholicis; quia his non solum non esset parum vtile; sed nocentissimum. At quia *ἀναγωγὸν* legunt nostri textus omnes, hos sequemur. Certe Caluus addidit verbum *discutit*, quod si esset in Græco texto vaticano, quem Caluus sequutus est, difficultatem omnem tolleret, si quidem diceretur Acetum biliosa discutere, & in pituitam vertere. Nigra verò discutere, & educere, & ita par quasi esset vtilitas: nisi quod atrorum eductio minus conferens iudicatur respectu bilis debellatæ.

Nobis potius dicere placet *ἀναγωγὸν* esse Acetum, idest corpori Melancholico eam præstare vtilitatem, vt nigra sursum per sputa educat, & volo Hippocratem ex Hippocrate explicare. *Acetum sputum educit.* agnoui enim ipsum hoc eodem verbo in eodem libro pro tali significatu vsum fuisse. Nam de Vino, de Mellicrato, de Oximellite, & de Aqua dixit, esse *ἀναγωγὰ τοῦ πτυέλου*, *sputi sursum eductiua*. Educet ergo Acetum nigra per sputum, & ita Melancholicis conferet. Nec refert, quod Hipp. hic non addat *τοῦ πτυέλου*, quoniam potest specifice de sputo interpretari. sed includat etiam deiectionem, & Vomitum. nos tamen credimus subintelligendum: semper enim pectori eam vocem *ἀναγωγὸν* applicauit, nunquam deiectioni per Vomitum, vel deorsum. Significat ergo apud Hipp. non quamcumque sursum eductionem; sed per sputum, seu screatum. Vnde ab Aretæo lib. 2. cap. 2. & Galeno in Isagoge reiectio sanguinis à pulmone, & intimis thoracis partibus *ἀναγωγὴ* dicitur.

Sputi eductio. At cum loquatur Hipp. de viribus Vini, Mulsæ, Aceti, Oximellitis, & Aquæ in morbis acutis, & pectoris, & docuerit de cæteris, vt se habeant ad sputi eductionem; ita etiam de Aceto verba faciens, docere voluit, quod nigra per sputum educat. & hæc est vtilitas, quæ ab Aceto in morbis acutis habetur: at quia Medico frequentius biliosi, qui amarâ abundant, occurrunt, rarius Melancholici nigra in pulmone haben-

habentes: ideo biliosis magis vtile Acetum, quam Melancholicis. Vel quia maior est Aceti victoria, dum omnino bilem amaram alterauit, & in pituitam conuertit, quam nigrorum eductio. ideo magis conferre dicitur biliosis, quàm Melancholicis. bilis enim omnino vincitur, nigra vero fermentantur, attolluntur, & crescunt, & ita loco mouentur, aliàs difficulter (quia atra bilis diuturniores sedes facit. de Nat. Hom. 29.) ita facilius educuntur, & ob molem auctam irritando naturam expelluntur.

Obiectio. Sed Obijcies ex Valesio. Veluti Mustum in dolijs cum feruet, augetur vsq; dum per summum regurgitet. Ita est Acetum efferens nigra, vt feruore effertur mustum, & maza fermento. Hinc fit, vt Melancholici aceto plurimum angantur æstuante melancholia, more perturbati, & spumantis Maris, & proinde in tumorem attollente Hipocondria, & in caput affatim elata.

Responsio. Respondeo deceptum fuisse Valesium, qui, quæ dicit, probare ex Hipp. nequit. nunquam enim ex Hippocrate probabit Acetum nocere Melancholicis. sed ego contrà ex Hippocrate, quem nunc explicare satago, & Hippocratem per Hippocratem interpretando, non autem per Galenum (licet hic meus sit doctissimus Magister) Acetum Melancholicis prodesse, & atra per screatum educere probabo, vt hic claré dixit Hippocrates. Nam quod Acetum humorum è pectore eductionem adiuuet, ex Hippocrate patet lib. de loc. in hom. tex. 30. cum ait. *Pleuritidem hoc modo curare oportet, febris sedanda non est per septem dies. Potu vtendum, aut Aceto mulso, aut aceto, & aqua, hæc autem quam plurima offerre oportet, quo humectatio fiat, eaquè facta excreationem faciat.* & notandum quod Hippocrates lib. de Victu Acut. non loquitur de Aceto meraco epoto: sed conuenienter adhibito. Hic autem Aceto vtitur aqua diluto ad sputum è pectore educendum. & 2. de Morb. 20. *si æger sanguinem vomat, aut è naribus fundat. Acetum album aquosum bibendum dato.* in quo ægroto non possumus dicere adesse temperamentum calidum, vel biliosum, quia *ad cor frigus descendit*. & videtur potius habitus melancholicus; quamuis tex. 5. de eodem morbo agens à bile, vel pituita fieri dicat, forte bilem intelligit atram. quod si concedere nolueris, esto biliosum corpus, *bilem dissoluit*. sanguinem sistit. & tex. 40. ad Pleuritidem biliosam Acetum exhibet cum Melle. deinde cum aqua. ita num. 52. ad Articulos pulmonis conuulsos. vbi abundare bilem credo, vtitur Aceto, & Melle ad educendum sputum. quod idem. num. 62. facit in febre singultiente, vt pus educatur. & 3. de Morb. 18. Peripneumoniam curat *aceto dulci aqua* permista. num. 25. ad educendum sputum in Pleuritide sanguinea *Acetum* admiscet alijs. & de inter. aff. 13. ad vomitum parandum in Tabe, in qua spuuntur pallida *Acetum* miscet, ex quibus patet, quod Acetum ex Hippocrate est sursum eductorium.

Acetum sputum educit.

Acetum confert Melancholicis. At quod Melancholicis fit ex vsu apud Hipp. ad nigra educenda constat ex eodem 2. de morb. 13. in Erisipelate pulmonis, in quo *Vomit pituitam, ac veluti acetum, & dentes stupescunt; acidum eructat.* nec dicit pituitam esse acidam; sed duo euomuntur Pituita, & res veluti Acetum, quæ erit Melancholia. & addit. *si Splenicus fuerit*, qui solent esse Melancholici: *Vomitus inducatur.* & docet mixturam quandam, quæ recipit *Aceti acerrimi heminam vnam* tandem scribit. *Acria autem, & acida edat, & frigida omnia.* ex quo patet Hippocratem vti Aceto, & acidis in splenicis, & melancholicis ad nigra educenda per quamcumquè partem. quia ex ipso Acetum nigra educit. refert etiam num. 61. Peripneumoniam factam ex febre ardente, vbi adusta bilis facta est nigra Nam *lingua est nigra, & cum virore pallida, oculi cum virore pallidi sunt, & excrementum egerit rubicundum, & cum virore pallidum, talem quoquè vrinam mingit.* huic imperat, vt *Acetum album quàm odoratissimum bibat*. & lib. de Int. aff. 7. in Inflammatione Pulm. dicit morbum fieri à pituita sanguini mixta: & addit. *acidum eructat, & vomit pituitam acidam, & si id, quod vomit, in terram effundas, radit terram veluti aceto infuso, & dentes stupescunt.* hæc acida pituita vires Melancholiæ habere videtur. Nam fermentatur in terram effusa. tamen Hipp. vtitur aceto ad eam educendam per Vomitum. tandem dicit eodem lib. de int. affe. 30. *Morbus Hepaticus. fit ab atra bile, quum influxerit ad hepar. Accidit autem maxime in autumno.* dat autem Vomitorium ex Melle, aqua, aceto, & sale: vt iuuet melancholicum corpus, & vt nigra educat. Si igitur Hipp. in Melancholicis sæpe aceto in potu vtitur, (extra adhibitum Valesius quoquè ijsdem conferre fatetur.) falsum est ipsum melancholicis esse aduersissimum, nullamq; ipsis afferre vtilitatem.

Hippocrates.

Auicenna. Possemus addere. quod Auic. trac. de Syr. Acetoso, cuius basis est Acetum, ipsum laudat dicens, quando Syr. acetosus occurrit humori præparato, vt conuertatur in choleram rubram, prohibet ipsum conuerti ad eam, & si permisceatur Syr. acetosus cum cholera citrina, resoluit eam, si fuerit paucæ quantitatis, & frangit superfluam ipsius caliditatem, & eius acuitatem, vel nocumentum; si vero cholera fuerit multa, expellit eam per Vomitum, per secessum, aut per Vrinam. & ita acetum amara dissoluit, immo etiam educit.

Valet etiam ad nigra dissoluenda, debilitanda, & educenda: ait enim. subtiliat cum hoc grossitiem Splenis, & extenuat eum, & attenuat fæculentiam sanguinis, quæ est in eo, ita vt effundere faciat plurimum foeculentiæ eius ab ipso splene ad intestina, & pauci faciat effusionem eius ad os stomachi, quare in hoc est magni iuuamenti. Et ex iuuamentis etiam Syrupi acetosi est, quod sit causa paucæ generationis choleræ nigræ in corpore, propterea, quod expellit materiam eius ad intestina de

die in diem, & hactenus Auicenna.

Obiectio prima. Si quis negaret Acetum amaram bilem dissolnere, & eneruare, ac transmutare in contrariam naturam; atquè etiam quod Melancholiam dissolnat, educatq; immo assereret bilis acrimoniam, mordacitatem, & amaritiem augeri, eo quod Acetum scilliticum amarissimum sentiatur, Aceto scillæ amaritiem potius augente, quam obtundente. sic etiam omnia alia amara Aceto infusa validiora apparent, & magis penetrare videntur. Vnde in Canonibus Teor. 2. can. 3. tex. 6. Mesues, *Acida inutiliter misceri amaris*, scripsit. igitur Acetum acidum inutiliter miscetur bili amaræ, & eam non dissoluit. *sed acribus, vrentibus, & mordentibus salubriter acida miscentur.* quod experientia constat. si quis enim mandat acria, & vrentia, vt piper, piretrum, Arum, Capsicum, Euphorbium, radicem Timeleæ, & similia, aceto ore retento omnis acrimonia illico tolletur. At non ita tolletur amaritudo ab aloe, coloeintide, & similibus contracta. dixerat etiam Mesues Teor. 1. tex. 7. *Acetum sua substantia tenui acre obtundit.* nil de amaro. igitur Acetum acria dissoluit non amara. Ergo bili adustæ tantum, non autem amaræ conferet.

contra Aceti.

Obiectio secundo. Et si quis secundo obijceret. Acetum non conferre Melancholiæ acidæ: nam si æqualia æqualibus misceantur, remanent æqualia, vt docent Mathematici. Acetum, & nigra sunt æqualiter acida, simul mista debent remanere acida. additur fermentatio, aciditatis quæ effectus, quæ causa. vnde omnia, quæ fermentantur acida redduntur, vt panis fermentatus, & res quæ putrefieri à chimicis permittuntur. hinc melancholia commota, & fermentata acidior, & peior redditur. immo cum dicat Mes. loc. cit. *Acida inutiliter etiam misceri salsis, stipticis, vlcerantibus, ferrantibus.* quæ qualitates in Melancholia adusta inesse videntur. nam ex adustione salsedo; ex parte frigida, & terrestri stipticitas, quod autem partes, per quas transit, vlceret, quum è corpore educitur, nimis notum est. Ergo Acetum nullo modo melancholicis conferet.

Responsio ad primum. Respondeo contrà negantes Hippocratis auctoritatem non nisi experimentis allatis esse pugnandum. vnde ad primum dico. aliud esse misceri Acetum, & acida alijs medicamentis amaris extra corpus, aliud verò bili amaræ in corpore viuente. huic enim præter saporem adest formæ proprietas. ita Acetum dissoluit bilem, non alia Amara. Quæ autem dixit Mesues vera sunt, & experientia comprobata. at verissima, quæ docuit Hipp. & expertissima. vt autem accedamus ad experimenta esset accipienda alicuius animalis recens occisi cistis fellis, vbi purissima, & amarissima bilis reperitur. huic bili superaffundendum esset Acetum acidissimum, statim fieret spirituum eleuatio, & commotio, bilisq; ad sensum dissolueretur: nam ex flaua alba fieret, ex amara subdulcis. ex quo euidenti experimento Hippocratis sententia confirmaretur. Sed hoc negari facile posset, quia in corpore viuente sunt spiritus omnium operationum directiui, nequaquam vero in cadauere, nec in humoribus extra corpus, vel resoluto spiritu viuente. quare non valet inductio à rebus amaris inanimatis ad animata, quia bilis, vt bilis in corpore viuente dissoluitur ab aceto, non autem alia amara, vt experimentis constat. quum nihil magis bilem reprimat, quam acida.

Ad secundum dico duobus acidis admistis mixtum dulce reddi, experimento facili, si quis aceto immergat frustra limonum acidorum, gustui enim dulciora apparebunt, nec ab eorum aciditate dentes amplius obstupescent, acetum vero debilius percipietur. ita cum pituitę acidę, vel similis Melancholiæ vomitu aliquando electæ aciditate dentes obstupuerint, ab Aceto restituentur. At si bilis fuerit adusta, vel Melancholia adusta, quæ acredinem habent, non solum non proderit acetum, sed maximè irritabit. Et ideo dixit Hipp. *melancholicis minus confert*; quia adustis nocet. Et omnem quidem melancholiam fermentat: sed simplicem, & acidam dissoluit, & educit. acidam vero cum acrimonia dissoluere nequit. ideo neq; educit, sed ipsa commota, & fermentata peior fit. Vnde si Gal. intellexit, atræ bili adustæ nocere acetum benè dixit; hæc enim cum aciditate acrimoniam pessimam coniunctam habet. sed Hipp. loquitur de simplici Melancholia acida, quæ ab acidis dissolui potest. cum autem Brasauola censuit, Acetum aliquando conferre atrabilarijs, quando est atra bilis ex aductione bilis, non modo non recipitur; sed potius oppositum, adusta enim bilis, quia acris, non ita vincitur ab acido, vt accidit medicamentis acrioribus corpori admotis: aliud ergo operatur Acetum in medicamenta simplicia: aliud in humores corporum: aliud deniq; in ipsis corporibus. Sed de Aceti qualitatibus, & Hipp. tex. satis ad vsum Aceti in Vomitu regrediamur.

Quid agendū, Ergo præfatis positis dicemus ab epoto aceto acerrimo, & meraco, vomitum esse excitandum maxima vrgente necessitate, cum maxima scilicet opus est incisione, atq; etiam citissima, vt euenit epotis Venenis, quæ citissimè attenuari, incidi, & expelli debent. qualia sunt Opium, Meconium, Cicuta, Solanum Manicum, Stramonium, Nux Metella, Ixia, Taxus, Fungi, Sanguis, vel lac in Ventriculo coagulatum; quod si non satis validum abstergens visum fuerit, Dioscorides Sal addebat.

Posca vsus. Quum autem non ita vrget Veneni vis Posca vtimur, ita Hippocrates vsus est locis citatis Aceto diluto; immo Aquæ, & Aceto Mel addens, videtur Oximel quoddam dedisse. Nos vtemur Posca ad abluendum, detergendumquè Ventriculum, non solum à bile ibi stabulante, quæ refrigeratur, & Poscæ mixta educitur: sed etiam à pituita crassa impacta, quæ ab Aceto attenuatur, inciditurq; & sic facile educitur. Proderit autem talis vomitio fiti, tum à bile, tum à

salsa pituita pendenti. sic Hipp. Epiearmi filio Poscam salsam exhibens eiectam pituitam vidit. Porro huiuscemodi Vomitu Ventriculus tantùm exinanitur, nec ab alijs partibus; immo neque ab intestinis ad ipsum quicquam attrahitur. Abluitur ergo, & detergitur illud solum, quod in Ventriculo reperitur, & simul ipsius pori à facultate Aceti densantur.

qualiter. Debet copiosè dari tum meracum Acetum, tum Oxicratum, seu Posca, vt eluere, & abstergere ventriculum possit.

quoties. Nec sufficit quandoq; semel euomere; sed pluries est repetenda Vomitio; præsertim Venenis epotis, & lacte, vel sanguine concretis, vt cuncta materia nocua vacuetur.

quomodo. An calida, vel frigida actu sit danda potio, cognoscetur ex cap. de aqua calida, vel frigida.

De Anetho. Cap. XII.

ANethi plantam Coquis notissimam describere noluere antiqui Dioscorides, Plinius, & Theophrastus. immo in Theophrasti codice lib. 5. cap. 4. aliquid corrigendum occurrit. quod etiam animaduertit Scaliger, quum Anethi vnicum tantum genus esse videtur docere. nostro autem æuo plures plantæ Anethi nomen sibi assumpserunt, vt Meum Mattioli, quod Lacuna Anethum siluestre vocauit. ita Apium montanum in Apulia. F. Columna testatur Anethum siluestre vocari. Propriè autem Anethum vocatur, quod in hortis colitur, cuius tamen alia species siluestris est. Aliam Anethi speciem, nempe *Siculum inodorum* describit Cæsalpinus, quod Anethum Messanæ habuimus grandius vulgari; sed inodorum. Quartam speciem minorem descripsit Bauhinus in Prodromo. ex his in Medicina Hortense odoratum est in Vsu.

Alvum sistit. Porrò difficile iudicium est in Medicina, & tunc maximè cum Auctores præcipui inter se diffident, vt hic accidit. Nam Hipp. 2. de Diæta. num. 14. *Anethum calidum est, & aluum sistit.* Dioscorides etiam lib. 5. cap. 67. *Aridi Anethi coma feminisq; decoctum aluum, vomitionesq; sistit.* Galenus 6. de simp. m. f. calidum est in principio tertij, & siccum in principio secundi gradus. Plinius lib. 20. c. 18. *Tormina sedat, aluum sistit.* Pandectarius semen Anethi cum Mastiche contra vomitum exhibet.

Alvum movet. Ex altera parte C. Celsus lib. 2. c. 28. *Aluum mouet Anethum.* & Mesue in Canonibus tex. 15. inter clementia, quę vi nulla, aut minima naturæ molestia vomitum cient enumerat Anethi semen. & Hipp. de affect. num. 40. scripsit ad aluum humectandam conuenire Anethum, quamuis Fœsius latine ponat *Mentam*. in græco tamen scripsit. ἄνηθον. Præterea Auicenna scriptum *vomitū ciet.* reliquit. *inquit Galenus, & nocet Stomacho, & in semine eius est vomitatio.* hoc equidem in Galeno non inueni: sed lib. de dissol. contin. ait *Anethum incidere, attenuare, obstructiones aperire.* & 9. de comp. m. loc. cap. 1. Oleum Anethinum rarefacere, & discutere, & 12. meth. c. 3. *relaxat.* item 1. ad Glau. cap. 15. euacuare, & dissoluere humores, non valde crassos. Serapio autem ex Dioscoride transtulit quidem retinere ventrem, & conferre nauseæ. sed quod ex Galeno retulit Auicenna non addidit. Rasis autem inquit. *Anethum sale conditum calidum est, quod vomere volenti congruit. & quando post cibum comeditur obest.* equidem suspicor interpretem in verbo Anethi errasse, nullibi enim legi, Anethum sale condiri. Verum multi auctores ad Vomitum excitandum decoctum sem. Anethi laudant. vt Mercurialis lib. 2. prælect. c. 17. Diomedes Amicus de mor. sporad. cap. 93. Senertus de febribus lib. 2. c. 6. Pascaljus lib. 1. cap. 4. Fontanonus ad Lethargum, & ad Carum. Quercet. in Tetr. cap. 22. Marquardus ad Apoplexiam. Altimarus, Cæsalpinus, & Auicenna ad Vertiginem. Halyabbas 5. pract. c. 8. Serapio tra. 1. prac. c. 9. & passim omnes scriptores. Castor Durantes *prouocat nauseam*, inquit. *Anethū Vomitū ciet.*

solutio. Contradictiones tamen allatas tollere, quamuis admodum difficile videatur. dicemus tamen cum Hippocrate, Plinio, & Dioscoride Anethum posse aluum sistere quamuis non sit adstringens; nam vrinam ducit, & ita alui fæces indurare potest, earum humiditatem ad renes trahendo, & ita aluus sistetur, quod accidet magis in biliosis ab Anetho amplius calefactis. Pituitosis verò contrarium accidet. nam incidendo pituitam in Ventriculo, húcq; relaxando ad intestina eam deducet, à qua fæces humectabuntur.

At Vomitum sistere creditu difficilius est; nam relaxando aptum videtur ad os Ventriculi aperiendum, vomitumq; prorritandum. Nec Plinius, nec Galenus, nec Hippocrates facultatis vomitum prohibentis meminerunt. quare potius Auicennæ, Mesuæ, & recentiorum experimentis credendum videtur. in Dioscoridis autem textu mendum aliquod esse potest. & additum ab aliquo illud verbum *vomitiones*, immo in veteri textu, & Lacunæ additum est καὶ ἐμέτους, ita vt legendum suspicer *aluum sistit, quæ verò in summo innatant ventre vomitione expurgat.* concludendum Anethum esse Vomitorium per Accidens, & abstersiuum ventrieuli irritatione tamen adhibita. *Dioscoridis textus suspectus.*

quid agendum. His enodatis statuemus Anethi vmbellarum cum semine, & floribus decoctum esse calidum, siccum, incidens, attenuans, relaxans, digerens, & detergens, idcirco iudicare nos posse aptum vomitorium ad educendam pituitam viscidam, & crassam è ventriculo. datum copiosè, quando indicatur vomitus, & nihil eum prohibet. tepida existente potione. nam per clystere assumptum per inferiora detergit. *quantū. quando. quomodo.*

De Aniso. Cap. XIII.

OMnibus notum est Anisi semen, quod tamen aliqui Cuminum dulce vocant. non creditur variare specie, licet Dioscorides scripserit. *inter prima laudatum est Creticum, proximo loco Aegyptium*: fortè quia maius, & odoratius. hoc semen assumptum calidum est, & flatus resoluit, immo calidissimum videtur fecisse Galenus dum scripsit *acre, subamarum, vt prope ad Vrentium accedat caliditatem, est autem & in siccando tertij ordinis, sicut & in calefaciendo*. vbi notandum, quod non videtur Gal. loqui de nostro Aniso dulci, quod Messanenses Cuminum dulce, & Bucharius Roestin in suo herbario Francfordiano Absinthium dulce vocant, si est subamarum. quare Galenus loquetur de Cretico validiore.

Anisum subamarum.

Vires Anisi describens Dioscorides *aluum, inquit, & alba fœminarum profluuia sistere*, & Plinius lib. 20. c. 7. de Aniso scripsit. *appetentiam ciborum præstare, vomitiones cohibere*; deinde ait. *Non aliud vtilius ventri, & intestinis putant; ideo disentericis, & in tenasmo datur tostum*.

Contradictio Plinij. Contra idem Plinius ibidem scriptum reliquit. *Multi vomituris acetabulum eius, & folia Lauri decem trita in aqua, bibenda inter cœnam suadent*. hæc est non leuis contradictio in Plinio. Anisum cohibere, & iuuare vomitum.

Mihi videtur sentiendum, Anisum per se non esse vomitorium; sed aluum sistere cum Dioscoride, & Auicenna. attamen quamuis aluum, & vomitum cohibeat, in multa copia sumptum, cum aqua inter cœnam, quia (ex eodem Plinio) *stomacho inutile est, præterquàm inflato*. potest vomitum faciliorem reddere; flatus resoluendo, & cibos ingestos calefaciendo, ac fermentando, pituitamq; in ventriculo existentem incidendo, & liquando. irritatione ad vomitum inde facta. & præcipue additis Lauri folijs, quæ ex Dioscoride *pota stomachum offendunt, & Vomitiones mouent*. ergo si non ratione Anisi, saltem ratione foliorum Lauri potio Pliniana Vomitoria erit, sed irritatione facta Anisi decoctum erit per Accidens vomitorium. *solutio.*

Quid agendū. Ideo, qui post cibum vomere voluerit, poterit cum cibo in media cœna Plinij potionem assumere præcipuè crassa existente in Thorace pituita. in appetitu deiecto. in ventriculi, & intestinorum inflationibus, in singultu, cruditate, cœliaca, calculis, hidropicis, comitialibus, vteri affectibus, & pectoris vitijs.

quātum. quomodo. quando. Plinius dedit acetabulum vnum, idest vncias duas, & semis, circiter. vti dederit, patet. veluti etiam quando.

De Aqua Marina. Cap. XIV.

SCripsit Dioscorides. Aquam Maris calidam, & acrem esse, stomacho aduersari, aluum conturbare, & pituitam expellere; & Plinius lib. 31. cap. 6. *Bibitur quoq;, inquit, quamuis non sine iniuria stomachi, ad purganda corpora, bilemq; atram, aut sanguinem concretum reddendum alterutra parte. Quidam & quartanis dedere eam bibendam, & in Tenesmis, articularibusq; morbis asseruatam, & in hoc vetustate vires deponentem. Aliqui decoctam, omnes ex alto haustam, nullaq; dulcium mistura corruptam, in quo vsu præcedere vomitum volunt. Tunc quoque Acetum, aut Vinum aqua miscent. Qui parum dedere raphanos supermandi ex mulso aceto, iubent, vt ad Vomitiones reuocent.* *Aqua Maris.*

Cum autem Sal calidum, incidens, & abstergens sit, idem de Aqua Maris erit dicendum, vnde ad abstergendum à viscida pituita Ventriculum. dari poterit potanda Aqua Marina, quæ quamuis per inferna præcipuè purget; tamen, penna, vel digito adhibito fiet vomitoria. Dioscorides certè scripsit. *Quid agendum.*

Datur ad purganda corpora per sese, aut ex posca, aut cum Vino, aut Melle (sed cum Melle Thalassomeli vocant) *verum post deiectionem dant Gallinæ, aut Piscium iuscula ad demandam morsus acrimoniam*. Mihi autem non videtur conuenire hæc aqua, nisi pinguibus, pituitosis, & naturæ segnis, temporeque Hyberno. *Vsus.* Qui Nauim sunt conscensuri, ne à Mari vomant, solent pridie bibere duos Aquæ marinæ chyathos, à qua Vomitus excitatur, & alui deiectio. & post euacuationem, vt salsedo, & acrimonia inducta, retundatur, assumunt ius Gallinæ, & ita postea in Naui, neq; Vomitum, neq; Nauseam patiuntur. *quantū. quando.*

De Aqua Nampha. Cap. XV.

AMatus Lusitanus in Dioscoridem, cap. de Citrijs, & Narancijs. *Omnium harum specierum, inquit, arbores parum inter se differunt, quæ florem emittunt album summa fragrantia, & ex eo per Campanam aqua ignis vi elicitur, tantæ suauitatis, & redolentiæ, vt cæteras odoriferas aquas superare. certum sit, qua hodie pro leui vomitum prouitante medicamento apud Medicos Hispaniæ habetur, à quibus aqua Nampha, vel Narancij appellatur*. Dubito an verum sit, quod iste scribit. Namq; Mattiolus exhibet potandas sex vncias huius aquæ ad sudorem prouocandum in febre pestilenti cum exanthematibus. & Io. Bapt. Porta. lib. 2. de dest. *Ad pestilentes, inquit, vtilissime propinatur, præcipue, quæ, exanthematibus veniunt, quia putredini maxime aduersa-* *Aqua nampha facultates.*

uersatur. selibra pota per sudorem à corde contagiosos humores expellit. Venenorum vim eludere, & retundere solet. Ore subinde colluto halitus suauitatem commendat. Odor ad animi deliquia praualet. Romæ, & Neapoli plurimi mulieribus statim enixis ad facilitandæ partus purgamenta quinque, vel sex vncias huius aquæ exhibent. Datur etiam Histericis, Melancholicis, & in cordis palpitatione, mirifice enim cor reficit, & flatus resoluit. vnde potius vomitum compescere, quam irritare idonea iudicanda videtur. An Aqua Nampha in Hispania est Vomitoria, non à floribus Aranciorum destillatis: sed quia destillatur in Vase æreo, & plumbeo, vnde prauam, & ventriculo aduersam assumet qualitatem. vt Acetum simili modo destillatum validum vomitorium experimur? at sic Aqua non esset abstergens; sed soluens.

quid agendum quando. quomodo. Nos verò vti poterimus Aqua Nampha pro abstergēte in affectibus prædictis. quum Vomitus indicatur, data copiose ad libram vnam, vel duas. irritatione per pennam, vel digitum facta, vt Vomitus prouocetur.

De Aqua vitæ. Cap. XVI.

AQua Vitæ, seu ardens ex Vino destillata nulli nunc ignota est, quærēdum à nobis modo est, an hac vti possimus ad Vomitum excitandum; dubitandi occasio desumitur ab exemplo relato à Georgio Fabricio cent. 4. Obseru. 39. *G. Fabricij obseruatio.* Erat ipsius ancilla viginti circiter annorum ætatis, retentionibus mensium, maximisq; obstructionibus viscerum ab aliquot annis obnoxia: vino quoq; omninò dedita. quadam die post prandium, cum ampullam aquæ vitæ plenam, in hypocausto relictam, clam apprehendisset, ad satietatem ita bibit, vt paulò post humi cadens, ad semihoram veluti mortua iaceret. Huius mali caussa nemini cognita iam animam redditura videbatur. Mox tamen quasi ex sopore expergefacta, cum ex vna in alteram partem aliquantum se proiecisset, sequuta est eructatio, & vomitus tam copiosus, vt ferè incredibile sit: præter cibum enim, quem paulò ante in prandio sumpserat. etiam multos prauos viscidosquè humores euomuit, & per aluum reiecit. Tunc primo ex Odore excrementorum caussa huius tam grauis affectus innotuit. Tota illa nocte veluti in agone permansit. Interim refrigerantia, & corroborantia veluti serum lactis, decoctum agrimoniæ, & veronicæ cum Syrupo berberorum (quibus & nonnunquam nonnihil Conf. Alkermes admixtum erat) iuscula item castratorum, in quibus acetosa, borrago, buglossa, & similia incocta fuerunt, copiosè assumpsit. Tandem conualuit, à cachexia quoq; plenissimè restituta fuit. & concludit Fabritius, *Sic post prandium in commodum cessit, quod proculdubio ieiuno, & vacuo ventriculo ipsi exitiosum, lethiferumq; fuisset.* Certè constat Obstructionem à crassis, & viscidis humoribus, & cachexiam sanatam fuisse ab illo vomitu. & à nobis inuestigandum est, an in simili affectu imitandus sit ab Aqua vitæ Vomitus, quia contulit, & sanauit. an verò fugiendus, quia periculosus, & cum difficili tollerantia, ac prauis accidentibus. *quid inuestigandum.*

Equidem consideratis viribus Aquæ ardentis, quæ calidissima, siccissima, penetrans, liquans, incidens, resoluens, & abstergens est; *Aqua Vitæ Vires.* & conuenit in morbo frigido, tempore, & regione frigida, nec non vigentibus frigidis humoribus; nam temperat, coquit, liquat, fluxiles reddit, & incidit: & optime præparat. Concederem etiam ad Vomitum prouocandum, vt materia frigida, crassa, viscida in Ventriculo congelata, & proximis vijs, incalescat, incidatur, attenuetur, liquetur, & abstergatur. simul enim præparatur breuissimo tempore, velut ab igne, & mox Vomitu educitur. contulit autem illi Ancillæ, quia pituitosos illos humores dissecuit, & liquauit, aliàs educi nequiuissent.

Quid Agendum. Igitur in Hidrope, cachexia, colica, & huiusmodi morbis frigidis à crassa, & contumaci pituita congelata, firmata, & Obstruente, in Ventriculo, & Hypocondrijs in complexione, Regione, & Anni tempore frigidis. aqua Vitæ copiosiùs exhiberi poterit, & inde Vomitus prouocari.

Quantum. Fabritius censuit Aquam vitæ ieiuno corpore futuram fuisse lethalem. vt salubris fuit post cibum. & fortasse fuit contrarium. nam post cibum copiosiores ad caput emisit Vapores; ideo somnus inexcitabilis, vt ebriæ, at in ieiuna promptius ad hepar transit, & materiam obstruentem agitat. & Turcæ, ac Poloni ieiuni copiosam ingerunt aquam Vitæ sine incommodo. non me tamen latet ob excedentem copiam aliquos etiam mox crepuisse. concedo autem faciliùs à cibo Vomitum excitari posse ex Aqua Vitæ, & antè cibum magis alteratum iri corpus.

De Asphodelo. Cap. XVII.

ASphodelus Dioscoridis, quem latini hastulam regiam dicunt nota est planta, & x. eius species ex Botanicis enumerat Bauhinus. Plin. & Theopl. diuiserunt tantum in marem, & fœminam.

Auic. scripsit esse calidum, & siccum. Guido de Cauliaco, & Brasauolus, cal. & siccum constituunt in secundo, digerentis, & discutientis facultatis, vt ex Gal. 6. de sim. f. & Paul. lib. 7. Guido dixit esse abstergens, & corrodens. *facultas.*

Radix cum Aqua cocta ventrem lenit, ex Plinio. At semen, & flores in vino poti aluum ex Diosc. & Auic. purgant. Plin. lib. 22. cap. 10. *semine sumpto turbatur venter.*

Ea Vomitiones (inquit, Diosc.) *adiuuat ludicri tali magnitudine deuorata*, idem refert Plin.

non

non igitur habet validam facultatem vomitoriam; sed ob manducationem subuertit os ventriculi, quia acris, & amara abstergit pituitam, & crassos humores. & quia antiquis in vsu erat radix decocta in cibis, vsui forte erat Vomituris à cibo.

Quid sanat.

Commendari potest ad Vomitum excitandum, quando conuenit, lateris dolorib. ruptis, conuulsis, & tussibus, ac Vrina, & mensib. retentis; ictericisq;.

quare?

Dosis poterit esse à dragm. j. ad dragm. iij. nam dragm. j. præbent conuulsis, & pleuriticis, & drag. iij. ad Venena. sed in decocto duplex poterit esse pondus. i. à dragm. iij. ad drag. vj.

quomodo.

debet commanducari radix, vt eius facultas vomitoria in actum ducatur afficiens œsophagum: & ventriculum.

De Atriplice. Cap. XVIII.

Atriplicis duo tantum Genera Dios. & Plin. tradiderunt Hortensis, & siluestris. Nos autem nunc habemus plures species. nam Hortensis vel est alba, vel rubra. siluestris iam cognitæ x. species sunt, & amplius. Marinæ species adhuc tres. ita vt xv. Atriplicis species à Botanicis sint repertæ. nos cum Dios. & antiquis loquemur de satiua alba, & sil. magis vulgata secus vias nascente.

Atriplicis genera.

Gal. 6. de s. m. f. censuit esse frig. in 1. humidam in 2. ventrem lubricans, & *paululum omninò eius est, quod digerendi obtineat potentiam.* Hortensis autẽ tum frigidior, tum humidior est. & addit Gal. *semen eius abstergendi vim habet itaq; ad morbum regium ex pituita infarctu prognatum vtile est.* Dios. etiam scripsit. quod *semen cum aqua mulsa potum regium morbum sanat.* sed quando scribit: *Coctum estur, vt Olus aluum mollit.* videtur dissentire ab Hipp. 2. de Diæta. num. 14. *Atriplex humida est non tamen aluum mouet.* hæc est magna lis, quia duo magni viri opposita loquuti sunt. dicemus nullam adesse facultatem abstergentem, nullam propriè aluum mouentem. sed quando videtur, aluum mouere, id accidit, quia vt ait Gal. Atriplex nullam habet astrictionem, sed valde humida, & aquosa est, obid ventrem lubricando celeriter permeat. itaq; verè dixit experientia ductus Dioscorid. quod aluum mouet, verè Hipp. ratione cognoscens nullam habere vim aluum emolliendi, sed per accidens celeriter permeare ad intestina.

cõtradictio inter Hippocr. Dios.

Solutio.

Semen verò aliter se habet. videtur enim habere validam facultatem soluentem. Nam Serapio ex Rasi scribit. *Semen Atriplicis facit vomere fortiter, & vidi hominem, qui bibit ex eo dragm. ij. & fecit ipsum euomere, & assellare vsq; ad debilitatem magnam.* Mattiolus vero. *Noui ego* (inquit) *pharmacopolam quemdam, qui ad rusticos purgandos Atriplicis tantum semen exhibebat, quod ijs non sine molestia magna aluum abundè ciebat, atq; etiam simul crebros prouocabat Vomitus, quæ tamen facultas paucis, vt puto, hactenus innotuit.*

Semen Atriplicis.

Ad Vomitum concitandum videtur esse vsus Pl. lib. 20. cap. 20. *coctò, vel per se, vel cum malua, aut lenticula concitantes vomitiones.* si hic velimus dicere Plinium voluisse Atriplicis folia, dicemus ea operari lubricando, si verò semen, aget abstergendo, quia Gal. dixit hoc habere vim abstergentem. Quando verò Hipp. 1. de Morb. m. 31. scribit. *Quibus porrò intus manet viri semen, & computrescit, & turbationem facit, his atriplicis semen, aut succum cum melle, aut cum cumino delingendum dato.* credo Hipp. pro Vomitorio leui dedisse. nam Vomitus indicatur. & ipse eo postea vtitur validis excitato. scribens *Quibus vero sexta, aut septima die, à viro immissa prodeunt putrefacta, hit verisimile est, ab vtrisq; fieri, & bilis, & salsuginis influxu. Curare autem sic oportet per Veratrum, aut scammonium, aut peplium: hæc enim sursum, ac deorsum, pituitam, & bilem purgant, & flatus educunt.* Auic. *In semine eius est Virtus lenitiua habentium choleram.* idest leniendo vacuandi bilem, & Gal. abstergendo. sed Auic. per lenitiuum intelligit non quod proprie leniens dicitur. sed quod leniter & imbeciliter aluum mouet Gal. 1. de Alim. f. 1. *Siquidem Atriplex, blitum, malua, cucurbita, quia sunt lenta, ac perhumida, alijs, quæ talia non sunt, celerius subsidunt, potissimum ijs, qui sumptis illis in sole leniter obambulant, sensim modicè cedentia: lubricant enim si quis concutiatur, promptius, quam si quietus iaceat.* Serapio. c. de medicina solutiua scripsit. *Et illud quod est laxatiuum, quod laxat per suam naturam, mediante sua similitudine, aut erit sub specie alterius operationis natura; volo dicere, quod nocet membro cui adhæret propter suam qualitatem, & natura defert eum ad suum contrarium, ad expellendum à membro suum nocumentum, sicut apparet in aqua casei, quia est frigida, & humida. & substantia eius est aquosa, & ipsa purgat choleram calidam, & puram ab omni alio humore, & sic curat accidentia cholera, & mundat hepar à suis superfluitatib. adustis existentib. extra naturam quantitate, & qualitate. Et Atriplex similiter, quia ipsum expellit choleram à corporibus ictericorum, & est frigidum, & humidum, & eius aqua propriè mundat croceitatem oculorum, quando sunt tincti colore simili croco, quando fit ex eo caputpurgium, & hæc medicina est illa, quæ purgat ex sui natura mediante contrarietate sui.* Isaac de Dietis. *Semen eius est mundificatiuum, & colatiuum. Quare vtilis est habentib. icteritiam, quæ est de oppilatione hepatis: nam, si dragm. ij. cum melle, & aqua potui dentur, cholericis vomitus prouocabitur.* Herbarius Vulgaris. *semen atriplicis cum aqua raphani, & parum croci mista, si sumantur in multa dosi cum multa tepida à ieiuno promouet Vomitum, atque etiam aluum, immo accipiendo solum succi Atri-*

Plinius explicatur.

Hippocr. dilucidatio.

Auic. & Gal. discordes.

Serapio.

aliqua solutiua purgant per similitudinẽ. alia per cõtrarietatem. vt secum, et Atriplex frigida, & humida purgant bilem cal. & siccã.

Isaac.

plicis

plicis dragm. ij. vel iij. aluum purgat.

Quid agendum;

Ad purgandum bilem ex Auic. & Serap. immo pituitam ex Gal. in ictericis præcipue. sursum, & deorsum. Vtile erit semen, & succus ad aluum purgandam. Herba autem vt Olus cocta aluum mouet ex Diosc. Gal. Auerroe. decoctum, & succus per nares trahunt vt croceitatem oculorum:

quando. *quomodo.*

Seminis, aut succi dragm. duæ dantur cum Mulsa Diosc. cum Melle, aut Cumino dat Hipp. cum Mulsa etiam Isaac. aliqui dant cum mulsa tepida, decocto raphani, & parum Croci.

quando:

De Brassica Hortensi.
Cap. XVIV.

BRassicæ iam constat plures esse species, & ipsius laudes fuisse celebratas ab Hippocrate, Pythagora, Catone, Chrysippo, Dieuche; Erasistrati Schola, Apollodoro; Philistione, vt testatur Plinius, & alij, taceo Dioscoridem, Galenum, & posteriores.

Huius duo tantum genera attulit Dioscorides. tres Theophrastus 7. de Hist. Plant. cap. 4. & cum ipso M. Cato. quibus videtur assentiri Plinius lib. 20. cap. 9. attamen lib. 19. cap. 8. alia genera affert: nempe Brassicam Tritianam, Cumanam, Ariciauam, Pompeianam, Sabellicum, Lacuturrem; Nostri autem plures adhuc species inuenere, ita vt referat Bauhinus circa 28. differentias. Cum autem ex Catone, & Theophrasto, Hortensis Brassica vel læuis, vel aspera sit. λεία. idest læuis grandibus, & latis folijs, ac caule magno est. Crispa vero, quæ vocatur σελινοειδής, seu Apia, ex Theophrasto succi bonitate, & folij amplitudine læui præstantior est, & ex Catone etiam altera validior est. statuemus igitur Brassicam nostram Crispam, & atro virentem omnibus præponendam, & de hac verba faciemus.

Brassica genera.

Brassica abstergit.

In Vniuersum autem de subductoria facultate statuendum cum Galeno ipsius succum abstergere, & siccare. & Dioscorides scriptum reliquit. *Brassica satiua aluo idonea est, si modo leuiter feruefacta edatur. Nam percocta aluum sistit: sed multo magis bis cocta, aut quæ in lixiuia coquitur.* deinde ait. *Crudus succus cum nitro, & iri deuoratus, aluum emollit.* deniquè. *Decoctum eius potu, aluum, & menses ciet.* Gal. autem 2. de Aliment. fac. *Ergo Brassica succus purgandi vim quandam obtinet, contrà solidum eius corpus siccitatis ratione cohibere magis, quàm incitare deiectionem potest. Proindè cùm expellere alui excrementa propositum erit, aheno, in quo elixa vnà cum aqua fuit, propiùs admoto, ipsam eximere confestim, vasculoq; in quo paratur, oleum cum garo injicere oportebit: si salem pro garo sumas, nihil refert. At humentem aluum siccare volentes, cum mediocriter bullisse videbitur, priore aqua effusa repentè, aliam calentem injicimus: ac ita rursus in eadis coquimus vsq; dum tenera, flaccidaq; euaserit. quod non facimus, cum ventris subducendi gratia sumitur.* Sed Cato scripsit Aluum bonam facere, & docet condituram, vt aluus benè deijciat; cum perna, piscibus, & alijs vt gratior sit potio. Plinius autem ex Græcis. *Biles detrahere non percoctam putant. Item aluum soluere, eamdemq; biscoctam sistere:* sed de facultate soluente inferiorem aluum satis, quæ abstersoria dicenda est, educens obuias in intestinis materias.

Brassica aluum mouet.

Brassica Vomitoria.

De facultate Vomitoria admodùm ieiunè tractarunt Græci, & Plinius. nisi dixerimus, cum Dioscorides ait *stomachum male habet.* & Plinius *Biles detrahere* innuisse facile per Vomitum posse educi. Vnus ex omnibus, quòd meminerim, Vomitorium ex Brassica docet. Cato de Re Rustica. tit. 156. *Aluum si voles dejicere superiorem, sumito cymam Brassicæ, quæ læuissima erit pe. iij. indè facito manipulos æquales tres, colligatoq; Postea ollam statuito cum aqua. vbi occipiet feruere, paulisper dimittito vnum manipulum, feruere desistet. Postea ibi iterùm occipiet feruere, paulisper dimittito vsq; admodum dum quinquies quinq; numeres. Tum eximito, & ita facito alterum manipulum, & item tertium, postea eximito, & contundito, & per linteum exugeto succum, quasi heminam, in pocillum fictile. Eò indito salis micam quasi eruum, & cymini triti quantum oleat. Postea ponito pocillum in sereno noctu. Qui poturus erit, lauet calida, bibat aquam mulsam, cubet incœnatus. Postea mane bibat succum, deambulet horas quatuor, & agat, negotij; si quid habet: Vbi libido veniet nausea, eumq; apprehendet, decumbat, purgetq; sese. Tantum bilis, pituitaq; ejciet, vti ipse miretur, vndè tantum fiet. Postea vbi deorsum versus ibit, heminam aut paulo plus bibat. Si ampliùs ibit, sumito farina minuta conchas duas, infriet in aquam, paulùm bibat, consistet. Verum quibus tormina molesta erunt, Brassicam in aquam macerare oportet. vbi macerata erit, conjicito in aquam calidam, coquito vsq; dum ea commadebit bene, aquam defundito. Postea salem, & cumini paululum, & pollinem polentæ, & oleum eodem addito, deindè iterum feruefacito. Infundito in catinum, vti frigescat, eo cyminum interito, quod volet cibi postea edat; sed si poterit solam brassicam esse, edat. Et si sine febre erit, dato vini atri duri. Aqua tum bibat quam minimum. si febris erit, aquam bibat. Id facito continuò quotidie mane. Nolito multum dare, ne pertædescat, vti possit porrò libenter esse. Ad eundem modum viro, & mulieri, & puero dato.*

Catonis Vomitorium.

Quid agendū. *quomodo.* *quãtum.*

Quoties igitur in alicuius Ventriculo molesta adfuerit, bilis, vel pituitæ copia, ius brassicæ ex vsu esse poterit, absterget enim valide. quod vel simpliciter parabitur, vel Catonis modo. & potio fit ad duas, vel tres libras. Cato dedit sui iuris validioris heminam. quæ pendebat vncios x.

De

De Brassica Siluestri. Cap. XX.

BRassicæ siluestris vnum Genus tradiderunt Antiqui, at Bauhinus sub hac decem collocat species, nos loquemur de Viribus illius. Brassicæ siluestris, cuius meminere Veteres, quæ satiuæ similis est, sed candidior, & amarior. & reperimus in Insula Capræ prope Neapolim sponte natam.

Theophrastus. Et huius quidem vires purgatorias non attulit Dioscor. sed Theoph. 7. de Hist. Pl. cap. 4. *succum asperum,* inquit, *& instar medicamenti habet, quamobrem eo medici ad aluum purgandam sapè vtuntur.* *Cato.* Cato autem *quæ apiacea vocatur minutis caulibus, tenuioribus folijs, & acerrima omnium est istarum, tenui succo vehementissima. Et primum scito, de omnibus Brassicis nulla est illiusmodi medicamentosior.* deinde scripsit. *Brassica erratica maximam vim habet. eam arefacere, contereréq; oportet benè minutim, si quem voles purgare, pridie ne cœnet, & mane ieiuno dato Brassicæ tritæ, decoctæq; aquæ cyathos quatuor, nulla res tam bene purgabit, neq; elleborum, neq; scammoneum, & sine periculo, & scito salubrem esse corpori. Quos diffidas sanos facere, facies. Qui hac purgatione purgandus erit, sic eum curato, sorbitione liquida hoc per dies septem dato. vbi esse volet, carnem assam dato. si esse non volet dato brassicam coctam, & panem, & bibat vinum lene dilutum, lauet raro, vtatur vnctione, qui sic purgatus erit diutina valetudine vtetur, neq; vllus veniet morbus nisi sua culpa.*

Quid agendū. Ergo huius vsus vtilis esse poterit in corpore cachetico, viribus existentib. validis: nam *quantū.* videtur esse Medicamentum Rusticorum decocti Cyathos quatuor exhibebat Cato.

De Calamentho. Cap. XXI.

CAlaminthæ tres species attulit Dios. at ex recentiorib. 7. species proposuit Bauhinus. est autem Calamētum montanum, quod in siluis oritur. pratense, Nepetam, & substantia pulegium dictum. secundus aquaticum.

Calamenthi vires. Quoad Vires ex Dios. acre est, menses, & vrinas ciet, prodest ruptis, conuulsis, orthophneæ, torminibus, choleris, Elephantiacis, regium morbum expurgat, præsumpta in Vino Veneuis resistit. Plin. lib. 20. c. 14. scribit succum naribus instillatū profluuium sang. sistere. & dixerat Dios. cholericis valere; vndè potius *astringit.* adstringet, quàm soluet aliquid. Gal. Vires à Dios. illi assignatas. 8. de si. m. f. tribuit calori, acrimoniæ, amaritudini, & facultati digerenti, abstergenti, deobstruenti, extenuanti, & incidenti crassos humores. nec quicquam de facultate, & vi Vomitoria, vel soluente retulerunt Veteres.

Tamen reperio Arnaldum lib. de Venenis scribentem. *Decoctum continuè sumendo florum Calamenthi, eodem modo soluit, vt Elleborus,* & *Calamenthum Vomitorium.* quum non explicet quale elleb. intelligetur albus. sed clarius, & copiosè Auic. *quandoq; facit vomere phlegma.* deinde. *Et siluestre quidem soluit Ventrē sufficienter.* paulo post. *Et montanum solutione educit choleram nigram, & sit quod de eo sumitur in potu xx Kirat cum ialeb, & illud quandoq; operatur species calamenti siluestris, & omnia illa confortantur, quando permiscentur cum aceto, & rob pauco, & rectius quidem est, & teratur, & spargatur super acetum commistum cum aqua, & sale, & bibatur, & illud, quod nominatur albauiam extrahit superfluitates melancholicas, ex via vrina, & calamenthum siluestre, quandoq; operatur omnia illa.* Hipp. autem primus omnium scripsit 2. de diæta. num. 14. *Calamintha calfacit, & purgat.* non est igitur negandum Calamēthum posse iuuare Vomitum. leue tamen ex ipso fiet Vomitorium, sed valide abstergens.

Igitur vti licebit decocto Calamenthi cuiuscumuis speciei pro euomenda pituita crassa, & viscida in casibus, quibus conferre calamenthum *Quid agendū.* diximus.

Dosis ipsius Calamenthi ex Auic. sunt xx. Kirat. quod si Kirat est pondus 4. granorum hordei. dosis ista erit ad grana 80. *quando;* & g. viij. & secundum eos, qui faciunt dracmam 60. granorum, erunt scrup. iiij. quæ dosis pro decocto pauca est. & de puluere assumendo intellexit Auic. at in Decoctione, vnus Manipulus seu fasciculus, ascendens ad vnc. ij. videtur conueniens.

De Cepa. Cap. XXII.

CÆpas vomitum, proritare non modo tacuerunt Dios. & Plinius, sed potius contrarium scripsisse videntur. nam Dios. *appetentiam inuitare, & aluo vtiles esse scripsit.* Plinius autem lib. 20. cap. 5. *Coctas disentericis vescendas dedere:* deinde ex Asclepiade subdit. *& si ieiuni quotidie edant firmitatem valetudinis custodiri, stomacho vtilia esse, ventrem mollire.* Gal. 12. methodi c. 1. ad dysentericos.

contradictio. Contra tamen Hipp. 1. de M. Mul. nu. 101. *Post cœnam autem, vbi cæpas melle tinctas comedit, & aquam mulsam tepidam, quatuor heminarum mensura bibit, & paululam continuit, vomat.* & 6. Epid. ex parua Tabella. *Adamantus Melancholicus à Peplijs pluribus vomuit aliquando nigra, quandoq; à cæpis.* *solutio ex Valesio.* Valesius in huius textus comm. idest sect. 8. tex 35. conatur supradictos Autores conciliare dicens cæpas largius ingestas; quia anxietatem stomacho inducunt Vomitum proritare, & verè quidem Cæpas parcè acceptas mouere appetitum, *conciliatio vera.* ingestas abundanter, fastidium, nauseam, & Vomitum mouere. sed quia locus de M. M. explicat

locum

locum Epid. mihi videtur Hipp. nihil dissentire à Dioscoride, nec valde copiosas cæpas esitari voluisse, vt monerent vomitum. sed edi cum melle, quia vim habent incidentem, attenuantem, acrem, & abstergentem, vndè misceri possunt cum crassa pituita in Ventriculo stabulante, eamq; præparare ad Vomitum. cum autem Vomitum vult prouocare Hipp. propinat 4. heminas Mulsæ tepidæ, quæ & nimia dosi, & tepore granat, & laxat ventriculum, & ideo si paulo post æger vomere voluerit, digito immisso, intentum assequetur. vtitur ergo Hipp. cæpis ad abstergendum tantùm. Aliter autem Mesues Cæparum semine vtitur. Nam Theor. 1. tex. com. 15. semen Cæparum inter clementia vomitoria, quæ vi nulla, aut minima naturæ molestia, educunt, reposuit, quo nos vti poterimus aqua decocto.

Quid agendũ. In Rusticis igitur, qui amant Cæpas, licebit, tum istis, tum harum seminibus decoctis vti pro vomitu abstersiuo iuuando ad Melancholiam vomitu è ventriculo abstergendam, *quantũ.* ipsas abundanter comedendo, vel cum Melle: seminis autem decocto ad lib. ij. nam Hipp. iubet quatuor heminas Mulsæ. i. vncias 40. superebibendas esse.

De Cucumere. Cap. XXIII.

Teoph. σίκυος Pepo. σικύα cucumis vertit Gaza.

ANtiqui *eius* nomine comprehendisse videntur ferè omnes huiusmodi horarios fructus, & latinè redditum esse *Cucumerem*. Plinius Cartilaginei generis dixit. Ægineta Horarios fructus. nos relictis disputationibus dicemus Romanorum, & Serapionis Citreolum esse Antiquorum Cucumerem. ab Hipp. vocatum fuisse *Cucumerem non peponem*. Alios verò opponere Cucumerem satiuum, & siluestrem. Mecum sentiunt Mattiolus, Fuchsius, Brunfelsius, Dodoneus, Lonicerus, Castor Durantes, Tragus, Anguillara, Turneisser, Lacuna, Fracastorius, Tabernamontanus, Dodoneus, Gerardus, Cordus in Dioscoridem, Lobellius, Lugdunenses, & Bauhinus. id autem demonstrat Cucumeris siluestris forma. nam Diosc. *Cucumis siluestris* (inquit) *fructu solo distat à satiuo Cucumere, quem longè minorem parit oblongis glandibus non dissimilem, folia, atq; sarmenta satiui*. igitur, qui plantas citrioli conferet cum Elaterij planta, quæ cucumeris siluestris est, facile agnoscet, nostros Citreolos esse Cucumerem antiquorum. cum Pepo ipsi nequaquam assimiletur, nec folijs, nec forma fructuum, cum perpetuò sint rotundi. nunquam autem rotundi fuere cucumeres Antiquorum; sed oblongi, vt Patet ex Plinio. & confirmatur ex Athenęo lib. 3. c. 2.

Citreolus Romanorũ. *Athenæus.*

Est Cucumis visus mihi terræ filius almæ,
Inter grata iacens olera, mensasq; tenebat
ille nouem.

Meminit etiam Euthydemus lib. de Oleribus. Cucumeris Anguini. Plinius verò. *Crescunt*, inquit, *qua coguntur forma; in Italia virides, & quam minimi, in prouincijs, quàm maximi, & citrini, aut nigri*. deinde ait. *Natura oleum odere, nec minus aquas diligunt, directi quoq; ad eas modicè distantes adrepunt, contra Oleum refugiunt, aut si quid obstet, vel si pendeant, curuantur, idq; vel vna nocte deprehenditur, si vas cum aqua subijciatur à quatuor digitorum interuallo descendentibus ante posterum diem, at si Oleum eodem modo sit, in hamos curuantur. ijdem in fistula flore demisso, mira longitudine crescunt*. similia refert Theoph. 5. de caus. plant. cap. 6. Hipp. de Genitura num. 8. Dionisius Vticensis lib. 12. cap. 19. & alij, quæ omnia non nisi citreolis adaptari queunt, qui longi, & curui sunt, cucumeres autem Romanorum perpetuo rotundi. cum autem Theoph. 7. de Hist. Plant. cap. 4. Cucumeris tria genera faciat Laconicum, Scytalium, Bœotium, & ex his dicat Laconicum meliùs rigatum euadere, reliqua non rigata præstantiora esse, nec alias notas addat, impossibile erit determinare ad quod genus reduci debeat noster citreolus, nisi dicere voluerimus lacouicum esse Peponem, vt altero capite dicemus. *Plinius.*

Vires. Vires præterea Cucumeris nostram confirmant sententiam; nam Plinius. *viuunt*, ait, *hausti in stomacho in posterum diem, nec perfici queunt in cibis, non insalubres tamen plurimum*. Dios. autem. *non corrumpitur*, idest non coquitur. & Gal. horum substantia minus est humida, *Galenus* ideoq; non facile, vt pepones in ventriculo corrumpuntur. hoc autem nostris citreolis omninò conuenit, qui non ita facile vt Melones, & Pepones concoquuntur, & digeruntur. sed sępe posterò die in ventriculo sentiuntur.

Quo ad facultatem Vomitoriam Oribas. 8. collect. cap. 22. ex Diocle, *inter Vomitum prouocantia familiare est huiusmodi, dilutum cucumerum tenerorum, & in frusta sectorum, & aqua maceratorum, qua deinde temperemus potum, quem à cœna tepidum sumamus*. sed Diophilus Carystius apud Atheneum lib. 3. c. 2. Cucumerem priùs sumptum perturbare asserebat, propterea, quod sursùm fertur velut raphanus, ac postremum esum iucundiorem esse, & facile digeri. cui opponitur, tum communis noster vsus citreolorum in initio cum acetarijs, tum Hipp. de Affect. 50. & 2. de Dięta 15. *Cucumeres crudi frigidi sunt, & agrè concoctiles, Maturi autem, & Pepones minguntur, & per aluum recedunt, verum flatuosi sunt*. Vocat autem Hipp. *Cucumeres non pepones* vt distinguat à Peponibus, qui maturi expetuntur. sed conciliare possemus dicentes Cucumeres initio cęnæ assumptos difficile concoqui cum Hipp. at postremò facile cum Diophilo, qui vult experiri potest. Oribas. 7. collect c. 21. ad Vomitum laudat Cucumeris semen maceratum, & leuigatum si cum melle offeratur, aut Cucumeris radicem tritam; mirum enim in modum vomitum citat. Aetius etiam ser. 3. c. 119. Cucumeris satiui radicem tritam cum melle, vomitum moue-

in Vomitoriis. *Diophilus.* *contra Hippocr.* *solutio.* *Oribasius.* *Aetius.*

monere scripsit. & Actuar. 6. Meth. c. 8. Cucumeris fatiui radix trita ex aqua mulsa drachmæ pondere epota vomitiones prouocat. Quod si quis à Cœna leuiter vomere cupiat, oboli duo satisfacient.

De Eruo. Cap. XXIV.

Orobos Græcè, latine Eruum, officinæ Orobum. semen est leguminis de quo Diosc. lib. 2. c. 102. *aluum esu turbat*. deinde de farina. *aluo vtile est, sanguinem per Vrinam, aut aluum cum torminibus elicit, si largius à cibo, aut potu sumatur*. Gal. verò, 8. de s. m. fac. calidum 1. siccum 2. posuit, & ob amaritudinem incidere, extergere, & obstructiones tollere: Hipp. verò 2. de Dięta num. 8. *Eruum aluum sistit, & robustum est, & crassescit, & explet, & boni coloris hominem facit*. & 2. Epid. sec. 4. *his qui Eruo vescuntur genua dolent*. quod repetit 6. Epid. sec. 4. at quod extergat patet ex Hipp. de M. Mul. 62. 67. 68. 72. 85.

Orobus Vomitorius. Ad Vomitum autem valere Eruum non scripsit Hipp. sed Plin. lib. 22. cap. vltimo. scripsit. *Vomitiones mouet, aluum turbat, capiti, & stomacho onerosum, genua quoq; degrauat*. & ipse Hipp. 7. Epid. 40. scripsit. Cholericas bilis sursum, ac deorsum eruptiones ex erui esu fieri: Hippocrates. immo 3. de morbis in fine quando scripsit. *Eruum in aqua præcoquito, deinde ollam nouam, in maiorem ollam aqua plenam ponito, & alia aquā eruo affusa, ad modicum tempus coquito. postea vbi coctum fuerit eruum; tertiam aquæ partem reliquam excolatam bibendam dato, ita vt ad singulos cyathos, & cucumeris, & Erui pollinem inspergas. hoc constanter sitim sedat*. Vomitorium dedisse mihi videtur, quod non aduertit Salius censens potionem esse tenuem, subdulcem, ac refrigerãtem: nec censeo Hipp. proijcere primum decoctum. sed aquæ resolutæ aliam addere, quia Eruum multam requirit coctionem, vel melius. decoquit eruum in Balneo M. & aliam aquã eruo affundit, idest in olla noua continente Eruum; nam cum parum coquat, non valde consumetur, prebet tertiam partem decocti. idest superficiem ne fundus aquæ turbidior, & recipiens Erui substantiam (quæ sistit aluum) sit astringens; sed quærit tantum abstersionem, quum assumit superficiem decocti, non multum cocti.

Posset etiam dici. præcoctum in aqua Eruum. deinde in ollam nouam in B. M. iterum modicè coquere, ita tamen vt tertia aquæ pars remaneat, quam exeolatam exhibet: sed ista est modica coctio.

Hoc autem decoctum erit Amarum, calidum, siccum, abstergens, & Vomitorium, nec vllo modo subdulce, quia etiam farina super addita est amara, & nauseosa. Cucumeris caro recens, vel in pollinem siccata Vomitoria est. vt suo loco diximus: quare potio erit Vomitoria. & nullo modo refrigerans, ac febri ardenti commoda primo & per se. sed copiosè sumpta ad multos Cyathos, & Vomitu excitato adeo absterget tur bilis in Ventriculo fixa sitim causans, vt verè dicir possit cum Hipp. quod constanter sitim sedat. non qualitate frigida; sed abstersione materiæ siticulosæ.

Quid agendū. Quum igitur Eruum magis detergat quam Lens, ob amaritudinem, eius decoctum potentius Ventriculum exterget, quam Lentis, ideo dari poterit in viscida materia causante sitim, & alia symptomata.

quātum: Dandum est copiosè, vt optimè abluat.

quando: Quando indicans adest.

quomodo. Decoctum sufficienti in aqua. & vel per se, vel alijs admixtis, incidentibus, detergentibus, soluentibus.

De Hyssopo. Cap. XXV.

Hyssopus legitima, eo, quod *ὑσσωπος γνήσιος*, siue vulgaris, omnibusq; veterum quo nota esset, rara nunc, maximeq; difficilis notitiæ paucisq; admodum cognita existit. ita vt videatur ipsius *γνήσιον* ob quam antiqui eius inserere descriptionem sciis doctissimis monumentis, minimi fecerunt, eiusdem nunc *ἄγνοιας* esse caussa: notitia plantarū peperas ignorantiam. cuiusmodi multa apud Dioscoridem inuenies; quæ ipse *γνώριμα* appellat, attamen nobis hoc tempore, si non penitus ignota; certè magnarum, difficiliumque quæstionum causa. Oritur enim ex defectu descriptionum immensa rerum quæsitarum inuestigandi difficultas, ferèq; indissolubiles quæstiones. Namq; si multæ plantæ, quarum tamen dilucidas, perfectasq; habemus descriptiones, sunt ignotæ, quid dicendum, sperandumuè de illis, de quarum facie, & figura nè notam quidem, vel vix habemus, & obscuram, ac dispersam? aunè de earum notitia desperandum? quo modo sine vestigio insequendæ? sed quid de Hyssopo? *ἡ γνήσιος* ex Anazarbeo, certè herba ignota nunc esset verè dicenda, & est de facto ita omnino dicendum, ipsius enim imbecillia signa, sparsaq; notæ adeò auctores Botanicos defatigarunt, vt plures pro Hyssopo suppositæ plantæ fuerint inter se plurimum distantes, veluti officinarum Hyssopus, Gratiola, Polium vulgare, & Hyssopus alia Delecampij. itaut sub iudice adhuc lis sit, quæ dicenda Vera genuinaq; Antiquorum Hyssopus. Hyssopus ignota.

nomen. Circa nomen, doctissimus Columna in principio Capitis hæc legenda proponit. *Hyssopum Græcè ὑσσωπος dictum videtur, quasi ὕσωπον pro χεόμενον ἐπὶ τὰς ὦπας, quia super vultus effundatur, ἀπὸ τοῦ ὕω, vero, quod est perfundo, & ὦψ ὠπὸς, aspectus, vultus, facies. Nam & antiquitus ad expiationem peccatorum vsos fuisse Hyssopi aspertione, &c.* paulò post addit. *Atq; hac deriuatione Hyssopum dictum, per simplicem, S. scribi deberet Hysopum, sicut in quibusdam Plinij codicibus impressis legitur antiquioribus*.

Miror

refellitur Columna. Miror non citasse Æmilium Macrum Hysopum per simplicem, S, scribentem. Mihi tale Hyssopi Etymon non placet. nam Græca vox cum sit, non hebrea, non est dicendum, hoc nomen à Græcis impositum ob visum, quem apud Hæbreos habebat: Græcis quidem, non Credo legisse Columnam, in vsu fuisse Hyssopum pro aspersione ante legem nostram: aliud igitur apud Græcos nominis Etymon. Arabicè quidem Zufa, vt etiam testatur Columna, apud Serapionem Capha legitur, & dicitur, hæc nomina inuestigare oportebat, an ab aspersione deducta erant. Zaluzanius autem in sua Methodo Herbaria, & Bauhinus in Pinace dictum scribunt. quasi *ὕσμενος εἰς τὴν ὦπα impluens in Visum.* sed hæc aspersio mihi non probatur vt dixi. subiungit Zaluzan. *aut potius ἐκ τοῦ ὑπὸ quia ea, pulmonibusq; vnicè prodest.* & hoc mihi magis probabile videtur, tamen hac etiam derivatione per simplicem, S, scribi deberet, & forte *ἄσσινος*. non *ὕσσινος*, an verò potius ab *ἴσσα* *calamitas* & *ὄψ, ὀπὸς* vox. quod conferat calamitati vocis, vel melius ab *ἴσος* tráquillitas, & *ὄψ*, quod tranquillitatem vocis efficiat. à virib. enim vel figura credendum est nomen illi imposuisse Græcos, non ab illo vsu, quem apud hæbreos habebat. *Etymon aliud.*

Nobis, vt rectam, solidamq; proferamus in hoc casu sententiam, iudiciumvè nostrum, opus primo erit, pro Quæstionis Basi, fundamentoue Hyssopi descriptionem eruere hinc inde, à varijs locis, Veterumq; vestigijs, & ex hac optime dilucidata, veluti ex Polycleti norma propositas pro Hyssopo plantas examinare, & vel approbare, vel refellere. erit igitur Hyssopi descriptio istiusmodi. *Hyssopus est herba antiquitus vulgaris, cuius duo sunt genera. aliud enim Montanum, aliud vero hortense. Planta est surculosa Teucrij ramis, folijs sampsuco, seu Origano Heracleotico similibus, ac ob albedinem similioribus Onitidi, quo tamen est Candidor; vmbellam, seu comam rotundam habet, ac densam corymbis refertam similem, Chrysocomæ; sapore acri est herba tota, & ad condimenta vtilis.* hæc descriptio, quia aliquas posset pati difficultates, sic erit particulatim comprobanda, atq; confirmanda. *Hyssopi descriptio.*

Descriptionis resolutio. Dicitur autem primo. *Hyssopus est herba antiquitus vulgaris*, quod difficultate caret, cum ex Dioscoride clarè constet, *τὰ γνώριμα* dicente.

Hyssopi genera contra Columnam. Secundo ponitur. *Cuius duo sunt genera. aliud enim Montanum, aliud verò hortense.* sic Dioscorides, *δισσὸν, ἡ μὲν γὰρ τίς ἐστιν ὀρεινὴ, ἡ δὲ κηπευτή*. Quæ si considerasset Clarissimus vir F. Columna neutiquam dixisset Hyssopus Antiquis non connumerari inter herbas hortenses: non solum ex Dioscoride hoc discere poterat; sed etiam ex Auicenna scribente. *Hyssopus alia montana, alia Hortina.* nec non ex Mesuè, qui refert. *Hyssopus alia hortensis, alia montana*: idem quoq; legitur in quodam Galeni libello inter spurios, de simplicib. medicamentis hisce verbis. *Hyssopus herba est, est verò Erraticum, & Hortulanum*. Addam etiam Cornelij Celsi auctoritatem scriptoris nunquam satis laudati, qui lib. 2. cap. 30. sic loquitur. *Vtinam autem mouent, quæcumq; in horto nascentia boni odoris sunt, vt Apium, Ruta, Anetum, Ocimum, Menta, Hyssopum, Coriandrum*. nonnè Celsus enumerat Hyssopum inter ea, quæ in Horto nascuntur? at q; in horto nascuntur, & coluntur, nõ nè Hortensia? Erit igitur Hyssopus planta antiquitus hortensis etiam. *Hyssopus hortensis.*

Tertio *Planta est surculosa Teucrij ramis*. hoc ex Plinio mutuauimus, qui lib. 25. cap. 5. sic habet. *Quidam ramis Hyssopi surculosam, folio fabæ Teucrion appellant*. Quid autem intelligat Plinius per Teucrium folio fabæ, inter auctores non satis constat: alij enim idem cum Dioscoridis Teucrio censent, alij verò eam esse plantam opinantur, quam vulgo itali faua grassa appellant, aliqui Telephium. sed Teucrij inuestigandi non est nunc locus: satis quidem colligitur ex Plinij verbis Teucrium esse plantam surculosam, quod confirmatur etiam, quia ex Crateua Hyssopus similis dicitur, Sampsuco, quod surculosum à Dioscoride nuncupatur. *Hyssopus surculosa.*

Quarto. *folijs sampsuco*. Hoc desumpsimus ex Crateua apud Angnillarium. quod confirmatur ex Isaac ebem Amram, tum apud Serapionem tum etiam apud ipsum Columnam. *Ramuli eius, & folia sunt similia folijs maioranæ.* Columna vero de magnitudine interpretatur *frondib. & ramis magnitudine similibus magnitudini Maioranæ*. sed iterum addit Serapio. *& ramuli eius sunt paluerulenti, quorum grossitudo est sicut ramulorum Maioranæ*. si hic explicat se loqui de magnitudine, ergo prius egerat de figura, immo ob maximam similitudinem non solum formæ, sed etiam essentiæ Auic. pro Hyssopo substituit Sampsucum. quid sic verum Sampsucum suo loco explicabimus, & verò Sampsuco assimilari debet vera Hyssopus. *similitudo sampsuci.*

Quinto posuimus etiam in præscripta Hyssopi descriptione *folijs Origano Heracleotico similibus, ac ob albedinem similioribus Onitidi, quo tamen est candidior*, & Genuina Origana alibi explicauimus. itaq; rotunda potius, quam longa Hyssopi folia erunt, qualia Sampsuco, & Origano. Dicimus etiam tantam esse affinitatem inter Origanum, & Hyssopum; vt Plinius contentus fuerit in describendo Onitide dicere. *Onitis non dissimile Hyssopo*. & pro Origano substituitur Hyssopus à Galeno 6. de comp. med. z. loc. cap. 1. aiente. *Origanum in Sapa feruefacito, flemoticumq; pharmacum addito, ac gargarizare iubeto, si verò neq; sapa adsit, in aqua mulsa Origanum coquito, nihil autem refert, etiamsi Hyssopum conijcias pro Origano, aut Pulegium, aut Thymum*. similiter idem Gal. libello de substitutis medicinis pro Hyssopo substituit Thymum, pro Pulegio Hyssopum. Origanum enim Thymum, & Pulegium acria sunt, acer *Origani similitudo.*

N 2 etiam

etiam Hyssopus, vt posteà probabimus.

folio albo. Præterea Hyssopum esse folio albo, satis claret, quia si ex duobus Origanis, illud, quod est candidius (s. Onitis) ob candorem similius est Hyssopo, sequitur necessario ambobus candidiorem esse Hyssopum. Possumus etiam referre maiorem candorem ad respectum folius heracleotici, & maiorem similitudinem Hissopi ad formam tantum, non ad colorem; haud enim dicitur ideò, seu ob candorem esse magis simile: sed tantum particula [illegible]. cum dicat Serapio ex Isaac chem amram. *Herba quidem est viridis, sed postea citrinescit.*

Sexto in descriptione ponimus: *Vmbellam, seu comam rotundam habet, & densam Corimbi figura similem Chrysocome.* Collígitur hoc ex Dioscoridis verbis cap. de Origano, & chrysocome: scribit enim *Origanum Heracleoticum folium habet Hyssopo non dissimile, vmbellam autem non rota modo: sed veluti in plures partes diductam, & in summis virgis semen non densum.* & de Onitide. *Candidius est folijs, & magis simile Hyssopo, & semen veluti coniunctos corimbos indiuisos habet.* & cap. de Chrisocome scripsit. *Chrysocome virgula est palmaris habens comam corimbi figura similem Hyssopo:* constat igitur Origanum habere Hyssopi [illegible], seu vmbellam, & Chrysocomæ [illegible] seu comam, de Agriorigano etiam dixit habere [illegible] Anethi: miscuit igitur Dioscorides Comam, & vmbellam, & meminit Corimbi, quamobrem hæ voces nobis explicandæ veniunt.

vmbella Chrysocoma.

Coma igitur plures habet significationes, principaliter tamen, & propriè *Coma* dicuntur (si Festo credendum lib. 3. *capilli cum aliqua arte compositi, [illegible] ab ornando.* vt aliquib. placet, vel potius [illegible], quod est cedere, & idem significat. Vndè *Cæsaries* apud latinos, quod ornatè cædantur: & à longitudine Comæ dicta est quædam pars Galliæ, Gallia Comata. sic Ouid. 4. Trist. Eleg. 7.

Coma quid.

credam priùs ora Medusæ
Gorgonis anguineis cincta fuisse comis.

Legitur etiam apud Aristotelem. 1. de Arte Rethorica. apud Laconas comam nutrire laudabile fuisse, quoniam non sit facile seruire, & aliquod opus facere crinitum hominem, libertatis ob id apud eos indicium erat. Ad plantas deindè Comæ nomen, Analogia quadam, translatum est, & quidem vario significatu: vel enim foliata coma est, vel florida, vel capitata, vel Corimbacea, sumitur etiam promiscuè quandoq; pro vmbella, vel capitulo, vel inutili quodam naturæ conatu. vt legi apud Theoph. 4. de Hist. pl. c. 8. *Papirus coma inutili [illegible].* & de Sari quoq; scripsit. *Comam similem gerit.* & lib. 4 cap. 4. dixerat de ficu indica. *Arbor comam supernam lasciuam gerit.* Comam etiam sumpsit Diosc. pro capitulo. cum dixit *flacbat coma Thymi.* Thymū vero scripsit ferre capitula. Comam prætera accepit pro *Vmbella.* cap. de Anetho scribens. *aridi Anethi coma.* & de Hipposelino. *Coma Libanotidis florum plena, dependentib. in cacumine corimbis.* & clarum est Anethum vmbellam ferre, sicut etiam libanotidem. vt ipse quoq; memorat. Plinio etiam scribere placuit *Sibacas coma Hyssopi.* à multis autem sumitur hoc nomen pro omni plantarum summitate, quam dicere poterimus foliatam comam, vnde Virgil. 4. Georg.

Analogia Comæ.

Coma inutilis.

pro Capitulo.

pro Vmbella.

Ille comam mollis iam tum tondebat Acanthi. *coma foliata.*

Plinius autem lib. 12. cap. 25. *Balsamo* (inquit) *foliam proximum Rutæ perpetua Coma.* hinc Fracastorius in Syphilo loquens de Suriaco ligno. lib. 3.

Diffundit semper viridem, semperq; comantem
Arbuteis siluam folijs.

Similiter Theoph. 4. de Hist. Plan. cap. 18. *Quam verò* (inquit) *decacuminationem appellant, tantum inter arbores Pino, Abieti, Piceæ, Palmęque assignatur, quidam, & Cedro, & Cupresso referunt. Hæ enim detracta coma, decisoq; cacumine tota intereunt.* Comæ nomen etiam pro flore sumptum repetio. apud. Virg. 4. Georg.

pro summitate.

Cresceret in Ventrem Cucumis, nec sera comantem
Narcissum, aut flexi tacuissem vimē Acanthi. *pro flore.*

pro serò florentem. sic à Coma dicitur Hyacinthus comosus, flos scilicet. Characia etiam Tithymallus dicitur à Dioscoride habere comam, sicut etiam Dendroides vocatur [illegible], quorum coma ex floribus herbaceis est compacta. Coma Capitata erit illa de qua Dioscorides in Psillio mentionem facit. *[illegible] Gallice exoritur, duobus, tribusuè convolutis in cacuminis capitulis.* Plinius de Alcyro sic loquutus est, *capitulis paucis, & comæ trita veluti cruentant.* Dioscorides verò scripsit [illegible]. Deniq; se offert Corimbacea Coma. sic Chrisocome dicitur habere [illegible]; nec non etiam Elichrysum. [illegible] *comam aurea lucis in orbem, & quasi* idem melius explicans subdit. *Vmbella rotunda, veluti dependentib. Corimbis.* Nec longè distat Plinius scribens Chrysocomem esse *comantibus fulgore auri corimbis.* Tandem ex tot allatis Comæ vocis significatis colligemus, & statuemus Hyssopū habere comam corimbaceam, non aliam: tùm quia Comam habet Chrysocomæ similem, quæ corimbacea inest: tum etiam quia similis est Origano Onitidi, quod semen habet veluti coniunctos Corimbos.

coma capitata.

phaccia; et fructa

coma corimbacea.

qualis Coma Hyssopi.

Hæc præterea coma Vmbellæ assimilatur, quæ [illegible] à Dioscoride dicitur, estq; congeries plurium pedicolorum semina, vel flores sustinentium orbicularitèr in circuli, seu hemisphæræ formam: disposita, vocatur etiam à Latinis *Muscarium.* Vndè Plin. lib. 12. cap. 26. Panacem, ait esse *semine in Muscarijs dependente* vt ferulæ; Quæ autem à Dioscoride [illegible] ferre nocantur huius generis sunt, Sambucus, Ebulus, Cicuta, Tapsia, Caucalis, Draba, Panax Heracleus, Asclepias, Ligustrum, Pastinaca, seseli massiliense, & Peloponense, Elaphoboscum, Daucus, Achillea, Millefolium, Libanotis, quæ omnia

quid sit Vmbella.

Muscarium.

omnia vmbellam ferunt, & nos plura apposuimus, vt qui vnam plantam non agnoscit, alteram fortè vidit. Erit igitur Hyssopo Coma Vmbellæ quodammodo forma, quod expresè colligitur ex Dioscoridis capite de Origano. Nam cum tradidisset. Origanum Heracleoticum habere folia Hyssopi, subiungit statim σκιάδιον δὲ οὐ τροχοειδὲς, ἀλλ' ὥσπερ διῃρημένον, καὶ ἐπ' ἄκρων τῶν ῥάβδων τὸ σπέρμα οὐ πυκνόν, idest *Vmbellam autem non rotæ modo: sed veluti in plures partes diductam, & in summis virgis semen non densum.* His patet clarissimè non velle Origani vmbellam esse rotundam, vt Hyssopo, quo indicat Hyssopo esse vmbellam rotundam, cum illi comparetur Origani Vmbella, ac differat tantum ob rotunditatem, & seminis in ea densitatem, quod Marcellus clarè in sua versione expressit scribens. *folia Hyssopi habet non tamen vmbellam Hyssopi modo rotæ figura.* quicquid obstrepant Matthiolus, & eius sectatores, qui nolunt comparari vmbellam Origani cum vmbella Hyssopi. sed si Hyssopus est similis Origano, quod vmbelliferum est, cur non erit, & ipsa vmbellifera Origani modo? sed aduertant Dioscoridem dixisse σκιάδιον δὲ, *vmbellam autem*, ideò ob particulam *autem*, quæ coniunctiua est, illa, quæ deinde referuntur de vmbella cum superiorib. coniungeda sunt. Quod si Dios. noluisset comparare vmbellas frustra posuisset illa verba, non rotundam, *non in rotæ modum, sed in plures partes diuisam.* Nonnè satis illi fuisset scribere *Vmbellam fert in plures partes diuisam?* itaq; per negationem Dioscorides distinxit, Vmbellas. Erit igitur Coma, seu Vmbella rotæ modo Hyssopo vnita magis, quam Heracleotico minus tamen densa, quam Onitidi, præterea corimbacea erit Vmbella, Plinius dixit *Hyssopi bacca terna, &c.*

Hyssopo est Vmbella.

Qualis Hyssopi vmbella.

Corimbi autem nominis similiter multiplex est significatio, vt cum Plinius lib. 16. c. 34. *Hedera (inquit) constat racemis in Orbem circumactis, qui vocantur corimbi.* Sæpè tamen hoc nomen pro Bacca sumptum reperio, vt pro ipsius hederæ baccis, seu acinis, & solani manici baccis, & poto Exemplo. Plinij verbo erunt de similate. *Comantibus acinorum Corimbis.* Sæpissimè autem pro qualibet rotunditate baccæ simili, cuiussuis sint substantiæ, & tales erunt Onitidis, Hipposelini, Elaphobosci, Policnemonis, Polemoniæ, Polij, Chrysocomæ, atq; Hyssopi, Corimbi. Proprijssimè tamen hoc nomen conuenire crederem rotunditatib. ; globulisq; dependentib., qui fuerint veluti membranacea substantia: & folliculis, vtriculisq; seu foliolis constantes, & conglobati, quales Helicriso siculo, Maro, sampsuco, Dictamno Cretico, Origano, atq; vero Hyssopo, nec non in Dios. chrisocomæ, in qua assignanda posse esse aliquis error, cui Hyssopus assimilatur coma corymbacea. Matthiolus, Anguillara, cum quibusdam alijs doctis botanicis ingenuè fatentur se hanc nunquam vidisse, Cæsalpinus verò Præceptor meus doctissimus lib. 12. cap. 14. Plantulam proponit in menijs Pisanis repertam, quam etiam mihi Romæ ostendit anno 1600. cum altero Præceptore meo Andrea Baccio in Romano Liceo simplicia docente, cum ea abundent Romanæ antiquitates. alij non recipiunt, sed inter Helicrisia referunt. Fab. Columna credidit legitimam se inuenisse Crosocomen, & exhibet Linariam auream Tragi. his doctissimis viris assentiri non possum. quia Chrysocome, seu Chrysitis ex Dioscoride, atq; Plinio plantula est *palmi altitudine.* linaria verò hæc, cubitalis, & altior est. sed concesso etiam Columnæ reperiri in siluestribus palmi tantum altitudinè. in contrarium etiam est, quia Antiquorum Chrysitis aphillos est Linaria verò foliata, vti etiam Helicrisos prædicta. quod docuit Arist. de plantis lib. 2. cap. 2. *Triplex (inquit) arborum fœcunditas est, aut enim fructus prodeunt antè folia, vel vnà cum folijs, vel post folia. Est quoque planta, quæ radicem non habet, aut folia. Et est, quæ stipitem habet sine fructu, & folio, vt Chrysocomos, aut Chrysitis.* Hermolaus etiam Barbarus lib. 4. sui Corollarij, cap. 667. *Chrysocome (inquit) sine folijs, sine semine, solo scapo, comas habet fulgure auri, vndè nomen.* Colligi etiam idem potest ex ipso Dioscoride, qui Chrysocome folia habere non dixit. sed manifestius ex eo, quod eam ita descripsit χρυσοκόμη θαμνίον ἐστὶ σπιθαμιαῖον, idest *Chrysocome est virgula palmaris.* Est igitur Chrysitis parua solùm virgula, seu cauliculus, qui *habet comam corimbaceo similem Hyssopo.* ἔχον κόμην κορυμβώδη ὁμοίαν ὑσσώπῳ. & dixit Corymbaceo Hyssopo κορυμβώδει datiuo casu, non autem corimbaceam comam, vt Marcellus, & Columna vertunt. & quamuis horum doctissimorum hominum plantas non recipiam, aliam tamen veriorem assignare nequeo, satis sit sciuisse Hyssopum habere comam corimbaceam.

Corimbus quid.

pro bacca.

pro qualibet rotunditate.

pro globulis pendentib.

Chrysocome quid.

Chrysocome Columnæ.

Aristotelis.

Vera Dioscorides versio.

Septimo probandum quod diximus, *Sapore acri vt herba tota, & ad condimenta vtilis.* Hic acerrimè nobis est certandum cùm eruditissimo Columna, sed pro veritate. Amarissimum enim esse probare nisus est, contrà veritatem ipsam, quæ lucidissima est; nec vllum Auctorem illi suffragari reperio, nisi Isaac eben Amram, tum apud Serapionem, tum etiam apud Ahamad ben Abdessamad, quem ipse citat. Scribit autem Columna, *Non enim inter condimentarias, & hortenses herbas Hyssopum Antiquis numerabatur, vt Thymbra, Cunila, Origanum, & similes, quibus sapor erat quidem acris; sed gustu suauis, vt & vulgati Hyssopi videtur, inter quas misceremus potius, quam inter medicatas, ingratas, vt Stœchas, Hyssopum, & similes, quas in condimentis non reperimus recensitas ob ingratitudinem gustus.* deindè cum attulisset in medium multas Hyssopi vires subdit. *Plinij remedia proposuimus, vt vires, quæ ab amaritudine mixta procedunt, quorum aliqua tacentur à Dioscoride, maximè noscerentur; (nos quidem amaro sapore fecimus Hyssopum, & à Dioscoride, & alijs non referitur) & sunt contrarium stomacho esse,*

Sapor Hyssopi.

Verba Columnæ.

columna de amaritudine Hissopi.

esse, vermes interaneos, atq; externos interficere, phthiriasi scilicet resistere, vomitiones praestare; paulò post altiùs multò ascendens, sic effatur: *Ideircò non alia de causa, nostra sententia Hyssopum à spongia plena aceto circundatum oblatum fuisse Domino nostro in cruce censemus, nisi, vt illius amarore, non minus ac felle, os eius, atq; palatum gustu teterrimo afficeretur.* dixit praeterea: *non alia de causa, Hyssopi caput, medium inter Abrotanum & Stoechadem posuisse Dioscoridem dicendum esse, nisi, quia sapore amaro, acri, odorato esset; atq; etiam, vt ille Thoracis desectib. succurrit.* Haec est eruditissimi viri de amaritudine Hyssopi subtilis opinio. Nos autem è contra ex Antiquorum reliquijs probabimus apertissimè Hyssopum esse plantam acrem, & condimentariam.

intentio Auctoris.

opponitur Mesue Isaaco ebem Amram.

In primis Auctori illi Arabo, scilicet Isaaco Eben Amran asserenti Hyssopum esse amarum opponimus maioris auctoritatis; eiusdem religionis, & sectae auctorem alium, nimirum Mesuem. Hic siquidem cap. de Hyssopo ex Antiqua versione habet. *Hyssopus cuius odor, & sapor acutissimus est melior.* & ex Versione Siluij, *Hyssopus est Odore, & sapore acutissimo.* & de Cura Paralisis scribit. *Cibi, & condimenta, quae conferunt neruis, sunt sicut grana pini propriè, & cerebrum leporis, & hasce, & Origanum, & Hyssopus, piper, zinziber, piretrum, &c.* ecce Mesues dilucidè Hyssopum inter condimenta acria enumerat. Iterum idem Mes. cap. de cura Pleuritidis. sic quoq; testatur. *Et detur etiam Altereniabin cum Hyssopo, & melle, aut pulegio, est enim ei cibus bonus.* vult igitur Mesues dari altereniabin, idest Mannam cum Hyssopo, & dicit esse cibum bonum. At si vteremur Manna cum Hyssopo Columnae esset nè cibus bonus, vt ait Mesue? certè ingratus, & ingustabilis: cum eius Hyssopus amaro, & ingrato gustu, abhorrendoq; ita sit, vt etiam ipse met Columna putarit ob amaritudinem, & insuauitatem non posse recipi inter condimentaria; imo etiam ob insuauem, & amarissimum saporem censuit ab Hebraeis Saluatori nostro in Cruce pendenti; ac sitienti cum aceto oblatum fuisse. Hyssopus ergo Columnae admista manna, non solum non esset bonus cibus, sed amarum, & ingratum Medicamentum. Ex Auicenna quoq; simile quid colligitur. ait enim in cura Asthmatis. *Et sint eorum cibi subtiliatiui, in quib. ponatur semen Alrasede, & Hyssopum, & Origanum, &c.* quo patet Auicennam velle condiri cibos Hyssopo; erit ergo planta condimentaria, quod si esset adeò amara, vt praedicat Columna non possent cibi deuorari: quare concludam Hyssopum esse acrem, & condimentariam herbam ex Arabum sententia.

Auicenna.

Celsus.

Si latinorum testimonia de Hyssopi acredine, & condimentario vsu quaeremus. Aderit Cornelius ille Celsus. lib. 2. cap. 20. vbi agens de proprietatib. ciborum, quibus vescimur: ait *Mali verò stilci sunt Tymum, Nepeta, Satureia, Hyssopum, nasturtium, &c.* constat ex his à Celso numerari Hyssopum inter cibaria, & obsonia; erit ergo Hyssopus planta condimentaria. immo Caelius Apitius vetus rei culinariae scriptor lib. 1. circa finem capitis primi. Sales parat cum Hyssopo Cretica, & alijs. atq; addit. *sunt autem suauissimi, & vltrà sanè; quam speres.* sed quae suauitas speranda admistione Hyssopi Columnae.

Celius Apitius.

Ad Graecos enumerandos nunc me accingo, qui vt plures sunt, & auctoritate pollentes, ita etiam quaestionem hanc penitus dirimunt. ex quibus Ducem eligo Hippocratem. hic de Nat. mul. num. 29. inter multa acria medicamenta, quae Aromata ipse appellauit, Hyssopum ciliciam enumerauit, & de salubri dieta. nu. 7. apud Gal. c. 18. *sit Hyssopi quadrans* (aliàs dimidia hemina) *contritu in congio aqua, quem ebibat acetum affundens, & sal aspergens, quo sit iucundissimum.* Ecce Hyssopi potio cum Aceto iucundissima est ex Hippocrate non fellea, vt censuit Columna. sed quid clarius quam 2. de Dietarum, 14. vbi declarat Hyssopum esse Olus: dicens de *Oleribus porrò hoc modo res se habet.* inter quae enumerat hyssopum scribens: *calidum est, & pituitam ducit: Porrò siluestria olera, &c.* ex quo patet etiam non solum esse olus, sed Hortense, iam de siluestrib. mox agit. Clarissimè etiam Aretaeus Capadox Medicus antiquus, & maximè doctus. lib. 3. de m. acut. cap. 2. de cura Veternosorum scriptum reliquit. *Hyssopum in mulsa elixum, Dictamnum Creticum, Origanum acria quidem sunt, sed salutaria.* & lib. 6. cap. 1. ad Pulmonariam. *Alimenta* (inquit): *pariter incisiua esse debent, acria videlicet, tenuia, crassitudinem dissipantia extergendi facultatem habentia, vt inter frumentacea Ptisanae cremor paruis Origani, aut Hyssopi, necnon piperis; sed plus Nitri loco salis accipiens.* Caelius autem Aurelianus à Methodicorum secta nostrae item opinioni fauet lib. 1. cronicon. cap. 4. ad Epilepsiam: *Vtendum (dicens) etiam potabilibus medicaminibus, vel electarijs, ex Hyssopo, & Origano, & Thymo confectis: principaliter enim corpus mutant recorporationem faciendo ob altrimonium.* Nec me fugit, quod Gariopontus vetus Medicinae scriptor, & fortè etiam Methodicus scripsit lib. 2. c. 6. de Empiemate. *bibant succum Ptisanae, vbi decocta sunt Hyssopus, &c.* deinde. *Datur quoq; mulsa decoctionis pulegij, Hyssopi, Origani, ieiunis, vel non ieiunis. &c.* post: *Cibos mel. ditum, & alijs cocta cum sale, & Anetho, vel bitones admisto Pulegio, & Hyssopo.* iubet etiam dari Hyssopum mulsa decoctum potum: cap. 9. 10. 11. 12. & 85. Quare cum Gariopontus vtatur eo decocto in Ptisana, & mulsa, ipso certè vtitur vt condimento. Adest etiam P. Aegineta lib. 2. c. 37. qui ad syncopem ex crudis humoribus. *Porrò (inquit) mulsa in qua decoctum Hyssopum fuerit, hic est optissima, cauendumq; ne vel cibum, vel sorbitionem, vel aquam exhibeas, vel omnino liberaliter bibere sinas, nisi mulsam tribus primis diebus.* Ac si in Mulsa coqueretur Columnae Hyssopus nonne eget suffi-

Hippocrates.

Aretteus.

C. Aurelianus.

Gariopontus.

P. Aegineta.

nebit

nebit Thessali diatriton, cum mulsam ita amaram degustare, eaq; pro victu vti triduo nequiuerit? habemus etiam Alexan. Trallianum. lib. 5.cap.4. qui ait. *Victu ex Hyssopo, & Pulegio, vel Thymi turionibus siccis, vti non oportet, nisi tantum in illis, qui frigidis, viscosis, crassisq; humoribus scatent.* & lib. 6.cap.1. *sin æger* (inquit) *non vehementer admodum febricitet, & inflammationis feruor cessasse videatur, tum fiducia etiam Vrticæ semen cum Hyssopo simul ptisanæ incoquendum adijcito.* Hinc constat Hyssopo vti in victu, & ptisana, non nisi pro medicamentoso condimento. Deniq; vt contrariam opinionem radicitus eruamus afferenda in medium est Galeni definitiua sententia: sed in primis ponenda (quia nobis adstipulatur) spurij Galeni libri de simplicib. ad Paternianum enarratio huiusmodi. *Verum omne Hyssopum facile notum est, & habet vires acres, & calefactorias.* Sed acrem esse Hyssopum Galenus ipse sic testatus est. 13. meth.cap.18. *Ergo mediocre in hoc genere est, tum ptisanæ cremor, tum mulsa, valentius autem, & Vrticæ semen, & mulsa in quam coniectum paululum aliquid acrium herbarum, quales sunt Origanum, & Hyssopum, Calaminte, & Pulegium.* nonnè per verbum *quales* indicat Origanum, & Hyssopum esse herbas acres? Altera est etiam dilucidissima Galeni auctoritas. 2. de Alim.fac. cap. 52. vbi cum egisset de Apio, & Smirnio talia protulit verba. *Sed hæc omnia huiuscemodi statuet quis esse ciborum obsonia, quemadmodum, & Capas, & Allia, & Porra, & Ampeloprasa, & (vt in summa dicam) omnia acria. Huius autem generis est Hyssopus, Origanum, fœniculum, Coriandrum, de quibus in commentarijs de obsonijs disputatur, qui Medicis quidem, & coquis quodammodo sunt communes.* Quid clarius? an nè vtrumq; calculum complevit? si ergo de genere est acrium condimentorum, & si de Hyssopo agitur in commentarijs de obsonijs, qui Medicis, cum coquis sunt communes: negabitur fortassè Hyssopo Antiquos coquos vsos fuisse ad condienda cibaria? Folij quidem Columnæ pro Hyssopo nunquam vtentur nostri coqui, & id ipsum ipse fatetur.

Alex. Trallianus.

Galenus Hyssopū vocat acrem.

Possem id confirmare alijs argumentis, & soluere ea omnia, quæ doctissimus Columna attulit, vt ex viribus Hyssopo tributis amaritudinem induceret, sed superfluum esset, satis sit dixisse. Vires Hyssopi, quæ à Plinio, & Dioscoride enumerantur, posse prouenire potius ab acredine, quam ab amaritudine.

Restet vt inuestigemus (quantum Medicis licet) Hyssopi qualitates, de quibus in Sacra Scriptura, & Euangelijs fit mensio. Verba Sancti Euangelij secundum Ioannem hæc sunt. *Sciens Iesus, quia iam omnia consumata sunt, vt consumaretur scriptura, dicit, sitio. Vas ergo positum erat Aceto plenum: Illi autem spongiam plenam aceto, Hyssopo circumponentes, obtulerunt ori eius.* Diuus Mattheus ita scripsit: *Et continuò currens vnus ex eis, acceptam spongiam, impleuit Aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere.* Marcus verò Sanctus. sic *Currens autem vnus, & implens spongiam aceto, circumponensq; calamo, potum dabat ei.* Constat autem solum Sanctum Ioannem Hyssopi hoc loco meminisse, cuius verbi explicatio multos Theologos anxit. Nam aliqui putarunt Hyssopum fuisse Venenum; sed hoc gratis. Alij senserunt idem fuisse Calamum, Hyssopum, & Arundinem, quia fortasse apud Hebreos esset procerior Hyssopus, quam apud nos, at quomodo vocabitur arundo? nam etiamsi concesserim ibi Hyssopum (quod est impossibile) ramos habere valde longos, non tamen sequetur appellandum Arundinem. Eruditissimus autem Columna sequutus alios quosdam Doctores humilem plantam esse scripsit, adeò vt opponatur, veluti minima maximis. de qua legitur in Regum. 3. nu. 33. *Et disputauit* (Salomon scilicet) *super lignis à Cedro, quæ est in Libano vsq; ad Hyssopum* Minimam videlicet herbarum intelligens, sed oppositum Cedri magnæ arboris. At quamuis hæc explicatio aliquomodo probari posset; non tamen omnino mihi satisfacit. Nam quum dicitur disputasse Salomon à Cedro vsq; ad Hyssopum, non intelligendum de magnitudine reor. Quia & maiores arbores inueniuntur Cedro, vel saltem æquales, ac minores Hyssopo reperiri herbas notum est. Disputauit igitur de herbis, & plantis plurimis tam nobilibus, quam ignobilibus. Cedrus autem Libani mensis erat in summo honore, non solum apud Hebreos, sed etiam Romanos. ex Plin. lib. 13.cap.15. tum ob precium, tum etiam ob æternitatem. Hyssopus è contra erat in summa ignominia apud hebreos. Offerre enim alicui Hyssopum erat valde ignominiosum, & ita sensus erit disputasse à nobilissima arbore, vsq; ad ignobilissimam herbam. Misticè autem dici posset, disputasse de Crucifixione facta in ligno Cedri, & vilipensione in Oblatione Hyssopi, quam mox sequuta est Mors Christi saluatoris nostri. Vult autem Columna ob amaritudinem, & ingratitudinem oblatum fuisse Hyssopum. nobis autem, qui iam clarissimè demonstrauimus Hyssopum non esse amarum, sed acre, & ex dictis Hippocratis cum aceto mixtum potius iucundam efficere potionem, non erit opus pluribus illi respondere. Senserunt alij spongiam circumligatam Hyssopo, loco fili, fuisse ad calamum, seu arundinem, quod tamen non videtur veritati consonum, etenim apud nullum auctorem constat Hyssopum huic vsui posse aptari. vel Hebreorum Hyssopus alia est à nostra. sēsit Toletus in Ioannē Hyssopo herba circumuolutam fuisse spongiam, ne acetum facile dilaberetur, & sic impositam Calamo, & Ori Christi oblatam fuisse: sed neque hoc videtur multum verisimile, vt rectè consideranti patet, nec non experienti qualibet herba tenui hanc Aceti retentionem. probatur magis Magistri Michaelis de Palacio Granatensis Theologi Salmanticensis Opinio, qui ait. *Dicimus quod spongiam imponentes harundini, ligaue-*

Verba S. Euangelij.

varia Hyssopi interpretationes. 1 opinio. 2. opinio.

3. opinio Columnæ.

4. opinio.

5. opinio.

6 opinio.

gauerunt eam harundini simul cum Hyssopo, cui circumposuerunt acetum. Et quia Hyssopus Exodi. 14. præcipiebatur leprosis offerenda, ideo putat istos, qui Hyssopum simul ligarunt cum spongia ad subsannandum ampliùs Christum fecisse, quasi eum volipendentes, vt leprosum, & impletum est, quod Esaias. 53. vaticinatus fuerat. *Et nos putauimus eum quasi leprosum*. Etenim Christo administratur herba, quam leprosis offerebant in eorum mundatione. & ita videntur illa verba *Asperges me Domine Hyssopo* significare Hyssopum, qua pro Lepræ mundatione sanguine sacrificiorum aspergebantur. vt mundarentur, & ita dicit *mundabor*, at quia post aspersionem supradictam lauabantur leprosi, dicitur etiam *lauabis me, & super niuem dealbabor*. Atq; non nisi per iocum, & ignominiæ causa Iudęos hanc obtulisse herbam, patet, quia nullum alium potest habere sensum. Nam etiamsi fuisset amara, non tamen circumligata, imo neq; etiam parum contusa, & illigata spongiæ aceto imbutæ amaritudinem vllam aceto tribuere poterat. Nec valet etiam inuentum Columnæ; pro cibo solido oblatam Hyssopum, quia non ita adimpleta est illa scriptura, *& dederunt in escam meam fel*. quia Christus non manducauit, neq; bibit Hyssopum. sed fortasse iam priùs hoc adimpletum erat in itinere ad Montem Caluarium vbi ex Matthęo. *Et dederunt ei bibere Vinum, cum felle mixtum, & cum gustasset noluit bibere*. Marcus autem. *Et dabant ei bibere Mirrhatum Vinum, & non accepit*. Itaq; quamuis non acceperit satis est degustasse, per fel autem intelligitur amaritudo Mirrhæ, quæ amarissima est. at de Aceto cum Hyssopo fortè aqua diluto bibit. uam Matthęus testatur. *dabat ei bibere*. & Marcus *potum dabat*. quod indicat bibisse. Consumatio autem Scripturæ, de qua Ioannes, videtur adimpleta per oblationem herbæ ignominiosæ. & scriptura erit forte illa. *Et nos putauimus eum tamquam leprosum*. Dicitur autem. *& nos*, idest Iudęi. At nec nouum quod, nec mirandum debet esse herbæ oblatio ad ignominiam, vel ad Laudem. Pro Munere offerebant Romani suis Militibus diuersas herbas, quibus in Coronis vtebantur, sic seruatus seruatori, Victus victori herbam porrigere scribit Plinius. lib. 22. cap. 4. *Namq; (inquit) summum apud Antiquos signum victoriæ erat, herbam porrigere Victos, hoc est, terra, & altrice ipsa humo, & humatione etiam cedere: quem morem etiam nunc durare apud Germanos scio*. sic Helleborum porrigere alicui, vel saltem dicere *Helleboro indiges* est illi stultitiam obiurgare: similiter salem in mensa, vel aliàs porrigere alicui, vel insulsum appellare, significat illum egere sale, idest Sapientia, cum sit demens, vt etiam scribit Fuluius Pelegrinus Moratus Mantuanus libello de significatu Colorum, herbarum, ac florum oblatorum. Pariter etiam alicui mittere vel lignum guaiacum, vel salsam parillam indicat illum, cum horum egeat medicamentorum, esse morbo gallico affectum. simi-

Hyssopo leprosi aspergebantur.

Vinum myrrhatum,

Herbam porrigere.

li ergo ratione dicendum, offerre alicui Hyssopum (apud Hebræos) idem fuisse, ac dicere, illius vsu egere. Vnde cum leprosi eo vterentur, vt diximus, Idem erat, ac dicere ipsum esse leprosum. Valde autem ignominiosum, habere lepram, censebant ipsi Hebręi; tum quia hoc morbo affecti prohibebantur ab hominum sanorum consuetudine, vt Peste detenti; tum etiam, quia Dei punitione Leprosos fieri censebant. Itaq; Leprosi reputabantur tum Dei, tum Hominum inimici, ideò maxime iniqui, & abhorrendi iudicabantur leprosi. Quamobrem cum Hebręi omnibus conuicijs, quæ excogitare poterant, Christum affecissent, induentes purpura, coronantes spinis, harundinem dextræ imponentes, salutantes, vt Regem, adorantes flexis genibus, per iocum, spuentes in faciem, flagellantes, deniq; crucifigentes, vt reum. & inscriptionem illusinam cruci effigentes, blasphemantes, & improperantes multa, sic Lucas dixit. *Et stabat Populus expectans, & deridebant eum Principes cum eis dicentes: Alios saluos fecit, se ipsum saluum faciat*. Verum quia etiamsi multa illi obiecissent, numquam tamen Obiecerant, ipsum ob sua peccata tamquam leprosum, esse non solum hominibus exosum, sed etiam Deo inimicum, quod omnium vitiorum pessimum erat; ideo vt consumaretur scriptura, & vt vltimam, & omnium maximam ignominiam, & blasphemiam efferrent. dixit *sitio*. Hinc arrepta occasione *spongiam plenam aceto Hyssopo circumponentes obtulerunt ori eius*. tanquam Leproso, hominibus exoso, & gratiæ diuinæ indigno. ob id S. Lucas scripsit. *Illudebant autem, & Milites accedentes, & Acetum offerentes illi*. Itaq; Hyssopi oblatio illusionis causa fuit facta non amaritudinis. At quicquid sit de Hebræorum Hyssopo Theologis disputandum longioribus relinquemus, hæc etiam eorum iudicio exponentes, mihi sit satis ostendisse, qualis debeat esse Medicorum Hyssopus.

Hyssopus pro leprosis.

Hebręorum malitia.

His positis corroborataq; optimè Hyssopi à nobis tradita descriptione, considerandum modo erit, quænam planta apud nos reperiatur, cui perbelle accommodari possit tradita descriptio.

Planta dicta *Gratiola* repens humi, spicata, longo folio, & Amarissima nullam habet legitimi Hyssopi notam. neq; etiam *Syluestris Timbra*. vndè pluribus à nobis non confutabuntur.

refellitur Gratiola. Timbra sil.

Hyssopus Matthioli, & Officinarum excludenda est multiplici ex capite, nimirum ob folia, vmbellam, Corimbos, & saporem legitimæ Hyssopi tributa, quæ in vulgata desiderantur, vt clariùs petebit conferenti cum nostra Hyssopi descriptione ea, qui de suo Hyssopo Tradidit Matt. vt *folijs in vniuerso caule oblongis, circumque per interualla prodeuntibus, duriusculis, odoratis, & gustu feruidis, amariusculisq; flores illi sunt in caulium summitatib. spicati, cærulei coloris*. itaq; nullam habet cum Origanis, nullam cum Sampsuco similitudinem, nulla folia

Hyssopus Matth.

rotunda;

rotunda; vbi candida folia similia Onitidi? vbi vmbella rotunda non sparsa, vt Heracleotico? vbi coma corimbacea similis chrysocomę? quę sunt Hyssopi huius baccæ, quas Plinius nominat? quum officinarum Hyssopus spicas palmares sæpè gerat, non ceruleas tantum, sed aliquando etiam albas, & carneas. his accedat Clarissimorum Botanicorum censura, qui hanc pro legitimo Dioscoridis Hyssopo non recipiunt, vt Anguillara, Guillandinus, Cæsalpinus, Dodoneus, Lobellius, Delecampius, Bauhinus, Columna, &c.

Quicquid autem dicat Matthiolus, & quicunq; cum illo adhuc sentiunt dum Marcelli interpretationem falsam putat, nihili facio. Marcellus enim sic verterat Dioscoridis verba. cap. de Origano. vt etiam suprà notauimus. *Origanum Heracleoticum folio est Hyssopi, non tamen habet vmbellam Hyssopi modo rota figura in orbem circumactam, sed multifidam, & veluti diuisam*. Insurgit Mattiolus dicens, aliter se habere vulgatam Dioscoridis lectionem, (cui etiam Oribasius, & vetusti quidam Græci codices adstipulantur) quàm verterit Marcellus. ipse autem sic legendum clamat. *Origanum Heracleoticum folium habet Hyssopo simile, vmbellā autē nō in rotę speciem orbiculatam, sed veluti multifidam*. & subiungit. ex his palam esse, non comparasse Dioscoridem Origani flores ipsius Hyssopi floribus, vt perperam Marcellus vertit, cum absolutè dixerit, nulla facta cum Hyssopo comparatione, Origano vmbellam esse, non in Rotæ modum Orbiculatam. Equidem pro certo habeo minimè falsam esse Marcelli versionem, atq; optimè addidisse vmbellæ *Hyssopi modo* ad tollendas omnes difficultates, & hunc esse germanum sensum suprà explicauimus. Et patet etiam ex ipsius Mattioli versione, quæ est Ruellij, scribitur enim *folium habet Hyssopo simile, vmbellā autem non in rota speciem orbiculatam, sed veluti multifidam*. itaq; primo ex coniunctione *autem* constat luce clariùs vmbellam Origani etiam assimilari Hyssopo, & coniungi simul totam ratiocinationem, & in Græco posita est vox δὲ, quæ sermonem connectit, coniunctiuaque particula dicitur Grammaticis. secundo iungi etiam sermonem cum superioribus indicant verba illa *non rota modo*. si quidem hic per particulam disiunctiuam, & negatiuam etiam continuatur sermo, & comparatio cum Hyssopo, alioquin hæc superfluè apposita forent. nisi limitarent similitudinem vmbellarum Hyssopi, & Origani. tertio patet totam simul orationem iterum connecti, coniunctione. *sed*. cum ait. *sed veluti multifidam*. Quarè necessariò sensus erit folium in totum esse Hyssopo simile, vmbellam autem etiam similem, sed non in rotæ speciem (vt Hyssopo) orbiculatam, sed diuisam. Ex quo etiam colligitur, Hyssopum habere vmbellam Orbiculatam, origanum verò sparsam. Quod si inuicem vmbellas non comparasset Dioscorides, ad quid verba illa *non rota modo*? ad quid coniunctiones illæ? ad quid

Marcellī à Mattiolo notatus.

Marcellus defensus.

prima ratio.

secunda ratio.

tertia ratio.

negatio illa, nisi haberent relationem, & correspondentiam cum prioribus? Nonnè satis illi fuisset scribere, folium hyssopo simile, & vmbellam diuisam? Dicendum ergo coniunctiuè loquutum Dioscoridem, quia Hyssopus, & Origanum tum Heracleoticum, tum Onitis sunt valde similia, & adeò vt dixerit Plinius in vniuersum. *Onitis non dissimile Hyssopo*. quia tantum differunt foliorum colore, & vmbellarum densitate. & Origani speciem esse Hyssopum non est absurdum credere, quia cum neq; apud Theophrastum reperiatur Hyssopi mentio (vt etiam doctissimus Cæsalpinus aduertit) nec apud Galenum in simplicium sensu, non lenis suspicio aduenit, eum sub genere Origani comprehendisse Hyssopum, quod etiam videntur fecisse, Varro, Columella, & Palladius rei rusticæ scriptores, qui de Origano tantum scripserunt. quum tamen apud Antiquos notius esset Hyssopus, Origano, adeo vt Dios. noluerit Hyssopum delineare, Origanum verò descripserit Hyssopo assimilans, vti notissimo. Contrario autem modo fecisse videtur Celsus. comprehendens nimirum Origana sub Hyssopo notissimo, huius tantum mentionem faciens, Origanorum nihil, quæ tamen Antiquis erant in vsu, vt Palladio, Columellæ, Varroni, & Plinio. adde quod ex Auic. & Rasi. Hyssopus habet vires Origani, & alterum pro altero substituit Gal. 6. de comp. med. 2. loc. cap. 1.

Hyssopus est species Origani.

Modo ad Columnā nostra est vertenda oratio, hic si quidem pro vera Dioscoridis Hyssopo proponit. Mattioli, & officinarum Polium, quod vestiri genuina Hyssopi descriptione à nobis allata neutiquam potest: tamen sic loquitur Eruditissimus vir. *Huic surculorum geniculis folia herent bina ex opposito, vt in Origanis candidiora, angusta, coma corimbis ita referta, vt cuilibet origani comæ similem esse censeri possit, quamuis Heracleotico densior videatur, nec minùs Chrysocomæ similis*. At cum Docto viro convenire nō possū, etenim foliorū Hyssopi, & Origani similitudinem ipse tribuit exortui, & positui foliorum, non autem formæ, & figuræ, quæ tamen ex Dios. esse debent rotunda vt Origano, & Sampsuco, & subrotunda pinguntur Hyssopo ex Codice Cæsareo apud Dodoneū. Columnæ verò Hyssopus folia gignit *angusta*, vt ipse fatetur; seu *oblonga*, vt asserit de eadem planta Mattiolus. Cesalpinus etiam *folia angusta* dixit.

Polium Montanum.

Sed quod maxime refellit Hyssopum est sapor amarus, quem ita ipse proponit. *Est ingrato, amaro sapore*. & alibi. *quamuis odore placere posset, quem aromaticum habet, gustu quidem abhorrenda videtur ob amaritudinem*. & subiungit. *Atq; neminem inuenies, qui hanc plantam pro Origano in cibis vtatur* Deniq; ait. *habere amaritudinem fellis*. quæ omnia ab ipsomet allata de suæ Hyssopi sapore apertè conuinceunt, falsam esse ipsius Hyssopum, cum adeò differat ab antiquorum Hyssopo, quæ, vt supra clarissime monstrauimus, Hortensis planta erat, & condimentaria, sapore grato, suaui, & acri.

Hyssopus Columnę amara.

vera Hyssopus. Modo breuiter veram Hyssopum notis omnib. respondentem, afferemus. quæ est planta adeò similis Origano, & Sampsuco nostro, vt ea censeres, vel medium quid inter dicta, vel Origani speciem; sed acriori sapore, validioriq; sentitur odore. Colore etiam quasi solo ab ijsdem differre videtur, est enim planta surculosa, cuius ramuli, & folia aliquantulum sunt pilosa, folia etiam ipsa subuiridia sunt, & albescentia cum quadam citrinitate, tenuia subrotunda Sampsuco, Onitidi, & satiuo simillima Serpillo. vmbellæ modo comam corimbaceam fert, vt Onitis & Sampsucus. sapore est aromatico, acriuè, atq; odore valido Sampsuco quodammodo simili, ideo hortensis est, grata, & condimentis expetita. Nobiscum Anguillarius sensisse videtur, testatur enim in Græcia appellari *Origanum album*. & esse verum, Dioscoridis, ac Hippocratis Hyssopum Ciliciam, vel Creticam. Nobis etiam fauent Dodoneus, Delecampius, Lobellius, Pena, Bauhinus, Cæsalpinus, Zaluzanius.

Obiectio Columnæ. Negabit certè Columna hanc esse veram Hyssopum, & esse dicet potius Origanum onitin, quia origanum imitatur gustu, odore, atque etiã forma, immo & quia Origanum censetur à multis, & communi voce Origanum album, vel Creticum nuncupatur.

Solutio. Ad hæc ita satisfacere oportet. dicendo, ideo à nobis veram Hyssopum censeri, quia Origanum imitatur gustu, & odore, nec non figura, vt pro Origano à plurimis habeatur. credimus enim Plinio dicenti *Onitis non dissimile Hyssopo.* Non igitur mirum, si vulgus hanc plantam pro Hyssopo non agnoscens, Origanum appellauerit. Sed non esse Origanum Heracleoticum patet ex foliorum colore. At neq; etiam esse Origanum Onitin sapor ipse conuincit. Etenim scripsit Dioscorides. *Vis Onitidis multo inefficacior, quam Heracleotico.* & Galenus. *Origanus Heracleotica efficacior est Onitide.* igitur nostra Hyssopus, cum sit acerrimo sapore, & validissimo odore, & vehementior Origano Heracleotico; immo etiam Agriorigano, quod ex Galeno præualet Origanis, non poterit esse Onitis. quod est multò viribus imbecillius, quam sit Heracleoticum.

Sic vera Hyssopo conquisita, eius nunc qualitates considerandæ erunt. Hipp. 2. de Diæta num. 14. dixit Hyssopum esse calidam, & pituitam ducere. Gal. 8. de s. med. f. *Hyssopum desiccat, & excalfacit ordine 3. sed & tenuium est partium.* Anic. autem Calidam, & siccam fecit in 3. gradu addens esse subtilem vt Origanum, abstergere, & resoluere, & soluendo educere phlegma, & ascarides, & vermes. Plinius. lib. 26. cap. 7. *purgat cum fico sumptum per inferna cum melle Vomitionibus.* cap. 8. & alibi *Pituitas detrahit*, sed hic decoctum cum ficubus, & melle prodesse scripsit pectori, ac pulmoni tanquam expectorans, & per sputum educens tantum. ita etiam Dios. decoctum cum ficis, aqua, & melle ad pectoris morbos commendat, & addit. *Crassum humorem per aluum extrahit, decoctum ex aceto mulso epotum. Ad subducendam aluum cum ficis viridib. detritis manditur.* ex quib. patet Pl. Hyssopo cum melle vti ad Vomitum. contrà Dios. ita paratum per aluum purgare dixit. & cum Auicen. pectus expurgare. Mesues facultatis Vomitiuæ in Hyssopo non meminit. neq; Serapio, sed ex Alkanzi ait *laxare humores crudos.* Quare in Plinij textu videtur esse erratum. Respondemus autem si Hyssopus vires habet Origani. valet etiam ad Vomitum, vt Origanum. & quamuis Plinius scripserit. *facile praestat vomitiones radix Vettonica, ellebori modo quatuor dracmis in passo, aut mulso. Hyssopum tritum cum melle, vtilius, præsumpto Nasturtio, aut irione.* ex quo dici posset. Hyssopum expresse non laudari ad Vomitum, sed aliquid deesse. & eo magis quod Dios. eadem ferè verba attulit in alium sensum. *Ad subducendam aluum cum ficis viridib. detritis manditur: vehementiusq; addita iri, Cardamomo,* (fortè cardamo, idest Nasturtio) *aut irione deijcit.* Tamen explicationi nostræ fauet Aetius ter. 3. cap. 119. scribens *citra molestiam mouet Vomitum etiam Hyssopi decoctum, & thymi, & cnyci semen tritum cum sesamo, ac cum aqua mulsa plurima potum.* Præterea Hipp. de sal. diæta. tex. 18. *Vomitus autem hoc modo irritare oportet, homines obesi, ieiuni vomant, currendo, aut celeriter eundo meridie. Sit Hyssopi quadrans contriti in congio aquæ, quem ebibat, acetum affundens, & sal aspergens, quo sit iucundissimum.* bibat tardius primo; deinde velocius. Gal. in comm. *Incidentem esse potionem velle illum, & qua de causa non est obscurum. Nanq; homines crassi, quandoquidem humorib. sunt præditi prorsus crassis, & frigidis, ac nonnulli etiam lentis, ideo potionem eorum incidentem vult esse.*

Plinius.

Aetius.

Hippoc.

Galenus.

Hyssopi vires.

Quid agendi. Quum igitur Hyssopus habeat incidendi, tenuandi, & abstergendi vim maximam, pituitam crassam, viscidam, e ventriculo, & pectore per Vomitum educet, conferens tussi, asthmati, pleuritidi, peripneumoniæ, & Empiemati à pituita crassa. prodest etiam capite affecto Epilepsia, paralisi, &c. nec non lienosis, & Hydropicis.

quãtum. Hipp. decoquit Hyssopi ἡμικοτύλιον. semicotule *Quadrans* vertit Cruserus. *dimidia hemina.* Cornarus. & erunt. vnc. iiij. & semis. si hemina, seu Cotyla habet vnc. ix. at Mesues decoquit Hyssopi. drach. vj. vsq; ad drach. x. & pulueris dat à drach. iiij. ad vij. Plinius lib. 26. cap. 6. dat Hyssopi quinque ramos, cum duobus rutæ, & ficis tribus simul decoctis ad Thoracem purgandum. deinde. Hyssopi fasciculum cum quadrãte mellis decoquit ad tussim. & cap. 8. *Hyssopi manipulus decoctus ad tertias cum sale pituitas trahit.* Manardus longe maiorem quantitatem tutò dari posse arbitratur. Cardanus lib. de Dentibus dat decocti. vnc. ij. & plus, sed cum Violis, aut saccharo. decoquit Hipp. in congio aquæ. Congius autem habet libras nouem. Gal. in com. scripsit. *Cæterum, quantam potionis, quam præscribit, copiam porrigat,*

quomodo.

non

non adeò exactè possum dicere, quod mensuram, quam congium vocant, non sit apud omnes eiusdem capacitatis. si atticum congium imperat bibere, non mihi ille mos placet, multum enim esse videtur mihi. Erat tamen maioribus in vsu, si quando vel lactis sero, vel eiusmodi aliqua ablutione vtendum statuissent magna copia offerre. certè 9. aquæ libræ est magna dosis, sed est considerandum, quod in decoctione consumitur multa aqua, & herba ipsa aquam etiam absorbet. quod si decoctio fieret ad tertias, vt iubet Plin. remanerent tres tantum aquæ libræ, & vnc. iiij. & semis. herbæ sibi assument lib. semis aquæ ita remanebit potio tantum lib. ij. & semis, quæ non est excedens dosis. nonne aquas Thermales in maiori copia sumimus? nec dixit Hipp. totum aquæ congium ebibendum, fortè quantum bibere volet. vel reiterari vult post primum vomitum decocti potum: aliàs enim docuit pluries esse Vomendum, pluries potu assumpto.

De Hordeo. Cap. XXVI.

EX Hordeo paramus Aquam decoctam, & Cremorem, seu ptisanam. & vel cum hordeo mundo, vel cum corticibus.

Quid sit Hordeũ. Quid sit hordeum videtur superfluum explicare, quum sit notissimum. satis sit dixisse in officinis duplicem speciem reperiri: alind enim est cum corticibus. aliud vero nudum, & decorticatum, & hoc vel est tale ab arte, vel natura, nam quædam hordei species nascitur glabra, & sine tunica, vocant autem hordeum nudum, & mundum.

Ad conficiendam Aquam hordei sunt quidam nimis religiosi, qui de quantitate aquæ de*dosis Aquæ pro coctura Hordei.*certant: alij enim ad coquendam lib. j. hordei, pro aqua conficienda sumunt Aquæ lib. v. vt Auenzoar. alij lib. x. vt Isaac de Diętis lib. 2. alij lib. xv. vt Haliabas 5. theoricæ. cap. 15. Antid. Rom. alij. lib. xx. vt Mesue de Agritud. pectoris. c. 8. Auic. 1. 4. tr. 2. cap. 9 quare Miror de Antidotario Romano in quo scribitur ex Auic. & Gal. sententia pro lib. j. hordei sumendum lib. xv. aquæ. nam in Auic. legitur loco cit. Aquæ sacraiati xx. & hordei sacraiati. j. & ita etiam in Auic. legunt Gentilis hoc loco. & alij. Gal. autem nec libello de ptisana, nec de Alim. fa. nec de simpl. m. f. nec alibi, quod legerim. definiuit aquæ dosim. Verum Hipp. in fine lib. 3. de Morbis. scribit. *Hordeum Achilleum magnum, ac plenum hemina mensura siccato. & acutis spicis ablatis, vbi probe laueris, aquæ congio affuso coquito ad dimidias, frigefacito, ac bibendum dato.* ex Ant. Rom. Hæmina pendet vnc. x. congium lib. 10. idest. vnc. 120. ita pro lib. j. Hordei erunt aquæ partes 12. quare falsum est in Ant. Romano esse sumendam Hordei lib. semis. nam debet esse lib. j. fallitur etiam Pet. Salius hoc loco, quia putat esse proportionem decuplam, decem vnciarum hordei ad x. libras aq; nam lib. habet vnc. xij. non x. vnde Oribas, non concordat cum Hipp. vt censuit Salius. nam 4. collect. cap. 7. ex Dieuche. abiecta prima aqua coquit lib. j. hordei. in lib. x. aquæ. deinde c. 11. ex Antillo. vult j. partem hordei coqui in partes xv. aquæ.

Est etiam alia differentia nam alij coquunt ad dimidias vt Hipp. loc. cit. potione 4. & Mesues. *Terminus coctura.*

Alij donec quinta pars remaneat, vt Antyllus apud Oribas.

Alij ad duarum partium consumptionem, quod etiam placuit Mesue.

Alij quoad aqua fit reddita rubicunda, vt Auerroes, & Auenzoar.

Alij quoad hordeum contabescat, vt Dieuches ex Orib. Bart. Scappius. Calest.

Alij ad consumpt. 3. partium, vt Melichius.

Alij donec ex. xv. aquæ partibus duæ tantum remaneant, vt Haliabas.

Alij ad v. ex xx. ita Auicen.

Alij donec ex xx. partibus remaneat 1. ex Isaac.

Hipp. etiam loc. cit. in 13. potione hordeum bis, aut ter tantum feruere facit.

Hæc autem diuersitas tum aquæ, tum coctionis non mihi videtur magnifacienda, ab eo, qui scit vires coctionis, & quod modo maiorē, modo minorem hordei substantiam & facultates assumit decoctum. sed vt aliqua determinatio tradatur optimum mihi videtur in lib. j. Ordei. addere lib. xv. aquæ. & si aquæ tantum requiritur pro potu sufficiet consumatio 4. partis, vel etiam 3. si verò requiritur aqua valde nutriens ad consumptionem duarum tertiarum, quod etiam fallax est, nam aliud hordeum citius, aliud tardius coquitur, & in cremorem resoluitur. plus aquæ consumitur facta coctura in Vase latioris, quam stricti, & clausi orificij. Ergo pro ptisana conficienda optimus terminus coctionis erit Hordei tabes, & liquatio. *nostra sententia.*

Cum igitur ob prædicta decoctum varietatum 2. magis, & minus, consideratione dignum magis mihi videtur ipsius Hordei examen, si quidem hordei decorticati, & non decorticati, vel torrefacti, vires variant essentialiter, non intensiuè.

Hipp. meminit hordei Achillei, & Achilleos vocabatur maza, quam ex Achilleo hordeo constare credidit Hermolaus. at spongia Achillea videtur fuisse robustissima de qua Plin. lib. 9. cap. 45. Hordeum autem præstantissimum, quale suis equis Achilles obiecit, vocabatur Achilleum; Rhodig. cap. 6. 24. ita etiam Salius hoc loco interpretatur præstans, & purgatum; nec simpliciter præstans Hordeum dicitur Achilleum, sed Theoph. lib. 8. c. 4. spicæ alijs distantiores à folijs: alijs proximiores, vt Achilleis cognomine. quare Hordeum Achilleum habet spicas breues, & proximas folijs. dixit Hipp. magnum, ac plenum. Gal. 1. acut. 2. laudanit Hordeum, quod coctione plurimum intumescit. & de ptisana c. 3. non putridum, non corrosum, non Vetus, nec recens.

Si sumpserimus hordeum cum suo cortice exteriori, demptis tantum acutis spicis. huius de- *Hordeũ nõ decorticatum.*

coctum magis detergit; nam Hipp. 2. de Diæta num. 6. *Hordeum* (inquit) *natura quidem frigidum est, & siccum. inest, & purgatorium quiddam, à succo palearum. Eius signum habebis, si voles Hordeū nō purgatum coquere, purgat enim is succus fortiter: si verò decorticatum coxeris, perfrigerabit magis, ac aluum sistet.* Diosc. simpliciter scripsit. Hordeum abstergere. sed Gal. optime distinxit lib. de ptisana cap. 3. *Hordeum* (inquit) *si in vniuersum de eo loqui velimus, refrigefacit, & exiccat, habet quin etiam non nihil abstergentis, & flatuosi, quod si ad illius partes examinandas descendamus, exterior illius cortex, qui furfuraceus est, siccior existit, & efficacius abstergit, quæ verò intus pars est voluti eius caro, & quæ nutritioni est accommoda, abstergit quidem, & ipsa, verum furfure minus, habet autem in se ipsa, vnde possit flatum excitare. Cæterum altera membrana, quæ tenuis est, sub furfure quidem posita, ipsum verò hordeum amplectens, vt situm, ita etiam vires habet inter hæc medias: ideo abstergit furfure quidem minus, hordeo autem magis.* & 7. de s. m. f. frig. & siccum in 1. gradu dixit. & ex his constat hordeum mundum minus abstergere. at Hordeum torrefactum amittet abstergendi vim, & magis siccabit, & aliqoaotulum astringet magis terreum redditum; Hip. 2. de diæta nu. 6. ait. *Quum autem tostum fuerit, humor quidem purgatorius pre igne perit: frigiditas autem, & siccitas relinquitur.* decocto hordei torrefacti vtitur Hip. 3. de morb. in fine. potione 13. vt refrigeret febricitantes potissimum in quibus est aluus fluida. exiccat enim, & ex Orib. lib. 4. c. 7. ventrem cohibet. Decoctum autem hordei decorticati, & optime à cortice mundati ex Mes. de Ægrit. pulm. cap. 8. *sitim, & asperitatem sedat, & inflammationem extinguit, pectus, & pulmonem, & guttur lenit, sitim extinguit, ventrem lubricum reddit, præcordia humectat, & sputum facilitat.* Haliabbas quamuis dicat Hordeum esse siccum in 2. tamen aquam hordei dicit esse frigidam, & humidam, retusa ab aqua siccitate. Decoctum vero hordei non decorticati ex Mes. *habet virtutem lenitiuam resultantem in ea ab aqua, & medulla hordei, abstersiuam, & lenitiuam à nitrositate quadam expansa in cortice hordei interiori tegente medullam eius. est igitur facilis, lauatiua, & sputi facilitatiua, ventrem lubricat, oppilationes aperit, & Vrinam prouocat.* Hæ sunt facultates Aquæ Hordeaceæ, quæ non videntur ad rem nostram, quum neq; Hipp. neq; Gal. neq; Auic. ea vtantur ad Vomitum excitandum: nobis satis est ex antiquis cognouisse Aquam hordei habere vim abstergentem: & cum sit aqua, quod abluat, etiam per se patet. & quamuis non sit Vomitiua natura sua tamen talis fit, tum copia, tum irritatione, & ea vtuntur nostri pro leni Vomitiuo, vt Capiuacceus. Senertus, Dune. Liddelius in febribus. Haliabb. Fauentinus in Vertigine, &c.

Abstergit.

hordeum mundum minus abstergit.

Hordeū tostum.

Decoctū Hordei.

Quid agendū. Nos asseremus quum bilis crassa, & viscida residet in Ventriculo tum in feb. tum in Vertig. dolore capitis, siti, & alijs affectib. calidis, vt abluatur, & abstergatur peccans materia calida, & sicca à Ventriculo præstantius esse decoctum hordei ex non decorticato, vt pote magis purgatorium, & abstergens. si verò non tanta opus sit abstersione, sed maiori refrigeratione, & humectatione, eligetur decoctum hordei bene mundi, & bene præloti.

quādum. Copiose est exhibendum, vt sua copia, aqua Ventriculum grauet, & sufficiens sit ad abluendum, abstergendumque.

quando. Et quando nat. infestat, & expulsioni est apta Vomitus erit prouocandus. tempus patet ex alijs libris.

quomodo. Modus exhibendi erit, vt de simplici aqua est dictum frigida quidem in Valido, & maxime æstuante Ventriculo, & cum multa tenui bile. calida verò in imbecillo ventriculo, & crassa bile, ac tenaci, vel salsa pituita. tepida verò in difficili Vomitu ad relaxandum os Ventriculi. nec placet Salij Vsus. in tertium de Morb. Hipp. potione 4. vbi, se præbere Hordei aquam frigidam in his, qui sunt robusti ventriculi, tepidam verò in languentib. ventriculis. nam quis hanc præbeat non ad Vomitum? tamen, quia tepida relaxat nimis, & resoluit calorem naturalem, vt diximus, ac eum languor fiat à nimia relaxatione, & resolutione, nullo modo illi conferet aqua hordei tepida. quare si languor fiat à summo calore, & bile vexante os ventriculi aqua hordei frigida, eluet, absterget, & repellet in fundum Ventriculi mat. os ventriculi lædentem, postea Vomitu oborto abstergetur fundus ventriculi, & roboratus remanebit. si verò nimis sit relaxatus, & debilis Ventriculus. aqua calida erit opus, quæ calore foueat, corroboret, non relaxet, sed exiccet, denset, vt alias diximus. melius abstergat, abluat, & secum educat materiam peccantem.

vbi. Quod sit ore potanda patet.

Corollarium de Ptisana.

De Ptisana idem videtur dicendum, quod de Hordei aqua est dictum, quum enim ambo fiant ex Hordeo, Hordei vires ambo habebunt. quare ex Hordeo mundato minus absterget, &c. si quæres modum ptisanam faciendi. Gal. 1. de Alim. fac. c. 9. & lib. de Ptis. cap. 4. vituperat eam ptisanam, quæ parum est decocta, laudat autē, vt primum aliquātū infundatur deinde multum ebulliat, postea verò igne lento per multum ocium in cremorem reddatur. Sic cremor si per setaceum coletur sine vlla expressione dicitur *ptisana colata*, & cremor, si verò sine colatura tota substantia detur ex Hipp. 1. Acut. t. 13. vocatur *ptisana non colata*, deinde appellat *totam ptisanam*. quam t. 28. quam probissimè coctam, volt, & maxime, si non solo vti debeat cremore: vulgaris autem Romanorum ptisana, quæ fit ex Hordeo bene cocto. in mortario deinde contuso, & aqua affusa per linteum expresso, est quidem cremor, sed diminutè

Ptisanę præparatio.

nutè coctus, & debet post expressionem iterum lento igne coqui, vt omnis flatus tollatur. qui ex farina hordei decocta parant ptisanā. quāuis Hipp. 3. de Morbis pot. 11. scripserit. *Ad farinæ hordei plenæ crassæ Chænicem dimidiam.* (i. vnc. xv.) *Aquæ congium* (i. lib. x.) *affundas, & cum iam intumescunt crassæ farinæ partes, manibus teras, donec aqua alba fiat.* tamen non est vera ptisana, & ex Gal. est potius Ciceona, nec placuit Gal. ista farinæ mixtio. sed ad Vires ptisanæ accedamus. ex Gal. 8. meth. cap. 4. & 4. de san. tu. 4. ptisana detergit. Hipp. autem 1. Acut. 18. *Ptisana* (inquit) *si quid ablui eget, probè abluit,* vel vt alij legunt. *si quid excerni, facile ipsa excernit.* Gal. in comm. *Ptisanæ autem inest, & lubricum, & detergens, qua propter Medici ad detergendum eum, qui in Ventre infarctus est, humorem, vomitib. exhibito ptisanæ cremore, veluti & aqua mulsa vtuntur.* & 7. meth. cap. 11. *Quibus lenta pituita ventriculo est infixa, ijs prius exhibenda sunt, quæcunq; hanc discecent, post deinde purgandum. quod si ad vomendum sunt idonei, non inutile sit per radiculas ex Oximellite vomere; sin verò, nec lentus humor sit, nec crassus, vtiq; abundè sit à ptisanæ solius cremore vomuisse; item à mulsa quo casu sumendum vtriusq; plus est, quam vel nutrimenti, vel etiam deiectionis causa sumeretur.* at 8. meth. cap. 2. *siue sordidum corpus extrinsecùs ptisana defrices, vtiq; sicut aphronitrum, & mel deterget, siue ex Ventriculo per Vomitum educere mediocrem pituitam velis, nihilominus mulsa vtiliorē ptisanæ cremorem experieris. Additum tantum in dictione est* (*mediocrem*) *quoniam si multa, & vehementer glutinosa, & crassa pituita sit, hanc radicula ex Oximelite, non mulsa, aut ptisana detergere est habilis.* præterea 1. de Alim. fac. cap. 12. *Succus ptisanæ apparet lentus, tametsi nihil in se habeat glutinosum, neque emplasticum, sed contrà detersorium, atq; incisorium, quod in cute nostra incidat ipsius sordes eluens. Quod si paulo post, quam cuipiam sorbendam ipsam exhibueris, vomere ipsum feceris, pituitam, quæ in Ventriculo continebatur, detergebit, & omnia vomitu simul cum ea eijciet.* demum 2. de Art. t. 51. *Cremor* (inquit) *ptisanæ ex aqua decoctus seu per se, seu cum melle vomitum ciet.* Vtuntur etiam ad Vomitum ciendum in feb. ptisanę cremore. Gal. ipse. 11. meth. cap. 8. Oribas. 6. synops. c. 8. Ægineta lib. 2. cap. 18. & alij.

Ciceon.

Ptisanæ Vires.

Ptisana ad Vomitum.

Quid agendū.

Quare nos statuemus ad abluendos, & detergendos, atq; lubricandos humores mediocriter crassos in ventriculo, tam pituitosos, quam biliosos, præcipue in febribus vtilem esse ptisanæ cremorem, & si maiori est opus absterfione ptisana contusa, quod si hordeum non erit decorticatum, adhuc validius absterget. hæc copiosè est danda ex Galeno, & ratio indicat copiam grauare ventriculum, & satiare, ac expultricem irritare. ex indicationibus alijs tempus exhibendi Vomitorium desumetur. an calida, vel frigida conueniat, ex superius dictis patet. Brasau. 1. acut. t. 18. tepidam proponit.

quātum.

quando.

quomodo.

De Iure Carnium. Cap. XXXII.

SÆpe Medici pro leui Vomitorio vtuntur iure carnium? quare etiam huius facultates sunt considerandæ. dicemus autem, ius carnium, vel esse pinguium, vel macrarum: item cum sale, vel sine. Ius macrum, sine sale est purè lauatiuum, à carnibus enim paucam assumpsit humiditatem. macrum, & salsum est absterfiuum, præcipue si fuerit Galli Veteris, &c. pingue verò & salsum, erit humidum, & abstergens, tandem ius pingue non salitum humectans dicetur lenicus, & lubricans: prout caro decocta fuerit.

Diosc. lib. 6. in præfatione. ad Venena laudat. *pinguium carnium iura* ad Vomitum inducendum. deindè proponit Gallinarum iura. & *ad Aconitum* commendat carnium bubularum præpinguium iura, & ad *Coriandrum*. ius falsum ex Gallina, & Ansere. Diomedes Amicus de mor. spor. cap. 93. inter medidcria Vomitoria numerat hoc. ℞. Iuris pinguis vnc. vj. Oximell. simpl. vnc. iij. ſucci Raphani vnc. ij. misce pro Vomitiuo.

Ergo leue vomitorium, & abstergens ventriculum erit Ius Carnium. adhibendum in extenuatis, in Venenis corrosiuis, vti etiam in non corrosiuis, qualia sunt Aconithum, Coriandrum, &c. Quantitas erit 8. & 10. vnciarum.

Quid agēdum.

quātum.

De Lauro. Cap. XXVIII.

QVia superiorib. capitib. De Lauri folijs facta est mentio: ideo eius historiam nunc adiungere libet. plurium est Generum apud Theoph. & Plin. sed Diosc. attulit tantum latifoliam, & angustifoliam. nos de Baccifera, illa verba faciemus, cuius folia, & fructus Gal. 6. de s. m. f. vehementer siccare, & calefacere scripsit, emollire etiam addit Diosc. & discutere, & quod magis est *Virentia folia sensum subastringunt* scripsit. quæ tamen Vomitum mouent. forte intelligit gustu. nam *commanducata, atq; deuorata per triduum terna, liberant a tussi, eadem prosunt suspirijs trita cum Melle* ex Pl. quod non efficerent, si astringerent.

Sed quod folia Vomitoria sint Plin. lib. 23. cap. 8. *folia pota Vomitiones mouent* (inquit) Diosc. verò ait. *pota stomachum effundunt, & Vomitiones mouent.* at Mattiol. *Tenerrimæ lauri cima, vna cum calamintha, & sale contritæ, ex tepida aqua sumptæ, aluum concitant, pituitamq; & lubricos celeriter eijciunt.* si irritaretur Vomitus purgaretur Ventriculus. & Pl. lib. 8. c. 27. ait *Palumbes, Graculi, Merulæ Lauri folio annuum fastidium purgant.* Auic. *Verum ipsa* (idest

Auer. purgantur Lauro

(idest Oleum, & folia) *& grana eius sunt mollificantia stomachum, & commouentia Vomitum*. deinde. *Membra Expulsionis. eius Oleum facit nauseam, & facit vomitum*. deinde. *& potio eius ad solutionem sit. drach. ij. cum aqua Mellis, & Oximelle*. Auer. 5. collig; cap. 41. *nos non damus eius succum, nec grana; quia dicitur, quod quando comeditur, mouet vomitum, & fluxum*. Marcell. cap. 30. *Lauriculi teneri, idest cyma lauri cum nepeta adiecto sale contriti, & cum aqua tepidæ hemina in potione sumpti, concitant aluum pituitamq; & lumbricos celeriter eijciunt*. Aet. ser. 3. cap. 147. *Gibba hepatis purgant, lauri fructus, & radicis cortex cum Vino*.

Quid ogēdum.

His positis folia lauri valere ad Vomitum excitandum dicimus, vt abstergentia, non vt attrahentia verum debiliter. purgant autem, & tergunt à Ventriculo, & Hepate pituitam crassam.

quātum.

Plin. dedit x. folia cum aniso; sed per se non sufficiunt. plus erit dandum. cauliculos coctos asparagorum more abiecto iure, ego edi, nec aluum mouisse aduerti.

De Lente. Cap. XXIX.

LEgitur in Hipp. non solum vox lentis, sed etiam lenticulæ. primo considerandum videtur an idem sit, vel diuersum, & quidem interpretes nullam faciunt differentiam. sed Hipp. 2. de

4. acut. 94. lens astringit.

Diæta. num. 8. φακοὶ *Lentes æstuosæ sunt, & turbatiuæ, & neq; per aluum secedunt, neq; ipsam sistunt*. deinde num. 14. *cicer*, φακὸς, *lenticula hordeum, beta, aluum potius, quam Vrinam mouent*. & quidem Gorreus scripsit. φακῆ *lenticula* φακὸς *enim lentem significet*. Scapulæ verò φακῆ est lens cocta, & pulmentum ex ipsa. φακὸς *lens cruda*. in Theoph. 4. de cau. pl. 16. legitur. ὡσαύτως δὲ καὶ οἱ φακοί, καὶ αἱ ἀφάκαι καὶ πισοί. & Vertit Teod. & Daniel Heinsius *simili modo, & lens, lenticula, pisum*. & 8. de Hist. cap. 8. τοὺς ἀφάκας *lentes, & τὰς ἀφάκας, Aphaces* vertit. lib. 2. de

lens, & lenticula.

Hist. cap. 5. φακὸς *lens* dicitur. & lib. 6. cap. 1. σφάκελος vertit interpres *lentem*. lib. 8. cap. 1. φακὸς, ἀφάκη vertit *lentes, aphacam*. hic ego audax ero in diuinando, eo tantum fundamento nixus, quod apud nos nunc vulgo reperiatur duplex lentis genus, maior, & minor, & Plin. lib. 18. cap. 12. duo lentis genera tradidit alterum rotundius, nigriusq; alterum sua figura. crederem ego lentem maiorem, quæ depressam habet figuram dici φακὸν, & simpliciter dicendam *lentem*, alterum autem genus minus, quod est rotundius, & nigrius dicendum φακῆν, & *lenticulam* diminutiuè, seu paruam lentem. variare autem Vires horum leguminum dicendum videtur cum Hipp. lens enim neq; aluum deijcit, neq; sistit. lenticula verò aluum aliquantum mouet; verum dicendum etiam si maxima sit affinitas inter lentem, & lenticulam, tamen quia abstersio nō fit à cortice, sed adstrictio: ideo, quia lenticula, quæ ob paruitatem plus corticis possidet, quam lens, quæ maior est, ideo minus abstergere, & minus aluum irritare.

quæsitū.

At dices. de affec. 39. *Lenticula autem Odorata præparatur &c.* & Stomacho grata sursum versus. quæritur primo. an lenticula sit Odorata? sed erit præparata per cuminum, pulegium, &c. secundo cur Vomitum excitat, & est grata sursum versus, idest Ori Ventriculi. an per Accidens ob irritamen à Nat. expellitur, vt etiam Vinum, & huius modi alia ventriculo grata. stomacho autem grata, seu eius ori est, non simpliciter; sed præparata cum Odoratis. simplex autem & insipida, & nauseosa potius est.

lens ex cōtrarys facultatibus.

Vtitur Hippocrates sæpissime Lentium decocto ad Vomitus citandos, tum per se, tum ante elleborum, cum ipso, & post ipsum: ideò quā Vomendi facultate polleat breuiter inuestigandum. lentes Naturam habere compositam ex repugnantib. qualitatibus docet Gal. 1. de Alim. cap. 1. & subdit: *Huius porrò rei ex coctione manifesta sumitur demonstratio, cum aqua in qua dictorum, quodq; fuerit decoctum aluum subducat, ipsa verò corpora inhibent*: & cap. 18. eiusdem lib. addit. *Succus porrò ipsis est vt ante retulimus adstringenti contrarius; quo circa si quis in aqua ipsas coxerit, & deinde aquam sale, aut garo cum ipsis oleo condiens sumpserit, potius is aluum deijcit*. quod etiam confirmat 1. Acut. com. 18. Itaq; lentium Ius; siue decoctum Ventrem mouet ex eodem Gal. 3. de sim. m. f. 15. & lib. 8. & de bon. & Vit. succ. 4. de dissolutione continui. cap. 21. scripsit, & Plin. lib. 22. cap. 25. *Aluum soluit minus percocta*. testantur etiam Ventrem soluere Paul. lib. 1. cap. 79. & lib. 7. Dios. etiam Auic. Marcell. Emp. Aet. Isaac de Diętis lib. 2. Rasis, Auerr. & cæteri. de Vomitoria vi præter Hipp. nemo (quem legerim) verba facit.

ius lentium abstergēs.

Equidem cēseo ius lentium nitrositate acquisita abstergendo, intestina per inferiora expurgare, si crassis succis repleta inuenerit, aliter non; sed potius adstringere; Ventriculum etiam eadem abstergendi vi per Vomitum exinanire censeo. Atqui Nitrositatem habere lentes clare docuit Gal. 3. de s. m. f. 15. *& lenticula ipsa* (inquit) *tametsi satis magnam adstringendi potentiam gustu referat; tamen nitrosi quid sortita est, nam & huius decoctum, Ventris soluendi vim obtinet. Verum hic succus etiam, si degustes, perspicuam misturam representat, tanquam si nitroso austerum quid commisceas*. scribit etiam de bon. & Vit. succ. 4. Brassicam, & lentes nitrosum succum sortita esse, quo aluus subducatur. quod confirmat de dissol. cont. 21. Auic. scripsit. lentes esse compositas ex Virtute constrictiua, & abstersiua. consentiunt autem scriptores decoctum lentium aluum prorritare, lentes verò ipsas constringere. sed difficultas est, an vim hanc decoctum sortiatur à corticibus, vel à substantia lentium.

difficultas.

Gal. astringendi vim corticibus, laxandi carni vi-

ni videtur tribuisse siquidem n. de Al. fac. 18. *Corticem* (inquit) *habent adstringentem*. & subdit. carnis succum adstringenti contrarium, & potius aluum deijcere. immo addit. *Lens verò decorticata, vt illam adstringendi vehementiam, & ea, q; ipsam consequuntur amittit, ita magis nutrit, quam quæ cortice spoliata non est. non tamen alui fluxus desiccat, uti ea cui cortex non est ademptus*. Diof. idem videtur sentire. scribit enim. *Aluum cum cortice cocta sistit*; & quia in substantia intima, vim absterfiuam esse censuit, decorticatarum lentium ius primum abijci iubet. *Vim habet adstringendi; qua ex causa aluum cohibet, si detracto antea cortice discoquatur accuratè, primaq; aqua inter coquendum effundatur (quippe primum id decoctum ventrem soluit)* Paulus lib. 7. in eadem fuisse videtur sententia dum scripsit. *Totum verò lentis corpus siccat, aluumque sistit: decoctum ipsius proritat, ideoq; prior aqua defunditur, quum comprimendi gratia lentes assumuntur*. Auic. aliter sensisse apparet scribit enim. *Quando decoquitur absq; cortice suo, stringit ventrem, aut cum cortice suo quando decoquitur cum aqua, & expellitur ab ea aqua prima, illa namq; prima aqua soluit Ventrem*. hic Arabs è directo videtur esse contra Diof. hic scribit sine cortice decoctam lentem stringere, Græcus cum cortice. Auic. primum decoctum lentis non excorticatæ proijcit, Diof. verò excorticatarum decoctum primum effundit. itaq; alter à cortice, alter à substantia vim solutiuam haberi asserit. alicui autem Videri poterit in Auic. textu esse mendum. cum enim quæ tradit hic omnia ad verbum in suum transferat tractatum ex Diof. cum variat textus. error in textu, non variatio opinionis, est censendus. & idem ex eodem Auic. colligitur; nam statim subdit. *Et decocta quidem cum cortice proiecta aqua magis est strictiua quam excorticata, quoniam in cortice ipsius est virtus stipticitatis valde vehementer*. fatetur autem corticem esse magis astringentem. hinc dicemus falli eos, qui decocti vim absterfiuam, & deiectiuam à cortice tantum depromi censent, Auicennæ non bene intellecto textu decepti. vt Isaac 2. de Diætis scribens. *Cortex eius Acumen habet ex quo ventrem ad solutionem mouet: medulla verò virtutem habet stipticam*. cui subscribit Platina lib. 7. de tuend. Valet. Baldassar Pisanellus de ciborũ Nat. & nonnulli alij. & fortasse hi decepti sunt à Versione Hermolai. qui Verba Diof. κοιλίας δὲ ἐκταράσσει σὺν τῷ λέπει ἑψόμενος. vertit. cum cortice deuorata emollit aluos, vera enim lectio cum cęteris est. *Ventrem autem comprimit cum Cortice cocta*, iure Brasau. scribit. errare recentes, qui excorticatas astringere cum corticib. emollire volunt. & ait. *Nos publicum adagium vulgo habemus, si quis lentis pateram commederit fistulam cacare*. Hip. tamen 2. de Dięta. 8. *lentes æstuosæ sunt, & turbatiuæ, & neq; per aluum secedunt, neq; ipsam sistunt*. hic negatiuè. deinde affirmatiuè, 4. Acut. 94. sic habet. *Lẽs Adstringit, atq; turbationẽ facit si cũ cortice sit*. videtur hic Hip. asserere lentem cum cortice magis turbare Ventrem. Gal. hunc locum sic commentatur. *Vocem hanc, ἄραξιν turbationem quandam, & veluti pugnam, quæ in Ventre ex discrepantibus facultate cibarij, oritur, significari dixi: quomodo, & nũc significat, si cũ cortice assumatur, vt potè quæ, quam caro ipsius, longe coctu difficilior existat*. Gal. non videtur interpretari de turbatione, seu deiectione Ventris. sed quia cortex sit coctu difficilior pugnam in ventre facere dixit. & cum Hipp. non de decocto; sed de lentibus ipsis loquatur, quæ communi omnium consensu adstringunt; sicut decoctum soluit. deniquè Alex. Petronius de Victu Roman. lib. 3. hæc affert minime reticenda, quæ omnem soluunt dubitationem, & antiquorum contradictionem. *Cum Cortice, & sine cortice, primum elixa, deinde abiecto iusculo comesta semper astringit, magis tamen cortice induta, quam exuta; cremor vtriusq; contrariam vim habet. Nam siuè modice, siue plurimum coquatur, vtriusq; primum ius aluum mollit, secundum astringit; sed magis eius, quæ cum cortice, quam eodem nudatæ, primum ius Ventrem ducit, secundum cohibet: quãdoquidem cortex, vt illam integram tuetur, ita facultatem in ea Ventrem molliendi, quominus dissipetur, defendit: quemadmodum etiam hordeo vsu venit; quippe quod si non purgatum (vt Hip. inquit.) coxeris, purgat is succus fortiter, si verò decorticatum coxeris, perfrigerabit magis, ac aluum sistet*.

Decocti lentium ad aluum Emolliendam Præparatio hæc erit. ex Marcello Empir co. *Lenticulam lauato diligenter ex aqua munda, deinde cum aqua nitida feruere facito paulatim, & postea ipsam aquam colato, & dato cholerico bibendam, mirè proderit*. Isaac de diętis lib. 2. sic refert. *lenticulæ cum cortice in aqua coquuntur, & postea colantur, & cum oleo, & sale commiscentur, & exhibentur eis, qui constrictum ventrem habent*. at Ægineta lib. 1. cap. 79. *decoctum* (inquit) *ipsius cum Oleo, & garo potum aluum poritat, & quia inflationes mouet, saturcia, vel pulegium admiscendum est*. Gal. ex quo desumpsit Paul. 1. de Alim. fac. 18. condit lentium ius sale, aut garo, aut etiam Oleo, sed phacoptisanę, seu lentium cremori, & hordei simul, vt suauius, & concoctu facilius edulium paretur satureiam, vel pulegium addit. meminit etiã Gal. Teutlophacis edulij ex Beta, & lente misti, ad subducendum Ventrem. sed nos de Vomitorijs agentes cæteris omissis, accedemus ad vim Vomitoriam explanandam, atq; vnum Hipp. inuenio lentium decocto ad Vomitus concitãdos vsum; vtebatur autem Hipp. hoc iure quandoq; per se solo nonnunquam melle, & Aceto admistis. alias cum Helleboro.

Per se quidem lentium ius exhibuisse videtur Hip. 2. de Morbis, num. 46. in Phthisicis. vnde scripsit. *si à principio morbus obtigerit lenticulæ decoctum bibendum dato, deinde, interposita vna die Veratrum dato, &c*. & si morbus prorogetur iterum elleborum offert, quò epoto subdit. *Statim*

Marginalia: Dioscorides. — Paulus. — Auicenna cõtra Græcos. — contradictio. — Isaac deceptus, & sequaces. — Hippocr. contradictio. — Alex. Petronius. — solutio. — ad aluũ mollien dam. — Decoctũ Lentium per se.

Statim verò lenticulæ decoctum inde bibendum dato. & paulo post subdit. *ab ipso lenticulæ decocto accepto vomat.* Deinde morbo sequenti, quẽ appellat Tabem. num. 4. *Huic Veratrum* (ait) *bibendum dato, & lenticula decoctum, & large cibus sumendus*. Hic non constat, an velit lenticulæ decoctum propinandum per se, vel cum Helleboro, vel post ipsum, Salius ad facilitandum Vomitum sal ingerendum. Sed de Nat. Mul. num. 10. ad menses albos, & mordentes. *A lenticula decocto* (inquit) *vomat, deinde Veratro purgato*. & 2. de Morb. num. 68. ad Morbum pituitosum. *maximè tamen hyeme à lenticula decocto vomat, oleribus præsumptis*. & de Affect. 28. ad Diarrheam ex multo cibo, & potu. *Si verò non cesset, velis autem sedare, vomitum à cibo, aut lenticulæ decocto facito, & confestim sursum reuellitur infernus secessus*. de Nat. Mul. num. 10. vteri pleni pituita causa Ventris. *à lenticula decocto Vomat*. & deinde num. 14. si vteri ad medium lumborum processerint; dolor imũ ventrem habet, &c. *Quum autem* (inquit) *dolor cessarit lenticula decocto præpotato, pharmacum sursum purgans bibendum dato*. hic vult præsumi ius lentium, vt medicamentum Vomitorium fęlicius operetur. & eodem tractatu. fol. 295. ad ducendos menses. *Postquam fomentum adhibueris, lenticula decoctum bibendum dato, ac reuomendũ*. 2. de morb. 53. Erisipelas Pulmonis. *reliquo tempore à lenticula decocto, & cibis Vomat*. Ex his videtur constare Hipp. dedisse ius lentium, & ante Veratrum, & post ipsum, vt Vomitio facilior succederet, dedit etiam solum lenticulæ decoctum, vt ipsum per se Vomitum citaret; sed non cõstat an simplicem decoctum, vel aliquo modo præparatum semper adhibuerit, aliquando enim confecturam quandam docet cum Aceto, & Melle. & hac ratione fortasse Vomitum excitat facilius, sicut simplex decoctum secessum magis commouet: Exempla habemus ab Hip. 2. de Morbis num. 15. si aqua in Cerebro fuerit. *Vomitibus ieiunus vtatur lenticula decocto Mel, & Acetum miscens, & Olera antea commedens*. & num. 30. Ad Quartanam. *fomentis ipsi adhibitis Allium dato in melle tinctum, deinde lenticula decoctum bibat, melle, & Aceto admistis, postquam autem repletus fuerit vomat*. & eodem libro num. 53. ad Erisipelas pulmonum. ita offert. *At verò alij capita, & Origani pugillum, quantum tribus digitis apprehendi potest, duabus heminis vini dulcis affusis, & Aceti acerrimi hemina vna, & mellis quarta heminæ parte, coquito donec tertia pars reliqua fiat. deinde vbi hominem exercueris, & aqua tepida laueris, calidum hoc bibendum præbeto: dato etiam lenticula decoctum, melle, & aceto admistis, donec impleatur: deinde vomat*. Ventriculum summe replet Hip. incidentibus, & detergentibus, deinde Vomitum prouocat, & de Nat. Mul. num. 4. si Vteri prociderint. *bibens* (inquit) *aquam lentium, & mel, & Acetum, donec vteri fuerint eleuati, vomat*. & 2. de Morb. Mul. 37. si vteri propinquissimi fuerint. *Aquam Lentium cum melle, & aceto bibens vomat*. & num. 40. si quid ex Osculis vteri complicatum fuerit Menses non fiunt, &c. *Vomat* (ait) *à lentis decocto, melle, & aceto ammisto*. & de sterilibus circa finem. si Vteri extra Nat. progressi fuerint, *Aquam lentium bibens melle, & Aceto ammistis, vomat, donec Vteri fuerint retracti*. hanc misturã non sine ratione ab Hipp. adhiberi credendum est. Mel enim, & ius lentium detergunt, Acetum incidit, nec adhibet Oximel, seu Mel, Acetumq; cum Aqua decocta; sed fortè addit hæc sine coctura, vt Acetum sit Validius, & Mel vt magis flatulentum Vomitum adiuuet, nec descendat per aluum.

ad Vomitum.

Vsus decocti lentium.

conditura Lentium.

ratio.

Deniq; Diosc. *Veratrum album datur cum lentis cremore*. & dedit etiam Hipp. ius lentium simul cum Elleboro ipso, cuius Exemplum habemus 2. de Morbis n. 50. Pulmonis morbus. *hunc Veratrum bibere oportet, & per se, & lenticula decocto ammistum*, & 1. de Morb. mul. si non multa fuerit fluxio ad Vterum. *lenticula decoctum cum Veratro exhibeto ad Vomendum*. & 5. Epid. num. 4. de quodam Atheniensi. *Hic* (ait) *Veratrum in lentium succo bibit, & alterum lentium succum insuper bibit*. & 2. de Morb. ad feruidum vlcus Aphtha appellatum, &c. *Curare oportet* (inquit) *vt lenticula decocto potu Vomat, quod si tempestiuum esse visum fuerit Veratrum bibat, siquidem potens fuerit homo per se, sin minus dimidium potionis ad lenticulæ decoctum ammisceto, ita vt quinta, aut sexta potione desinat*. per has potiones fortasse intellexit haustus, non quod quinquies, vel sexies, vt vult Salius, sumat debilis elleborum, potens verò semel, m scet autem medietatem consuetæ dosis ellebori ad lentium decoctum, vt minus electiue trahat, & eum illa decocti abstersione, facilior, & minus molesta sequatur Vomitio, sed quia subdit. *vbi autem saliua grauecolens fuerit, interpositis inter lenticula decocti vsum diebus, medicamentum in pulmonem infundito*, &c. videtur pluribus vicibus adhibuisse lenticulæ decoctum, Verba Hip. sunt. ὀρεπτισν δέ χρὴ φακῆς πτισάνῃ ἐμέειν. εἰ δὲ σοι καιρὸς δοκῇ εἶναι. ἐλλέβορον πίνειν. ἢν μὲν δυνατὸς ᾖ ὁ ἄνθρωπος, αὐτὸν ἐφ᾽ ἑωυτοῦ. ἢν δὲ μή, παραμίσγειν ἐς φακῆν, ἥμισυ πόσιος, ὥστε πέμπτῃ ἢ ἕκτῃ ἀπο πόσιος. & subdit, ἐπὴν δὲ τὸ σίαλον δυσῶδες ᾖ, τὰ μεταξὺ τὴν φακῆν ἐγχέειν ἐς τὸν πλεύμονα φάρμακον. verbum autem πόσιν. (est autem datiuus Ionicus nominis πόσις. πόσιος, Ionice πόσιος, πόσει, πόσι.) potionem significat non haustum tantum. sensus ergo Hip. erit. vt Vomat, quinq; vel sex diebus, & qualibet vice, si tempestiuum fuerit, s. si tempus anni congruens fuerit, & egri vires validæ Veratri per se quinq;, vel sex potiones sumat, si verò Vires debiles fuerint dimidium potionis, seu dimidia dosis Ellebori, cum lenticulæ decocto præbenda. per quinq; vel sex Vices, nè à vehementia medicamenti multum angatur eger. quod si tempestiuum non fuerit visum, solo vtitur lentium decocto, fortasse admisto melle, & aceto, vt alibi præparandum voluit. nec dandum censuit continuis

Veratrũ cum iure Lentium.

Hippocratis explicatio.

continuis quinq; vel sex diebus. nam subdit *interpositis inter lenticulæ decocti vsum diebus*. quo patet inter alterum, & alterum decocti potum aliquot dies interponi voluisse. nec dicendum videtur Hipp. dedisse 5. vel sex huius iuris haustus, qui alioq; solitus est ad satietatem decocta exhibere Vomitoria, vt facilius Vomitum concitent. itaq; quinq; vel sex vices Vomitoria huic affectui sunt offerenda, si æger robustus, potio robusta ex elleboro solo, & in quantitate solita. si verò æger debilis potio debilior, scilicet medietas consuetæ dosis. & addito decocto lentium, hoc enim vi sua abstersiua efficit, vt non lædatur Ventriculus, non fiat tanta attractio, & citius perficiatur, ac desinat vomitio; quod si non fuerit tempestiuum dare elleborum, nec per se, nec admistum. tempus enim considerat non vires ad sumendum elleborum, nihilominus, quia Vomitus indicatur, & conuenit, solo vtitur lentium decocto pluribus vicib. exhibito.

Admonitio. Aduertendum autem si lentium decoctum euacuat abstergendo sua nitrositate, siue sursum, siue deorsum. solum Ventriculum sursum, & Intestina deorsum euacuare, & nihil attrahere. immo pituitam potius, quam alios humores respicere videtur; bilem tamen euacuare voluisse Marcel. dans cholericis, constat.

His positis dicemus lentium ius aptum esse *Quid agendum.* ad abstergendum Ventriculum, si vomitu repletum fuerit, siue per se potum, siue alijs admistis vomitorijs. conuenit autem; non solum in repletione Ventriculi; sed etiam alijs partib. affectis. sic Hip. dedit Quartanis, & ad reuellendum ab intestinis. Diarrheæ. lib. de affect. choleræ 5. Epid. num. 4. Et ad Vteri procidentiam, vt sursum reuellat. de nat. Mul. num. 4. & 2. de M. Mul. 37. & 40. 83. & de sterilibus num. 27. & Vteris ad medium processis. de Nat. M. nu. 14. & ad secundas, & menses trahendos cum fomentis. de Nat. M. num. 29. & ad Vteros pituita plenos, cum mensib. albis. 1. de M. M. 83. & de Nat. Mul. 10. præterea in Morbis pectoris. & Tabe. 2. de Morb. num. 46. 47. 48. Pulmonis Morbo. 49. & Aqua in Cerebro existente, cum dolore capitis, & Vertigine. 2. de Morb. 15.

quantum. Hipp. copiosè potandum dedit.

quando. Ante elleborum Hipp. dabat ius lentis, vt corpus assuesceret leuiter vomere. dabat etiam cum ipso elleboro. dabat etiam post purgationem, vt per inferna abstergeret, & educeret, quæ relicta erant ibi.

Ius lentium, & lenticulæ parandi modus supra est descriptus. & Hipp. dedit quandoq; cum Aceto, & Vocauit lenticulam acidam, ad incidendum; alias cum melle, & aceto. aliquando cum elleboro.

vbi. Vbi patet.

❧(✠)❧

De Lixiuio. Cap. XXX.

SAli, Nitro, & Aphronitro de quibus paulo post nobis sermo erit, affine est *Lixiuium*, ratione enim salis admixti, quod ex cineribus dissoluit, abstergendi vim possidet. Porrò secundum ligna ex quibus factus est cinis, variat lixiuium. Nam plus, vel minus salis est in hoc, quam in illo. Sed quod ex cineribus in lixiuio dissoluitur. Plinius lib. 31. cap. 10. Nitrum appellauit. dicens. *Nam Quercu cremata nunquam multum factitatum est, & iam pridem in totum omissum.* *Nitrum Plinio.* Gal. verò Empireuma videtur nuncupasse. sequutus Aristotelem, qui ex vstione in cineribus caliditatem relinqui opinatus fuit, vt lib. 2. de part. An. cap. 2. scriptum reliquit. his verbis. *habent aliquid caliditatis, & adusta ferè omnia, vt calx, & cinis, & sedimenta animalium, & inter excrementa bilis, eo quod feruore nimio exarserint, relictumq; sibi contineant aliquid caliditatis*. Galenus autem 8. de simp. m. f. de Cinere *Empireum.* scripsit. partem fauillosam, seu fuliginosam cineris, quæ tenuium partium est, aqua maceratis cineribus, & percolata asportari, & in aqua dissolui, & ob hanc lixiuium esse calidum facultate. deinde lib. 9. *sanè*, inquit, *combustorum omnium nullum planè est frigidum, relinquitur enim in illis, velut ἐμπύρευμα, hoc est ignitio quædam: nam ita vocabat Arist. Atq; id est, quod per Ablutiones detergitur ex combustorum substantia subtilissimum, quod vbi cum aqua abierit, quod vsti reliquum est, substantia terrena est: siquidem humidum omne combustio absumit, reliquum autem terreum est vnà cum Empireumate ab Arist. vocato. Hoc ergo vbi per lotionem ablatum, ac semotum fuerit, aqua in qua medicamentum ablutum est, calidam adsciuit facultatem, eamq; tenuium partium: quod verò reliquum est, terreum simul, & frigidum est, siccare citra mordacitatem potens*. hæc fuit Gal. opinio, nobis autem quærere liceret an verè illud Empircuma ignis in cinere relicti sit reliquia, an verò salsa particula præextiterit. de qua rè longioribus disputauimus in Dodecaporio dub. 4. vbi ostendimus sal in cinerib. non ab igne generari; sed præexistens separari à reliquo corpore, & in cineribus remanere ab igne nullo modo resolutum. *Quæsitũ.*

Sed cum pro combustæ rei diuersitate cineris temperatura variet, ita etiam Lixiuij facultates variare credendum. & ex materia laxatiua fieri cinerem laxatiuum, ex hoc lixiuium laxatiuum, pariter ex adstringenti adstringens. vnde Lixiuium ex cinere Timeleæ, Titimallorum, Soldanellæ, & similium diuersum erit à facto ex cineribus Lentisci, Quercus, Oleæ, Rubi, & similium. At Dioscorides tum ex Quercus, tum ex Fici cinere lixiuium adstringẽs censuit, quod negauit Gal. Nos porrò, quod ex cineribus aqua maceratis lixiuio communicatur, non Nitrum cum Plinio; sed sal cum Chimicis dicemus. Etenim ferè sem-

per salso sapore, & calidarum tenuiumq; partium percipitur cum abstergendi facultate. nullum enim cinerem ad abstergendum pannos Mulieres respuunt. præterquam ex Carbone imperfecte vsto, ex corticibus Castanearum, & ex Seseli Æthiopico fructice, quod ob id *macchia bucata* vocant aliqui.

Quid agēdum. Sed pro Vomitu concitando. Dios. in præfac. lib. 6. ad venena in vniuersum, vtitur lixiuio ex lignorum cinere facto. & cap. de fungis. *mirifice iuuat lixiuia ex sarmentis, aut pyrastri surculis epota cum sale, posca, & nitro*. Sed prius lib. 5. cap. 93. *Fit ex sarmentitio cinere lixiuium, contra præcipitationes, & fungorum venena, cum aceto sale, & melle*.

quātum. Copia multa assumi debet lixiulum in hoc casu. Quando, & quomodo patet.

De Menta. Cap. XXXI.

Paradoxum. Paradoxum hic ponitur. Dioscorides lib. 3. cap. 35. de Menta. *Calfaciendi*, inquit, *adstringendi, atq; exiccandi vim habet, sistit sanguinem pota ex aceto mulso. singultus, vomitiones, cholerasq; sedant terni ramuli cum acidi granati succo poti. in summa stomacho vtilis est, & in condimentis peculiarem gratiam habet*. idem confirmat Mattiolus, necnon Galenus. 6. de sim. m. fac. ipsam in tertio ordine calidam statuens. non dissentit Auic. lib. 2. c. 495. nec Plinius lib. 20. cap. 14. idem etiam refert Serapio, & addit ex Abem Mesuai, *Sedare nauseam, & vomitum phlegmaticum*. & quod magis est. Hippocrates. 2. de Diæta. 14. *Vomitus sistit*. Ergo nullo modo dicetis inter Vomitoria esse cōnumerandam Mentam.

Hoc certum videtur; vrgent tamen Galeni verba, vel potius diuersus auctor. 3. de facile parab. 79. qui ait. *Ad citandum Vomitum pituitæ. Viridem Mentam, aut siccam ex aqua temperata bibito*, ni dixeris erratum in textu, & legendum ad sedandum, non autem citandum; sed hoc gratis. potius ad dictum sensum trahi potest Plinius, quando ait loc. cit. *Pituitas corruptas purgat in Mulso, & aqua*.

Solutio Paradoxi. Nobis mirari non licet, quum ab Aqua, à Vino, ab Aceto, & ab omnibus edulijs vomitus excitari possit. quæ non sunt dicenda vomitiua: sed succedente vomitu: eorum præsumptio euacuationem variat. abstergunt enim magis, & minus. & quamuis de his vomitorijs per Accidens à nobis agendum non esse aliquis dicet; ita enim de omnibus simplicibus esset tractandum. Nos tamen respondemus, nostrum esse hoc libro omnia, quæ de vomitu Auctores scriptis mandarunt explicare. ideo omnia simplicia, quæ Vomitum aliquando excitasse scriptores retulerunt perpendere cogimur, an sint per se vomitoria, vel per Accidens. tacita obiectio.

Quid agēdum. Igitur de Vomitu ex Menta faciendo dicere possumus, quod cum hæc sit adstringens, & stomacho grata: si postea per irritamenta Vomitu eam reijcere, coactus fuerit ventriculus, cum ea pituita etiam viscida, & maxime ventriculo adhærens exibit: vnde maxima fiet abstersio. & insuper quia hæc adstringentem gratamque Ventriculo vim habet, ex illo vomitu non valde relaxabitur, nec debilitabitur Ventriculus.

Vsus. Vsus patet ex alibi dictis.

De Melle. Cap. XXXII.

Quid sit Mel, quomodo colligatur, cuius naturæ, quot sint eius species, quid præstantius, & alia multa quæri possent, sed nos historias simplicium non hic tradimus, nisi incidentur, & ignota necessitate coacti explicamus, ideo cum Mel sit notissimum, ac vulgatissimum, cęteris omissis ad Vires statim accedemus.

Cal. & siccum in 2. gradu statuit Auic. cum Gal. 7. de sim. f. atque abstergere consentiunt Dios. Gal. Auic, sed Hipp. prius scripserat 2. de Diæta. num. 13. *Mel calidum est, & siccum, si meracum sit, cum aqua autem humectat, & aluum mouet biliosis, pituitosis verò sistit*. & de affect. num. 50. *Mel cum alijs quidem comestum, & nutrit, & bonum colorem exhibet. Ipsum autem per se ipsum attenuat magis, quam reficit: nam & per Vrinam, & per secessum plus iusto expurgatur*.

duo cōtraria in Melle. Hic primo quærendum est, quomodo mel aluum moueat biliosis, pituitosis verò sistat, & primo statuendum Hipp. hic loqui non de simplici melle, sed cum aqua, quamuis 3. de Vic. Acut. cap. 21. id tribuat Melli solo. Dios. non retulit à Melle aluum duci; sed abstergere tantum dixit, vrinam ciere, & crudum aluum inflare. At Gal. 2. de Art. 51. *Modicè exhauriunt seu Vomitu, seu deiectione, & mel copiosè assumptum, & mulsa minus diluta*, & 3. de Alim. fac. cap. 39. *Cum autem Mel tenuium sit partium, acrimonia quiddam habeat est necesse, qua aluū ad excretionem proritet*. deinde ait. *Quod si quis citra aquæ admistionem mel solum delingat, nutriet quidem infirmius, sed aluum promptius deijciet. largius verò sumptum, ventrem superiorem ad Vomitum solet concitare. Elixum autem sine aqua, neq; Vomitum similiter mouet, neq; aluum subducit, verum distribuitur, & nutrit magis, vrinam autem minus eo, quod cum aqua est elixum, ciet*. At 1. de Antid. cap. 4. scribit de quodam Melle Mysiæ dulcissimo ex thymo, Origano, & Citiso. *statim se gustantes subuertebat, & nauseam cito commouebat, si paulo liberalius comesum fuisset*, quod accidebat, vel ob summam dulcedinem sine acrimonia, vel ob cytisi vim. Isaac. *Mel crudum manducantib. Vomitum, atq; egestionem prouocat*. sed in summa fatendum mel copiosum; non solum aluum; sed etiam Vomitum concitare posse. quod tribuendum videtur abstergendi summæ facultati.

Sed quod aluū moueat biliosis, est dubiū. nā

solet

aluum mouet biliosis. solet Mel biliosis nocere. vt ait Gal. qui 1. de Alim. fac. cap. 1. & 3. de Alim. f. cap. 39. scripsit in calidis corporib. prompte in bilem verti, frigidis verò accommodatissimum. quod sæpe repetit. immo Hipp. de Victu. Acut. num. 26. seu com. 3. & 9. in *totum quidem Mulsa Aqua his, qui amara bile abundant, ac magna viscera habent, minus commoda est, quam his, qui tales non sunt*. & addit. *Sed etiam biliosa per aluum magis egerit, quandoq; bona, quandoq; magis quam conuenit colore saturata, ac spumosiora: atq; hoc biliosis, & magna viscera habentibus contingit*. ratio igitur, ob quam Mel bilem *mel auget bilē.* educet, est quia eam generat, & multiplicat. & dulcedo cocta, & vsta amarescit, & fit bilis. Et hoc modo quamuis Mel biliosis aluum moueat, tamen nocet. quia illa excretio est simptomatica, facta ab irritatione bilis auctæ in intestinis. vnde Hipp. dixit deiectiones esse magis coloratas, & spumosas. & quia pura bilis, valde colorata est, quia multū calefacta, fermentatur, & flatu repleta, est spumosa; vnde est praua deiectio: quia est magis colorata, & spumosa, quam decet. & addit. *Mulsa igitur quæ aquosior est, sputum educit magis, pulmonemq; mollit. Meracior vero spumosa excrementa, atq; plusquam conuenit valde biliosa, calidioraq; quā aquosior, agit magis*. & pręter hæc nocumēta subdit Hipp. *Deiectiones autem huiusmodi habent quidem, & alias magnas offensas. Neq; enim hypocondriorum extinguunt ardorem; sed excitant. Inquietationemq; & iactationem membrorum faciunt. Intestina etiam sedemq; exulcerant*. sunt igitur huiusmodi excretiones nocuæ; vnde non possumus dicere, quod Mel abstergendo bilem biliosis, conferat aluum leniendo: sed contra quod noceat bilem gignendo, irritando, fermentando, & in intestinis cumulando, facultatemq; ex*nocet biliosis mel.* pultricem irritando. quæ symptomatice potius expellit bilem, & cum noxia, quam criticè, & cum conferentia, & tollerantia, & talis excretio facit, vt Mulsa noceat, aliàs vtilis est. vnde comm. 3. t. 19. ait. *Sed mulsa, quam aqua multò potentior est sola pota, nisi aluum perturbet*. ergo si aluum perturbat erit inferior aqua. nocet igitur Mulsa quando aluum turbat. & deinde num. 21. *Multum tamen differt, & Vini, & mellis meracitas, ad vtriusq; robur. Nam si duplam Vini mensuram ad mellis delinctum quis biberit à solo nimirum Melle validior longe reddetur. Nisi ventrem turbauerit. Nempe multo plus stercoris deijcietur*. Eccè quod à Melle etiam aluum turbari dicit cum nocumento. debemus igitur scire, quod biliosis non est dandum Mel neq; ad nutriendum, neq; ad euacuandum, quia non nutrit corpora calida, sed auget bilem. nec euacuat bilem in corpore præexistentem; sed aliam gignit, quod si genita euacuatur; quia est sincera, multa nocumenta parit, exulcerat intestina, & sedem, inquietudinem facit, & non solum excrēta non sedat ardorem Hipocondriorum; sed excitat. Vitabimus ergo Mel Ros, &c. in feb. biliosis.

Sed maior difficultas est, quia scripsit Hipp. Mel pituitosis non ducere aluum, sed sistere. primo, quia videtur sibi contradicere dum simpliciter dixit. de aff. 50. Mel attenuare, & plus iustò per Vrinam, & secessum expurgari. similiter Gal. 2. de Artic. & 3. de Alim. fac. locis supra citatis. dixit simpliciter Mel aluum mouere. non autem biliosis tantum. *mel pituitosis aluum sistit.*

Secundo cum Mel sit Calidum, & siccum, attenuans, & abstergens, potius pituitam, quam bilem debet attenuare, & abstergere. bilis autem nisi sit crassa non est attenuanda; & est abstergenda non medicamentis calidis; sed potius frigidis, si adsunt. & quum Galenus dicat sæpissime mel vtile esse pituitosis, senib. & frigido temperamento præditis. hos debet expurgare, & in his pituitam crassam tenuare, & abstergere. nam bilis calida, & sicca non postulat Calidum, & siccum mel. quod si nocet biliosis, vt supra diximus colliquando, & spumosas, sincerasq; biliosas deiectiones efficiendo. & in pituitosis aluum astringendo, inutilis etiam erit. ergo omnino abijciendum mel. & censendum omnino inutile ad aluum, vel Vomitum ciendum. *difficultates.*

Tertio ipse Hipp. statim subdit contrarium Accidere Vino. nam ait. *Dulce verò vinum pituitosis magis aluo secedit*. Mel igitur pituitosis aluum sistit. Vinum vero dulce ijsdem aluum subducit.

Ad primum. Responsio. Nos non possumus respondere, quod Mel biliosis magis, quam pituitosis aluum moueat, quia Hipp. non loquitur comparatiuè, sed oppositiuè, nam illos euacuat. alios astringit, quamuis, & Acut. 12. loquatur comparatiuè dicens *Mulsam aluum mouere biliosis magis*. possumus tamen dicere, quod pituitosos non euacuat, quia dulce est, & naturæ amicum, calidum, & valde nutriens; vnde in Natura frigida concoquitur temperate, calore suo adiuuat coctionem, ita totum vertitur in nutrimentum; vnde non excernitur, at in biliosis nimis coquitur, assatur, vnde amarescit, acrior fit, & in bilem transit, inde expultrix irritata expellit. ac copiosè sumptum, potest misceri cum bile excrementitia, quæ à felle ad intestina defertur etiam in pituitosis, quæ aucta potest magis stimulare expultricem intestinorum, & sic potest educi pituita, quæ quia non educetur simpliciter à Melle; sed secundario, & postquam sit versum in bilem; ideo iure dicitur Mel non mouere aluum pituitosis; sed potius sistere cum suo calore, & siccitate adiuuet viscera ad concoctionem pituitæ, quæ concocta transit in sang. & non excernitur, & quod est superfluum in Venis per Vrinam excernitur, ideo quando Hipp. dicit Mel attenuare verum est, quia pituitam crassam tenuem facit in pituitosis. at in biliosis corpora ipsa attenuat colliquando, & humiditates consumendo, & educendo. & Vrinam ducere pituitosis voluit; biliosos verò per secessum expurgari. at Gal. simpliciter loquutus est, quia biliosis per se, pituitosis per accidens, vt explicauimus mouere aluūm potest.

Ad secundum Responsio.

Ad secundum respondeo negãdo consequentiam. nam Mel cum sit abstergens, debet abstergere, quod inuenit aptum vt abstergatur. habet enim ex Hipp. 3. acut. 10. vim quandam abstergendi. ex Dios. etiam abstergit, sed Gal. interpretatur apud Hipp. mulsum debiliter abstergere, cum igitur debiliter abstergat, & sputum mediocriter educat. si inuenerit materiam crassam, & viscidam eam calefaciendo, & siccando viscosiorem reddet; sed abstergere nequit ob imbecillitatem; ideo Hipp. dixit, plusquam mediocriter viscosum facere sputum. in pectore igitur, quia non assumitur Mel; sed mulsa copiosa, si pituita valde crassa extiterit, viscosior reddetur à Mulsa, si tenuis, tum sputum mediocriter educetur. si verò fuerit bilis crassa Mel erit nocuum. & mulsa diluta; quia humectat, sputum educet, & magis, si tenuis fuerit bilis. sed Alui materias agitat Mel, & retentum in biliosia mutatur in bilem acerrimam, quæ dum excernitur multas offensas parit. in pituitosis vero concoquitur, calefacit, & nutrit corpora. si vero non retineatur, neq; in biliosis, neq; in pituitosis, ambobus aluum subducet detergendo bilem, & pituitam. dixit autem Hipp. biliosis aluum subducere, & pituitosis sistere. non autem bilem educere, & pituitam retinere, & alibi dixit picrocholis, & megalosplanchnis minus idoneam mulsam, quia his magis biliosa educit. picrocholi autem sunt non simpliciter biliosi; sed qui bilioso sunt Ventriculo, ita temperamento totius pituitosi possunt esse picrocholi. qualis erat ille, cuius totus habitus pituitosus erat, quotidie tamen bilem pallidam euomebat, vt se vidisse ait Gal. in Arte med. cap. 74. si igitur Mel fuerit à picrocholis assumptum statim occurrens bili copiosæ eà vincetur, ipsamq; ita augebit, & acriorem reddet. at in pituitoso corpore, si repererit Ventriculum, & intestina vacua concoquetur, & in nutrimentum transibit, sic aluus non deijciet, & videbitur sisti. si verò pituita repleta inuenerit, vim abstersoriam exercebit, & eam educet pari pacto, ac Acida, quæ pituitam ex intestinis detrudunt, si existentem ibi inuenerint, si verò vacua inuenerint, densant, firmant, & quasi stringunt. vt scripsit Galenus 2. de Alimen. facult. 21. cum autem ait Hippocrates tex. 12. 3. Acut. *biliosa quoq; alui deijcit magis, interdum quidem bona; sed interdum magis, quam decet colorata, ac spumosa, quod biliosis magis, & megalosplanchnis, continget.* credo bonas deiectiones intelligere conuenientes, cum iuuamento, conferentia, & tollerantia, in pituitosis scilicet, at in picrocholis deiectio solet, vt plurimum esse coloratior, & spumosior, ac mala, & cum in biliosis, rarò possit esse bona excretio, sequitur, vt sit bona in contrario temperamento, scilicet pituitoso, vbi excretio est biliosa quidem; sed quia bilis, est pituitæ mixta, non est valde colorata, & quia paucus adest calor, ac moderatus, non est spumosa deiectio. proinde est bona excretio, nec offensas infra narratas parit, scilicet excitare ardorem Hipocondriorum, inquietationem, & iactationem. nec intestina, ac sedem exulcerat. Vtile igitur erit pituitosis Mel, quia eos calefacit, siccat, ac nutrit, proinde senib. aptissimum, quod si intestina pituita repleta inuenerit eam detergendo expellit. si vacua inuenerit transit per corpus ad Vrinam, & detergit renes.

Respõsio ad tertium.

qui picrocoli;

Ad tertium Martianus respondet. diuerso modo agere Vinum dulce, ac Mel dulce. nec cum ob dulcedinem facile in bilem vertuntur cum non omnia dulcia bilescant, vt patet in Vino: sed quia Mel in bilem vertitur, vt pote cal. & siccum, vinum autem dulce cal. & humidum est. vnde Mel nat. cal. & siccum potius aluum sistet, quam laxabit. sed corruptum, & transmutatum in bilem, ob bilis acrimoniam aluus soluitur, in pituitosis vero, quia non fit bilis, non mouet aluum: sed sistit. Vinum vero humiditate aluum subducit; verum cum illius humiditas leuis sit, corporib. natura siccis, biliosis, scilicet, aluum humectare non adeo potest, vt inde soluatur quemadmodum pituitosis. mihi autem non idem videtur, si quidem Mel non simpliciter biliosis aluum mouet, nec semper; sed picrocholis, & cum inuenerit multam bilem in Ventriculo, & cum diu moratur in Hypochondrijs. nec simplicem excitat excretionem; sed acrem, & nocuam. & è contra non simpliciter pituitosis aluum sistit; sed cum inuenerit intestina vacua pituita, & deobstructas vias, ita vt non cogatur permanere in hypochondrijs. & in summa dico ratione tenuitatis, & crassitiei operationem variare. seu potius ratione moræ in Hypochondrijs. nam si assumptum fuerit Mel purum certum est, quod crassius est mulsa diluta, & cocta, & quod diutius etiam retinebitur in Ventriculo, vnde constat etiam, quod magis deijciet aluum Mel, quam Mulsa, & quo est magis tenuis, & diluta eo minus aluum irritat, vt ipse Hipp. t. 13. asserit, & quo Meracior est ad naturam Mellis magis accedit, & cum dicat Hipp. quod Mel cum aqua humectet, solum exiccet; quo dilutior erit mulsa, eo magis humectabit, & minus absterget. Constitutum igitur sit Mel purum cal. & siccum esse, & potatum à picrocholis inueniens in ventriculo copiam bilis vri ab ipsa, mutariq; in bilem acerrimam, quę vellicans naturam symptomaticè eam cogit ad sui expulsionem, at in biliosis non picrocholis, qui non habent obstructa viscera, quia non retinetur, diu in Ventriculo, sed vltrò transit in nutrimentum, potius aluum sistit. in pituitosis verò si paucam inuenerit pituitam eam calefacit, & simul cum ipsa coquitur, & transit in nutrimentum, & aluo non secedit. at si diu coactum fuerit mel in Ventriculo pituita repleto permanere. absterget eam, bilem concitabit. vnde bonas excretiones pariet mixtas ex bile, & pituita. non prauas ex bile sincera à nostra sententia non differt Auicenna. *Et dico quod Mel, & eius aqua si inuenerint praparationem cibi, vt penetret, stringunt, & si viderint Motum, & paucitatem preparationis*

mel quomodo diuerse agat.

Mellis temperamentum.

nis sibi ad penetrandum soluunt.

Quo ad mulsam. hæc dicitur Melicratum Græcè, & Hidromel, seu Aqua mulsa, seu Mellita. duplex est recens, & inueterata, quæ Vini saporem acquirit, à Polonis, ac Lituanis, qui plurimo abundant Melle, assiduè bibitur, vocantq; Medouem. parandi modus differt ratione dosis, & cocturæ. vnde Hipp. Gal. & Medici distinguunt Mulsam in Meracam, mediocrem, & dilutam.

Mulsa meraca. Diosc. Plin. & Palladius. ℞. Mellis. p. j.
Aqua pluuię. p. ij.
insolant, vel addita
Aqua fontis coquūt
ad tertias.

mediocris. Mesues, Rasis, & Paulus. ℞. Mellis. par. j.
Aqua fontis. p. viij.
coquitur donec non
sit vlla spuma.

aliqui hanc esse mulsam Mediocrem, illā verò Meracam, vt Brasau. qui dilutam censet ex

diluta. Mellis. vnc. j.
Aquę. lib. 8.
decoctæ donec nulla appareat spuma.

Sed nobis non videtur apta ista dilutissima, & aquosissima mulsa ad ea præstanda, quæ promittunt Authores. Hipp. quidem 3. Acut. 13. meminit Meracioris, & dilutioris Mulsæ, & quamuis Mediam dari non sit dubium, tamen hæc valde variat, & modo vergit ad meracam, *Mulsa cocta.* modo ad aquosam. Mesues suam mulsam parum coctam, aquosam videtur nominare, & laudare ad ea, ad quæ valere dilutam dixit Hipp. magis autem coctam, & inspissatam, videtur Meraciorem vocare, & illi tribuere qualitates ab Hipp. tributas meraciori Mulsæ. Diosc. tradidit vnam tantum Mulsæ compositionem. s. Meracioris, & aptæ ad conseruationem per longum tempus, nec curauit docere modum, & dosim parandæ Mulsæ crudæ, vel decoctæ, & breui potandæ, quia parum refert, an multum, vel parum mellis recipiat; sed secundum voluntatem parari potest. at si debet conseruari longo tempore non debet esse valde diluta, experiuntur enim nostri pharmacopęi syr. dilutos, & parum coctos parum diu perdurare posse.

Mulsa cruda. Aqua *Mulsa cruda vtimur* (inquit) Diosc. *cum Moliri deiectionē, aut Vomitionē incitare volumus; vt ijs, qui Venena hauserunt, ex Oleo.* Hipp. etiam ad Vomitum ciendum videtur vsus mulsa cruda: nam quando voluit coctam, id specificauit. vt 4. Acut. t. 5. At Gal. 3. de Alim. fac. 39. docet mulsam crudam per aluum deijci, non autem coctam. quod idem confirmat Auic. quod autem mulsa aluum moueat docuit Hipp. locis supracitatis, & quo meracior eo validior, sicut quo crudior. vnde ad Vomitum lib. de affect. num. 13. *si bilis, aut pituita ad cor consederint* *ad Vomitum.* *aqua mulsa pota vomant*. & num. 15. *Quicunq; verò alij dolores in æstate circa ventrem fiunt, si quidem ad præcordia, & cor tenderint, Aquam mulsam aquosam facito, & Aceti trib. heminis affusis tepidam bibendam dato, & vbi modico tempore ipsam retinuerit, & igne, ac Vestib. concalefactus fuerit, Vomat*. De int. aff. num. 15. ad Tabem. *Primum fomentum adhibeto, & vbi fomentum adhibueris, postridie Aqua mulsa dimidium congium ipsi bibendum dato, modico aceto affuso. Hac citra respirationem bibere iubeto, deinde stragulis ipsum ad multum, ac quam longissimum tempus contegito. si vero non sustineat, & euomere velit, vomat: si verò vomitus non sequatur tempore iam aliquo interposito aqua tepida poculo magno super ingesto vomat irritatione per pennam facta*. & primo de Mor. Mul. nu. 30. si os vteri pingue fuerit, & crassum, & propterea non concipiat, &c. *alio recenti vescatur, & aqua mulsa pota vomat*. & ibidem num. 101. *Mulsa pro Vomitu.* Vt mulier in Ventre concipiat. *post cęnam autem, vbi cæpas melle tinctas comedit, & aquam mulsam tepidam quatuor heminarum mensura bibit, & paululum continuit, vomat. &c.* & hoc per dies 7. facito. & 7. Epid. num. 50. *Pausaniæ filiam ex fungi crudi esu, anxietas tenebat, strangulatio, dolor Ventris. Aquam mulsam calidam bibere, ac vomere profuit*, Vnde Diosc. lib. 6. Doricnio epoto peculiariter opitulatur vomitus ex aqua mulsa, item Hyosciamo, & Mandragora epota. & lib. 2. cap. de Melle. *Contra haustum Meconium cum rosaceo calidum assumitur: aduersus venena fungorum, & rabiosi canis morsus linctum, aut potum proficit*. & lib. 5. cap. de Mulsa. eam cum Oleo ad Venena exhibet. prætereа ad Mel Venenatum assumptum valere dixit. *Esitata ruta, & salsamenta, aut epotum mulsum; resumpta, quoties vomitione reijciuntur*. Auic. eadem refert.

Gal. 2. de Art. 51. *Mel copiosè assumptum, & mulsa minùs diluta vomitum citant*. vbi non solum videtur requirere mulsam meraciorem; sed etiam crudam: hæc enim magis assimilatur melli ipso. quam cocta. id autem operatur quia detergit, vt ipse refert 8. meth. 4. & 4. de san. tu. 4. præterea scribit Gal. quod mulsa pituitam, per Vomitum detergendo Ventriculum, educit. vnde patet non deijcere biliosa, nisi quum in ea mutatur in picrocholis. nam 8. meth. cap. 2. *Mulsa*, inquit, *velut ptisana ex ventriculo per Vomitum detergendo educit mediocrem pituitam*. & cum Hipp. 1. Acut. t. 18. scripsit. *Ptisana si quid ablui eget, probe abluit*. vel vt alij legunt *si quid excerni, facile ipsa excernit*. *duplex lectio.* Gal. in com. ait. *Ptisana autem inest, & lubricum, & detergens. Quapropter Medici ad detergendum eum, qui in Ventre infarctus est, humorē, vomitibus exhibito ptisanæ cremore, veluti, & aqua mulsa vtuntur*, quo probat vsum mulsæ, ad detergendum Vomitu humorem in Ventre infarctum. quod confirmat 7. meth. 11. *Verum* (inquiens) *quibus lenta pituita ventriculo est infixa, ijs prius exhibenda sunt, quæcunq; hanc dissecent, post deinde purgandum. Quod si ad Vomendum sunt idonei, non inutile sit, per radiculas ex Oxymelite vomere. Sin verò, nec lentus humor sit, nec crassus, vtiq; abundè sit à ptisana*

solius

solius cremore vomuisse: item à mulsa, quo casu sumendum utriusuis plus est, quam vel nutrimenti, vel etiam deiectionis causa sumeretur, Idoneum vero est, & si mulsa, in qua incoctum Absinthium sit, bibatur, nam id quoq; tenues fuccos, quicunq; Videlicet in ipsius Ventriculi ore continentur commodè deorsum expellit. Præterea Galeno tributus liber de Chatarticis; *Vomitum facit sinapi cum mulsa; ireos puluis cum mulsa.* eu igitur pro Vomitu, vel deiectione excitanda vtendum mulsa cruda, & parum diluta, ac recente, non inueterata.

Mel crudum flatuosum. Scribit tamen Diosc. quod *Mel crudum aluum inflat, tussim lacessit, & ea de re despumati vsus aptior est.* sed intelligit, vt alteret. alioqui quando detergere debet crudum eligitur, & aluum inflando, subducit. & vt coctum amittit alui inflationem, sic etiam detersionem. quod omne perspicacissime docuit Gal. 3. de Alim. f. 39. *Cum autem tenuium sit partium, acrimonia quiddam habeat est necesse, qua aluum ad excretionem prorritet: quam certè adimentes, ipsum efficimus ad distributionem, & coctionem accommodatius. Commodissimè autem ipsam adimemus, si primum multum illi aqua admiscuerimus, ac deinde tantisper coxerimus, quoad spumare desinat: oportet autem spumam statim, vt emerserit, continenter ab ipso tollere, cum enim hac parandi ratione acrimoniam deposuerit, neq; amplius aluum ad excretionem irritet, haud cunctanter in corpus distribuetur. Melicratum vero, quod paulisper, aut nihil omnino coctum fuerit, prius deijcitur, quam concoqui, & in corpus distribui, & nutrire possit. Præterea in eo differunt, quod Mel non planè coctum, in ventriculo, atq; intestinis flatus quosdam gignat; contra, quod in decoctione spumam omnem abiecerit, flatus est expers, & vrinam mouet. Quod si quis citra aqua admistionem mel solum delin, at, nutriet quidem infirmius, sed aluum promptius deijciet. Largius verò sumptum, ventrem superiorem ad Vomitum solet concitare. Elixum autem sine aqua, neque Vomitum similiter mouet, neq; aluum subducit verum distribuitur, & nutrit magis: vrinam autem minus eo, quod cum aqua est elixum, ciet.*

Mulsa cocta. Mulsa autem cocta, vt quæ acrimoniam, & flatuositatem ammiserit præsertim valde diluta aluum nullo modo irritat natura sua (nisi ob copiam grauando naturam abluat, quod copiosæ aquæ non melli admisto tribuemus) vnde Hipp. t. 23. *Cocta autem mulsa* (inquit) *facie quidem cruda longe est melior.* (his verbis indicat se prius de cruda fuisse loquutum) *splendida siquidem, & tenuis, & alba, & pellucida existit: sed qua ab ea euariet virtute non habeo. neq; enim est suauior, si mel bonum fuerit, imbecillior tamen, & minus stercoris habens. Quorum neutro, vt auxilietur mulsa opus habet. Cocto tamen probissimè vtendum, si mel vitiosum fuerit, impurum, nigrum, & mali odoris. Nempe coctura plurimam malignitatum turpitudinem tollit.* his Hipp. Verbis Valesius, & Martianus consentiunt non differre virib. mulsam coctam à Cruda, si mel sit bonum; sed colore solum magis grato esse, non sapore. & coctura tãtum egere Mel Vitiosum. & quidem clarè videtur loquutus Hipp.

Mel crudum. Contrà tamen Gal. 3. de Alim. fa. supra cit. posuit multam differentiam. dicens Mel, & mulsam crudam habere acrimoniam aluum deijcientem, esse flatuosa, minus nutrire, minus per Vrinam transire, & Vomitum prouocare. contra Mel, & Mulsam coctam, neq; Vomitum, neq; aluum proritare, non esse flatuosa, magis nutrire, & magis Vrinam prouocare, & 5. aph. 41. dixit idem Gal. Mulsam crudam esse flatuosam. ita 4. Acut. tex. 5. *exhibet Hipp. Mulsam coctam. Nempe, quam cruda, sitim magis arcet, & flatu magis Vacat, vrinasq; magis ducet, vt quæ cruda est, detectionem. Minus siquidem acris, qua cocta est, non solum, quod in coctura peragatur conficiaturq; verùm, quod & spumosum ipsius omne tollitur. Nempe quod acre, & flatuosum existit, in mulsa est substantia. Cocta autem tum morsu caret, tum flatu vacat, distribuiturq; melius. quam per intestina descendat; quo fit, vt eam ob causam magis alat, quam cruda.*

Mel crudum. Secundo Diosc. lib. 2. cap. 75. de Melle ait. *crudum aluum inflat, tussim lacessit, & ea de re despumati vsus aptior.* & lib. 5. cap. 15. de Aqua mulsa. crudam exhibet ad deiectionem, & Vomitum prouocandum. *Decocta* (inquit) *datur imbecillis, & hominib. elanguescentis pulsus, tussientib., peripneumonicis, & ys, qui modieo sudore digeruntur.*

Tertio ipse Hipp. hic dixit coctam mulsam esse tantum imbecilliorem, & minus stercoris habere, ergo, vel aliud non est, vel ignorauit.

Valesius hoc loco dixit quidem cum Hipp. nihil differre Mulsam coctam à cruda ex bono melle, nihilominus cum Gal. addit. coctam alia ratione præstare, quod minus sit flatuosa. Martianus verò non consentit Galeno asserenti Mel ablata spuma minus esse flatuosum. Melius dicemus differre Mel coctum à crudo, & Mulsam coctam à cruda ex ipso Hipp. in Viribus internis, non ad formam exteriorem, hic autem loquutus est tantum, quo ad apparentiam per eo- Color Mulsæ. lotem, & saporem, dicens, quod mulsa cocta longè est melior cruda, quo ad colorem, *in*... vel dicamus *facie quidem* cum Vasseo, vel *aspectu* cum Valesio. vel *vt videre est* cum Bralau. pertinet tantum ad Visum & addit. *splendida siquidem, & tenuis, & alba, & pellucida existit.* quæ qualitates pertinent ad visum. postremò. *Cocto* (inquit) *probissimè vtendum, si mel Vitiosum fuerit, impurum, nigrum, & mali odoris. Nempe coctura plurimam malignitatum turpitudinem tollit.* quæ pertinent ad Colorem, & Odorem.

Obiectio. Sed dices. Hipp. non Variare virtutem expressit, dicens. *Sed qua ab ea euariet virtute non habeo*, ergo non de colore, & visu tantum.

Respon-

Respon-sio. Respondeo Hipp. statim se explicare, quid intelligat per Virtutem mulsæ:nam ait. *neq; enim est suauior*. hoc pertinet ad saporem. igitur gustui non est magis grata mulsa cocta, quam cruda ex bono melle. sed subdit. *imbecillior tamen, & minus stercoris habens*. in hoc differt cocta à cruda. quia cruda mulsa magis videtur aluum irritare; nam plus stercoris facit, quod tribuendum videtur suæ substantiæ crassæ, & impuræ; siquidem coctura eum auferat multas sordes mellis. ideo mulsa cocta, tenuior, & purior, minus etiam stercoris faciet. At imbecillior est non quidem ad calefaciendum, siccandum, &c. sed ad nutriendum corpus, vel ad ea præstanda, adq; eam proposuerat Hipp. supra, nimirum ad pulmonem molliendum, sputum educendum, & tusses mitigandas vrinasq; ciendas, ac alui biliosa excrementa deijcienda; vel imbecillior est ad lędendum, ita vt minus noceat picrocholis, & megalosplanchnis. minus crassum reddat sputum, minus pariat deiectiones biliosas, spumosas, minus intestina exulceret.

Ad primũ autem Respõdeo. nil dictum à Gal. de Mulsa, quod prius non dictum ab Hipp. & *Respon-sio.* hoc loco Hipp. loqui (est prænotandum) de Mulsa cocta, vel cruda in vsu ad nutriendos morbis acutis vexatos. in quo casu tria requiruntur. Mulsæ aspectus, sapor, & vis. aspectus quidem melior est coctæ, quam crudæ. at non est suauior sapor coctæ, quam crudæ, in alimentis autem ex Aph. suauior cibus est præferendus. vis autem nutriens est quidem imbecillior in cocta. sed non est tanta imbecillitas, vt egeat correctione,& per verbum imbecillior Hipp. denotauit etiam ad omnia præstanda coctam esse imbecilliorem,quam crudam,non sutẽ diuer- *differentia mulsa cocta a cruda.* sam habere vim: vnde non assentimur Galeno dicenti,quod cocta morsu caret; sed cum Hipp. quod minus mordet. nec quod flatu simpliciter vacat. sed quod minus abundat. neq; etiam quod cocta non prouocet aluum, vel Vomitum; sed quod minus ea præstet. Hipp. autem ad Vomitum cocta etiam Mulsa vtitur, vt 4. acut. t.5. in feb. ard. dicens. *Huic aqua, mulsaq; cocta, & aquosa quantum voluerit bibendum dabis*. scio quidem Gal. Bras. & Vales. censuisse ab Hipp. dari mulsam pro solo nutrimento. sed mihi non probatur; nam si Medicus concesserit ægroto potum aquæ, vel mulsæ coctæ aquosæ, quantum voluerit. hoc illi erit gratissimum; sed nunquam bibere cessabit. nec assentior Brasauolo, qui ex Gal. colligit Hipp. non exhibere solam aquam, sed aquam mulsam aquosam; quia clara sunt Verba Hipp. ὕδωρ τε ᾗ μελίκρητον ἑφθὸν, ὑδαρὲς. aquã,& melicratum aquosum. nam exhibet copiosam aquam, vel mulsam coctam, quæ imbecillior est cruda, & facit aquosam, vt adhuc sit imbecillior, & aquæ puræ magis similis. non est autem pro nutrimento, quia non dat quantum,& quoties voluerit,sed quantũ voluerit vna Vice, vt soluatur aluus. quod si os est amarum, (quia quo vergit eo ducere oportet) vomere confert ab eadem mulsa, & simul aluum subluere, ne excrementa ob excitatum Vomitum etiam sursum tendant. nec assentiar Valesio dicenti mulsam coctam pro nutrimento dari non picrocholis, in his enim mulsa nocet. *Contra Valesiũ.* quia cocta ad nocendum est imbecillior, & dilutior minus bilescit. nec bene Hipp. Vomitum cum nutrimento misceret. sed quod loquatur. de Mulsa ad aluum soluendam, patet, quia postquam dedisset copiosam ad aluum soluendam. & ore existente amaro ad Vomitum. subdit. *Verum si adhuc non aperiatur, lacte Asinæ cocto purgabis*. per verbum *si ad hæc* indicat, si ad mulsæ potum non aperiatur Venter. fortioribus esse vtendum, idest lacte cocto. quod abstergit, & abluit, Aqua copiosa abluit tantum, mulsa aquosa abluit, & debiliter abstergit. lac abstergit validè. & infra num.47. dat etiam bibendum Melicratum calidum coctum malè affectis præcordijs;quia coctum minus flatuosum est, sic minus lædet.

Ad secundum Respondeo iure Diof. ea scripsisse; nam decocta Mulsa imbecillior est ad omnia, ita minus,quam cruda aluum irritat, &c. *Ad secundum.*

Ad Tertium Respõdeo negando consequentiam; nam per verbum *imbecilliorem* multa intellexit Hipp.& Verum dixit; nam in eo tantum differt cocta à cruda. & quando dicit simpliciter mulsam aluum soluere, vel aliud quid præstare, semper intelligendum validiorem esse crudam; vnde lib.de aff.38. quando ait. *Potib. vtendum est, siquidem aluum, & vesicam subducere velis; vino dulci, aut aqua mulsa*. subintelligemus crudam magis, coctam minus subducere, & vt variat Mel coctum à crudo, ita etiam variabit mulsa cocta à cruda præcipue meracior, quæ validior est. *Ad tertium.*

Quo ad vsum Mellis, & mulsæ. iam audiuistis quomodo Mel aluum moneat, & quid agat per se comestum, & quid cum alijs mixtum. sed adhuc in Hipp. est quædam difficultas. nam de Affect.num.50. *Mel*, inquit, *cum alijs quidem comestum, & nutrit, & bonum colorem exhibet. ipsum autem per se ipsum attenuat magis, quam reficit: nam, & per Vrinam, & per secessum plus iusto expurgatur*. at Verò de int. affe. num. 45. in alio Typho, dicit morbum fieri, *vbi placentarum, & sesaminorum, & liborum, & aliorum dulciariorum ex melle paratorum, esu se insatiabiliter expleuerunt: mel enim coctum esfluosum est, & Ventri adhæret: postea, quum concoctum fuerit in ventre; efferuescit, & venter de repente attollitur, & ardet, ac dirumpi videtur. Deinde repente ventris profluuium succedit; & quum semel succedere inceperit per multos dies purgatur, & multi post hanc purgationem sani sunt.* *Vsus Mellis.*

Prima difficultas est, quia lib. de affe. videtur laudare mel cum alijs mixtum, at de int. affec. ipsum cum dulciarijs damnat. *difficultas prima.*

Secundo Mel per se sumptum per aluum secedere primo dixit. alibi. ex cocto profluuium ventris longum gigni. ergo magis purgat coctum, & mixtum, quam crudum, & per se. *Secũdo.*

Ad primum Respondeo laudari moderatum vsum, *Respõsio.*

vsum, & damnari immoderatum, ideo dixit *insatiabiliter expleuerunt*.

Responsio secunda. Ad secundum Mel mixtum moderatè sumptum cum alimentis cum ipsis attractum nutrit. per se irritat magis: vnde secedit. at coctum, & immoderatè sumptum non quidem propriè vim aluum subducendi habet, sed ventri adhæret, & calorem parit, & ventriculum vexat, & multos gignit flatus, à quibus venter attollitur, & dolet. quod si expultrix euicerit diarrhęam plurium dierum facit, vt expurget copiosum Mel ingestum.

Obiectio. At dices Mel coctum adeo flatuosum est, vt ventrem attollat, &c. contra Dios. *Mel crudum aluum inflat*: & Gal. 3. de Aliment. fac. 39. *Mel non planè coctum in ventriculo, atq; intestinis flatus quosdam gignit. contrà quod in decoctione spumam omnem abiecerit, flatus est expers, & Vrinam mouet*.

Responsio. Respondeo Mel crudum aluum inflare per se, & magis. coctum vero per Accidens, scilicet ob maximam copiam. seu minus quam crudum. Gal. autem loquitur de Mulsa cocta à qua spuma aufertur sedes flatus, at in Melle cocto per se sine aqua cum placentis remanet pars, quæ per spumam separabatur; vnde copiosè ingestum flatulentum est.

Instantia. Sed instabis ex Gal. loc. cit. *Elixum autem sine aqua, neq; Vomitum similiter mouet, neq; aluum subducit, verum distribuitur, & nutrit magis, vrinam autem minus eo, quod cum aqua est elixum, ciet*. contrà ex Hipp. coctum diarrhęam facit, non distribuitur, non nutrit: sed in ventre manet, ei adhæret, & tumescere facit.

Respondeo nocumenta allata prouenire non à qualitate, sed à quantitate.

Quid agendum. Sed vt de Melle claudatur sermo. non mihi probatur Vsus solius Mellis ad Vomitum prouocandum. Nam oporteret ipsum copiosè assumere ad satietatem, sed cum alijs mixtum, quum est vomendum à cibis, laudari potest. quia copiosa dulcedo nauseam facit, & ita magis laudarem crudum, quam coctum.

Quid agendum. Mulsa verò magis apta est ad Vomitum, siquidem abstergit ob Mel, eluit ob aquam: ita quum ventriculum eluere, & materias abstergere volumus Mulsa vtemur, ad Venena quidem fungorum sumptorum, Dorienij, Hyosciami, Mandragoræ, Opij, Meconij, Mellis Venenati ex Hipp. Dios. & Auic. sic si bilis, aut pituita ad Cor, seu os Ventriculi consederint. Vomitu ex Mulsa vtitur Hipp. & ad reuellendum ab vterò humores eandem etiam adhibet.

Quantum. Copiosa debet esse assumptio Mulsæ, vt elotio fieri queat, quantum bibere volet dixit Hipp.

Quando. Potest assumi, quum Vomitus indicatur semel, bis, & pluries.

Quomodo. Potest assumi calida, tepida, frigida; magis, & minus meracior; cocta, vel cruda, per se, vel mixta cum Oleo, aceto. à ieiunis, & post cibos.

De Melanthio. Cap. XXXIII.

Melanthium, officinis Nigella dicitur ab alijs Gith. vnius est generis apud Dios. & Veteres. Bauhinus numerat. 8. species. huius semen, quia nigrum est, nomen tam Græcum, quam latinum à nigredine sumpsit.

Huius semen acre est, & Odoratum ex Dios. Vrinam, & menstrua ciet, multis diebus sumptum, & lac extrahit: difficultatem spirandi cum vino potum, leuat. phalangiorum morsibus ex aqua drachmæ pondere haustum auxiliatur, tradunt largius epotum enecare. Gal. verò 7. de s. m. f. fecit cal. & siccum in tertio Ordine, tenue, incisiuum, extersiuum, & flatus resolutiuum, & amarum dixit, ac crassos humores incidere, & detergere in pectore. Hipp. de sterilib. num. 19. *Conceptorium summum. Melanthium mulieri in vino nigro acerba bibendum dato*. & 2. de m. mul. 70. *Potio ad fluxum, & omnes morbos, qui ab vteris fiunt. Pæonia semen, & radices, cuminum AEthiopicum, & Melanthium in Vino albo exbibetur*. & sæpe ipsum subdit vuluæ. Plin. lib. 20. cap. 7. cum Dios. sentit, & in particulari ait: *largius Venenum est, quod miremur, cum semen gratissimè panes etiam condiat*. at de Vi Vomitoria nil reperio. tamen Mesues in Canonib. t. 15. semen Melanthij inter leuia vomitoria posuit. *Nigellæ vires.* *Hippocrates,* Hipp. vero de Nat. Mu. num. 83. *si caput doleat, & imum ventrem, & lumbos: bilis in vteris est: Huic itaq; pharmacum dare oportet. quod sursum, ac deorsum purgare potest. & calida lauare, & apponere, quæ bilem purgant. Et anisum, ac nigellam vino diluito, & bibenda dato*. ad quid hæc dat? an vt sursum, ac deorsum purgent? Anisum, vt iam diximus vomitum facit, ita etiam nigella ex Mesue. *Vis vomitoria.*

Quid agendum. Si dare libuerit Melanthium ad Vomitum excitandum. incidet phlegma, deterget, & resoluet flatus. Asthmati conferet. addito nitro. conferet ad lubricos in Ventriculo interficiendos, & educendos. ad menstrua cienda, ad calculos. & ad febres pituitosas, & melancholicas; quia ipsius decoctum ex Auic. & Serap. eas tollit.

Quantum. Drachmæ pondere dant Græci, & nimia dosis nocet.

Quando. Tempus vtendi, ex alibi dictis noscetur.

Quomodo. An sit substantia seminis, vel eius decoctum pro Vomitorio nemo scripsit, quod legerim. equidem darem decoctum, & penna vomitum irritarem.

De Napi. Cap. XXXIV.

NApus βουνιὰς Græcis dicitur. Bunium verò Plinij dictū βούνιον à Diosc. lib. 4. cap. 119. non est Napi species, vt Matt. credit. seu Napum silu. quamuis Plin. coniunxerit Bunium, & Buniada, idest Napum; nam caulis quadrangulus, & flores aneti, vmbellam designant, non siliquas, vt Napus. vnde potius cum Dodo. Lacuna, & Gesnero
Bunium, & Bunias. sentire Oenantem secundam Mattioli, vel cum Delecamp. Daucum petroselini, vel coriandri folio esse Diosc. Bunium.

At Napi species non attulit Diosc. sed Plin. lib. 20. cap. 4. in Bunium, & Buniadem, vt dixi, & male quidem, nisi dixerimus Bunij radices esse napo similes, & tuberosas, vt Oenanthæ. & quando idem Plin. lib. 19. cap. 5. facit Naporum quinque genera, error est in textu; nam Theoph. 7. de hist. pl. cap. 4. ex quo hæc Plinius desumpsit, agit περὶ ῥαφανίδων, idest de radiculis. Napi autem vnum tantum genus satiui auctores pingunt. sed colore albo, vel buxeo variare vidimus, forma alijs rotunda, alijs oblonga. magnitudine magni, & parui, sapore etiam magis, & minus grato.

Vires. Quoad Vires. Plinius Buniadis semine in Antidotis Medicos vti, quia præclarum contra Venena. idem retulit Dioscorides. Buniada, Napum interpretantur Latini, & nunc Vulgo ita dicitur. Sed apud Gal. Napi nomen mihi videtur pro Sinapi sumi lib. enim. 8. de s. med. fa. scribit tantum *Napy calfacit, & desiccat ordine quarto*. nec de Sinapi loquitur eo libro, præterea lib. 9. initio. dixit esse acre. & 1. de s. m. fac. 12. & lib. 5. cap. 2. valde calefacere. & lib. 5. cap. 25. & 27. exurere, & cauterizare. & lib. 7. ait Cardamum. seu nasturtium, esse causticum vt Napy. Accedit quod Diosc. inquit lib. 2. cap. 148. *Sinapi hortense, aliqui Napi vocant.* Plinius vero lib. 27. cap. 13. alterum Tlaspi latis folijs ab aliquib. Persicum Napy dici. & lib. 19. cap. 8. Sinapy dicit ab. Atheniensib. Napy vocatum fuisse. aliud igitur est Napy apud Gal. aliud Napus latinorum. Galenus. Paul. Aet. vt etiam notat Cæsalp. intelligunt Synapi, latini Buniadem. & quum Andromachus in Theriaca scribat.

Et dulcis tantum seminis inde Napi. Græce Buniadis. Gal. 1. de Ant. cap. 12. Agrestem Napum vertit. an Græce Buniados? & de Ther. ad Pamphil. *Seminis Napy, i. rapi agrestis* legitur non certus sum. an sint Verba interpretis. consulendus Græcus codex, & de Ther. ad Pison, c. 12. ait Piper longum adulterari imposito pyrethri, vel Napyos aliquantulo, quia sensum hoc pacto mordet. ego censeo Napyos esse sinapi, quia est Acre. Buniadis autem semen, seu Napi latinorum semen dulcem cum Andromacho reor. & fidem augent, quia Gal. videtur Buniadem inter Rapos numerare; nam de succi bonitate, & Vitio cap. 9. *boni, maliq; in confinio Ari radices sunt, & Raporum, quæ βουνιάδας etiam vocant.* & 2. de Alim. fac. cap. 62. de Rapis. *Huius plantæ (quam γογγυλίδα, aut βουνιάδα appelles licet) oleraceum quidem est, quod terra extat.* Diosc. autem post Rapas, seu Gongilides, statim agit de Napis, seu Buniade: quum igitur Vulgarium Naporum semina acria non sint. non dicemus esse acerrima; sed dulcia cum Andromacho, seu dulce Napum intelligi, idest esculentum. cum Matt. lib. 5. Epist. 4.

His prælibatis sentimus nos vulgares Napos esse Antiquorum Buniada, & horum semen in Theriaca reponendum, quod autem ad Vomitum valeant apud Matthiolum legitur scribentem. lib. 2. cit. *Ventriculi cruditates Vomitione extrahit, vbi ex Oximelite, & tepenti aqua hauriatur.* detergere censemus, ita etiam siluestre rapum detergens fecit Diosc. quod napo congener est, non ab re erit peculiariter vti Buniadis semine. decocto ad Vomitum ciendum post Venena assumpta, in affectibus renum, quum abstergenda est per Vomitum pituita. & crudi humores, ac cibi, & in summa eiusdem vsus, ac seminum Raparum. ita etiam Oleum ex seminib. expressum ad idem valebit, sed potius leniendo, vel lubricando, quam detergendo. sumendum est decoctum ex tepenti aq; cum Oximellite, deinde irritatione facta. Quid agēum. quātum. quomodo. quando.

In P. Ægineta lib. 7. cap. 11. in Theriaca, latine male legitur *Napi Buniados seminis*. nam Græcè tantum est *Buniadosperma*.

De Nasturtio. Cap. XXXV.

NAsturtij genera plura non esse tradidit Theoph. 7. de His. c. 4. & si quis eius verba non benè consideret, contrarium dicere censebit, Plin. lib. 20. cap. 13. diuisit in satiuum album, & siluestre nigrum. Diosc. plura videtur nouisse genera scribens. *Nasturtium optimum constat esse Babilonicum. Omnium semen est acre.* Bauhinus. 29. species enumerat. Nos de vulgari verba faciemus.

Seminis temperamentum valde Calidum est. adeo vt dicat Gal. 7. de s. m. fac. adurentis facultatis particeps esse, sicut sinapi. Proinde coxendicis, & capitis dolores, atq; adeo quodcunq; aliud rubificationem postulat, eo perinde, atq; sinapi excalefacere nos posse, ac crassos succos valenter incidere, vt synapi, neq; abstergere. addit Diosc. stomacho aduersari. & aluum turbare. pectus expurgare; sed de vi Vomitoria nihil Dioscorides, nihil Galen. at Pli. *Aluum purgat (inquit) detrahit bilem potum x. pondere*, idest denariorum decem pondere. Celsus lib. 2. cap. 28. *aluum mouet nasturtium.* Nasturtij temperamentum.

At ser. 3. cap. 119. Aetius scripsit *Nasturtij semen esse mediocre Vomitorium.* & Arnald. de Ven. *Nasturtium tectorum habens folia longa bastilibus gracilibus crescens propè vias, ac parietibus, educit choleram per superius, & inferius* Vomitorium.

equidem suspicor hunc intelligere semen Thlaspi. ita etiam Serapio capite de Nasturtio egit etiam de Nasturtio tectorum, quod est Thalspi Diosc.

Hippocrates. Ex Hipp. colligitur Nasturtium aluum purgare; nam 1. de M. M. 45. *Huic dare oportet pharmacum quod pituitam ducit, & lac caprinum coctum cum melle miscere. Si verò sæpe non obediat; Nasturtium, aut Cnicum, aut cneorum, aut polipodium, aut serum, aut med. ex sale compositum exhibeto, & quæcunq; pituitam laxant, & educunt.* Ducit igitur pituitam per aluum. & 2. de M. M. 68. ad abstergendas impetigines vtitur Nasturtio filuestri usto. & lib. de Vlcer. num. 8. ad coalescenda vlcera vtitur, Sauridio, (idest Nasturtio) à lacerti similitudine vocato. vt Gal. in Exagesi, & Erotianus scribunt, & ex ipsis Fesius, & Gorræus. an vero sit vulgare Nasturtium non constat. forte est species distincta cuius folia lacertum imitantur. apud nos in vsu est semen Nasturtij ad eos, qui ex alto deciderunt, vt sanguis in Ventriculo concretus dissoluatur, & excernatur.

Quid agēdum. Quare in pituita crassa affligente Ventriculum, in sanguine concreto in Ventriculo, & in ijs, qui ab alto deciderunt. in astmaticis, henosis, ischiadicis, & alijs affectib. frigidis vtilis erit Vomitus ex decocto semine Nasturtij. Pl. detrahere bilem dixit. dosim seminis sufficere *quātum.* crederem à drach. semis. ad drach. j. Pl. enim denarios x. In decoctione magis valere credo, *quomodo.* quam in substantia.

Card. lib. de Dent. innocuum est, & creditur pondere drach. ij. solam purgare bilem, liquat tamen pituitam, & fundit. præterea incidit ob acredinem, & detergit. Viscerib. amicum. cal. est in principio 3. ordinis.

De Nitro, & Aphronitro.
Cap. XXXVI.

Dioscorides, Nitrum vires salis habere, scripsit. in particulari autem venenis fungorum ex posca potum prodesse. Sed Gal. 9. de s. m. f. *in medio esse Aphronitri, & salis virium cum Aphroni-* *Vires Nitri.* trum sit tenuius, *desiccare, & detergere, & si intrò in corpus sumatur, secare, & extenuare crassos, lentosq; succos potentiùs multò, quam sal. Aphronitrum verò, nisi grauis vrgeat necessitas, deuorandum non esse, nimirùm inimicum stomacho; quandoquidem plus etiam nitro incidit. Sanè ad fungos suffocantes Rusticus quidam vti eo assolet, & semper profuisse probatum est.* *Mesues.* Mesues cal. & siccum in tertio fecit abstersiuum, & incisiuum materierum crassarum. & ait *solutione educit phlegma crudum, & viscosum à partibus difficilis eradicationis eius, & administratur cum melle, & educit ipsum per vomitum, & confert dolori stomachi, & interficit vermes.* Gal. autem 3. de facile parab. 76. *Vomitorium medicamentum, quod mystri mensura exhibetur. Aphronitrum album in aquam tepidam conijce, quoad dissolutum sit, & modicum Olei adijce potandumq; exhibe.* & Plin. lib. 31. c. 10. *Succurrit & venenis fungorum ex posca potum, aut si Buprestis hausta sit, ex aqua, vomitionesq; euocat.* Adnotam, quæ scripsit Bernard. G. Penotus *Penotus.* libello de sale nitro. Pro eo, qui comedit Hyosciamum. *Nitrum dissolutum aqua tepida bibatur, postea pluma, vel digito Vomitus prouocetur.* pro eo, qui comedit Mandragoras. *Cieatur sæpè Vomitus cum nitro, & aqua calida, & melle.* si quis comederit fungos: *Contundatur melissa, cum posca, vel aceto, aqua, & sale: & in hac mixtura dissoluatur nitrum, hauriatur tepidè, vt indè vomat.* si quis comederit Buprestim, vel Cantharides. *Accipiatur nitrum cum aqua dulci dissolutum in aqua tepida, & melle, ita vt vomat postea sæpè.* contra sanguinem Taurinum bibitum. *hauriatur nitrum cum posca, & sale, cieatur frequens Vomitus.* *Nitri genera.*

Hic exactior Nitri cognitio est tradenda, vt ab Aphronitro Nitrum distinguere valeamus. Primo autem dicemus distingui Nitrum in Naturale, & artificiale. Naturale quidem est, quod à Natura genitum sine aliquo artificio colligi potest. Ex Plinio. Nascitur apud Medos exiguum canescentibus siccitate conuallibus, quod vocant Halmiraga, quasi terræ salsuginem: minus etiam in Tracia iuxta Philippos sordidum terra, quod Agrion, idest siluestre vocant. *Halmiraga.* *Agrion.* Sponte quoq; nasci traditur in Asia in speluncis mollibus destillans, deinde collectum siccari Sole, optimum Lydium. P. Bellonius lib. 2. cap. 77. Planitiē se descendisse ait, in itinere Cairo Hyerosolimam Nitro omnino obsitam, in quo Equi, & Cameli pedum vestigia imprimebant, atq; initio propter splendorem salem esse arbitrabatur, nec facile agnouisset, nisi ante in Cairo id Nitrum naturale fuisset conspectum. Apud nos in plerisq; locis, parietes subterranei, & extra terram salsuginem expuunt tenuem, candidam. Nos copiosum Nitrum collegimus vltra Neapolim in parietibus sudatorij Lacus Agnani, & Romæ in speluncis. Kentmanus se plures Nitri habere species scripsit. Nempe Nitrum natiuum scissile durum ex quo Venetijs Borax coquitur. 2. Natiuum cinereum durum glebosum, ex quo item Venetijs Borax coquitur. præterea *Flauum* durum Neapolitanum. item *Neapolitani.* *Stalacticum* in cellarijs Torgæ collectum. Ferdinandus Imperatus mentionem facit cuiusdam *Stalacticum.* Nitri Calabri naturalis. Albertus Magnus te- *Calabri.* statur in Goselaria Teutoniæ se Nitrum abundanter inuenisse, quem tamen incolæ salem esse putabant. Pluuia enim cadens super montem vena æris refertum, cum ad centum passus in fodina peruenerit, congelatur in nitrum, qui ab incolis putatur esse sal gemma. in Museo etiam Calceolariano alia quædam Nitri naturalis genera numerantur. dicendum tamen Nitrum naturale hodie in pharmacopolijs non prostare.

Alterum Nitri genus est factitium, Plinius. inter

Calasti-cum. ter factitia Nitra numerat Calasticum copiosè in Clytis Macedoniæ collectum.& ait.*In AEgypto autem conficitur multo abundantius; sed deterius; nam fuscum, lapidosumq; est. Fit penè eodem modo quo sal, nisi quod salinis mare infundunt. Nilum autem nitrarijs*. paulo post subdit. *Nitraria egregia AEgyptij, nam circa Naucratim, & Memphim tantum solebant esse. Circa Memphin deteriores; nam & lapidescit ibi in acervis, multiquè sunt tumuli ea de causa saxei. faciunt ex ijs vasa.* Inter Nitri artificialis species Plinius connumerat, quod ex cremata Quercu colligitur. Sed Chimici ex qualibet planta cremata colligunt, & sal vocant, vt Penotus, Libauius, Quercetanus, & alij. Halinitrum autem, seu Salnitrum, quod è terra stercoracea sicca, & abluta colligitur, ad bombardarum vsum idoneū, inter Nitri species reponitur à Ketmanno, Cæsalpino, Ciocho, Imperato, Agricola, & alijs multis.

Ægyptium.

Salnitrum.

Sed cum Antiquorum Nitrum non sit in promptu; quæritur an eius vicem Salnitrum bombardarium gerere queat. Negauit Matthiolus ad internos vsus pro Nitro substitui posse; vt & alij. Concedunt tamen Monachi in Mesuem, Cæsalpinus, nec pauci alij. immo nostrum Salnitrum antiquis notum fuisse asseuerant plures: & si cum sulphure mixtum adeo mirabile fit, (lapidem prunellæ vocant Germani) vt febribus ardentibus exhibeatur, (& Plinius Nitrum cum sulphure liquari docuit, quæ est dicti lapidis præparatio) cur dicemus intus nocuum? Aphronitrum autem, Plinius scripsit, optimum esse Lydium. Sed distinguendum est Aphronitrum à spuma Nitri, seu ἀφρὸν νίτρου, & ἀφρὸς νίτρου. cum Galeno 9. de sim. m. f. cui subscribunt Agricola, Amatus, Cæsalpinus, & alij. Namq; spuma Nitri, ἀφρὸς νίτρου est veluti flos, tenuiorq; ipsius Nitri pars. alba, & triticeæ farinæ facie. tale enim apparet Nitrum efflorescens è parietibus, Mesuæ etiam notum, eiusdem cum Nitro facultatis; sed essentiæ tenuioris. Hinc illud quintum Nitri Genus, quod descripsit Ketmannus *Candidissimum, plumosū, quod exudat Torga ex parietibus, quod Græci aphronitrum vocant*. non iudico Aphronitrum, sed Nitri spumam, seu Aphron Nitri. vti etiam sextum *flauum plumosum, in cellarijs Misenæ collectum*, item octauum, *Efflorescens ex Terra Turingica nigra, nitrosa*. non 9. & 10. *Efflorescens ex recremento æris*. nam hæc sunt potius plumbi efflorescentiæ, & cerussæ flos. quā nitri flores. immo videntur esse chrysocola. si quæ Plinius lib. 33. c. 5. scripsit, considerentur.

Aphronitrum.

Aphro Nitri.

Porrò habemus nè nos Aphronitrum? fatetur se ignorare Matthiolus, nos à qualitatibus à Galeno Aphronitro tributis ipsum explicabimur. sed primo dicendum Dioscoridem non egisse de Aphronitro; sed de Aphro Nitri, seu ipsius nitri spuma. & huius tres species enumerasse, primam ex Philadelphia Lydiæ, secundam ex Ægypto, tertiam è Magnesia Cariæ delatam. Plinium autem errasse suspicor, dum lib. 31. cap. 10. *Proxima ætas Medicorum*, inquit, *Aphronitrum tradidit in Asia colligi in speluncis mollibus distillans, specus eos Calycas vocant: dein sole siccant. Optimum putant Lydium. Probatio vt sit minime ponderosum, & maxime friabile, colore pene purpureo. hæc in patellis affertur. AEgyptium in vasis picatis ne liquescat. Vasa quoque ea sole marescentia perficiuntur.* quæ Dioscorides Aphro nitri tribuit. his verbis *spuma Nitri optima esse putatur, leuissima, glebosa, friabilis, colore penè purpureo, aut spumosa, & mordens qualis è Philadelphia Lydiæ defertur.* Sed Galenus 9. de sim. m. f. clare Aphronitrum ab Aphro Nitri distinguere conatur. nam Nitri spuma *eiusdem quidem cum Nitro, cum natura, tum facultatis est, ceterum essentiæ tenuioris.* at Nitrum ipsum, à quo non differt ex Gal. ipsius spuma; *in medio consistentem habet facultatem Aphronitri, & Salis. sed vstum propius accedit ad Aphronitrum.* erit igitur Nitro potentius Aphronitrum, eo verò sal imbecillius. Præterea spuma Nitri *aspectu triticeæ farinæ similis; etenim alba est, vt Asiæ petræ flos, cineritea. Aphronitrum verò farinæ speciem non habet, neq; solutum est; sed congelatum & coactum, quo, qui in balneis sordes exterunt, quotidie vtuntur: ea detergendi facultate, vt non modo sordes extergeat; sed etiam pruritum sanet, nempe digerendis, qua ipsum excitant sanietus. Non abs re itaq; Medici ex eo multa digerentium medicaminum præparant.* & paulo post ait, *Aphronitrum nisi grauis vrgeat necessitas deuorandum non est, nimirum inimicum stomacho, quandoquidem plus etiam nitro incidit. sanè ad fungos suffocantes rusticus quidem vti eo assolet, & semper profuisse probatum est.* & 14. meth. cap. 7. *Esto autem Aphronitrum minime lapidosum, sed magis spumosum. Est verò quod lapidosum est, durum & spissum, ac ægre liquabile, cum dictis liquoribus miscetur; spumosum verò molle est, & laxum, itemq; candidius, quam lapidosum: hoc itaq; tum celerrime ab humore soluitur, tum iuuat maxime, vt pote tenuium partium.* Ex omnibus his Galeni locis colligere poterimus. Aphronitrum Galeni esse potentius Nitro, eiusq; spuma, nec deuorandum nisi grauis vrgeat necessitas substantia esse lapidosum, spissum, ægre liquabile, congelatum, atq; coactum. Verum quia Nitri nomen, & vsum etiam habet, debet Nitri quoq; formam aliquam habere. Vnde sum in sententia, primum, & secundum Ketmanni Nitrum, ex quo cocto Venetijs Borax conficitur esse Aphrolitrum Galeni. namq; lapidosum, durum, & non solubile, vel ægrè à Galeno dicitur, & licet Borax excocta sit. lapis autem crudus inualidus. tamen Serapio reperiri fossilem, scripsit, in littoribus maris, & factitium, quod teste Rasi inter genera Nitri continetur.

Quid Aphronitrum.

Plinij erratū.

distinctio G. lent.

Aphronitrum periculosum.

His præscitis statuemus ad abstergendam materiam crassam, & viscosam in Ventriculo existentem, ad fungos venenatos, ad Buprestim deuoratam, ad Hyosciamum, Mandragoram, Cantharides, vel sanguinem Taurinum, & ad

Quid agendum

Q 2 huius

huiusmodi alia per Vomitum expellenda conuenire Nitrum, spumam Nitri, atque etiam Aphronitrum;

quantum. Dosis non præscribitur ab Auctoribus. sed nos in Antidotario Romano definiuimus Nitri dosim à scrupulis duobus ad drach.j. at Gal. supra citatus 3.de fac.parab.potionem ex Aphronitro albo, aqua tepida, & modico olei, Mensuri mensura exhibet, quæ dosis non perficit tres drachmas, & Aphronitri pauca portio erit: vnde scrupulus vnus sufficiet.

quomodo. Exhibet Mesues cum melle. Plinius ex aqua vel posca. Gal. ex. aqua tepida, & Oleo. Prodetus ex aqua tepida, vel posca, aut aceto, aqua, & sale item aqua tepida, & melle, vt supra relatum est.

De Origano. Cap. XXXVII.

ORig. fil. Cunila bubula, Orig. Heracl. Cunila Gallinacea. Orig. Onitis. C. Asinina, & Tragoriga. Cunila Hircina. latinis dicitur. Quoniam autem in determinandis genuinis Origanis, aliqui titubant, ex quib. est Euangelista Quadramius, qui ab alijs dissentit. 1. enim. pro Heracleotico ponit plantam similem Serpillo siluestri dicto Zigis (quod ipse Timbram facit) folijs longioribus, durioribus, & angustioribus, odore melyssophilli. 2. pro Onitide secundum Mattioli Polium assignat. tertio pro Agriorigano, primum Mattioli Polium. quarto pro primo Tragorigano, Marum Delecampi Mastich dictum. quinto pro secundo Tragorigano, Mattioli Satureiam sil. aliorum Thymum Gallicum. Ob hæc nobis erit opus de legitimo Origano etiam aliquid determinare, cuius descriptio erit venanda; partim ex proprio capite, partim verò ex alijs capitib. apud Dioscoridem ipsum, vt cap. de Centaurio minore, de Serpillo,

Origani descriptio. Maro, Agerato, & quibusdã alijs, quæ talis erit. *Origanum planta est Agerato, aut Centaurio minori, aut Hiperico similis, ramulis serpilli Hortensis, tenuib. & paruis symphito petreo similibus, folia habet Polienemonis, aut papaueris Erratici, indiuisa, & non scabra, aut serpilli hortensis, aut Mari, aut Hyssopi; sed multò minus candida: & Heracleoticum vmbellam habet non in rota speciem orbiculatam; sed veluti multifidam, semine in summis virgis non denso: Onitis verò tum folio est cãdidiore, & hyssopo similiore, tum semine veluti coniunctos corimbos habente, est preterea Origanum flore Mari, minus odorato, & Odore seminis Ammij.* Huius scriptum relinquit Centaurium minus Origano simile esse angust.orib. & longioribus folijs. & spurius Galeni liber de sim.med. *Centaurea herba est Origano assimilis, verùm folia habet magis oblonga, quam rotunda.* Erit igitur Origanum simile Centaurio Minori, folijs latiorib. & breuiorib. quod eum fit huiusmodi ad rotunditatem accedet. Et confirmatur; nam dicitur esse simile hortensi serpillo, & Maro in foliorum figura, quæ folia habent ad rotunditatem accedentia, si quidem Marum cũ sit de genere sampsuci, cui rotunda insunt folia, erit etiam rotundifol um. adde etiam Origanum assimilari Hyssopo, Hyssopum autem sampsuco rotundifolio. Hipp. de int. aff. 7. Potionem quandam Vomitoriam ex Melle, lacte, aceto, aqua, Origani capitati ramis, dum tepefit, agitat.

confirmantur Origana Matthioli. Sed ne multum temporis circa Origana teramus dicimus Mattioli Origana, scilicet Heracleoticum, & Onitim esse ambo legitima. ita enim conueniunt plerique recentiorum. reijcienda autem, quæ affert Quadram. cuius Error in eo consistit, quod putauit Origani, & Tragorigani speci s folijs angustiorib. ac longiorib. debere constare. errandi occasionem arripuit ex Verbis Dioscoridis, non exactè consideratis cap. de Tragorigano. vbi refert. *Tragoriganum tenuis frutex est siluestri serpillo, aut origano similis folio, & ramis.* Ergo, inquit Quadramius,

Tragoriganũ. si primum Tragoriganum folia, & ramos habet siluestri Serpillo & Origano Heracleotico similes, hæc tria erunt similia folio, & ramis. Porrò cum siluestre serpillum, quod zigis appellant, folia habeat longiora, quam Ruta, & duriora, angustioraque; etiam Origanum, & primum Tragoriganum habebunt folia dura, longa, & angusta. Sed in serpillo latet Anguis, in hoc Quadramij error. Quamobrem licet duorum esse

Serpilli. generum scripserit Dioscorides, plura tamen cum reperiantur, alia quoque Anazarbeum non nisse censeo, quandoquidem illa duo quæ attulit, nimirum hortense, & siluestre, non sola cultura differunt; sed toto genere; tamen siluestria ab hortensib. non tota forma variare solent, sed quantitate solum, rarò qualitate aliqua. Itaque plures esse serpilli species, & plura genera ex Theoph. 6. de Hist.plant.cap.7. constat manifeste. Nam præter Hortense serpillum vulgatum, aliud genus siluestre esse refert, quod deferentes ex montibus ferunt: aliud etiam genus esse addit, quod Thymum penitus redolet, deinde subdit. non esse conueniens genera hortensis referre, cum natura sua silnestre sit, sed in montib. crescere Odore Timbræ vehementissimo, & etiam reperiri gratiori minorique

contradictionis solutio. Odore. & ita ob serpillorum multiplicitatem facile soluetur contradictio, quæ apparet inter Plinium, & Dioscoridem. nam Plin. scripsit. lib. 20.cap.22. *Serpillum à serpendo putant dictum, quod in siluestri euenit in petris maximè. satiuum non serpit; sed ad palmi altitudinem increscit.* Diosc. autem dicit Hortensi à serpendo nomen inditum fuisse, quoniam si qua eius particula terram attingat, inibi radices demittet. Et de siluestri Zigis appellato aperiè expressit, non serpere; sed ad altitudinem increscere. Quare dici posset Hortense serpillum, antequam in hortis transferatur, longiùs vagari, & serpere, cultum verò non ampliùs serpere, seu non tantum: sed potius in altitudinem increscere. E sil-

Serpilli Zygis. uestribus autem, Serpilli illud genus, quod Zygis

gis appellatur non serpit. Sciat ergo Quadramius per ἕρπυλλον ἄγριον à Dioscoride intelligi, non silnestris genus illud Zygia dictum: sed id, quod in hortis translatum cultura domesticum fit, & hortense, (omnia enim hortensia è siluestribus sunt primo desumpta) atq; odore sampsucum imitatur: itaq; hoc genus voluisse Dioscoridem, non autem Zigis dictum manifestum est; quia dixit Dioscor. *Tragoriganum silvestris serpillo, aut Origano simile*. erunt igitur hæc tria quodammodo similia. Adhæc serpillum hortense *folia, & ramulos origani habet*. Zygis verò folia habet longiora, quam Ruta. Patet ex his Tragoriganum illi Serpillo comparari, quod cum Origano conuenit, quale est Hortense dictum. Dixit autem *siluestre*, vt foliorum paruitatem denotaret, cum siluestria minora cultis esse soleant. Enim vero hortẽse Serpillum apud nos nunc spectare est sampsuci grato odore, folijs vero rotundis Origano similibus, & mollibus non autem longis, & duris. Et hoc pacto corruit totum Quadramij ædificium ob non rectè firmatam basim. patet enim Serpillinum fundamentum esse falsum: vndè planta Timbræ vulgari similis, & folijs duriusculis, longis, & angustis, minime esse poterit Dioscoridis Origanum Heracleoticum, cum hoc debeat esse folio ad rotunditatem accedente.

Diosco. [illegible] explicatio.

Quod autem Polia Matthioli non sint recipienda pro Onitide, & Agriorigano, præter foliorum formam, sapor etiam quam maximè obstat: Polia enim amarissima sunt, & in condimentis abhorrenda; at Onitis, & Agrioriganum Plantæ debent esse acres, & ad condimenta vtiles. Vnde Plin. lib. 19. cap. 12. *sunt autem acres, Cunila, Origani, Nasturtij, sinapi*. quod etiam Galenus sexcenties testatur, vt de Victu attenuante cap. 2. & 13. meth. cap. 18. & 2. de Alim. fac. cap. 45. & 70. necnon 8. & 9. de simp. med. Fa. initio. & Hipp. de M. M. 12. de Vict. Acut. num. 67. Possem etiam plurib. hæc ipsa refellere; sed cum ab alijs etiam reprobata sciam, nolo operam perdere, satis sit dixisse à nobis recipi Matt. Origana.

Sapor.

His circa Origanorum existentiam determinatis, de eorum viribus est decertandum. Gal. 8. de s. m. fa. *Origanus, Heracleotica quidem efficacior est Onitide; sed agrestis, quam quidam Panaces Heraclium, alij Conylam cognominant, valentior vtraq; est. Omnes verò incidendi, extenuandi, calfaciendiq; facultatem possident: hæcq; tertio excessu obtinent. Porrò ea, quam Tragoriganum appellitant, assumpsit etiam adstrictionis quippiam*. Auic. *est vehementis abstersionis*.

Vires.

Gal. spur. de simpl. *Orig. biles, & ventrem detrahit, sed vrinam, & Menstrua prouocat*.

Herb. Vulg. *decoct. emollit ventrem, & educit bilem*.

Heracleoticum ex Dios. vim alui subductoriam habet, scripsit enim *Aridum Acetabuli mensura potum in aqua mulsa, atros humores per aluum extrahit*. & de Onitide ait. *Vis ei Origani Heracleotici; sed multo inefficacior*. & de Tragoriganis. *Decocto poto Bilem dejiciunt*. Hipp. autem 2. de Diæta num. 14. *Origanum calfacit, & biliosa subducit*. Plin. lib. 20. cap. 17. *Aluum mollit Acetabuli mensura*. Gal. de dinamid. *Tragoriganum educit coleram nigram siccatus, & tritus scrup. vj. cum Aceto, aqua, & sale modico*.

Ex deiectorio quodlibet medicamento fieri potest Vomitorium, si paulo post quam fuerit potum irritatione facta per Vomitum redditum fuerit. ita Origanum herba in condimentis grata, & aliquo modo aluum subducens, non rarò Vomitum adiuuat. ex Auic. *prouocat vtramque*. vndè Hipp. 2. de Morb. num. 53. in Erisipelate pulm. dat Vomitorium ex Allio, Origani pugillo quantum trib. digitis apprehendi potest. Vino dulci, aceto acerrimo, & melle: at pauló post dat lenticulæ decoctum cum Melle, & aceto; deinde Vomitum prouocat: & de Int. aff. nu. 7. ad inflam. pulm. *Mel, lac, acetum, aquam mixta in ollam infusa tepefacito, & Origani capitati ramulis agitato: vbi verò tepida facta fuerint bibenda dato. Deinde conuolutum quietem habere iubeto. Postea si vomitus succedat, prompte vomat. Si verò non succedat irritatione per pennam facta vomat, & si quid pituita vomuerit. per dies quinq; idem faciat*. hic plurima docuit Hipp. dat potionem tepidam, vt nauseam pariat, agitat Origano, nó herba; sed flore acriore; non coquit mel ne vires coctione pereant. quietē præcipit, vt potio habeat tempus incidendi pituitam. adhibet irritamenta, si nat. non vergat ad Vomitum, dicit purgari pituitam, & remedium esse reiterandum per quinq; dies, donec sit perfectè abstersus ventriculus. Dios. *Conficitur* (inquit) *ex eo, & Cæpis, & Rhoe, quo ad Obsonia vtuntur, Vomitorium med. his omnibus in cupreo vase per dies bis vicenos insolatis dum canicule sydus flagret*. hoc Vomitorium validum esse censeo, vt pote vires assumens à Vase cupreo æruginem contrahente, ob acrimoniam cæpæ; sed forte vsus etiam est simplici decocto Origani ad Vomitum ciendum, quando scripsit. *Qui autem cicutam, aut Meconium hauserunt, ijs ex passo; si verò Gypsum, aut Ephemeron ex aceto mulso propinatur*, nam his conuenit Vomitus, vt suo loco diximus. idem Plinius loc. citato expressit sed breuius, *Venena opij, & Gipsi extinguit decoctum, si cum Cinere* (forte lixiuio cum Delecamp.) *in Vino bibatur*. Marcell. Empir. c. 30. *Cunila, quam Græci Onitim vocant, detrahit aquatiora per Vomitum*. Aetius ser. 6. cap. 10. ad Melanch. ex Ruso. *Vomant ex longiorib. interuallis etiam à cibis. Verum à raphanis, aut Origano, aut thymo ieiuni, Non tamen fortiorib. Vomitorijs vtendum est*. non ergo Origanum forte medicamentum. Card lib. de dent. *Origanum ventriculi Morbis valde salutare, dolores tollit, flatus, & tumores duros dissoluit calidum, & siccum in tertio ordine, eo solo multos sanaui tumoribus ventriculi partim scirrhosis, partim mixtis laborantes, venenis aduersatur. menses prouocat, nocet dentibus, & oculis. in purgando, & do-*

Vomitorium.

Hippocrates.

ratio.

Plinius.

Marcellus.

& dolores leuando multo præstantius Creticum. Quantitas huius drachma cum dimidia, non adeo iucundum est, vt pulegium.

Quid agēdum. Dicemus nos Origani decoctum esse Vomitorium calefaciens, incidens, attenuans, & abstergens, & leuiter attrahens pituitam. & esse commendandum, in Ventriculi cruditatib, acidis ructib. ad stomachi rosiones, ad cibi fastidia. peripneumonicis, tussientib. pleuriticis, ruptis, conuulsis, hydropicis, lienosis, ad menses, & Vrinas ciendas. ad epota Venena, & Opium, Cicutam, Gipsum, ephemerum, ixiam. ad ictus, serpentium, Viperarum, scorpionum, araneorum.

quātum. Dosis Origani est Acetabuli mensura, seu ex Dios. & Plin. vnc. ij. & sem. sed multa videtur dosis. nam Hipp. dat solum pugillum, seu quantum tribus digitis apprehendi potest. & aliàs contentus fuit sola agitatione Vomitorij cum ramulis Origani. Respondeo si tota substantia Origani erit ore sumenda sufficient pulueris drac. ij. si verò decoctum erit potandum erunt vnc. ij. decoquendæ pro vna potione, coxit ad sextam Plin.

quando. Tempus assumendi est quum adest indicans. quod si perseuerat, per quinq; dies exhibet Vomitorium Gal.

quomodo. Dandum est decoctum, & simplex, & compositum. atq; etiam puluis, & quia non est nauseosum per se, facienda est irritatio, Diosc. aridum ex aqua mulsa acetabuli mensura propinat.

vbi. Vbi. patet.

Obijcies. tu exhibes potandum Origanum, at Hipp. 5. Epid. num. 22. & 7. Epid. 38. *Origanum potum Oculis, & Dentib. malum est.* ergo non est dandum, ne maius sit nocumentum, quam iuuamen. nec alia apparet ratio ipsius malignitatis; sed solum experientia id didicisse Hippocratem videtur dicendum. Tamen in contrarium est Plinij experimentum. lib. 12. cap. 17. *Item dentium dolori, quibus etiam & candorem facit cum melle, & Nitro*, & supra cap. 16. *Cunila Gallinacea appellata nostris, Græcis Origanum heracleoticum. Prodest oculis trita addito sale.* Auic. *est bonum ostracositati dentium. masticatum, & sedat dolorem uentris, & sanat dolorem gingiuæ mollificatq; propter virtutem suam adurentem.*

Responderi posset. erratum esse in textu, & pro *malum*. esse ponendum. *bonum*. vel fortè decoctum potum nocet, quia ob acredinem, & proprietatē euacuat, & trahit à capite, ac resoluit spiritus, animales; vnde Oculis nocet debilib. extra tritū prodest. dentibus verò tritum, & confricatum prodest. at potum, & Vomitu redditum, ob aciditatem euacuatam, fortè dentibus obest, vel ob acredinem gingiuas corrodit.

De Oximellite. Cap. XXXVIII.

Mediam debet habere facultatem inter Mel, & Acetum; sed vt variat pondus; vt variat Mellis qualitas, vt Aceti vis variat. ita mixtum variabit oximel. potest fieri ex Melle, & Aceto mixtis, & coctis, vel sine coctura: sed cōmuniter Oximel dicitur, quod est decoctum. hoc vsus est Hipp. pro solo victu Acutorum. & huius vires, & nocumēta proposuit, vt se habeat ad Victum, & eductionem sputi. non in Ordine ad Euacuationem per secessum, & Vomitum. ad nos autem hic non spectat agere nisi de eius vsu, vt Vomitui confert. *Oximel vt hic consideretur.*

Hipp. Oximelite vsus est 4. de Victu Acutor. & Epist. de Veratro. cum sesamoide ad Vomitum excitandum, Gal. sæpe, nostri sæpiùs, & eo ferè solo Vomitorio Vtuntur. *ad Vomitum.*

Sed mixtura Aceti, Mellis, & Aquæ sæpiùs ipse Hipp. vsus est. vt de int. affect. 13. in tertia Tabe. *Primum fomentum adhibeto, & vbi fomentum adhibueris, postridie aqua mulsa dimidium congium ipsi bibendum dato, modico aceto affuso, & hac citra respirationem bibere iubeto. Deinde stragulis ipsum ad multum, atquè longissimum tempus contegito. si vero non sustineat, & uomere velit; vomat. si vero Vomitus non sequatur tempore iam aliquo interposito, aqua tepida poculo magno super ingesto vomat, irritatione per pinnam facta.* & de affect. num. 15. *Quicumquè verò alij dolores in æstate circa ventrem fiunt, siquidem ad præcordia, & cor tenderint; aquam mulsam aquosam facito, & aceti tribus heminis affusis tepidam bibendam dato; & vbi modico tempore ipsam retinuerit, & igne, ac vestib. concalefactus fuerit, vomat. si verò è Vomitu rursus accesserint, ac suffocauerint: rursum Vomitum faciat.* *Hippocrates.*

Sed si cum Galeno sentiendum est, Oximelitis facultas non est verè purgatoria; sed accedit per accidens, vnde eo sæpe vtuntur medici. siquidem 8. meth. 4 *Oximeli, & strenuè deterget sit, vt ea, quæ glutinosa crassaq. sunt dissoluat, & meatus obstructos liberet.* & de cur. ratione per sang. m ss. 12. *Pituitam dissecat, & detergit sine calefactione Oximel.* & 2. de san. tu. 4. *detergit.* & lib. 6. cap. 10. *Humorem crassum dissecat.* & de ptisana cap. 6. *incidit Oximel cum melicrato.* hæc est Oximelitis præcipua vis. vnde Fernel. 5. meth. cap. 13. *Oximel* (inquit) *iuniores plerique ijs annumerant, quæ Vomitiones cient, quod nusquam tamen est vsu compertum. Quod enim Acetum, vt Dioscorides diligenter animaduertit adstringens sit, idipsum sanguinis eruptiones è naribus, ex vtero, & ex hemorroide, alui quoq; profluuia, & vomitiones cohibet, idq; non modo potum, sed et odoratum, & appositum. Cæterum quum ventriculus crasso, lentoq; humore confertus est, multò ante vomitionem tempore is extenuari, præparariq; commodè potest Oximelite non simplici modo, sed & interdum composito,* *Galenus.* *Fernelius.*

vt de-

vt demum addito stimulo expeditior, felicior q; fit Vomitio. sic Gal. 2. de Antid. c. 7. ex Asclepiade. *Ixiam sumentib. confert Acetum mulsum bibendum exhibere, postea Vomitum excitare*. & 7. meth. cap. 15. *quib. lenta pituita Ventriculo est infixa, ijs prius exhibenda sunt, quæcunq; hanc dissecent, post deinde purgandum. quod si ad Vomitum sunt idonei, non inutile sit per radiculas ex oxymelite vomere*. & lib. spurio de Catharticis legitur. *Vomitum facit cedri cortex cum Oxymelite*.

Oximel differentia. Sed Aduertendum multas esse species Oximelitis, aliud enim est simplex, quo vtitur Hipp. aliud compositum ex sale, vt Diosc. Plin. & quandoq; Hipp. aliud compositum ex alijs, vt scillinum, Iulianũ, &c. simplex autem triplex est Validum, debile, & mediocre. Hipp. 2. de Mor. num. 40. ad Pleuritidem. *bibat autem mel, aquali aceto affuso coctum, ita vt quanta fuerit mensura cocti mellis, & aceti, vndeuigesimam partem aquæ affundas*. Gal. autem 4. de san. tu. cap. 6. *Vni Aceti parti Mellis despumati duplum miscet, quod si valentius facere studes tantundem inijcies aceti, quantum mellis*. ex quo videtur Hippocratis scripsisse validum Oximel. Paul. lib. 7. cap. 11. cum Hipp. Videtur sensisse. Mes. cum Galeno, atq; Auic. in Antid. sentiunt. Nostræ Officinæ communiter cum Gal. parant miscentes Mellis partes ij. Aceti j.

Oximel salsum. Aliud est Oximel salsum Dioscoridis, quod recipit Aceti heminas. v. lib. 4. vnc. ij.
Salis marini pondo. lib. j.
Mellis minas. x. vnc. 160. seu lib. 13. vnc. iiij.
Aquæ sextarios. v. lib. vij. & semis.

Pariter coquito, decies efferuescente cortina, atq; vbi refrixerit diffundito. hic ad Acetum Mellis triplum est.

Plinius verò salsum etiam Oximel descripsit ex Themisone, & Asclepiade, antiquis in Vsu. vt lib. 14. cap. 17.

℞. Mellis. lib. x.
Aceti Veteris heminas. v.
Salis marini. lib. j.
Aquæ pluuiæ sextarijs. v.

Oximel Dioclis. Sufferuefactis decies, mox elutriatis, atq; ita inueteratis. & lib. 23. cap. 2. idem Plinius, ex Diocle.

℞. Mellis minas. x.
Aceti veteris heminas. v.
Salis marini. pondo, idest. lib. j.
Thymbræ quadrantem,
Aquæ marinæ sextarios. v.
coquebant supradicto modo.

Vires. Huiusmodi Oximel salsum ad vomitum magis valere, quam simplex credendum est. ratione enim salis magis detergit, & facultatem ventriculi expultricem irritat. vnde Diosc. *sumptum crassos humores extrahere, & ischiadicis, comitialibus, & articulorum morbo conflictatis prodesse creditur. Contra morsum eius viperæ, quam sepa vocant, haustum Meconium, ixiamue auxilio est*.

Hippocrates. Hipp. etiam hac salsa mistura vsus est ad Vomitum de int. aff. num. 30. in Morbo hepatico. dicens. *si verò etiam suffocatio accesserit hæc dare oportet, quo vomat. Mel, Aquàm, acetum, sal permista in ollam nouam infundito, deinde tepefacito, & Origani capitati ramulis vnà cum semine agitato: vbi verò tepefacta fuerint, tepida ebibenda dato. Deinde stragulis iniectis contectum sinito, donec quam maxime exudarit, & vbi vomitus ipsum apprehenderit, prompte vomat, irritatione per pennam facta. si verò vomere non possit, aqua mulsæ tepidæ potulum duarum heminarum insuper bibat, & sic vomat. Et si quid pituitæ, aut bilis euomuerit, rursus idem facere oportet ad horas quatuor, proderit enim*, hæc sunt duo potissima Oximellitis genera. cetera autem, vt Iulianum, scillinumquè suis locis inserentur. hic dicemus in lib. de Dinamidijs Galeno tributo, ad Vomitum ita præscribi. ℞. *Mellis Cyathum. j. Aquæ cyathos duos. aceti cyathos iij. coque ad medietatem, deinde raphanum ibi intingas, & manduca, & bibe de ipso Oximelite*. hoc Oximeli fortissimum est, & maxime incidens ob copiosius Acetum. & quidem aliàs laudauit Gal. Oximel ad Vomitum excitandum, vt supra diximus, & multi neoterici eo vtuntur.

Quid agẽdum. Itaq; Oximel potum ad Vomitum excitandum euacuat tantum, quæ in Ventriculo continentur, & ob Acetum incidit crassa, quæ in eo sunt; ob Mel detergit, ob aquam copiosam admistam abluit Ventriculum. dari igitur potest non solum ad expellendos humores quoscunq; sed etiam ad Venena ingesta, vt supra diximus ex Diosc. ad quæ potissimum probatur salsum Oximel.

quantum agẽdum Hipp. videtur dedisse copiosam potionem, vt dimidium congium. de int. affect. quod fortè continet Aquæ lib. 4. & semis. & de aff. videtur exhibere tres heminas, idest lib. ij. vnc. iij. non enim Aceti tres heminas dedisse censeo. Diom. Amicus, exhibet, Aquæ tepidæ vnc ix. Oximellitis vnc. iij. alij magis, & minus. sed quia non facultas Vomitoria, sed copia grauando excitat expultricem Ventriculi. ego copiosius exhibeo ad vnc. iiij. Oximellitis quadruplum aquæ admiscens, idest vnc. xvj. vt bibendo satietur æger, & impleatur, meliusq; abluatur Ventriculus.

quando. Quando dandum sit hoc Vomitorium, patet ex libris alijs; nam leue Vomitorium est, & sine periculo.

quomodo. An tepidum, frigidum, vel calidum iam constat.

De

De Passo, & Sapa. Cap. XXXIX.

PAssum dicitur Vinum ab Vua passa expressum. Plinio enim lib.24.cap.1. *Quin & patientia nomen acinis datur passis.* Delecamp. in Annot. *fallitur* (inquit) *Plinius. Passas vocamus, quod ad solem expandantur.* sed nugatur Delecamp. nam postea lib.14.cap.9. ipsemet scribit. *Passas Graeci vocant πατητὰς, quasi conculcatas, non quidem, quod conculcentur, sed quod ob resiccationem calcatis similes videantur, quæ ratione palmulæ genus πατητὸν suprà vocatum est cap. 4. lib. 13.* benè igitur dixit Plinius, quod patiantur maximam vim solis. explicauit Diosc. quid sit. cum ait. *Passum, quod vuis sole siccatis in area, aut in sarmento torrefactis exprimitur Creticum cognomine.* Plinius verò lib.14.cap.9.cit. *Passum à Cretico Cilicium probatur, & Africum, & in Italia prouinciisq; finitimis. Fieri certum est ex vua, quam Graeci sticam vocant, nos Apianam, item scirpola diutius in vite sole adustis, aut feruente oleo. Quidam è quacunque dulci, dum percocta, alba faciunt siccantes sole, donec paulo amplius dimidium pondus supersit, tusasq; leniter exprimunt. Deindè quantum expressere, adiiciunt vinaceis aquæ puteanæ, vt & secundarium passum faciant. Diligentiores eodem modo siccatis acinos eximunt, ac sine sarmentis madefactos vino excellenti donec intumescant premunt. Et hoc genus ante cætera laudant. Ac simili modo aqua addita secundarium faciunt.* At Columella lib.12. cap. 39. *Passum optimum sic fieri Mago præcipit, vt & ipse feci. Vuam præcoquem bene maturam legere, acina arida, aut vitiosa reiicere, furcas, vel palos, qui cannas sustineant, inter quaternos pedes figere, & perticis iugare. Tum insuper cannas ponere, & in sole pandere vuas, & noctibus tegere, ne irrorentur. Cum deinde exaruerint acina decerpere, & in dolium, aut in fertam conijcere, eodem mustum quam optimum, sic vt grana submersa sint, adiicere, vbi combiberint vuæ, seq; impleuerint, sexto die in fiscellam conferre, & prælo premere, passumq; tollere. Postea Vinaceos calcare adiecto recentissimo musto, quod ex aliis vuis factum fuerit, quas per triduum insolaueris, tum permiscere, & subactam brisam prælo subiicere, passumq; secundarium statim vasis oblinitis includere, ne fiat austerius. deinde post viginti, vel triginta dies, cum deferbuerit in alia vasa deliquare, & cõfestim operculá gypsare, & pelliculare. Passum si ex Vua Apiana facere volueris, vuam apianam integram legito, acina corrupta purgato, & secernito. Postea in perticis suspendito, pertica vti semper in sole sint facito, vbi satis corrugata erunt acina demito, & sine scipionibus in dolium conijcito, pedibusq; benè calcato, vbi vnum tabulatum feceris, vinum vetus conspergito, postea alterum supercalcato, item vinum conspergito, eodem modo tertium conculcato, & infuso vino ita superponito, vt supernatet, & sinito dies quinque. postea pedibus proculcato, & in fiscina noua vuas premito. Quidam aquam calestem veterem ad hunc vsum præparant, & ad tertias decoquunt. deindè cum inde eum sic vuas, vt supra scriptum est, passas fecerunt, decoctam aquam pro vino adijciunt, & cætera similiter administrant. Hoc vbi lignorum copia est, vilissimè constat, & in vsu, vel dulcius, quam superioris nota passi.* Hæc est Passi faciendi ratio. at Passum nostro æuo non paratur. nisi in Græcia, vbi Maluasia, & Vinum chium fit ex Vuis insolatis; sed non tandiu, & tanta diligentia. at Sapa, quia Passi vires quodammodo habet, pro passo substitui poterit. Palladius scripsit vicem mellis supplere Passum; at Musti decocti non vnicum erat antiquis nomen; nam Pallad. *Defrutum, carœnum, sapam conficias. Cum omnia vno genere conficiantur ex musto, modus his, & virtutem mutabit, & nomina. Nam defrutum à deferuendo dictum, vbi ad spissitudinem fortiter dispumauerit, effectum est. Carœnum, cum tertia perdita, duæ partes remanserint. Sapa, vbi ad tertias redacta descenderit, quam tamen meliorem facient cydonia simul cocta.* Plin. lib.14. cap.9. *Siræum, quod alij Hepsema, nostri Sapam appellant, ingenij non naturæ opus est musto vsq; ad tertiam partem decocto, quod vbi factum ad dimidium est Defrutum vocamus, omnia in adulterium mellis excogitata.* At Columella. *Mustum* (inquit) *quã dulcissimum decoquitur ad tertias, quod Defrutum Vocatur.*

Quo ad Vires Diosc. lib.5. *Passum Creticum, Pramnium, Protropon, & Sapa, crassa sunt, & corpora multum alunt. Omnia tamen adstringunt, & pulsus reuocant, faciunt aduersus Venena, quæ exulcerando necant, ex Oleo pota, & Vomitionibus reddita: contra cicutas, meconium, pharicum, toxicum, & concretũ in grumos lac: item contrà renum, & pruritus, rosiones, exulcerationesq; inflat tamen, & stomacho aduersantur.* Hipp.2. de Diæta. 13. *Sapa calfacit, & humectat, ac subducit. Calfacit, quia vinosa est, humectat, quia alia, subducit, quia dulcis est.* Exhibet autem Diosc. lib.6 Passum epotis cantharidibus, & ad Coriandrum. Passum cum Ixiuia propinat. ad Cicutam. *Laser* (inquit) *ex Oleo, & passo, & passum, per sese largius potum proficit.* dat etiam ad Hyoscíamum, Mandragoram, Meconium, pharicum, Gypsum, lepus marinum. Gal. autem 2. de Antid.cap.7. ex Asclepiade. *Buprestin autem quisquis ebiberit, passum multum primo hauriat, deinde vomat. Item Cantaridas si quis assumpserit, passum oleo mixtum, bibere proderit, cum Vomere eniti.* deinde. *Si Cerussam sumpsit passum, & aquam calidam sumat, & vomat.*

Sed cum laudetur Passum ad Venena, Veneni vicem quandoq; ipsum gerit. vnde Diosc. lib. 6. cap.34. *Aqua frigida abunde pota, aut meracum vinum liberalius epotum, aut Passum, præsertim à balneo, aut cursu, aut vehementi exercitatio-*

Plinij defectio.

Passum quid.

Passum secundarium.

Vua Apiana an Moscatellin

Aqua calest. vetus.

Sapa. Carœnũ Defrutũ.

Virtus Passi.

Passum lubricat etc.

Passum nocuum.

bitatione, strangulatus, & doloris infert. In quib. sanguinis missio protinus, & Vacuatio; imminentia soluunt pericula. hoc igitur accidit à nimia copia, & intempestiuo vsu.

Quid agendum. In Venenis epotis corrosiuis, & frigidis etiam, excitandus est Vomitus sapa loco Passi, sua enim dulcedine vomitum faciliorem reddet, crassitie verò obtundet vim Veneni, lentore, oblinet Ventriculum, ne ledatur, & Venenum alligabit, & lubricum faciet.

quantum: Copiosè est sumendum. tum Passum, tum Sapa. [illegible]

De Peponis Radice. Cap. X L.

Dubia opinio. TAnta est de Pepone, Melone, & cucumere inter auctores dissentio, vt quid verè sentiendum sit vix affirmare, vel potiùs proferre audeam.

Serapionis interpres Melonem vertit Galeni Peponem, & Cucumerem appellat Galeni Melopeponem. dicit etiam Citrulum, Galeni, & Diosc. Cucumerem satiuum, quod etiam faciunt Auerroes, & Rhasis interpretes. Sed Auicenna vno capite confundit Citrulum, Cucumerem, & Batecham, idest Melonem. præterea Isaac de Dietis. Melones distinguit in æstiuos, & Saracenos: æstiuos iterum in longos, & rotundos, vt videatur indicare Peponem, & Melopeponem, & ea, quæ Diosc. de Pepone tradit ad Melonem transfert. agit tamen postea diuersis capitibus de Cucumeribus, & Citrulis. sed missis barbaris interpretibus.

Quid Melo. Brasauolus vulgarem Melonem antiquis dici vult. *σικύους πέπονας*, idest *cucumeres pepones* vel absolutè *πέπονα*. Et melopeponem esse nostrum Melonem in cotonei mali formam digestum: ita fructum Romæ appellatum Melonem ab Antiquis dictum fuisse Peponem censent Matthiolus, Fuchsius, Lugdunenses, Castor Durantes, Cordus; alij censent fuisse dictum Melopeponem, vt Lacuna, Tabernamontanus, Gesnerus, Lonicerus, Lugdunenses, Cesalp. nec defuere, qui Cucumerem Galeni censuerunt, vt Dodoneus, Lobellius.

quid sentiendum. Mea sententia est Dioscoridis, & Galeni *Peponem* esse, quod Neapolitani nunc etiam *Peponem* vocant, Romani *Cucumerem*. Melopeponem verò esse nostrum Melonem, nomine breuiato. quod probabimus nomine, figura, natura, Maturitate, & viribus.

Nomine Maturitate. Et à nomine quidem, maturitateque Græcè *πέπων*, seu Pepon, & Pepo, (quo etiam nomine vsus est Plinius.) vocatur, cuius ætimologiam si considerare voluerimus *maturum* indicabit, coctum, & digestum. accipitur etiam vox *πέπων* pro *molli*, & pro omnibus fructibus maturis, vel mollibus, quales sunt ficus. quod explicat Gal. 2. de Alim. fac. 4. *Illud porrò*, inquiens,

Pepon quid. *perspicuum est; homines in hoc quoq; fructu appellationem fecisse, quo modo in atramento, quo scribitur, quod μέλαν appellant: nam vox hæc πέπων, velut vi verbi hic est maturam, significat; quod alijs quoq; quæ maturescunt, conuenit. Nam & racemus, cum exactè est maturus, dici potest πέπων: quemadmodum certè, & cum nondum maturuit, non potest nominari πέπων, nimirùm, qui crudus est, & immaturus. Ad eundem modum, & fructus omnes autumnales, & pira, & cucurbitæ, πέπονα, idest matura vocari consueuerunt, quemadmodum, & Melopepon, qui in se ipso πέπονα, idest maturum continet: vndè Medici quidam non simpliciter nominare voluerunt Pepones, sed totum id σικυοπέπονα, idest cucumerem maturum, aut Peponem cucumeralem nominari oportere contenderunt*; hæc Galenus, ex quibus colligemus nos, si Pepon nomen sumpsit à maturitate, debet esse fructus, qui vsui sit tantum maturus non crudus, alioqui (vt ait Gal.) cum nondum maturuit, non potest nominari *πέπων*. Sed nullus alius fructus optimè maturus (scilicet ex hortarijs, seu cartilagineis his) præter vulgarem Romanorum cucumim expetitur, immaturus enim non valet. Citruli verò vulgares immaturi probantur, maturi autem, & citrini facti in cibum non conueniunt; vndè hi Pepones dici non possunt, quamnis id falsò censuerit Amatus. Melones verò sicut immaturi reprobantur, ita etiam nimis maturi proijciuntur; quare neque hi poterunt dici simpliciter Pepones, cum valdè maturi despiciantur. iurè

quid sit Melopepo. igitur (vt refert Gal.) aliqui Medici noluerunt Melopeponem (qui Melo noster est) simpliciter nominare Peponem; sed *σικυοπέπονα*, scilicet, vt medium inter Peponem, & Cucumim. Nam Pepo expetitur maturus, cucumis (idest citreolus) immaturus. Melopepo autem in horum medio, non nimis maturus, nec nimis crudus. ideò de vtroq; participans fructu Cucumis maturus, seu Pepocucumeralis dici debet. Et Melopeponem quidem non esse omnino maturum asseruit Galenus, sed qui in se ipso *πέπονα*, idest maturum contineat. Accedit quòd etiam num aliqui nostros cucumeres Peponis nomine appellent. Præterea nomen Melonis videtur desumptum à Melopeponis ablatis duabus medijs syllabis (pepo) seu potiùs tribus litteris (pep) vt ò inseruiat bis.

Figura. Figura etiam, quam Peponi veteres tribuere, nobis demonstrat, nostros Cucumeres esse Antiquorum Pepones; quamuis Plinius. lib. 19. c. 5. confusè loquutus videatur. *Cucumeres* scribens *eum magnitudine excessere Pepones vocantur*. vbi videtur magnitudine tantùm voluisse differre Peponem, & Cucumerem. nobis satis erit nouisse Peponem esse, qui Magnitudine ceteros huiusmodi fructus excedit. sed cum addit, *Ecce cùm maximè noua forma eorum in Campania prouenit, mali Cotonei effigie. fortè primo natum, ita audio, mox semine ex illo genus factum, Melopeponas vocant. Non pendent hi; sed humi rotundantur. Mirum in his, præter figuram, coloremq; & odorem, quòd maturitatem adepti, quamquam non pendentes, statim à pediculo recedunt*, loquitur hic de Melonibus aliqua

Melopepo odoratus.

incredibilia, alia ad nostram rem facientia tradens. namq; ex Cucumeribus ortos casu fuisse Melones, incredibile videtur. variant enim ab ijs forma, odore, colore, sapore, semine, & Natura, illi præterea pendentes, hi humi recumbunt, hiq; maturi à pediculo recedunt, illi non: itaq; genus adeò diuersum ab ijs prodijsse, fidem excedit. & Plinius ipse non omninò credidit, addens verba illa (ita audio). cum autem ait Plinius Melopepones esse Cotonei effigie; non debemus intelligere de magnitudine; sed de figura; itaq; noster Melo cũ habeat segmenta, & oblonga, eleuataq; tubercula, vt cotonea malus, quæ neq; citreolus, neq; Cucumis Romanorum habent, figuram cotonei habebit. Melopepo autem, seu Melo noster, cum Græcè verbum μῆλον, tum pomum, tum melinum, seu luteum colorem significet, dici etiam poterit citrinus Pepo, & talis omninò est Melo hybernus luteo cortice, & hoc colore distinguetur à Citreolo, & Romanorum Cucumere (qui Pepo est) qui non expetuntur lutei, sed virides, & quidem Citreolus dictus est non à citrino colore; sed à forma citri. deniq; odor Melonum suauis non parùm assimilari videtur Cotoneorum odori; Cucumis autem, & citreolus ferè inodora sunt.

à Colore.

Pariter Athenæus lib. 2. cap. 31. commiscuit cucumeres, & Pepones introducens Cratinum, qui Cucumeres seminarios appellauit Peponas; nam cum eduntur, semina expuuntur, dixitque maximum Cucumerem; nam reuerà Pepo est omnium maximus. Ita etiam Arist. sec. 20. prob. 32. scripsit. *Cucumeres cognomento Pepones optimos palustribus planis, idest, humidis fieri solere, alios verò cucumeres hortenses in locis riguis, minimè laudatos gigni.* videtur autem intelligere Cucumerem Laconicum Plinij, seu potius Theophrasti 7. de Hist. Plant. c. 4. qui aqua gaudet, cetera minimè, & cum talis sit Romanorum cucumeris natura, erit dicendus Laconicus Cucumis, qui cum Magnitudine excesserit Pepo Plinio dicitur.

Cucumis Laconicus.

Scribit etiam Gal. 2. de Alim. fac. cap. 4. 5. & 6. Melopepones minùs quàm Pepones esse humidos, nec adeo praui succi. & vniuersam Peponum naturam frigidiorem esse cum humiditate copiosa, & Cucumerum substantiam minus quàm peponum esse humidam, ideoq; non facilè, vt illos in ventriculo corrumpi, ex quibus clarissimè constat, nostros Melones esse Melopepones, quia minùs sunt humidi, quam aliæ species, melioris etiam esse succi, & minùs prauos, & ditiorum mensis expetitos. Pepones verò esse Romanorum Cucumeres frigidiores, & humidiores adeò, vt non nisi aqua parùm densata videantur; vndè nonnulli *Meloni d'acqua* appellant, viliquè plebeculæ ad extinguendam sitim, conueniunt.

à Viribus.

Confirmat nostram sententiam Cæsalpinus ex Dioscoride, dum ait. βλέγμα αὐτοῦ κατὰ τοῦ βλέγματος παιδίων ἐπιτιθέμενον idest *eius testa velut Caluaria pueris imponitur ad Caluariam* Rotundum enim Romani Cucumeris Corium, & testæ modo fragile, facile intùs excauabile, & extrà planitiè, & leuitate caluariam æmulans, facilè capiti imponi potest, & refrigerare, atq; repellere. quod in Melone non accidit. at ego sic in meo textu lego; τὸ δὲ βρέγμα αὐτοῦ σειριάσει παιδίων κατὰ τοῦ βρέγματος ἐπιτίθεται. quæ vertit Ruellius, *Ramenta eius contra adustionem infantium, quam siriasim vocant syncipiti imponuntur.* Sed male vertit Ruellius Ramenta. quamuis eum defendat Saracenus, censens errorem librarij esse, & non βρέγμα sed potiùs ξύσμα legendum esse, vt idem Diosc. fecit superiori capite de cucurbita ijsdem pene verbis. Hermolaus autem *Corium ipsum ad siriasim puerorum infantium anteriore parte capitis opponitur.* & ipse Ruellius 2. de Nat. stirpium cap. 68. hæc interpres Corium dixit. & meliùs. nam Æginetæ lib. 1. c. 13. ad siriasim proponit Cucurbitæ ramenta ξύσματα, & Cucumeris Peponis autem (δέρμα) carni adiacentem. & quidem vox βρέγμα sinciput hominis propriè significat Galeno 3. in 6. Epid. 1. Laurenio, Gorræo, & alijs: interdum tamen totam caluariam significat. Budæo, Garzio, & alijs Grammaticis Græcis, exactius autem Dioscoridis verba vertisse videtur Marcellus. *Superior peponis cortex, qui quasi sinciput, & umbilicus eius est in capitis inflammatione, quam siriasin dicunt infantium sincipiti vtiliter imponitur*, quam litteram videtur legisse Serapio scribens ex Diosc. *cortex eius quando ponitur super caput infantis, sedat apostema calidum.* cum ergo Diosc. Peponis sinciput, seu potius Cranium imponi velit puerorum sincipiti, vel Caluariæ, debet intelligi ea velle illum forma, qua humano assimilatur Craneo, vel sincipiti: pars ergo mediata, & excauata, vel saltem quarta istius pars, & hoc à me pluribus explanatum est, quia sub hac forma persæpè vidimus à pueris nostrorum Cucumerum excauatam medietatem pro tegumento contra æstiuos calores capiti imponi: vndè erunt antiquorum Pepones, quod nequaquam dici potest de Melonibus, quamuis à Senensib. Pepones vocentur. & veri pepones cum Romanis Cucumeres, Neapolitani tamen legitimum retinuere nomen Pepones vocantes eos, qui verè ab Antiquis Pepones fuere dicti.

Cæsalpinus.

Locus Dioscoridis explicatus.

Phanias apud Athenæum lib. 2. c. 31. scripsit. *Ediles autem sunt teneri intra corticem Cucumeres, & Pepones sine seminibus maturescente pericarpio solum.* hic constat Cucumeres, & Pepones comparari, & differre, quia Cucumeres teneri, dempto tantum cortice edantur: vndè erunt nostri citreoli. Pepones autem non immaturi, sed totum pericarpium maturum absq; seminibus; nec potest dici de Melonibus, in quibus non editur pericarpium seminum, nec cortex maturus; sed caro ipsius tantum.

à pericarpio.

Sed difficultatem facit Galeni locus, secundo de Alim. fac. 5. *Huic accedit* inquientis, *quòd in peponibus homines à carne intima, in qua semen habetur, abstinent, in melopeponibus autem mandunt, idq; ipsis ad deiectionem confert. Qui verò*

difficultas.

eorum

eorum quaſi Carne tantum veſcuntur, non tam citò eam, ac Peponum excernunt. Equidem cum Cæſalpino ſuſpicor errore librarij commutata eſſe in eo loco vocabula, & rectius Galeni locum reſtituendum ita. *Huc accedit, quòd in Melopeponibus homines à carne intima, in qua ſemen habetur, abſtinent, in Peponibus autem mandunt, idq; ipſis ad deiectionem confert. Qui verò eorum quaſi carne veſcuntur, non tam cito eam, ac Meloponi excernût.* quod patet quia cõſtat Pepones magis mouere aluũ, quam Melopepones, & ipſe Gal. Paulus, Aetius, & Oribaſius, quãdo dicunt Pepones Vomitum, & aluum mouere, addunt idem pollere Melopepones, ſed imbecillius. conſtitutum igitur ſit apud antiquos nomine Peponis intelligi Romanorum cucumerem, & nomine Melopeponis eorundem Melonem.

reſtituitur Galeni locus.

Peponis vis Vomitoria.

Quibus poſitis ad facultatem Vomitoriam deueniendum. Paulus lib. 1. cap. 80. *Pepon*, inquit, *vitioſi ſucci eſt, frigidus, humidus, & vomitioni dicatus, non coctus choleram generat, & in totum abſtergit vehementer. Melopepon omnia, quæ de Pepone dicta ſunt, inualidius efficit.* quod repetit Oribaſ. lib. 3. collect. c. 20. & Aetius ſer. 2. cap. 257. preterea ſerm. 1. littera de Pepone, & Orib. lib. 1. cit. cap. 36. ſic aiunt. *Pepones melius quam Melopepones ſubducuntur, ſuccum in corpore vitioſum faciunt, & potiſſimum, cum non probè fuerit concoctum: quo quidem caſu cholericos efficere conſueuit. Quin etiam prius quàm corrumpatur, ad ciendum vomitum valet. ſiquè largius eo quiſpiam veſcatur, neq; quicquam eorum, quæ boni ſucci ſunt, ſuper mandat, omninò vomitum excitabit.* & de Melopeponibus ſubdit. *Melopepones minùs quàm Pepones, humidi ſunt, minusq; mali ſucci, & minùs Vrinam cient, & minùs infrà ſubducuntur; neq; parem vim cum Peponibus ad vomitum excitandum habent.* Alex. Trall. cap. 6. de Tertiana Pepon cholericos efficit. *Nam re vera habet aliquid ſtomacho contrarium; quare etiam copioſior comeſtus vomitum, ventris perturbationem, & præterea perfrictionem, ac totius corporis conuulſiones excitat. At Melopepon nihil horum facere cenſetur, non enim habet adeo, quod ſtomacho aduerſetur ſimul neq; pepon modice comeſtus.* mihi medij Peponis commeſtio ſtomachi perturbationem excitauit, & morbum ab omnibus Medicis ſpè deſtitutum, ecce conualui ob validam Naturam. De Peponibus Hip. 2. de Diæta num. 15. ſcriptum reliquit. *Pepones minguntur, & per aluum ſecedunt.* & 3. de Morbis in fine. *Cucumeris Peponis corio nudati pollinem ex aqua prabeto. hæc potio vrinam ciet, frigefacit, & ſitim ſedat.* & de Vomitu nihil; & de Affect. num. 50. *Cucumis Pepo, & vrinam ciet, & aluo ſecedit, ac leuis eſt.* cum ſit leuis, & cibis ſupernatet ad vomitum idoneus erit, & cholericæ affectiones ſuperuenerunt nimium comedentibus Cucumeres Pepones, vt refert de Bianto. 5. Epid. 27. & 7. Epid. 40. Serapio autẽ videtur mihi valde confuſus in horarijs fructibus explicandis, & cum cap. 233. loquitur de Aqua Cucumeris, credo intellexiſſe de Romanorum Cucumere, & verbum interpretis eſſe, ex Aben Meſuai *laxat choleram, quæ eſt in ſtomacho, & doſis aquæ eius eſt à tertia parte libræ, vſq; ad libram vnam.* & Habix. *Aqua cucumeris laxat ventrem laxatione bona, ſine nocumento aliquo, & debent buliri cum Zuccaro albo, & doſis eſt dracmarum quatuor, & non oportet, quod detur de eis in potu habenti naturam duram nimis ad mouendum, quia iſtorum aqua non habent tantam virtutem, vt laxent naturam duram, & ſi ipſe morarentur in ſtomacho, forſitan inducerent laborem, & vomitum, vel inflammationem.* Ex his nos colligemus Peponum Carnem abſterſiuam eſſe, & ventriculi ſubuerſiuam, & ideo ab eius eſu prouocato Vomitu, & facilem futurum eſſe, & abſterſum iri ventriculum. Melonem verò ad idem valere; ſed imbecilliùs, vt ſtomacho gratius.

Serapio cõfuſus.

De Peponis autem radice. Dioſc. *Radix ſicca, & ex hydromelite pota, drachma pondere vomitionem mouet, ſi quiſquam moderatè ſecundum cœnam vomere cupiat, geminis obolis ſit contentus.* eadem ferè Plinius lib. 20. cap. 2. *Radix contra Vomitiones ſiccatur in farina tuſa datur quatuor obolis in aqua mulſa, ita vt, qui biberit, quingentos poſtea paſſus ambulet.* deinde ait. *Cortex quoq; Vomitionem mouet.* Aetius autem ſer. 1. littera de Pepone. *Semen, & radix* (ait) *ſicca ſecundi ordinis initio exiſtunt. Vis extenſoria amplior eſt in radice, quam Carne*, & ſerm. 3. cap. 119. *Sed peponis radix trita cum melle vomitum mouet.* Oribaſius verò 8. collect. 21. *Peponis ſemen maceratum, & leuigatum cum melle offerre in cœna, ita enim vomitum mirum in modum citat.* Præterea Fernelius. *Peponis radix* (inquit) *nulla etiam qualitate inſenſa, ventriculum eo, quo & raphanus modo vomitione expurgat. Nec puero, nec ſeni, nec prægnanti grauis. ea autem arida, atque trita datur ex aqua mulſa à ſcrupulis duobus ad drach. j.* Dionyſius Vticenſis lib. 12. cap. 20. ex Florentino *Melopepones*, inquit, *refrigerant quidem abunde verum vtiliſſimi ſunt ad Vomitum opportune volenti ciendum.*

Dioſcorides.

Plinius.

Aetius.

Oribaſius.

Fernelius.

Dionyſius.

De Phaſeolis. Cap. XLI.

DIoſ. lib. 2. cap. 101. ſcriptum reliquit phaſiolos ad Vomitum idoneos eſſe. an verò virides, vel ſiccos, an ſubſtãtiam, vel decoctum. ex eius dictis non clarè conſtat. certè vulgarium phaſeolorum ius nigrum, & abſtergens eſt, quod coqui proijcere ſolent, hoc ob abſtergendi vim vtile eſſe ad vomitum prouocandum cenſemus.

Non tamen omnino conſtat an Dioſ. intellexerit vulgares faſeoles, quamuis enim Theoph. Plin. & Gal. Collumella, Palladius ſine controuerſia noſtrum faſiolum vocauerint phaſeolum,

non tamen de Diof. asseri potest. primo quia de nostris faseolis videtur egisse c. de Dolico. 2. quia habet siliquas, vt spartum. ex cap. de sparto 3. habet in sumitate folij capreolos contortos, vt Isopyrum ex cap. de Isopyro. proinde Isopyron quidam phaseolum vocant ex Diosc. Plin. Gal. & Paulo, quæ omnia cum non sint in vulgato faseolo. non sine ratione dubitauit Cæsalpinus, & Lusitanus. Pisum vulgare esse Dios. Phaseolum, cum de Piso nullibi egerit, habeat siliquas ante maturitatem latas, vt Spartum, post maturitatem Cylindratas. demiq; capreolos in summo folio ferunt. At quod Faba vulgaris, & Germanorum Bona non sit Dioscoridis Phaseolus, vt censuit Dodoneus, Euritius Cordus, & Gesnerus: omnes neoterici consentiunt. Manard. lib. 9. Epis. 3. Dioscoridis phaseolum esse censuit vulgarem Eruiliam. qui reprehenditur à Mattiolo.

difficultas de Diosc. Phaseolo.

Nos censemus Dioscorid. non dissentire in nomine à suis coetaneis, à priorib. & posterioribus. quare ea, quæ difficultatem faciunt, potius tribuenda videntur trāscriptoribus, quam Dioscuridi ipsi: nos autem magis Vomitiuum censemus ius vulgarium faseolorum, quam vel fabæ, vel Pisi. ideo pro Vomitu parando eligimus, vti nitrosum, abstergens, nauseosum, flatuosum, & stomacho ingratum nostrorum faseolorum ius. vtemur autem hoc, ad abstergendam pituitam viscidam à Ventriculo, in multa copia sumpto. quando adest indicatio Vomitus. calidum assumetur.

Quid agēdum. quātum. quando.

Serap. tra. 1. prac. cap. 9. dat decoctum faseoli rubri, quia forte in suis regionibus copiosè nascatur. Porrò Phaseolorum genera sunt plurima alba, nigra, rubra, variegata, &c. vltra quinquaginta numero, vt apud Bauhinum, & alios constat. quæ referre non est opus, cum nobis tantum hic sermo fit de Phaseolo italico albo in ventre macula nigra insignito.

De Rapa. Cap. XLII.

RApum, seu γογγύλη. Dioscorides distinxit in satiuum, & siluestre. Plinius verò lib. 18. cap. 13. satiuum (ex Theop. lib. 7. de Hist. pl. cap. 4.) distinxit in masculum, cuius radix oblonga est, & in fœminam radice rotunda, quæ formæ differentia non est essentialis; sed accidentalis; nam densè satę rapę, quia crescere in latum nequeunt longiores fiunt. Gal. in alimenti vsu paucam fecit differentiam inter Rapas, & Napos: sed circa facultatem Vomitiuam, ne verbum quidem Græci (quod legerim) habent. sed Mesues in Canonib. t. 15. inter clementia Vomitoria enumeranit semen Rapæ. Verum dubitare licet, an per Rapam intelligat Napum, vel ipsam rapam. sed hoc parum interest; nam crederem alterum vicem alterius supplere posse. ita aliqui pro Buniados, seu Napi semine, Rapi semē in Theriaca ponunt. quare eodem modo vtemur semine Rapi, ac Napi. præterea cum hæ duæ radices magnam affinitatem habeant cum Raphanis; ita vt Palladius scribat rapam satam transire in Napum, & è contra, non absurdum erit ijsdem vti Raphani in modum pro Vomitu excitando crudis. quod si cocta edere libet. quum à cibis vomendum est, hæc præsumi poterunt, & quia siluestre Rapum ex Pl. & Diof. cutim detergit. dicemus etiam Domesticum extergere; sed multo minus; & quum Venenis, venenatisq; ictib. conferre credantur semina, eorum decoctum laudabitur ad Vomitum excitandum quum Veneni suspicio est. Fumanellus. Vomitiones, inquit, leniter cies, semen Rapæ.

dubitatio.

Quid agēdum.

Vsus patet. *Vsus.*

De Raphano. Cap. XLIII.

RAdix, & Radicula simpliciter dicitur à latinis recentioribus, & à vulgo, quæ Græcis, & Dioscoridi *ῥαφανίς* est. à Theophrasto Raphanida, & Raphani nomine intelligitur Brassica; ita etiam intelligendus est Mes. in can. tex. 15. quod fuit causa nonnullorum Plinij errorum. Diosc. distinxit in Hortensem, & siluestrem. Theoph. lib. 7. cap. 4. quinq; fecit genera. Corinthium, Cleonæum, Liothalassium, Bœotium, & aliud folijs Erucæ. apud nos in Hortis reperitur tantum Raphanus maior, minor, & niger. qui Romæ dicitur *Rauanello*. Raphanus verò *radice* ex Gal. 8. de sim. m. f. calidus est in 3. siccus in 2. gradu semen autem planta efficacius est, digerit, extenuat, & abstergit, atq; acrimoniam quandam possidet. ob quam etiam incidit pituitam crassam, vrinam pellit, & aluum ducit. proinde Gal. 2. de Alim. fac. cap. 70. *Vrbani quidem homines, inquit, radiculam solam crudam, vt plurimum, ante alios sanè cibos, nunc verò, alui dejiciendæ gratia, mandunt; quidam autem aceti quodpiam admiscent. Hæc autem cum manifesta calfactione attenuandi habet facultatem; nam qualitas acris in ipsa superat.*

nomen. differentia. cōplexio. dejectio.

Leuissimum est Vomitorium Raphanus, & non tale natura; sed ob aliquod accidens, quod patet ex Diosc. qui scribit. *cum præsumitur cibum suspendit, quare Vomituris commodissimè datur ante cibum.* suspensio igitur cibi est causa, vt ab assumpto raphano facilis fit Vomitus. non autem eo, quod raphanus facultatem habeat Vomitoriam: nam post cibum sumptus (ex Dios.) distributionem adiuuat, quamuis Gal. 2. de aliment. fac. id reprobet. Mes. in canonib. t. 15. inter clementia vomitoria numerat semen Raphanidis, & Raphanum. quæ duo nomina videntur eandem plantā denotare, & interpretis oscitantia posita, vt diuersa: nisi pro Raphanide Brassicam voluerit, vt initio dixi. Raphani autem vsus est, cum crudi comesi, tum eius decocti, vel etiam ipsius seminum. Plin. lib. 20. cap. 4. *Bilem detrahunt cortices in Vino, stomachum purgant, pituitam extenuant.* Diosc.

Vomitu.

stoma-

stomacho adversatur: cortex ex Aceto mulso celerius Vomitiones mouet, deinde subdit. *Semen Vomitiones facit.* Raphanus autem sil. acrior est, & ad eadem valere credendum; sed potentius multò. Gal. 7. meth. c. 11. *Quibus lentapituita Ventriculo est infixa, ijs prius exhibenda sunt, quæcunq; hanc discent, post deinde purgandum, Quod si ad vomendum sunt idonei, non inutile sit per radiculas ex Oximelite vomere: sin verò nec lentus humor sit, nec crassus, utique abundè sit à ptisana solius cremore vomuisse; item à mulsa.* & 8. meth. cap. 2. *si multa, & vehementer glutinosa, & crassa pituita sit, hanc radicula ex Oximelite, non Mulsa, aut ptisana detergere est habilis*, & de diffol. cont. 12. *Et aliquando aggregatur in stomacho phlegma viscosum, & adhærens, & auferens appetitum ab eo, & rectificant eum cibaria; quæ incidunt phlegma, & mundificant stomachum, sicut raphanus.* & de simpl. m. ad Patern. *comesta raphani radix à ieiuno ventrem relaxat, decocta autem, & in cibo sumpta thoracem à phlegmate laborantem emendat: Cortex verò eius cum Aceto, & melle acceptus, vomitus mouet.* Fernel. *Raphanus domesticus, esculentus quum sit, offensione nulla, Vomitione purgat, atq; Ventriculum blandè exinanit, quæcunq; nimirum in eo crassa sunt attenuat, quæ lenta sunt detergit, ac demum stimulata expultrice, vi sursum extollit, nulli ætati, neq; prægnanti infensus.*

Igitur Vomitus ab assumpto Raphano non solum in vniuersum conueniet, quotiescunque crassi & viscidi humores in Ventriculo permanent: Sed in particulari Gal. 2. de comp. med. 2. l. cap. 1. *si propter viscosos, & crassos in stomacho contentos humores caput doleant, vtemur vomitu à Raphanis:* & paulò ante dixerat: ex Apollonio ad capitis dolorem ex frigiditate conuenire quandoq; à raphano Vomitum. & 2. de artic. 51. laudat radiculam ad Vomitum conciendum *in duris fractura*: nos etiam Vtemur raphano ad Vomitum excitandum, quum conuenit, in ijs omnib. affectib. quib. comestus valere creditur, vt ad Vrinam ciendam, ad sensuum aciem excitandam, ad Veterem tussim, & pituitæ crassitiem in pectore. Hydropicis, lienosis, à Vipera, vel Ceraste, & scorpionib. ictis ad fungos deuoratos, & strangulantes ad Hiosciamum, atq; ad menses ciendos, ad calculos eijciendos, ad letargicos, ad ilosos, & ad intestinorum vlcera, & ad sang. in Ventriculo concretum. Fernel. *teruntur (inquit) radicis eius concisæ vnciæ duæ, affusaq; mulsa succus exprimitur tepidus offerendus. semenis (quod efficacius sit) sescuncia, vel drach. iij. similiter teritur, addita mulsa, aut sero lactis, aut aq; hordei.*

Plin. *Vomituris summo cibo esse eos vtilissimum est.* contra Diosc. *summo tamen cibo sumi debet, quò magis eius distributionem adiuuet: cum autem præsumitur, cibum suspendit; quare vomituris commodissimè datur ante cibum.* ex Hip. *radix (inquit) vitiosa est, innatans, at ægrè concoctibilis* vnde cum Diosc. sentit. Act. ser. 3. c. 119. *Dandi verò sunt Raphani ieiunis, qui inediam tulerunt, & à cæna prius vomuerunt.* imo ipse Pl. lib. 19. cap. 5. *Crudos medici suadent ad colligenda acria viscerum dandos eum sale ieiunis esse, atq; ita vomitionibus præparant meatum.* quare corrigendus textus scribendúq; in Plinio: vel ieiunis, vel primo cibo.

Paul. lib. 7. cap. 10. *Raphani prædictis minus quidem purgant, sed vtilius. Cæterum conuenit ipsos acres, & recentes adhuc minutim concisos, ante duas, tres uè horas in Oximelite macerato, quam fieri potest multos assumere, tum quaternè à cæna Vomitu excitato. semel autem ieiuni voment, & sæpè oximel absorbebunt, vbi duabus horis inambulauerint, egelidam bibentes aquam digitis, aut pennis in os demissis vomant.* Aetius autem ser. 3. cap. 119. *sint autem Raphani valde acres, & secentur in tenues laminas, macerentur autem hæ frustula à vespera in aceto, & melle; Edat autem vomiturus ex his magnam copiam, & assidue super ingerat acetum mulsum; deinde ad horas duas lente obambulet, & plurima aqua tepida hausta vomat per digiti, aut penna irritamentum.*

Fumanellus. *Vomitiones leuiter ciet. semen, & radix radicis raphani.*

Corollarium.

Raphano possumus addere vim Vomitoriam infixis ellebori radicib. vnde Gal. 2. de art. com. 51. cum attulisset mulsam, & ptisanæ cremorem addit, *magis adhuc vomitum citat radicula. His efficacior est, nondum tamen valens radicula, in qua surculos radicum veratri albi defixeris data postridie, siue per se, siue ex oximelite.* Verùm de hac re agendum cap. de Helleboro, interim tamen cum Aetio dicemus. Præparantur Raphani ad diuturnas affectiones, & fortiore exagitatione indigentes. Veratri enim albi, & optimi festucarum, drach. vj. in raphanos figantur: ita vt raphani priùs harundine compungantur, & deinde festucæ Veratri in foramina immittantur. Hæ festucæ vbi totam noctem in raphanis manserint, sequenti die eximuntur, vi ipsarum in raphanis relicta.

Postea verò raphanos conscindere oportet, & in aceto mulso macerare, & similiter edendos exhibere. diligenter autem considerandum est, ne quid ex Cortice Veratri in raphanis permaneat.

Oleum etiam raphaninum ex Aetio est in vsu, qui hoc, raphani decoctum, & caricarum cremorem simul miscet, tepefacit, & bibendum dat, curiosiora vomitoria reprobans.

Raphanus silvestris. | Quid agendum. | quibus. | quando. | corrigit. Plinius. | quomodo. | Veratri infixio. | Aetius.

De Sale. Cap. XLIV.

SAlis plura sunt genera; fossilis, dicitur Sal Gemma. Marinus autem in communi vsu est, de his modo agemus. quamuis multæ species ab Auctoribus proponantur Ammoniacus, indus, naphthicus, &c. est autem mineralis fortior Marino; sed amborum temperamentum calidum, & siccum est in 2. gradu ex Mesue. *Abstergere, & expurgare* scripsit Diosc. At Mesues esse *incisiuum, subtiliatiuum, solutiuum, mordicatiuum, & subuersiuum stomachi, & conturbatiuum, ac præparantem ad Vomitum.* deinde scribit. *Omnis sal solutione educit crassos humores, & viscosos*, postremò ait. *Omnes faciunt subuersionem, & Vomitum. Sal gemma quoq; educit solutione phlegma vitreum, & expellit humores, quorum eradicatio est difficilis, mundificat stomachum.* Plinius autem lib. 31. cap. 9. esse *repurgans, & extenuans* dixit.

Temperamentum. *Mesues.*

Quid agendum. Nos autem Sale admixto vtemur, quùm abstergere à ventriculo voluerimus crassam, & viscidam materiam; nam incidit, & abstergit potenter, & ideo valet etiam ad repurgandum ventriculum ab assumpto Opio, Fungis, & similibus. immo etiam lumbricos sursùm educit. Itaq; Plinius. *Noxia, & Tinearum genera pellit in Vino potus.* deindè. *bibitur & contra Opium ex Aceto Mulso:* Dioscorid. autem cap. de Sale. *Contrà haustum Opium, & Fungos cum aceto mulso bibitur.* & cap. de Meconio laudat Acetum mulsum cum sale potum; vt cap. de fungis dat poscam cum sale, & nitro. Equidem testari possum Patrem cuiusdam Pharmacopæi, quùm casu assumpsisset Ptisanam dissolutam Muria Oliuarum, pro iure carnium, multùm vomuisse, & ita vt venenum sibi datum putaret, & tandem eiecisse vermem admirandum; liberatum fuisse dolore quodam acerbo, quem pleuriticum censebat, & multi medici non potuerant sanare.

Quantum. Huius dosim non reperio definitam; sed & esse debet, quæ nec valde leuis sit, nec tanta, vt aquam Maris æquet.

Muria autem, quæ aqua salita est, varias habet contemperationes; nam quæ minùs salis continet imbecilliorq; est, *Crudior* vocatur, seu ὠμοτέρα. Hipp. autem lib. 1. de Mor. Mulier. videtur vocasse *subsalsam*. seu dulcem. γλυκεῖν. Altera species dicitur *Matura*, & temperata. εὔκρατος. de hac Plinius lib. 31. cap. 6. *Moderatissimam autem putant, supradictam aqua mensuram,* (idest aquæ quatuor sextarios) *octonis cyathis salis temperari.* Tertia species ἄκρατος ab Archigene dicta fuit, apud Gal. 1. de comp. med. ad Phthiriasim cap. 7. idest Muria Meraca. & Celsus lib. 4. cap. 15. duram, & quã asperrimam. Galeno autem dicitur. δριμεῖα ἁλμυρά, dura, & valdè salsa. de hac scripsit Plin. loc. cit. *Cæterò sextarius salis cum quatuor aquæ sextarijs, salsissimi maris vim, & naturam implet. Illud in ea ratione mirum, si plùs quam sextarius Salis cum quatuor aquæ sextarijs mergatur, vinci aquam, & salem, non liquare*, sed hæc nihil ferè ab aqua maris differt.

Muria cõfectio.

Hipp. de Diæta 18. sal Vomitorio addit ad iucunditatem. miscet etiam alijs Vomitorijs. de inter. aff. 30. & 7. Epid. Epicharmi filio.

Sed circa Salem Plinianis proponitur soluenda quædam Plinij, siuè Veronensis, siuè Comensis variatio. supposito enim ex ipso Plinio, & alijs, quod Sal à Nitro differat, quæritur cur salsedinem, quæ ex Quercu cremata colligitur, modo salem, modo Nitrum vocet. an sunt synonima? an errauit Plinius, & quà parte? si quidem lib. 31. c. 7. loquens de sale. *Quercus optima,* inquit, *vt quæ per se cinere syncero vim salis reddat; alibi Corylus laudatur. ita infuso liquore salsa. carbo etiam in salem vertitur. Quicunque ligna consit sal niger est. Apud Theophrastum inuenio imbrices harundinis, & Iunci cinerem decoquere aqua solitos, donec exiguum superesset humoris.* & prius dixerat. *Galliæ, Germaniaq; ardentibus lignis aquam salsam infundunt.* deinde c. 10. loquens de Nitri speciebus. *Nam Quercù crematâ,* inquit, *numquam multum factitatum est, & iam pridem in totum omissum.* vel igitur ex Quercu & Sal, & Nitrum colligitur, quod non creditur. vel confundit nomina nesciens an Sal, vel Nitrum debeat vocari. *Plinij confusio.*

Dicerem ego in Plinij tutelam, ex cinere Quercus crematæ facto lixiuio, & ad consumptionem decocto colligi Nitrum. infusa autem aqua salsa lignis ardentibus, ex ipso carbone sal colligi. At addam ex lignorum cineribus nos, haud nigrum; sed candidissimum sal elicere. artificium notum est chimicis nostris, rationes verò à nobis afferuntur libro primo nostrarum Chimicarum operationum. Sed paucitatem salis collecti videtur obijcere Plinius. certe non ex cuiuslibet crematæ plantæ cinere eadem Salis quantitas colligi potest, vt V. G. ex Absintij cinerum vncijs septem extraximus salis candidissimi. vncias duas, ex totidem autem Rutæ cinerib. non nisi salis, vnciam vnam, & drach. iij. ex Cineribus Sampsuci. vnciam vnam tantum. ex frigidis herbis minus multo. sed 7. vel etiam decima pars salis extracta ex cinerib. non videtur parua quantitas. ergo. *Plinij defensio.*

De Syrupo Acetoso. Cap. XLV.

DE Syr. Acetoso tractatum conscripsit Auicenna exquisitissimum, & quia Oximeliti assimilatur saccharum pro Melle recipiens de eo hic etiam à nobis agendum est. Auic. quidem nomine syrupi squinzibin, idest syrupi acetosi apud interpretem, intellexit tum Oximel, cum syr. ex Aceto, & Melle. & cum Oxymel tenuet, incidat, ac refrigeret ab aceto refracta Mellis caliditate, & simul ne in bilem vertatur, prohibeat, non tamen prohibetur abstersio, & ablutio. cum

ergo

ergo hæ sint Oximellitis vires, loco Mellis in syr. Acetoso ponendo saccharum, quod magis abstergit quam Mel, minus est calidus, & difficilius bilescit. dicemus Sy. Acetosum præstantiorê esse in corporibus calidis, tempore æstiuo, in ebrietate, & ad refrigerandum, incidere, attenuare, ac deobstruere absq; calefactione, & hoc est maximi momenti; nam alia deobstruentia calida in sanis adhibita calefaciunt hepar, & intemperiem calidam inducunt, & in febrientibus optimus est Syr. Acetosus ob dictas causas, & quia simul comprehendit multas vtilitates, simul enim extinguit febrem, infrigidat hepar, aperit oppilationes, incidit humores crassos existentes in Venis meseraicis, & prope Ventriculum, sedat etiam sitim ab inflammatione Ventriculi, & Hepatis, cui nulla alia potio æquiparatur, etiam si frigidiore fuerit temperaméto, quia non habet tantam penetrationem, & actiuitatem celeré. Cum ergo Sy. Acetosus incidat pituitam crassam circa Ventriculum, ea separatur facile, quo fit vt Nat. eam expellat partim per secessum, partim per Vrinam, & partim etiam per Vomitum, si mat. fuerit leuis, & innatans Ventriculo, neq; solum pituitam; sed etiam bilem expellit per dictas vias. spleni etiam opitulatur, extenuat enim ipsum, & fæculentum sanguinem tennat, ac ducit ad intestina, & paulum etiam ad Ventriculum: vnde pauca remanet Melancholia; quotidie ad intestina, quæ denuo gignitur expulsa, & appetitum excitat pauca ad Ventriculum transmissa Melancholia, cuius etiam Vicem supplet acetum. Incidit etiam pituitam crassam in pulmone, ob id Asthmati confert, & excitando tussim, materiam educit.

Vires Sy. Acetosi.

Ad Vomitum. Et addit Auic. Sy. acetosum multa etiam alia habere iuuamenta, & inter cetera, *adiuuat ad Vomitum, & mundificationem stomachi.* deinde ait, *Et caueat ab eo patiens nauseam plurimam, & subuersionem animæ, & patiens fluxum saliuæ ab ore, nisi quando per ipsum syrupum acetosum voluerit Vomitum. & Maior ipsius læsio est in stomachicis, & sunt illi, qui vomunt cibum suum cum acetositate sua, quæ est in stomachis ipsorum.* per hæc docet Auic. potius Oximellitis nocumenta: tamen etiam de Sy. acetoso potest intelligi.

Quid nocumentum.

Quantum. In compositione dosis Aceti, & sacchari, seruabitur, vt in Oximelite.

De Sampsuco. Cap. LXVI.

Nomen. SAmpsucum, & Amaracus eadem est planta, testatur id Plin. lib. 21. cap. 11. *Amaracum Diocles Medicus, & Sicula gens appellauere, quod AEgyptus, & Syria sampsuchum*; confirmauit id Dioscor. *Amaracum gens Sicula, & Cyricena appellat. Sampsucum in Cypro laudatissimum.* Theoph. vocat Amaracum in cõtrarium tamen esse videtur Gal. quod de simpl. scripsit Amaracum esse calid. 3. & siccum in 2. & lib. 8. sampsucum esse cal. & siccum in 3. eadem ex Gal. refert Paul. lib. 7. & Orib. c. 15. & Aetius. ser. 1. immo Diosc. sibi contradicit lib. 1. cap. 47. afferens Vng. Sampsucinum, & cap. 57. Amaracinum, ergo non solo nomine; sed etiam facultate differunt. Verum ad Diosc. facile respondetur, eó quod Vnguentum in Cyzico paratum, vbi Amaracus, ea planta Vocabatur Amaracinum fuit dictum. alibi autem, vbi eadem planta sampsucum dicebatur, sampsucino Vnguento dedit nomen, & quum essent diuersæ compositiones, pro diuersis etiam regionum nomenclaturis Vnguenta nomina diuersa suscepere. Ad Gal. varij variè respondent. Eurit. Cordus, & Bauhinus pro Amaraco Galenũ intellexisse credunt, Parthenium Diosc. tum quia ipse Diosc. scripsit ab aliquib. Amaracum vocari, tum etiam quia Gal. nullibi egit de Partenio, signum euidens, nomine Amaraci id vocasse. Matt. esse opinionem non omnino reprehendendam, ait, sed non videtur acceptanda; nam ipse Gal. alibi loquens de sampsuco Vocauit Amaracum, cum Andromaco, vt 1. de Antid. c. 10. & Maro comparat. quod si obijcias ex eodem Gal. 3. de comp. m. per g. c. 8. *At Amaracum quasi non boni odoris nequaquam miscere cogitaui.* & Partenium ex Diosc. *odore subuiroso* est, præterea Aetius. lib. 6. cap. 10. de cura Melancholiæ ex Gal. scribit. *Atram bilem ducit Amaracus, & Cunila appellata drach. ij. pondere aqua mulsa inspersa, & pota.* Diosc. autem de Partenio, siccatum cum Aceto mulso, aut sale potu non secus, ac Epithymum, & bilem, & pituitam detrahit, & Galeno tributus de Dinamidiis, *Educit eboleram nigram Parthenion. quod leuchanthemon vocant, dentur autem scrup. vj. Melius autem dant eum aceto, & sale modico, & aqua, siccata, & trita.* ex quib. patet Amaracum, & Partenium à Galeno pro eodem sumi. Responderem.

Contradictio.

Responsio.

Ad Galenum.

repetitio.

Ab Actio quidem Amaracum sumi pro Partenio, sed Gal. 3. de comp. med. intelligere sampsucum, quia ibi dixit *Romæ ægrè inueniri, sicut & marum*, & ferè eadem de Amaraco dixerat 1. de Antid. cap. 10. necessario ad Trocifcos Hedychroos, qui recipiunt sampsucum, non parthenium. quod autem Gal. dicat Amaracum *non boni odoris*, non quidem intellexit virosum, & prauum odorem, sed non validum respectu Mari, comparat enim Amaracum Maro ibi. & de Antid. cit. ait *In italia Amaracum vidi, qui odore multum à Maro superatur: marum enim valde redolet.* quare non videtur apud Gal. pro Amaraco intelligendum partenium, Addo quia cum fecerit Amaracum calid. 3. & siccum in 2. Partenium videtur siccare altra 2. gradum.

Responsio.

Matt. censet in Galeni codice esse erratum, & Amaracum pro maro esse positum, quia Gal. in libris simplicium non meminit Mari. mihi non videtur mutandus textus. lenis enim est Matt. coniectura, & quum dicatur à Gal. Amaracus siccus in 2. & sampsucum siccum in tertio, vt validius sit sampsucum Amaraco, ita per consequens ipso Maro. tamen ipse Gal. de Antid.

Opinio Matthioli.

confutatio.

Marum

Marum esse odore validius scripsit.

Responsio. Mihi videtur dicendum Gal. de eadem planta bis egisse, & eadem licentia vsum, qua Dios. ex eadem planta modo Vocat Vng. Amaracinum, modo sampsucinum. compositum in Cizico Amaracinum, alibi vero sampsucinum. ita reor Galenum plantam in Cizico natam vocasse Amaracum, alibi vero sampsucum, & vt variabant Regiones, ita etiam Vires. nam ex Dios. *in Cypro, & Cyziceno laudatissimum, secundum sibi locum vendicauit AEgyptium*: ita ob soli varietatem, ex Galeno italicum minus Odoratum Asiatico, & Cyziceno: præterea in Italia rarius, in Cyziceno frequentius oriebatur. igitur Cyzicenum, ibi Amaracum dictum, quod erat optimum, erat cal. in 3. siccum in 2. in Ægypto autem (vbi sampsucum vocabatur) natum minus probum erat: sed temperamento siccius, & atq; ad tertium gradum. nec mirum quia regionem magis siccam; (vbi nunquam pluit) rationabile est, sicciores temperamenti gignere plantas, vt patet de plātis hortensib. & montanis. Addam sampsucum in Ægypto esse minus odoratum; nam ex Theoph. 6. de caus. Pl. 27. *in AEgypto flores, coronamentaq; deterrima fere omnium generantur, quia cœlum caliginosum, ac roscidum est. Quippe locis eiusmodi nullus pene odor contrahi potest, quoniam deest facultas coquendi*. Sed si cœlum roscidum, non est tanta siccitas. A Dioscoride describitur sampsucum *Herba surculosa repens super terram, folia hirsuta, & rotunda habens similia calaminthæ tenuifoliæ*. Quadraminus censuit Matthioli Origanum esse verum Dioscoridis sampsucum: sed fallitur, solusq; in hac est Opinione.

Descriptio.

Quadramini Opinio falsa.

Matthiolus pro sampsuco exhibet plantam ramosam, surculis tenuibus, obsequiosis, folijs oblongis incanis, pilosisq; quæ cauliculum circum quaq; ambiunt. vt ipsemet refert. quę planta (quamuis à pleurisq; recipiatur pro Sampsuco) mihi non videtur recipienda, tum quia non est humi repens. sed rectícaulis, tum etiam quia non est rotundifolio, nec calaminte tenui folio similis magnitudine scilicet, tum deniq; quia folia habet incana non viridia. adde quod amara est, cum quadam adstrictione. non autem acris, vt voluit Diosc. Et quidem sampsucum esse plantam repentem ex Diosc. verbis clarè apparet, quamuis aliqui suspicentur voluisse Diosc. sampsuci ramulos in terram plantatos apprehendere: sed huius nullam certam rationem afferunt. vt ait Maranta lib. 2. cap. 16. ipse verò censuit sampsucum neutiquam serpere. *scribens. si sampsucum Dioscoridis ea planta est, quam Maioranam vulgus apellatur: quis non videt falsum id esse, quod de ea legitur, herba est per terram repens? aut si quis serpentem plantam pro sampsuco quærat, quando eam adinuenturus est?* Dioscoridis tamen sententia confirmatur ex libello de simpl. inter Galeni spurios, in quo legitur. *folia, & ramos habet plures, & pusillos, circa terram diffusos, non dissimiles Nepita*. Reiecimus etiam Matthioli sampsucum ob folia incana. etenim ipse Dios. lib. 3. cap. 49. agens de comp. sampsucini Vnguenti *Eligi oportet* (inquit) *sampsucum colore ex atro viridi, plurimū redolens, mediocriter acre*. cum igitur Matthioli sampsucus, sit sapore amaro cum adstrictione, & folijs candidis, nec repens, nec calaminthæ similis; non erit sampsucus; sed potius Marum (in quo multi ex recentioribus consentiunt) describitur enim herba surculosa, flore Origani, folijs multò candidioribus, flore odoratiore, & vt 1. de Antid. 10. tradidit Galenus amara plurimum, acris parum, cum quadam adstrictione. prout ex Dioscoride quoq; colligitur, & odore sampsucum superat. Verum igitur sampsucum est *Planta ramosa, humi repens folijs tenuibus, hirsutis, rotundis ex atro virentib. calaminthæ & Origano simillib. cui capitula insunt ex squammulis dense compacta. suauissimi odoris, acris saporis. perpetuo viret: prouenit semine, & auulsione (vt refert Theoph.) præstat seminis copia, planta etiam transferri potest: radices in summo terræ hærent, multifida, torridaq; æstate floret, &c.* hoc legitimum sampsucum Romæ copiosè alitur nomine maiorana, colore viridi obscuro, & per terram repens, at cum floret, se erigit. Matthioli autem Sampsucum *Persam* dicunt Mulieres: at verum quidem est, quod Marum, & Amaracum sub eodem esse genere videtur: vnde non mirum si Gal. & Theoph. de Maro non fecerint distinctum sermonem.

samsucus quid.

Marum.

descriptio sampsuci.

qualitas.

Cognito autem sampsuco, seu quid sit, & quod sit. modo determinandum quale sit. an scilicet facultatem habeat Vomitoriam: de quare nil Dios. nil Plin. nil Gal. nil Auic. tātummodo 3. de Med. facile parab. 79. reperio. *Vt facile Vomat, sampsuci folia potui dato, pituitam multam vomitu reÿciet*. ex quo non solum habemus, quod Vomitum facilitet, sed quod pituitam educat: & certum est ex Serapione huius succum naribus attractum attrahere humiditates à Cerebro. & quum dicit Dios. conuenire incipientib. Hydropicis fortè purgando aquas; Card. lib. de Dent. Huius succi ait sex vnciç parū ducunt aquam Asciticosam, attracta autem per nares plurimum prodesse poterit cum cerebrum intemperie frigida, & humida graui laborauerit. Cœterum velle iam conflatam, & conclusam aquam Asciticorum, ac putrefactam siccare, est piscari velle hamo aureo forsan aperiendo, vrinam prouocando, intemperiem putridam tollendo, iecori strenuè prodesse poterit, non calefaciendo, quandoquidem iecur in hydrope calida intemperie laborat, vt aliàs est declaratum. Ergo in Capitalibus si feratur aquis vtendum erit, quomodo autem tanta aqua in capite congregari possit, vt nonnunquam libras quinq; aut sex superet dubium est: atq; in hoc sæpè cogitaui: necesse est enim caput calida intemperie in his laborare, aquam autem collectam in Venis continuè exsuggi, ipsum verò cerebrum simul refrigerari, atq; hoc aliàs à nobis declaratum est. Nam & in Pontifice Scotto Orthopnæa laborante haud obscurè id vidimus. Matthiolus

dixit

dixit caput abstergere. nos admodum tenuem vim attrahentem in Sampsuco noscimus, potius abstergendo operari dicimus, tenuando, ac incidendo pituitam. vnde decoctum pro Vomi- *Quid agendum.* torio adhibitum, quamuis facultatem Vomitoriam non habeat; tamen ob caliditatem, & ob vim attenuandi, incidendi, abstergendi, & deobstruendi vtile erit Vomitorium, in affectibus frigidis, à pituita crassa pendentib. proinde conferet incipientib. hidropicis, & ijs, quos vrinæ difficultas, aut tormina excruciant. ad neruorum, & aurium vitia frigida, item Asthmaticis, iocinorosis, lienosis, Epilepticis, apoplecticis, chatarris, Vteri affectib. & flatib.

Vsus. De Vsu nil noui.

Sed soluenda est quædam difficultas. Plin. lib. 21. cap. 11. de floribus aestiuis scripsit. *Item Tiphyon, & Amaracus, quem phrygium cognominant.* & clarum est desumpsisse à Theoph. lib. 6. cap. 10. inquiente. *Aestiua iphyum, sampsucum phrygium.* Græcè est. ϗ τὸ ἴφυον, ϗ ὁ ἀμαράκος, ὁ φρύγιος. Hermolaus cum Plinio videntur sensisse. est igitur Amaracus Phrygius æstate florens: dixit Theoph. quandoq; ἀμαράκος, quandoq; verò ἀμαράκιον. vnde à Gaza vertitur hoc sansucum, illud sampsuchus. equidem credo eandem esse plantam. at quia Cizicum prope phrygiam erat. ideo hoc esse phrygium censeo.

De Thymo. Cap. LXVII.

Thymum notũ esse scripsit Diosc. ac si eius vnica tantum esset species. Theoph. autem lib. 6. c. 11. distinxit in albnm, & nigrũ. Bau- *Thymi species.* hinus numerat 4. species, nos habemus etiam Thymum spinosum, & Thymum repens.

Facultates autem Thymi enumerans Gal. cal. *facultas.* & siccum in 3. statuit. Diosc. autem *Vim habet* (inquit) *vt cum sale, & aceto potum, pituitam per aluum detrahat.* Aetius serm. 1. *Dato ieiunis articulari morbo laborantib., Thymi aridi minutissimi. drach. iiij. cum Oximellitis cyatho. bilem enim reliquosq; humores, atq; acrem saniem euacuat.* Auicennæ libro de simplicib. non multum fidei adhibere possumus ob interpretum ignorantiam, libet tamen afferre, quę in eo legimus. vt cap. 335. de Haasce. ideſt Thymo. *Et quum bibitur ex ea, quod est inter drach. ij. vsq; ad iiij. soluendo educit phlegma absq; impedimento sufficienter.* deinde cap. 712. de Thymo. & forte est alia planta. ait. *solutione educit sanguinem, & humorem colericum. & potio eius fit medietas dracmæ.* Mes. esse resolutiuum, incisiuum, *solutiua debilis.* aperitiuum, carminatiuum. & ait. *solutionem efficit facilem, & educit phlegma; Et dixerunt quidam quod educit melancholiam, & videtur. quod fiat illud debiliter* Hipp. 2. de Diæta. 14. *Thymum calidum est, per aluum secedit, & mingitur, ducit, & pituitosa.* *contradictio.* contrà tamen lib. de affect. num. 40. *Quum siccare corpus volueris panem dato & obsonia assa, & sicca; Olera rutam, aut thymum, aut Origanum.* ita etiam Plin. scripsit corpus astringere. sed responderi potest in cibis siccare. *solutio.*

At facultatis Vomitoriæ nemo meminisse videtur: Attamen scito me non gratis hic de Thymo egisse. mihi satis erit Aetius ser. 3. cap. 119. *citra molestiam mouet Vomitum etiam Hyssopi decoctum, & Thymi, & cnyci semen tantum cum sesamo, ac cum aqua mulsa plurima potum.* sed Hipp. id videtur docuisse. 2. de mor. mul. 58. ad morbum sacrum in Vteris. *subdititijs non molestis, & leuibus paulatim purgare, itemq; vomere. Ad hoc commodum est sambuci folia sumere cocta cum Origano, aut Thymo, aut ruta.* igitur ad Vomitum commodum est Thymum.

At Hipp. de Nat. mul. 12. videtur de eodem *contradictio.* morbo loqui. sed alterat remedia. dicens. *cibis paucissimis vtatur, mollissimis, ac frigidis. & Mercurialem edat, & sambucum, & neq; salsa, neq; pinguia, neq; acria velut est Origanum, & Thymus, aut Ruta.* soluerem dicens, quod hic Hipp. loquitur de cibis qui vt acres non con- *solutio.* ueniunt. Sed ibi loquebatur de iuuantibus Vomitum.

Verum cum Thymum abstergat, incidat, li- *Quid agendum.* quet, & attenuet pituitam crassam, viscidam, & frigidam. vtilie erit ad Pectoris morbos ab ea pituita. ad neruorũ, Vteri, & Vesicæ affectus. Pulueris debat Mes. vnc. ij. vsq; ad 4. pro deco- *quantum.* cto sumebat ab vnc. v. ad vnc. x. sed ad aluum soluendam.

De Thlaspi. Cap. XLVIII.

Duo Thlaspi Genera, (etiam à Græcis θλάσπι dictum) tradidit Diosc. lib. 2. cap. 150. vti etiam Plin. lib. 28. cap. 13. angustis folijs alterum, ac latis folijs alterum, de quo egit Cratenas, & aliqui persicon sinapi, Nasturtium tectorum alij vocant. forte lepidium piperitis, vel raphanus rusticanus. Matt. 4. genera pinxit. sed Ba- *species.* huinus ex diuersis auctoribus proposuit species. 38. & cum Bursæ pastoris quinque speciebus; quam aliqui esse Thlaspi speciem contendunt essent 43.

Nos loquemur de Diosc. Tlaspi angustis folijs, quod Theriacam ingreditur, hoc vidit, & collegit Romæ Gal. vt testatur 1. de Ant. cap. 5. & 12. nihil inferius Creta allato, & copiosum, vulgatissimumq; nunc est, & cap. 14. scribit. *Vtuntur omnes ferè Thlaspi, quod è Creta affertur: at vbiq; nascitur. colore inter luteum, at flauum medium, figura rotundum, exiguum adeò, vt multoties grano milij cedat. Melius est autem* *electio.* *è Cappadocia comportatum Thlaspi imponamus. Hoc ad nigredinem quam plurimum inclinat, figuramq; non exactè rotundam habet, antedictum magnitudine per multum superat: atq; ab vno latere paruam quandam veluti compressionem præsefert, vnde & nomen obtinuit. Prouenit au-*

S tem

tem vt hoc, sic & illud in Cappadocia quam plurimum. Ideoq; non absoluti, quod inde apportatur, optimum censendum est. Sed quod peculiariter in Sauro nascitur, nec Cretico, nec passim nascenti simile. ex his Gal. verbis colligo Gal. in Theriaca posuisse non Vulgaris Thlaspi semina; sed alterius Cappadocici, & Saurici. immo in suspicionem venio, quod apud Hipp. de Vlcer. num. 8. sauridion σαυρίδιον sit Thlaspi saurum, quod hic Gal. laudat. quamuis Gal. ipse, & Erotianus, vt supradixi, Nasturtium interpraetentur; sed hoc notasse sit satis. forte Thlaspi quartum Matthioli, quod Creticum alij Vocat, est Thlaspi Cappadocicum Galeni.

Suspicio.

Vires. De Viribus Vulgaris Thlaspi seminis tradunt Diosc. & Gal. quod sit acre, & calidum. at de Vi Vomitoria. Diosc. *Bilem* (inquit) *vtrinq; extrahit potū acetabuli mensura.* & Gal. 6. de si.m.f. *Est etiam tum supernè, tum infernè biliosorum humorum euacuatorium acetabuli mensura potum*, & lib. de simpl. ad Paternianum. *Potatum ventrem sursum, & deorsum purgat.* Plin. lib. 27. cap. vltimo. *Semen asperi gustus, bilem, & pituitam vtrinq; extrahit, modus sumendi acetabuli mensura.* Paulus lib. 7. *supra, infràque biliosa instar acetabuli potum expurgat.* Aetius, serm. 1. *Semen purgatoriam vim habet superne, ac inferne humorum biliosorum, acetabuli mensura potum.* & ser. 12. cap. 28. idem repetit, & laudat ad dolores articulares à mat. biliosa. Serapio Vocauit Nasturtium tectorum dicens ex Gal. quod expellit per superius, & inferius humores cholericos, sumptis de eo dauic quatuor cum dimidio, & ex Diosc. ait, quando de eo sumitur in potu duo guanchi, expellit choleram per Vomitum, & per fluxum Ventris.

ad Vomitum. Ex his possumus dicere semina Thlaspi natura sua Vomitum prouocare non abstergendo; vt Nasturtium, sed attrahendo, at leuiter. quare his vti licebit ad euacuandam bilem. (sed Plin. etiam Pituitam trahere dixit, vnde forte ischiadicis confert ex Diosc.) in mensibus suppressis, & ad internas suppurationes rumpendas, sed caute adhibendum; nam si clystere infusum sanguinem educit. vt Gal. atq; Plin. scribunt, non est valde tutum. & si potu sang. educeret, vt legitur in Diosc. peius esset. & fortè esset illa herba vulgaris, quae sang. à proprietate purgabat. Verum quamuis omnes Diosc. textus legant, quod *sang. potu educit*. tamen mihi videtur erratum, & notarunt quidem Marcellus, & Saracenus hanc variationem, sed esse erratum non dixerunt. at quis non considerat. illud potu non iungi cum sang.? sed cum subsequentib. & cum legatur. *prodest ischiadicis infusum, sanguinem potu educit, internas suppurationes rumpit.* legendum. *prodest ischiadicis infusum sanguinem educens. potu internas suppurationes rumpit.* non Graecè est ἄγει δὲ ἔμμηνα ποθέν. ἀλλ' illud & cum virgula anteponendum est illi ποθὲν, sic concordabit Diosc. cum Gal. Plinio. Paulo. qui intestinos abscessus, potu rumpere dixit. immo Serapio citans Diosc. scribit, quod clystere educit sang. & potu aperit pustulas intrinsecas, quo patet legisse codicem Dioscoridis sine hoc errato. Card. in lib. de Dentib. dixit vitandum praegnantib. & q; ab articulis ducunt, etiam à neruis trahunt, & è contra.

correctio textus Diosc.

Acetabuli mensura dant Auctores antiqui. sed Acetabulum est mensura non aridorum, sed humidorum, & Acetabulum aquae pendet vnc. ij. drach. ij. & si sumendum esset Tlaspios seminis acris, & calidissimi tanta dosis certè, & ingrata, & periculosa esset, si intelligere vellemus decocti vnc. ij. non valeret, quia ad Vomitum iuuandum confert multa aquae copia. & quamuis negari non possit multa dari posse in pauca dosi humoris, vt antimonium in vnc. ij. vini, tamen hic describenda fuisset seminis decoquendi dosis. quare Iudico non esse assumendum ipsum semen in substātia. sed decoquendas vnc. ij. & drach. ij. in multa aqua, quae potari debeat, Cardanus lib. de Dentibus. *quantitas Drach. j. odorati misse.*

quātum. *Cardan. in lib de Dentib. quātitas drach. i. odorate misse.*

Quando agendum. intelligitur quum indicatur Vomitus. *quando.*

Decoctum sem. Tlaspi, potandum est, quia est validissimum, & adeo vt Clystere infusum sang. educat. Cardanus tamen puluerem propinat. *quomodo.*

De Vino. Cap. XLIX.

Mirabitur fortasse aliquis, quod Vinum inter Vomitoria reponere Velimus, quum constet, ipsum maxime omnium ventriculum roborare, nauseam sistere, & Vomitum sedare. immo Hipp. praecipit (vt dicemus lib. 3.) semper post Vomitum abluendum esse os vino austero meraciore, vt Ventriculus roboretur, & sedetur Vomitus, & de loc. in homine 45. *Quum quis à medicamenti potu super aegrotauit, & infernè, ac supernè ab ipso secesserit: Vinum sorbeat primum quidem dilutum, deinde meracum frequenter, & sanabitur.* At Respondemus neq; aquam, neq; ptisanā, neq; multa alia esse facultate vomitoria, sed talia fieri per accidens, & particularē afferre corpori vomenti vtilitatem. Vino igitur Vsus est Hipp. Gal. & alij auctores non rarò ad Vomitum ciendum; immo Vinum ipsum Vomitum fecit. Nam Hipp. de affect. 28. scripsit *cholera à Vino*. & 7. Epid. 40. *Cholericae bilis sursum, & deorsum eruptiones ex Vino lactei teporis.* quod quidem non ratione vini accidit; sed ob tepiditatem, ita enim diximus aquam tepidam esse Vomitui aptissimam, aliàs magna vini Mensura epota Vomitum excitauit Hipp. vt de inter. affect. num. 21, in Pituita populari. *Vomitus post cibum facere oportet per duos, aut tres dies, &c. Et bibat inter cibum frequenter modicum Vinum dulce, & in fine placentam insuper edat, & Mel, & ficus & quum canabit, pocula large exhauriat, & vbi iam repletus fuerit, parum dormiat. Deinde exporrectus vomat magno*

ad Vomitum.

vini

vini potulo epoto, cum tepida aqua temperato. Trabit enim magis pituitam, & humorem ex carnibus, & corpus magis reficcat. Euomat autem donec ficus euomuerit. hac enim postremum euomuntur. trahit non electinè; ſed vt diæta non permittendo partes nutriri eas vacuat, & ſiccat. ita Vomitus ſimplex ex Vino aufert nutrimentum carnium. cur vinum magis, quam aqua? an quia Vinum eſt gratum naturæ. & à Nat. cum labore dimittitur, quæ ſperabat nutrimentum ex illo. Elegit etiam Hipp. Vinum dulce, quia copioſius potari poteſt, & relaxat magis ventriculum, quam alio ſapore. ita 2. de Morbis num. 53. in Eriſipelate pulmonis. præparat Vomitorium cum Vino dulci. ſcribens. *At verò Allij capita, & Origani pugillum quantum tribus digitis apprehendi poteſt, duabus heminis vini dulcis affuſis, & aceti acerrimi hemina vna, & mellis quarta hemina parte coquito, donec tertia pars reliqua fiat. deinde Vbi hominem exercueris, & aqua tepida laueris, calidum hoc bibendum prabeto*. Gal. 1. de hum. tex. 12. *Ad Vomitum* (inquit) *eligantur Vina dulciora, quia ea magis ſuperfluitant*. & lib. 4. de ſan. tu. cap. 4. *conſiderandum an à Vino dulci poſt balneum vomitionis morem pratermiſerunt*. & lib. 6. cap. 7. *quib. corruptio ciborum in Ventre accidit, ijs Vomitus ante cibum conducit, vomitus autem vini dulcis potione prouocatus*. Dioſcorides verò ad Epotum Toxicum. *Vinum dulce cum roſaceo bibere, & reuomere cogantur*. & lib. 5. cap. de Vino dixerat. *Dulce craſſis partibus conſtat, & difficilius à corpore expirat, ſtomachum inflat, aluum, & interanea, vt Muſtum turbat; ſed minus inebriat, renibus, & veſicæ aptiſſimum*.

lauat tepida calidam potat.

Aliquando Hipp. plura vini genera eſſe ſumenda voluit, vt faciliùs excitaretur Vomitus, vt de ſalubri diæta num. 7. vbi ait. *Qui verò graciliores ſunt, ac debiliores, à cibis vomitum faciant hoc modo. Lotus calida prabibat meri heminam, deinde cibos omnigenos edat, & neq; dum cibum ſumit, neq; a cibo bibat; ſed contineat ſe, donec quatuor ſtadia quis percurrat: deinde vina tria permixta ipſi in potu offerantur, auſterum, dulce, ac acidum, primum quidem meracius, & paulatim, & per multum temporis ſpacium, deindè verò dilutius, & citiùs, & multum*. deinde etiam num. 8. vtitur duplici, vel triplici Vino ſcribens. *Quibus vtile eſt reuomere*, (cibos, addit Cornar.) *aut quibus ſunt alui aſtricta: omnibus conuenit bis crebro in die cibum ſumere, & eſculentis vti varijs, ac obſonijs variè paratis, vina item bina bibere, vel terna. At qui cibos non reijciunt vomitu, vel aluis ſunt praditi ſanis*, (Cornarius legit meliùs, qui verò reuomunt cibos, aut aluos habent humectas) *bis ex vſu eſt, vt faciant contrarium*. Gal. in com. 22. ſcripſit. *Qui ventrem purgare, aut corpus vacuare modicè volunt, bis confert ciborum Vomitus. Atq; hos ſapius vult cibum ſumere, eumq; varium, & diuerſa vina bibere. Contra eos, qui nolunt*. (volunt prauè legitur in Galeno) *vomere ventreſq; habent plus æquo humidos, vt quarant ſiſti, hos non frequenter comedere, & varijs cibis, & vinis abſtinere: Nam ſemel cibum capere, & eum vnicum, vinum item vnicum bibere, intereſt ad hoc, vt venter illa, & retineat, & coquat*. ideo triplex Vinum præbet Hipp. vt perturbationem faciat in Ventriculo, & inde facilior Vomitus ſubſequatur. ſic videmus facilius inebriari varietate, quã ſimplicitate Vinorũ. dixerat etiam Gal. com. 20. *Dat bibere vina tria, qua inter ſe ſunt diuerſis qualitatibus. Nam ex his vinis, hoc eſſe auſterum vult, illud dulce, aliud acidum, ſed hoc etiam loco cauſam reticuit, quamobrem id praſcribat. Qui vero ad eius ſenſum diuinationibus aſpirant, dicunt, auſterum ipſum adminiſtrare ob inſtrumentorum, per qua vomitur, robur; dulce, vt vomitum citet, ad hac, quod fundat humores dulce vinum; acidum, vt abſtergat, qua ventri ſunt infixa, fortè verò, & cibos illis praſcripſit diuerſis qualitatibus, vt hi ventrem confirment, illi vomitum irritent, alij ſuccos abſtergant impactos*. Dioſc. *Conditanei Tunni caro, quam Omotburicon vocant, ſumpta ijs auxiliatur, quos Vipera nomine Praſter momorderit; ſed oportet Vinum quamplurimum ſubinde cogantur haurire, ita vt vomitione reddatur*.

plura Vina genera.

Vina plura bibenda.

Nos vti poterimus Vomitu à Vino cum in dictis caſibus, tum in Venenis. nam Dioſ. *Potum liberalius* (inquit) *auxilio eſt contra aſſumptã Cicutam, coriandrum, pharicum, ixiam, meconium, argenti ſpumam, taxum, aconita, fungoſuè: contra ſerpentium morſus, & omnium ictus, qui refrigerando necant, aut ſtomachum in Vomitiones effundunt. facit ad longas inflationes, roſioneſq; pracordiorum, ac diſtentiones, ſtomachi reſolutionem, & ſi venter, aut interanea rheumatiſmum ſentiant*. cum igitur in his caſibus proſit vinum potum. ſi fortè Vomitus adfuerit aliqua indicatio. vtile erit Vino epoto Vomitum procurare. *Quid agẽdum.*

Copia magna, & ad libitum ægri eſt permittenda. *quãtum.*

Riolanus ad Quartanam. Vinum album tepidè datum initio, vomitum excitat; in declinatione ſudorem. *quomodo.*

De Vrtica ſemine.
Cap. L.

INter abſtergentia collocabimus Vrticæ ſemina Galeni auctoritate ſuffulti, qui abſtergendo, non attrahendo hæc ſemina aluum purgare ſcripſit, namq; 6. de ſimp. m. f. *Porrò*, inquit, *quòd Vrtica non vehementer calfaciat; ſed multum tenuium ſit partium, teſtimonium eſt craſſorum, viſcoſorumq; humorum ex pectore, pulmoneque eductio, tum quod partes quas contigerit, pruriant. Ventrem autem modicè ſubducit ipſa dumtaxat abſterſione, ac veluti titillatione, non purgatione*. ſed de alijs facultatibus poſtea. *Vrtica abſterſiua.*

Vrtica autem dicta videtur ab Vrendo. vndè illa, quæ non vrit tacta manus, improprie Vrtica dicetur, & potius Lamium, quàm Vrtica mortua, vel fatua. *Vrticæ species.* eius duo Genera fecit Dioscorides, alterum filuestre maius semine lini. alterum minus, minus asperum, & minori semine. Plinius plures fecit differentias; at non omnes enumerauit. sed filuestris tantum tria genera, fœminam mitiorem: Caninam acriorem, & caule etiam mordaci, ac folijs fimbriatis: & tertiam Herculaneam odoratam. hanc aliqui censent, quam Vrticam fœtidam, & Lamium fœtidum alij dicunt; sed Galiopsis Dioscoridis est. Bauhinus ex alijs quatuor collegit species. Nos distinguemus Vrticam in Marem, & fœminam, & iterum in maiorem, & minorem. Vrtica Mas est, & maior, quæ vrtica Romana à recentioribus dicitur, à Diosc. filuestris lini semine, à Plinio filuestris Canina. ex hoc semine, Oleum exprimitur, collecto messibus, vt docet Plinius, & Alexandrinum maxime laudatur, & quamuis Plantam ad duos cubitus eleuari dixerit Plinius, nos tamen tres cubitus superantem vidimus. dicimus Vrticam masculam, quia binas fert pilulas, in quibus semen, testium æmulas. huius folia sunt fimbriata, vt ait Plin. & magis diuisa, quam in alijs vrticis, nigrioraq; & oblongiores aculeos habent.

Vrtica fœmina filuestris maior est ferè eiusdem altitudinis; sed folia minus nigra, non fimbriata; sed oblongiora, & minor est præcedenti, semen autem copiosum profert, minutum, & recematum. & est secunda species Dioscoridis.

Vrtica Domestica, quæ sæpè in tectis, & hortis nascitur minor est, & fœmina, ac botrioides, vulgatissima apud nos. Est etiam vrtica Domestica mas, minor, & tenuior, sed rarior est.

Quam Olygophyllon lugdunensis cum Trago Vocant à paucitate foliorum, erit altera species Vrticæ Domesticæ fœminæ, quam sæpè obseruauimus acutiorem altera.

facultas. Quoad facultates abstergere cum Galeno iam diximus. & folia aluum emollire, scribitur. sic Diosc. *cocta cum conchis folia aluum emolliunt.* & Plin. ex Phania physico. *coctam cum conchylijs ciere aluum.* Macer sic cecinit.

Herba recens eius olerum si more coquatur,
Detur & illius decoctio, molliet aluum.

& Gal. 13. meth. cap. 15. *Ieiunoris cauum inflammatum per ventrem euacuat cibis, & ptisana admista, vel incocta vrtica.* & cap. 20. in inflam. stomachi. *satius est*, inquit, *mercuriali, aut Vrtica aluum sic laborantium subducere.* & 2. de Alim. fac. 54. *Vrtica tenuium est partium, & virium; vtilis autem est, vt opsonium, ac medicamentum, quod aluum deijcit.*

Auicenna. De Vomitoria vi seminis nec Dioscorides, nec Galenus, nec Macer mentionem fecerunt. sed Pl. lib. 22. cap. 13. *Vomitiones in aqua mulsa sumptum à cana faciles præstat, duobus obolis, vno autem in vino poto lassitudines recreat.* deinde subdit. *Difficilem ventrem tostum cibo emollit.* fortè torretur, vt facultas vomitoria resoluatur. Galenus autem 5. de simp. m. f. 12. *Vrticæ semen,* ait, *non secus atq; eruum, Amigdalaq; amara meatus purgat, nam & detergunt, & meatus purgant.* & 13. meth. cap. 18. exhibet in interno pectoris phlegmone vrticæ semen cum mulsa: *nam attenuantur ita, & dissecantur crassa, & via aperiuntur.* Auicenna sic scripsit. *Quando bibitur cum aqua bordei, mundificat pectus, & quùm decoquuntur folia eius in aqua bordei, educit humores grossos, qui sunt in pectore; sed eius semen est fortius, & ipsum remouet asthma, & ipsam dilationem anhelitus, & frigidam pleurisim. Et soluendo educit phlegma, & humorem crudum sua abstersione, non cum virtute solutiua, quæ sit in ipsa; & Oleum eius plus soluit phlegma, quàm oleum Cartami; & decoctio foliorum cum Ostracis lenit Ventrem; & si vis, vt ipsa facilius soluat: accipe medullam seminis eius, & contere ipsam cum sauicb, & proijce eam in vino, & bibe eam, & oportet vt post eius haustum bibatur aliquid de oleo rosaceo, nè aduratur guttur bibentis. & quandoq; fiunt ex ipsa collyria cum melle, & supponuntur; & soluunt.* Rasis. *de pectore viscosum expellit phlegma, ventremq; mouet.* *Rasis. Serapio.* Serapio ex Rasi. *Oleum Vrticæ est magis laxatiuum, quàm Oleum Kartami.* ex Aben Meluai. *de proprietate eius est, quod laxat phlegma viscosum.* Ex Abenguefit. *Quando excorsatur semen Vrticæ, & teritur, & miscetur cum melle, & sumitur, laxat cum fortitudine, Et oportet cauere; nè tangat linguam, & caput Meri, ne adurat ea,* Haac eben Amram. *Semen Vrticæ purgat humores viscosos, & prouocat Vrinam: Et quando bibitur cum secaniabin confert spleni, & dolori lateris.* Auerr. *proprietas sui seminis est purgare flegma, & in hac similitudine est virtus siccitatis, sed fortius est aliquantulum semen Vrticæ.* Fernel. 5. meth. med c. 13. *Fernelius.* *Vrtica,* inquit, *aliquanto acrior Raphano, & Peponis radice, non modo è ventriculi capacitate; sed partibus quoq; ei Vicinis crassos humores euocat, ac facile minimoquè labore vomitu pellit, nec acrimonia, nec calore quicquam offendens.*

Quid censendum. His positis dicemus nos semen Vrticæ potum ad Vomitum prouocandum non solum abstergere vehementer crassa à ventriculo, atq; pituitosa; sed etiam ab hepate, & vicinis partibus atq; Thoracem expurgare; & etiam soluere attrahendo pituitam, licet non validè. Conferet autem huius modi Vomitus in morbis, quibus conferrè Vrticæ semen tradiderunt Prisci, nimirum ad Crassam pituitam in Thorace morbos causantem, videlicet OrthophnϾ, laterum, & Pulmonis inflammationibus, Tussi Veteri, & omnibus Thoracis morbis; nam dat Hipp. 3. de Morb. 17. & lib. 2. 44. Ventriculum tamen primario expurgat, vndè non modo stomachi inflationibus succurrit, sed alijs affectibus à crassa pituita ibi stabulante. in Colicis etiam à crassa pituita vtile, lienosis, ictericis, obstructionea à crassa

pituita

pituita abstergit. præterea in Vrinæ vitijs. ex Hipp. 2. de Diæta 14. necnon in Vulnæ strangulatibus, si Vomitus conferre visus fuerit. nam Hipp. de Nat. M. t. 29. inter potiones ad Vteros numerat Vrticæ semen.

Vsus. Vsi sunt hoc semine antiqui ad Vomitum ciendum, cum aqua mulsa dissoluto. cum oximelite, & cum Melle. dari etiam potest cum leniente iusculo, & saccharo, vel ptisana. datur etiam Oleum expressum, sed validius est.

Tempus. Plinius à cæna dari scripsit ad Vomitum facilitandum; sed post cibum facilior quidem erit Vomitio, & meliùs ventriculus detergetur; sed nihil vltrò attrahetur. ieiuno verò ventre ab alijs partibus fiet attractio.

Modus. Arabes dicunt Acre esse Vrticæ semen, ideo potatum vrere linguam, & laringem. vnde admonent, vt cauti simus in eo deuorando, vel superbibatur oleum rosaceum ad prohibendam inflammationem faucium. sed tantus non debet adesse metus; nam Diosc. Plinius, & Hipp. delingendum exhibent.

quātum. Dosis ex Plinio ad Vomitiones excitandas, est duorum Obolorum, ad Lassitudines, vnius oboli, ad vuluæ vitia acetabuli mensura. apud Serapionem est à xx. granis ad xxx. Fernelius à dracma dimidia ad Dracmam vnam. Auerroes autem à drach. iij. vsq; ad iiij. aliàs à drach. v. vsq; ad x.

Venenositas. Aliqui semen Vrticæ inter Venena reponunt. Pet. de Abano. de Venenis c. 52. *Ille*, inquit, *qui comederit semen Vrticæ patietur gutturis, & oris, & linguæ excoriationem, & arsuram, & ardorem in mictu; & eius cura erit Ol. Amigdalinum dulce potare, & eius Bezoar sunt grana citoniorum trita, & potata cum aqua calida.*

De Medicamentis lubricantibus. *Cap. LI.*

LVbricantium medicamentorum essentiam differre à lenientibus, paucis exactè innotuit; siquidem vel idem esse leniens, & lubricans, vel semper coniungi, censent, non percipientes quid sit

differt lubricū à leni. redditum lene, quid lubricum. Nos autem essentialiter differre dicemus; si quidem lenia redduntur intestina, & absq; asperitatibus, non excrementa. at è contra lubrica excrementa non intestina. Improprie autem intestina dicuntur quandoq; lubrica, non enim quòd rè vera talia sint; sed quod alia faciant lubrica. sic Isidorus de Orig. lib. 10. littera L. & lib. 14. cap. 8. *lubricum*, inquit, *dici constat locum ab eo, quòd ibi quis labitur, & lubricum dicitur, non quod labitur; sed in quo labitur.* nimirùm quia facit alia lubrica, seu facilè mobilia, & instabilia. Valla autem

lubricū quid. lib. 4. lubricum locum propriè dici asserit, in quo quis nequit consistere, quales sunt herbæ perfusæ sanguine, aut terra argillosa humectata, aut marmora læuigata, terra glacie concreta, aqua durata gelu, cęteraq; huiusmodi, vbi commodè vestigium figere non possumus.

Mihi autem impropriè dictum videtur *lubricum* de re stabili, & immobili. Sed primo *lubricum* dico, quod mobile est, secundo verò, quod mobile facit. Propriè autem *Piscis lubricus* est, qui facilè manibus effluit, dum contrectatur. sic Vig. 2. Æneid. *lubrica conuoluit sublato pectore terga.* & alibi. *Adytis quùm lubricus anguis ab imis.* ita Cicero pro Cælio. Lubricam adolescentiam dixit, quòd procliuis sit ad lapsum. & 2. de Nat. Deorum. *oculos lubricos*. idest mobiles vocauit. Ouid. autem 3. Trist. Eleg. x.

Vidimus ingentem glacie consistere Pontum
Lubricaq; immotas testa premebat aquas.

Testam dicit lubricam super aquas immotas. Itaq; non labitur locus; sed quod ponitur in loco: vndè si quod labitur, causa loci immobilis, lubricum erit non per se, sed à loco, locus autem immobilis nō cadens, non erit ipse lubricus propriè, sed causa lubricitatis, dicitur enim lubricus, quasi *labricus* à labendo, quod facilè cadat: itaq; intestina hominis propriè loquendo non sunt lubrica, quia non labuntur, verùm excrementa ibi contenta lubrica, & mobilia fiunt ad instar piscis lubrici. Et è contrà lenia sunt intestina non Excrementa; nam leniuntur ablata omni asperitate. Ita Medicamenta *lenientia* debent omnem tollere asperitatem ab intestinis. *quid lene.* *Lubricantia* autem debent esse summe viscida, vt excrementa ob id facilè labantur. Valla autem, & Latini Auctores quandoq; confuderunt *lene, & lubricum*. Nam herbæ perfusæ sanguine, & terra argillosa humectata sunt à visciditate lubricantia, non lubrica, non enim cadunt, sed cadere faciunt. At Marmora læuigata, & aqua gelu durata, non sunt viscida, neq; lubrica; sed lenia; nec faciunt per se pedem lubricum, & labilem; sed per Accidens. Patet igitur quo pacto, leniens, & lubricans medicamentum distinguantur. Aduertendum autem Neotericos distinguere *leniens, & lenitiuum*. Namq; dicunt *lenitiuū quid.* Elect. lenitiuum, Diaprunum lenitiuum, vocant autem lenitiuum, non quòd leniendo euacuet; sed quòd leniter, & blandè ad differentiam validioris, quod solutiuum appellant.

describitur lubricans. Porrò vt lubricantium essentia magis innotescat, dicemus eum Fallopio trac. de med. purg. cap. 10. lubricans vocari corpus illud, quod habet substantiam viscidam, aptam explere omnes inæqualitates, & foramina, ita vt corpus illud, cuius foramina replet, reddatur in superficie lene, & lubricans, adeo vt, si aliud corpus lene supercurrat, facile labatur, quod non euenit, quando duo corpora aspera inuicem superponuntur, quoniam vnum non fluit supra alterum, eum eminentiæ vnius figantur in cauitatibus alterius; sed rarò hæc corpora, quæ sint sua natura lubrica reperiuntur, ideo requirebatur corpus, quod intercideret inter duo aspera, & ipsa redderet lubrica, & hoc corpus medium, seu intercidens appellatur *lubricans*, cuiusmodi sunt omnia

Vnctuo-sa sūt lubricātia. omnia vnctuosa, & pinguia, sicut & omnes pituitæ, & muci, omnia enim hæc lubricantia existunt; quam rem fabri etiam ipsi norunt, qui cum volunt, vt funes facile currãt, inungunt ipsos Sapone, aut oleo, aut alia re vnctuosa, quod facere quoq; solent, cum volunt, vt terebra citò, ac facilè permeet, inungunt enim ipsam aliquo vnctuoso, ac lubricante, quo etiam indicatur, lubricitatem nasci ex corpore lubricante: lubricans autem corpus debet esse viscidum, & actu humidum sua natura, & propterea omnia oleaginea, pinguia, & mucosa sunt lubricantia; & leniunt aluum eo, quòd lubricas reddunt fœces, & humores contentos in intestinis, vel in ventriculo, aut in primis venarum osculis. Quod *Falopij doctrina.* indè poterit fieri manifestum; quoniam cum fit dolor intestinorum ratione fœcum exiccatarum, solet talis dolor remoueri ex vsu alicuius oleaginei per os assumpti, aut iniecti, quoniam lubricando lenit aluum. Similiter in dolore renum ex retentione arenularum, vel calculi, solemus euacuare arenas, vel lapillos, & dolorem auferre exhibito Oleo Amigd. d. vel etiam communi si illud non adsit, & solent materiæ illæ euacuari, quia Oleum perueniens ad partes illas reddit arenas, vel lapillos lubricos; ita vt per se postea labantur, & effluant. Vndè antiqui, & præsertim Gal.6. de san.tu.cap.6. immo etiam lib.1. atquè alijs in locis, exhibent ad leniendam aluum iura pinguia, & cocleas coctas in iure pingui, eandem quoq; vim habent, quæ mucosa sunt, soluunt enim aluum lubricando, cuiusmodi est mucilago fœnugreci, mucilago altex; sed his præstantior est mucilago psillii, lubricando enim, & remouendo impedimentum, quo fœces retinebantur, solet aluus fluere. adhuc Fallopius.

lubricãs est humidum. Itaq; lubricantis medicamenti substantia debet esse humida; nam Mesues. tex. 4. canonum. *humidum temperamentum humectare, lubricare, & lenire* scripsit. deinde tex. 5. *Vnctuosum lenire, lubricare, laxare, & mollire* dixit. præterea paulò post subdit, *insipidum lubricare.* ita etiam Gal.1. de Alim.fac.cap.23. retulit. *humida, ac lubrica alimenta cito per aluum deijci.* quod videtur desumpsisse ab Hipp. de loc. in hom.t.56. qui ait. *Aluum autem subducentia talia sunt, quæcunq; lubrica, & incisiua sunt, &c.* & 1. Acut.tex.com.8. Ptisanam dixit habere viscositatem leuem, continuam, iucundam, lubricam, moderatè humidam, &c. quare iterum cum Hipp. & Galeno dicimus propriè lubrica esse ea, quæ præterlabuntur, vt alimenta, medicamenta, excrementaq; impropriè autem lubricas vocari partes, ac locos immobiles, atq; stabiles. vndè cum legitur in Gal.6. aph. com. 1. ex Praxagora. *Intestinorum leuitate laborantibus, quoniam lubricum est intestinum, ieiunum præsertim, necesse est citò ciborum fieri deiectiones.* impropriè, & non Galenica loquutione fuisse dictum intestinum lubricum; est enim potius lene: nec lubricum, & lene coincidunt; sed differunt, vt dixi; quamuis Brasauolus 1. acut. cit.com. leue, & lubricum in ptisana coincidere indicauerit; sed intelligendum, posse simul esse, non autem idem esse. Sic Maio mense ludi causa trabes, vel arbores (vt difficile scandantur) primo solent decorticari, deplanari, & leuigari, asperitatibus omnibus demptis, cum autem lenes omninò fuerint, vt lubricitas addatur, solent illiniri Oleo, seuo, vel Sapone. sic lubrici redduntur salientes; vbi patet ex se esse lenes, ab alio lubricas. Ptisanæ autem (ex Gal.loc.cit. 1. Acut.) lubricitas facit, vt pertranseat Thoracem (idest partes ab ore ad Ventriculum per medium Thoracem transeuntes, seu œsophagum) in nulla ipsius parte quippiam dum transit relinquens, veluti faciunt, quæ in meatibus infarcta, adeò obstruunt, vt vix absolui possint. Quod accidit viscosis omnibus excepta ptisana; Itaq; ptisana non solum abstergit; sed etiam lubricat, quod etiam sero non ebutyrato accidere dicendum, quod ratione butyri lubricat, ratione nitrositatis abstergit. *Ptisana lubricãs.*

Ptisanam autem vtilem esse ad Vomitum, vt abstergentem, iam diximus; dicemus nunc iterum prodesse etiam vt lubricantem, quùm nimirùm lubricas facere vias volumus, per quas materia aspera debet transire.

Sciendum est autem emollientia differre à lubricantibus; nam penetrando totam internam substantiam, quam emolliunt, ei miscentur, & æqualiter consistentem, & mollem reddunt tam intrò, quam extra. lubricantia externam tantum superficiem liniunt. potest enim esse aliquid durum intus, asperum, & siccum, & tamen in superficie lubricum factum. Hoc autem pacto declarata in vniuersum Lubricantium essentia, ad particularia descendemus. *Emollientia differũt à lubricantibus.*

De Blito. Cap. LII.

VNum Bliti genus videtur tradidisse Diosc. at plura reperiri indicauit Theoph.1. de Hist cap. 9. Nos autem 7. vel 8. species enumerare possumus apud Botanicos, Bliti nomine insignitas. sed loquemur de communi, quod siluestre reperitur apud nos, & aliquando in hortis colitur.

Gal.8. de s. m. f. frig. & humidum in 2. esse censuit. & 2. de Alim. fac. scribit. *istiusmodi olera nonnihil ad leuigandam aluum momenti afferre diximus, maximè si cum humiditate glutinosam lubricitatem sortita sint.* Isaac de Diætis. *Ventrem humectat.* sed. Dioscor. scribit. *Blitum aluo vtile est.* contra Plin. lib.20. c.22. *stomacho inutile est. Ventrem adeo turbat, vt choleram faciat aliquibus.* Gal.11. de Alim.fac. *stomacho infestum* dixit. hæc contradictio facile soluitur, quamuis Matthiolus miretur. nam ipse Diosc. statim subiungit cap. sequenti de Malua. *stomacho aduersatur aluum iuuat.* namque aluum mouent, ipsum inuant. videtur tamen Hipp. commendasse Blitum pro stomacho. 3. de Diæta. num.13. de ructu crudo, citra ructum acidum. *Contradictio inter Plinii, & Diosc. solutio. Hippocrates.*

acidum. *His* (inquit) *ventriculus frigidus existens cibos in nocte concoquere non potest. Quum igitur motus fuerit: cibum crudum eructat. Oportet itaq; huic præparare ventriculi caliditatem, tum ex victu, tum ex laborib. deinde ex Olerib. verò Porrò, & Allio cocto, & crudo, Blitóq; cocto, & Cucurbita.* at Allium, & Porrum sunt calefacientia. non autem Cucurbita. Blitum verò quamuis Gal. frigidum dixerit. Hipp. tamen 2. de Diæta. 14. ait *Blitum calidum est, non mouens aluum.* quomodo hoc miscuit cum Cucurbita? quomodo conciliantur Hippocr. & Gal.? difficile hoc videtur mihi. tamen cum laxet ventriculum non videtur esse sine aliquo calore, quamuis substantia sit aquea, frigida, & humida, partes tamen quasdam habere potest calidas, quas agnouit Hipp. vtiles ad calefaciendum. & præcipuè pro Ventriculo refrigerato, qui fortè per aliquam occultam antiperistasim calescit, & fortè 3. de Diæta Hipp. aluum mouere quærebat leuib. vt Blitum, & cucurbita. allio vero, & Porro calefaciebat sufficienter ventriculum, & non solo Blito, vel Cucurbita vtebatur, sed conditis cum Allio.

Galenus contra Hippoc.

Sed alia etiam est contradictio, nam Hippoc. dixit *non mouens aluum*, & omnes contrarium docent. imo ipse Hipp. de Affect. num. 40. *Quum aluum hominis debilis à cibis humectare volueris, & Betam, aut Blitum, aut Rumicem, aut Cucurbitam si tempus tulerit dato.* & num. 49. *Resiciunt Cucurbita, & Beta, & Blitum, & Rumex, & per humiditatem secedunt.* quib. vltimis verbis pendet solutio, per se enim non mouet aluum; sed per humiditatem secedit, vt diximus de Atriplice. & Abix apud Serap. *Substantia eius est aquosa, non habens in se grossiciem, quare cito descendit, & mollit ventrem, & ideo modicum cedit in nutrimentum ex ipso.*

Hippoc. contradictio.

Quo ad vim Vomitoriam. Plin. scripsit. *Ventrem adeo turbare vt cholera faciat aliquibus*, idest enacuationem violentam sursum, & deorsum. dicitur etiam stomacho infestum eo quod ipsum subuertat aliquando. Matthiolus autem à Tridentinis in cibum recipi scripsit, & addit. *Verumtamen cibus is nonnunquam (vt ego ex visu testari possum) vomitiones mouet, ventriculo, & intestinorum tormina facit, & alui fluxiones ciet, excitata bile.*

Quum igitur Blitum, neq; abstergendi, neq; soluendi vim habeat, & relaxet tantum sua humiditate aquosa, & lubrica ventriculum, & intestina inter lubricantia erit ponendum; vti autem poterimus, vel ipso blito cocto, & copiosè ingesto, vel ipso decocto ad leniendum, ventriculiq; excrementa lubrificanda. sed quia non incidit, nec abstergit, non valebit in pituita crassa. solum, vt frigidum, & humidum conferret ad educendam bilem. vel ad Venena corrosiua. sed Vomitum quandoq; facit ob relaxationem, quia Ventriculi, ideo ab epotis Venenis acrioribus, in difficulter vomentibus decocti Bliti vtile erit sua humiditate os Ventriculi relaxans.

Quid agendum.

Quatum agendum.

De Malua. Cap. LIII.

Maluarum plura sunt genera: etenim Altea, & Alcea ex Diosc. silvestrium maluarũ generi ascribuntur. Et Maluæ quidem species 12. cognitas enumerauit Bauhinus. Alteæ. 9. atq; Alceæ. 13. nos de vulgari Malua sponte nascente loquemur. quæ dicta fuit græcè μαλάχη, ab emolliendo ventre. ita Martialis mollem vocauit, dicta autem est latinis *Malua*, quasi *Molua*, quòd aluum molliat. Antiqui *Omnimorbiam* vocabant, eo quòd omnibus opituletur morbis; sed cęteris prætermissis facultatibus, considerabimus nos eam tantum vim, qua aluum, ac Vomitum iuuat. Dioscor. *stomacho aduersatur*, inquit, *aluum iuuat; sed multò magis caules interaneis, & Vesica vtiles.* hæc operari credendum ob viscididatem lubricantem, quæ stomachum relaxat, & lubricum facit, eadem ratione aluum iuuat, atq; Vesicam ab vrina acri, vel aspero lapide, vel arenulis molestatam, & quia caules sunt viscidiores, ideo vtiliores à Diosc. dicuntur. Gal. 2. de Alim. fac. cap. 42. *permistum maluæ succo aliquid glutinosum* scripsit; *& facile hoc olus deorsum labitur, non tantum quia humidum est; sed etiam quia glutinosum.* Hippoc. autem 1. de M. Mul. num. 43. vtitur in Clysteribus Malua, vt nunc nos quoq; & lubricantia, atq; detergentia admiscens. *Aluus*, ait, *succo ptisana, & Melle, & Ouis, & Maluæ aqua infusa eluatur.* quamuis, *eluatur* quidem scribat, non est tamen hic opus solius facultatis abluentis; sed detergunt Mel, & Ptisana; lubricant autem Ptisana, oua, Maluæq; decoctum, & quia lubricantia eccoprotica tantum sunt, fæcesq; obuias solummodo lubricas faciendo ad exitum parant, Malua ad intestina nihil attrahet. sed faciet, vt contenta facilè labantur, & excernantur. Permanens autem in Ventriculo, lubrica faciet contenta, vt leui irritatione facillimus insequatur Vomitus, non quidem rerum adhærentium, quæ abstergente vi egent; sed nondum fixarum, vt cibi, & medicamenta acria, atq; Venena.

Maluæ species.

Malua lubricat.

Igitur vtemur Maluæ decocto, veluti lubricante, quum Vomitum concitare volumus, ad expellendam materiam acrem, asperam, & corrosiuam in Ventriculo collectam, vt lenito œsophago, & praua materia viscididate obducta, & lubrica facta, citò labatur, & partes, per quas transit non afficiat. quo pacto scripsit c. de Malua Diosc. *Ius decocta cum radice sua contra omnia venena auxiliatur si continuo à bibentib. reuomatur.* contra omnia venena dixit Diosc. sed intelligentur omnia acria, & qualitate manifesta nocentia, ob mucilaginem lubricantem, necnon etiam qualitate occulta lædentia, ob vim quandam alexiteriam. at lib. 6. in Præfactione vbi Venenorum vniuersalem curationem per Vomitum tradit. statim decocto Maluæ, & similibus lubricantibus vtendum præcipit. *Hæc enim*, subdens *non modo vomitionibus exigens vi illa* sua

Quid agendum.

bilem, in febribus inflammationis multæ, siti vehementi, in inflammationib. thoracis, & ad leniendum asperitatem Pectoris. idem Serapio ex Habicis dictis: necnon Auic. confirmant. Nos igitur non vtemur hac mucillagine ad lubricandam aluum nisi maxima vrgente necessitate, uimirum, propter validam sanguinis, & bilis ebullitionem, internas inflammationes, & erisipelata, intestinorum inflammationem cum excrementis siccis, & asperis, febres ardentes. nam non solum lubricando excrementa educit, sed etiam summe refrigerando, & humectando, contrarias intemperies blandè corrigit, & canone 2. Mesue laudat, quum à maligno medicamento assumpto in Ventriculo, & intestinis pungens, & mordax, & excorians dolor est sedandus, & reliquum medicamentum est expellendum.

Quid agéndum. Saluberrimam dixit Mes. *t. 9. can.* vt cassia, manna, pruna.

Nos vtemur hac mucilagine etiam ad Vomitum excitandum, vt facilè, & sine viarum nocumento educamus calida, acrioraq; Venena, vt sunt Chantaris, Buprestis, Pinorum erucæ, Calx, auripigmentum, Sandaraca, Arsenicum, Sublimatum, & recordor me exhibuisse cuidam mulieri, quæ biberat aquam calcis, infuso etiam litargiro, quæ parata erat ad capillos denigrandos, & guttur vlcerat. Verum non nimis crebrò hæc mucillago est assumenda, quoniam Habix apud Serapionem ventriculum lædere scripsit; atq; animi deliquium, & tandem mortem inducere.

quãtum. Mesues ad Leniendam aluum exhibebat mucaginem extractam, ex j. vel ij. aut tribus seminis drachmis. Serapio duarum drachmarum Mucilaginem laudat.

quomodo. Dat verò mucilaginem cum saccharo, iuleb, mulsa, cum Oleo rosaceo, Violaceo, Amig. d. aut syr. violaceo, rosaceo, &c. ad aspericates linguæ in ore retenta mire prodest, sed debet semen integrum petia ligari, & aqua macerari, ac ore detineri ita ligatum. Serapio. Mucilaginem extractam sole siccari posse, & ad vsus seruari sine virium detrimento asseruit.

quando. Mes. circa finem Theorematis primi. Hyeme purgantia lubricando vitanda voluit, ne diarrhœas, ac lieuterias pariant.

De Pinguedine. Cap. LVII.

PInguedinem dupliciter diuidimus in Adipem, & Sebum. Græci quidem varia habent nomina; nam παχύτης, crassities, & obesitas corporis dicitur πῖαρ, seu λίπαρος, idest pinguedo, seu vnctuositas dicitur de sapore vnctuoso, & de materia vnctuosa vti est Oleum. At in animalibus στέαρ latinè sebum, sepum, & seuum vertunt. πιμελὴν autem Adipem, & Axungiam.

Arist. 3. de Hist. Anim. cap. 17. & 2. de part. Anim. cap. 5. seuum, *& Adipem,* dixit, *esse sanguinem concoctum per bonitatem enutriendi, cõsistereq; ex eo, quod in pulpam quidem animalis nõ absumitur, sed concoctionis, alimentiq; bonitate præditum est. indicat id pinguedo eorum, cum pingue inter humida commune ignis, & aeris sit, quamobrem nullum ex ijs, quæ sanguine carent, vel adipem habet, vel seuum, quandoquidem sanguis deest.* hæc habet Arist. nos tamen in insectis pinguedinem obseruauimus, nam ex Ventre magni Papilionis pinguedo quædam oleosa fluebat, vt cartas olei modo vngeret, dum mortuum Papilionem inter cartas seruabamus; vidimus etiam muscas magnas ortas ex Vermibus laridi suilli, quæ ventrem crassum, & adipe plenum gerebant. *contra Arist.*

Differunt autem Adeps, & sebum, eo quod sepum sit crassius, durius, & in animantibus totam naturam terrosiorem habentibus, & sanguinem corpulentiorem: vnde fit, vt modo fibrosi sanguinis cogatur, tam ipsum, quam eiusmodi ius, cum parum aquæ, multum terræ contineat. intra enim sebo opimorum concrescunt, vt ouis, & Capræ, bouis, cerui, atq; reperitur sepum in animalib. cornigeris, non vtrinq; dentatis, quæ sicciora sunt, & magis terrestria, igne seuum, nec facilè funditur liquescitue, & fusum celerrimè coit, ac coagulatur, durum, & fragile apparet. At verò Adeps liquidior, & mollior est, celeriter in ignem positus liquescit, nec facilè, vbi liquatus fuerit, rursum concrescit, ac cogitur, nec siccitate aliqua frangitur, quoniam eius natura minus terrena est. & animalia vtrinq; dētatā, & cornuū expertia, vt Sues, equi, Gallinæ, anseres, pisces, Anguillæ, Ranæ, &c. pro sebo Adipem habent. Nihilominus confundunt authores sebum, & adipem; ita Diosc. lib. 2. c. 69. στέαρ vocauit omnem pinguedinem Anseris, gallinæ, suis, vrsi, Hirci, Tauri, Leonis, Pardi, Cerui, Asini, Elephantis, Viperæ, Vulpis, piscium, &c. & Gal. 11. de simpl. quamuis cum Arist. censeat, concedit tamen quodcunq; nomen, dummodo, alterum altero sicciorem, vel calidiorem dicamus, sed Dioscoridis interpretes Ruellius, & Saracenus vocem στέαρ (quæ sebum Aristoteli significat, vt diximus) modo adipem, modo sebum vertunt, & male, quia vna vox græca debet semper eodem modo verti: melius Marcellus, & Hermolaus semper Adipem vocarunt. mihi videtur, quod latinè magis dixissent vocem στέαρ seuum cum Plinio. lib. 11. cap. 37. qui cum Arist. locis citatis retulit seuum in Cornigeris, in alijs Adipem Vocari. sed hæc de nomine lis est. *Sebi, & Adipis differentia.*

Vires. De Viribus Adipis intus assumpti. Gal. 11. de simpl. suis inter quadrupeda adipem omnium humidissimum dicit. siccior, & calidior Vitulinus, deinde Taurinus, postea caprinus inde leoninus; suillo & calidior Gallinaceus, adhuc etiam Anserinus. in summa pinguedinis Vis ex Gal. humectatoria, & excalfactoria, sed magis, & minus, & quo vetustior eò calidior fit, & tenuium partium. Diosc. lib. 2. *Ius caprini Adipis decocti datur* (inquit) *vtiliter ijs, qui Cantharidum venena hauserunt.* & lib. 6. pro

natu.

Quid agēdum. vniuersali curatione Venenorum assumptorū ad Vomitum prouocandum Oleo miscet adipem anserinum, aut pinguium carnium iura, deinde etiam vt aluus lubricetur, *gallinacea iura, præpingues pisces, vetusta carnes pinguesq; & qua adipe, aut recenti butyro parantur. Aluum namquè subducunt, & stomachum resoluentia, proniorem ipsum ad Vomitum reddunt, & Venenorum acrimonias hebetant, atq; meatus obstruentia, celerem eorum penetrationem inhibent*. deinde cap. 1. ad cantharides. *gallinaceis carnibus, & hædinis, aut suillis catulis, maximè pinguibus, & tenerrimis, ac eum lini semine coctis vesci debent: siquidem aluum cient, atq; Venenorum acrimonias hebetant*. eadem laudat ad Pinorum Erucas, Buprestes, & Salamandras. deinde ad Aconitum *proponit carnium bubularum præpinguium iura cum Vino sumpta*. dat etiam iura pinguia epotis calce, sandaracha, vel auripigmento: adiuuāt enim pinguia facilè Vomitum natura sua, sic Gal. 1. de alim. fac. c. 30. nullum pingue vigorem, & robur ventriculo addere scripsit, sed potiùs implere, & subuertere. igitur emolliendo, & lubricando relaxat, & obtundit facultatem retentricem, hinc & facilis Vomitus, & facilis deiectio succedit rerum in Ventriculo, vel intestinis contentarum.

quātum. Quantitas non potest determinari, sed assumendum in cibis ad satietatem. in potu ad vnc. ij. iij. & vj. cum iure, Oleo, & decoctis.

De Lenientibus. Cap. LVII.

Medicamenta lenientia appellat Vulgus, ea, quæ leuia & debilia sunt, quæq; non attrahunt à toto corpore, nec nisi intestina, primasq; vias euacuant, ac minima molestia; vndè etiam clementia, & benedicta vocitant. quo sensu lo-

quid leniens. quutus fuit Fallopius lib. de Med. purg. cap. 18. qui Vomitoria lenientia pronunciat, quæ euacuant, non solum à ventriculo; sed etiam à primis venis, & ab Hepate, non tamen pertranseunt vlteriùs, adeo vt ista vomitoria habeant naturam pharmacorum Hypilatorum, & sint illa, quæ attrahunt, & euacuant per Vomitum tota sua substantia leniter tamen, & talem euacuationem ab huiuscemodi medicamentis per Vo-

Syrmesmus. mitum factam vocari, ait ab Hipp. συρμισμὸν. vt dicit Gal. 2. de Artic. com. 48. & inter hæc esse Narcissi bulbum, sylibum, cucumeris satiui radicem, & semen, Oximel, folia Lauri, & raphanum infixa radice ellebori. sed impropriè lo-

Fallopius arguitur. quutus est Fallopius. Nam enumeratorum nullum leniendo euacuat; sed vel abstergendo, vel leuiter attrahendo. immo si ex ipso Fallopio vsq; ad Hepar pertingunt, & trahunt; trahentia ab Hepate, non sapient naturam Hypilatorum, quæ stercora tantum subducunt, nihil ab Hepate attrahendo. Nec συρμισμὸς, Vomendi modum rectè explicauit. si quidem cum Hipp. in auris fractura scripserit ad reuellendum, esse *vomendum syrmaismo* Galenus quidem explicauit esse leuem Vomitum, sed non definiuit modum præcisum, genus tantum tradens, & ad huiusmodi leuem Vomitum, alijs modis faciendum, addidit alia. nec credibile est Syrmaismum esse nomen generale euacuationis modicæ siuè sursum, siuè deorsum factæ, vt Gal. videtur explicasse. nam particulare esse mox demonstrabo. (quod fortè Galeno in memoriam tunc non venerat) cum autem Gal. subdit. multa esse medicamenta, quæ hoc præstent, dicendus est intellexisse, *tres medicamētorum classes.* æquales Vomitus, nimirùm modicè exhaurientes. non autem quod possint vocari συρμαϊσμοί. & ex suis mediocribus vomitorijs tres classes facit. leuiora docet Mel copiosè sumptum, mulsam minùs dilutam, & cremorem ptisanæ, ex aqua decoctum, seu per se, seu cum melle; paulò validiùs adhuc Vomitum concitare radiculam, & Balbos Narcissi. His efficaciorem esse radiculam infixis Veratri surculis. quæ quidem posteriora, quamuis fecerint mediocrem purgationem, non tamen erunt lenientia, nec Syrmaismi nomen illis conueniet.

Erit autem Syrmaismus potio Veterum, vt fatetur Galenus, qua à ieiunis sumpta Vomitus excitabatur, Basisq; eius erat Raphanus, à quo *Syrmaismus declaratur.* nomen sumebat, nam Συρμαίη ἢ συρμαία quibusdam dicitur raphanus lexicijs, Gorreo, Fesio, Polluce, Hermolao testibus, cum Eratiano, qui sic. *Syrmæa dicitur longus Rhaphanus, quo cum Muria ad purgationem quandam in cibis vtuntur. Syrmesmusquè dicitur eiusmodi purgatio.* quibus verbis innuit purgationem ex Raphano dici Syrmæsmum. Scapula etiam in lexico Συρμαιοπῶλαι refert dici, qui Raphanos vendunt à Polluce, ex Aristophane. Pariter Herodotus in Euterpe de Ægyptiorum moribus. *Singulis mensibus tribus diebus continuis purgationem ex Syrmea adhibent, vomitibus, atq; alui elutionibus sanitatem conseruantes.* Modum autem præcisum legimus in Epistola Dioclis apud Æginetam, & apud Marcellum Empiricum sub nomine Hippocratis *Vtiles sunt Vomitiones ante cibum, quas Græci Syrmaismos appellant. Oportet autem eum, qui sic vomet, radiculas tenues præsumere, nasturtium, erucam, sinapi, & portulacam, mox aqua tepida super bibita vomere.* *Syrmea succus Raphani.* ecce Raphanus Basis potionis. quod confirmatur, quia Aristophanis interpres scripsit συρμαίαν esse succum herbæ cuiusdam, quo vtūtur Ægyptij ad purgandum, videturquè fuisse Raphani succus, quo etiam plurimū vtebantur cum sale. sic cū Hipp. de Mor. Mul. lib. 1. num. 108 ad secundas, & fætum educendum *Conyzam odoratum melle, & resina subactam ex vino odorato, aut Syrmea,* deinde ærugine *melle subactam in syrmea*. succum raphani interprætarer, potiùs, nam ex Diosc. menses, & vrinas ciet. quàm potum ex aqua, & hordeo, seù Zea. nam hos potus non laudat Diosc. neque ad aluum purgandā, neq; ad menses ducendos. nisi potionē ex sale, & aqua intelligere voluimus, à qua Hesichius deduci voluit συρμαΐζειν. quod intellexisse visus

est Herodotus cum de Ægyptijs scripsit. *Tertia verò hae est conditura, qua adornantur, qui tenuiore sunt fortuna. Per syrmeam purgationem ventrem percolantes, sale per 70. dies arefaciant.* Vbi sensus esse videtur ad purganda excrementa in Cadauerum intestinis contenta percolandam esse Syrmeam, idest Aquam salsam. quæ aptior videtur, quam Raphani succus. Non tamen absurdum est succo Raphani id præstari potuisse, in Ægypto præsertim, (vbi maxima copia Raphani serebatur, ex semine Oleum exprimebatur.) eo etiam quia & cum Sale Raphanus in vsu erat. & pro consueto victu. vnde in Pyramidibus condendis, referunt Plinius, lib. 36. cap. 12. Herodotus, Diodorus, & Iulius Pollux pro operarijs, in Raphanum, Cæpas, & Allium talenta Mille octingenta erogata fuisse. Sed quicquid sit. De Syrmeismo. iam constat non esset leniens medicamentum. Nos autem Verba facere intendimus de Medicamentis, quæ facultate propriè dicta *leniente* vomitu purgant, qua etiam Mesues dixit Cassiam fistulam, & Mannam lenire aluum, scilicet, lenes faciendo partes per quas fit Euacuatio, iam enim probauimus Excrementa fieri lubrica, non partes immobiles. nunc dicendum è contra partes leniri, dempta asperitate; vndè etiam dicta est lænitas intestinorum, seu lenitas.

Herodotus habet Syrmeam.

Dubitatio.

Dubitatum autem est, num lenientia, & lubricantia eadem sint, & cum multi multa respondeant, nobis tamen dicendum videtur, cum lignum lene aliud sit à lubrico, nam lenitatem habet à sua forma, & lubricitatem à re externa, ita aliud medicamentum esse, quod lenia facit intestina, aliud verò, quod lubrica. ita Arabes cum Cassiam, & Mannam lenire dicunt, & Mucilaginem Psillij lubricare, intelligunt diuerso modo agere; nam mucilago viscida non sinit persistere excrementa. Cassia autem, & Manna, habent simul quid abstergens; vndè omnes asperitates intestinorum tollendo ea lenia faciunt, & cum idem præstent Oleosa, & pinguia, dicemus hæc esse substantia tenuiori; nunc satis est Oleo peruncta esse; sed interiùs etiam ingreditur Oleum, emollitquè, indurata, quod lubricans mucago non facit.

Leniens, & lubricans diuersa.

Inter Vomitum autem iuuantia facultate leniente, emolliente, & laxante nos afferemus Oleum, lac, & Butyrum.

De Butyro. Cap. LXIII.

Butyrum pinguior lactis pars est, & Oleosæ naturæ ex Plinio, Dioscoride, Galeno, atq; Hipp. 4. de Morb. tex. 25. dictum fortè *Butyrum*, quòd è bubulo potissimum lacte extrahatur; hoc enim copiosum butyrum reddit, parcius ex alijs animalibus; immò inter boues, Vaccarum rubrarum lac maiorē Butyri copiam reddit, quàm aliarum Vaccarum. quare omnium maximè butyrosum est. Attamen ex Ouillo, Caprinoq; lacte, Plinio, & Dios. testibus extrahitur. necnon etiam ex Equino, vt referunt Hipp. & Herodotus. Sed licet minori copia è lacte Ouillo, & Caprino extrahatur butyrum; tamen hoc modicum butyrum, pinguius est copioso illo bubulo, si credimus Plinio.

Butyri etymon.

Temperamentum.

Calidæ, & humidæ est facultatis in principio primi gradus; ideò facultatem habet emollientem, concoquentem, lenitiuam, & non nihil abstergentem, fortè (vt quidam disputant) ob seri nitrositatem adhuc permixti butyro recenti. Vetustate autem acrius sentitur; vndè calidius, & tenuius redditum censuit Gal. 10. de simp. m. fac. At si sale condiatur, vt seruari possit; non solum calidius, & magis abstergens reddetur; sed etiam minùs emolliens. Dios. quidem *emollire* dixit. vndè largiùs epotum ventrem resoluit, & prodest vbi Oleum non adfuerit *contra Venena*, cui consentiens Auic. lib 2. trac. 2. cap. 116. scripsit Butyrum esse Theriacam Venenorum in potu sumptorum. Relaxat autem Ventriculum magis, quam Oleum; nam Oleum aliquid adstrictionis in se continet Butyrum nihil, Oleum est siccum, Butyrum humidum, vt etiam adnotat Isaac de Dietis lib. 1. cap. 57. ideò copiosè assumptum dicitur Nauseosum esse. immo censeo alicubi, me legisse Butyro assumpto famem, & sitim tolli, (quod Hippaci, seu caseo equino tribuunt alij.) quod si verum est, fient à nimia relaxatione oris ventriculi. Mesues autem. Serum non extracto butyro lenire; sed eo extracto abstergere docuit. vndè Butyrum per se maximè lenitiuum dicemus nos.

Emolliens.

Vnum de Butyro nunc in mentem venit, quod etsi adhunc propositum non facere videatur, tamen est scitu dignum. hoc est Cardanum lib. 17. de subtil. scripsisse. *Cur butyrum probibet quandoq; nè aqua ebulliat? an quia densum cum sit, aereum, ac pingue trahit ad se vapores, qui feruere aquam faciunt.* At hoc quidem videtur nullius vsus. si quidem maximum hoc est secretum, quod alijs patefacere recusant ij, qui Saccharum purificant dum enim ebullit magnū Ahenum saccharo plenum plusquam centenis libris, semiuncia butyri iniecta facit, vt nihil eleuetur, nihil effluat è pleno vase; dum saccharum bullit, natura quidem aptum spumescere, & e vase effluere. vsus ergo talis butiri vtilis erit Aromatarijs, & ijs qui saccharo condiunt fructus, ne saccharum in Vase bulliens diffluat.

Butyri usus elegans.

Facultas.

Sed redeamus ad Butyri facultatem Vomitoriam; quod cum leniat, & relaxet Ventriculum, & Oesophagum, & ideo nauseam excitet. Huius auxilio apte poterimus Vomitum excitare, ab assumptis Venenis acribus, & corrosiuis; simul enim lenientur, & defendentur partes contra vim corrosiuam; & obtundetur vis ipsa acris, & erodens.

Quid agendum.

Dioscorides.

Dios. lib. 6. de Venenis in communi, iubens optimum esse Vomitum excitatum, ait. *Si Oleum natura loci negat, Butyrum cum aqua calida.* Isaac de Dietis particularib. contra Venena

Isaac.

valere

valere dixit, sed assuefactum stomacho nocere, quia villos, & stomachi asperitatem lenit. Paul. Ægin. lib. 5. cap. 29. subscribit Dioscoridi. vti etiam Aetius serm. 13. c. 48. Halyabbas 4. pract. cap. 38. ad Venena in communi dat copiosam aquam calidam cum Vaccarum butyro, & Vomitum prouocat, & pluries repetit donec omnino mundatus sit stomachus. & cap. 39. laudat Butyrum pro Vomitu ad Napellum, cap. 40. ad Cantharides. cap. 41. ad fel leopardi. cap. 42. ad sudorem, vel extremitatem caudæ cerui. cap. 49. ad leporem Marinum. cap. 50. ad Castoreum. ad Beledarum, &c. ex recentioribus Crato. consl. 25. Ioan. Zecch. consl. 66. vtuntur butyro ad Vomitum contra Venena. Petrus de Ebano de Ven. cap. 5. *Si ignotum fuerit Venenum, aut Medicus fuerit absens, & dubitatum fuerit de Veneno, cuiuscunq; fuerit speciei, tunc statim butyrum cum aqua calida simul dissoluta bibatur, & cogatur euomere, & prius Vomitum cum butyro, iterum vomere cogatur cum aqua Mellis.* hoc etiam vtitur ad Gipsum, scoriam ferri, litargirum, viride æris, azurum, Minium, cinabrium, Realgar, Napellum, Anacardos, malum Castoreum. & ad semen serpentariæ. ac leporem marinum, & ranam Marinam. Arnaldus de Villa noua etiam laudat Butyrum, pariter Rasis. Rabi Moyses tract. 2. cap. 2. Ioan. Gadesden in Rosario lib. 2. cap. vlt. particula de cura Veneni. Ponzettus lib. 2. de Venen. cap. 10. Arduinus. Cæsalpin. de Venen. cap. 9. Guainerius de Ven. c. 7. in communi, & ad malum Castoreum. Mercur. de Venenis lib. 1. cap. 22. & alibi. Capiuacceus, & alij.

[Margin: Æginet. Aetius. Halyabbas. Crato. Io. Zecch. P. de Ebano. Arnald. Rasis. Rabi moses. Ioan. Sadesden. Pōzett'. Arduinus. Cesalp. Guainer. Mercur. Capiuac. quātum. agēdum.]

Copia Butyri debet esse multa, vt libra vna pro Vice.

De Lacte. Cap. LIX.

LAc Græcis τὸ γάλα γάλακτος, vndè Latini dempta prima, & vltima sillaba lac dixere. Plautus *Lacte* in nominatiuo scripsit, & Sosipater vocem magis latinam iudicauit, communiter etiam neutro genere proferunt; sed Plautus in Bacchides actu 5. scena 2. *Quæ nec lactem, nec lanam vllam habent*, inquit.

[Margin: nomen.]

De materia autem lactis maxima est dissentio inter Hipp. & Gal. quæ sedari nulla ratione potest. siquidem Hipp. materiam Lactis docet *succum ex cibis, & potibus*. Gal. verò cum Arist. & sequacibus *sanguinem* assignat. & 16. de Vsu part. c. 10. Ex sang. exactè cocto.

[Margin: Quæstio.]

Galeni sententia probatur 1. ex Arist. 4. de generat. Anim. cap 8. *eadem* (inquit) *materia est, quæ alit, & ex qua generationem natura constituit, eaq; sanguineus humor in sanguinem habentibus est: lac enim sanguis concoctus est, non corruptus*. cum quo sentiunt Auer. in comm. & Peripatetici communiter.

[Margin: Galeni sententia.]

Prob. 2. ex Hipp. lib. de hom. structura. num. 6. *lac autem* (scribit) *& eodem modo genitale semen hominis ex sanguine gignuntur, & hoc certum est: si enim homo genitali plus nimio vtetur sanguinem pro semine emittet; similiter autem, & fæmina, si plus nimio lactare cogentur, sang. elicitur*. ergo lac ex sanguine fit.

[Margin: ratio.]

Prob. 3. Mãmæ cum Vtero maximam habent societatem; nam fluentib. mensibus non gignitur lac, cessantib. verò apparet. ergo vtriusq; eadem est materia, nimirum sang. & Hipp. de Nat. pueri num. 21. dixit venas esse ab vtero ad mammas, & ab vtero lac retrocedere ad mammas. Gal. de V. sec. aduer. Erasis. 5. Vna, & lactis, & menstruorum substantia est, amborumq; vt quisquè dixerit, riuorum fontes communes venæ sunt. Quamobrem, quibuscunq; per ætatem menses fluere cessarunt, his neq; in mammillis lac amplius colligitur, quæcunq; etiam purgandi tempora adhuc habent, ac interea lactant, hę non purgantur. Præterea cum mulieri lactanti sanguis per locos eruperit illico lac huic euanescit. Ad hæc quæcunq; animantia vtero non gerunt, his neq; lac vnquam adest. rursus quibus id suppetit, illa etiam ad concipiendum à natura idonea sunt.

Prob. 4. ex Gal. 1. de san. tu. cap. 7. *sanguine*, ait, *dum adhuc in Vtero gestamur, ali nos constat, ex sanguine verò lac gignitur paucissimam in mammillis mutationem adepto*. & 16. de Vsu part. c. 10. *lac, ac semen* (inquit) *ex sanguine exactè cocto generantur. coctionis autem perfectionem tempus moræ, ac consuetudinis cum vase ferente ipsis tribuit: mora enim ex necessitate accidit in longioribus, longiora verò semper sunt, quæ è longinquo veniunt*. quam sententiam confirmat. 7. de Hipp. & Plat. decretis cap. 3. & alibi.

Eiusdem sunt sententiæ Oribasius. 6. aph. 9. & 11. Auic. lib. 3. fen. 12. tract. 1. cap. 1. Isaac de dietis lib. 1. cap. 57. & lib. 2. par. 5. Auega, Fuchsius, Valesius, Triuerius, Vgo senensis, & alij super 5. aph. 40. item Amatus in Dios. enarr. 64. Altimarus de Morbis. cap. 56. Balduin. Ronseus Epist. 6. Baricell. de lacte. cap. 1. Andernacus. com. 1. dial. 6. Constant. Varolius Anatom. lib. 4. cap. 6. Card. lib. de Alimento. lect. 59. tex. 66. Eustach. Rudius lib. 1. cap. 44. Franc. Alexandri radio 1. in Elect. Diasatyrion. Io. Hucherus lib. 3. de sterilib. Lud. Mercatus lib. 4. de m. mul. c. 16. Matt. in Diosc. Mercurialis de morb. puer. lib. 1. cap. 3. Omni bonius de mor. puero. lib. 1. c. 1. Pet. Salius 4. de morb. 32. Rodericus à Castro de Nat. Mul. lib. 4. cap. 9. & 10. Stephanus Rodericus Castrensis de sero cap. 1. Scipio Mercur. in Obstetrice lib. 3. c. 4. Trincau. de ratione curandi lib. 6. cap. 13. Valesius de sacra Philosoph. cap. 45. Vesalius de Hum. corp. fab. lib. 5. cap. 18. & alij plures. nuperrime autem Stephan. Castr. 4. de Alimen. quæst. 8.

[Margin: Galenici.]

Alterà sententia est Hippocratis, cuius sola auctoritas, & iudicium, æquiualet, ac præualet citatis omnibus auctoribus. & ab Hipp. nec recessit Martianus, nec recedemus nos. cum solidissimæ rationes, & certa experimenta hanc

[Margin: Hippocr. Opinio.]

confir-

confirment sententiam. nimirum lactis materiam proximam esse chylum in ventriculo genitum ex cibis, & potibus in ventriculo concoctis, & per poros in viuente corpore apertos immediatè, & rectà à Ventriculo ad mammas transcolatum, veluti per pannum aliquem.

Et quod huiusmodi fuerit Hipp. sententia patet ex dictis, quæ pluries repetijt. siquidem lib. de Nat. pueri num. 21. *lac autem*, inquit, *ob huiusmodi necessitatem fit. Quum Vteri tumidi præ puero sunt, ventrem mulieris comprimunt, eius autem pleni vbi compressio contigerit: pinguissimum de cibis, ac potibus foras prosilit in omentum, ac carnem, Quemadmodum si quis corium illinat multo oleo, & imbibere permittat, & vbi imbibit, corium ipsum premat: Oleum vtiq; exilierit foras ex corio compresso: sic etiam si venter pinguitudinem in se habeat à cibis, ac potibus, comprimaturq; ab vteris, pinguitudo prosilit in omentum, ac carnem. Et si rara carnis mulier fuerit, citiùs percipit eius persultationem: si non posteriùs. Quin & pecora prægnantia, si non ægrotent, ab eodem potu, ac cibo pinguiora propterea fiunt. similiter autem, & Mulier. Et à pinguitudine calfacta, ac alba existente, quod edulcatum est à caliditate, quæ ab vteris accessit, expressum venit in mammas, & in vteros quoq; parùm venit per easdem venas: tendunt enim & in mammas, & in vteros venulæ hæ, & consimiles aliæ. Et vbi peruenerit in vteros de lacte: puer ipso paululum fruitur, mammæ verò suscepto lacte impletæ attolluntur. Et vbi peperit mulier principio motus facto: lac in mammas ipsas procedit, si lactauerit: sic enim res habet, dum mammæ lactant, ac exuguntur, venulæ in mammis ampliores fiunt; ampliores autem factæ à ventre pinguitudinem trahentes, in mammas distribuunt.*

Hippoc.

Hæc sunt clarissima Hipp. verba, vbi apertè dicit lac fieri ex cibis, & potibus, nimirum ex horum parte pinguissima à ventriculo ad mammas delata, non autem ex sanguine, vt malè citant hunc Hipp. tex. Scipio Mercur. in Obstetrice lib. 3. cap. 4. L. Mercatus de M. Mul. Baricell. de lacte. pag. 8. & alij, qui dicentes hoc textu Hipp. velle lac fieri ex sanguine purissimo, ostēdunt, vel se non legisse Hipp. vel non intellexisse clarè loquentem, vel vi trahere voluisse in Galeni sententiam. Steph. à Castro de Aliment. sec. 4. Qu. 8. Art. 2. cum alijs nonnullis censet lib. esse spurium, cum videatur sibi contradicere, & sententiam damnari à Peramato de Hom. procreat. cap. 15. sed inualida repulsio, cum omnes Hipp. tribuant. nec Peramatus tantus est, qui præualeat Hippocrati idem alibi sentienti.

Hippocr. concors.

Sed confirmat, & commendat hanc suam sententiam Hipp. idem lib. 1. de M. Mul. num. 72. & 99. scribens. *At verò lac quomodo fiat, dictum est à me in Natura pueri in partu. Postquam autem prægnans fuerit mulier, menses non valdè prodeunt, præterquam quibusdam pauci; dulcissimus enim humor ex cibis, ac potibus ad mammas vertitur, ac exugitur. Et necesse est etiam reliquum corpus magis euacuari, & minùs sanguine plenum fieri. Atq; hoc ita contingit. sunt autem, quę natura sine lacte sunt, & quibus lac deficit ante tempus. Hæ verò natura solidæ sunt, & densæ carnis; & propterea sufficiens humor non penetrat à Ventre in mammas, quum via sit densa.* quibus verbis Hipp. apertissimè declarauit totam naturam lactis.

Idem Hipp. 2. Epid. sect. 3. *A cibis, & potibus*, inquit, *humeri, ac mammæ inflantur*; quib. verbis indicat mammas repleri cibis, & potibus non sanguine, & quod in his continetur, lac est ergo lac à cibis, & potibus non autem à sanguine fit. paulò post subdit. *Primipararum lac, alimento quidem transmutationem accipiente, octimestri verò perficiente.* nimirum quando alimentum transmutatur in sanguinem, quo vterus vtitur non apparet lac, sed quando alimentum, seu succus ciborum transmutatur, seu non ampliùs fertur ad hepar, & inde ad vterum, quod contingit ante octauum mensem, & perficitur octauo; sed transmutatur ad mammas, tunc lac gignitur; intelligit autem de futuro Alimento, non de actuali.

libro de Gland.

Idem Hipp. lib. de Gland. num. 11. scripsit. *Glandulæ in pectoribus mammæ appellantur, alimentum, quod in se trahunt in lac permutant.* hic non dicit Hipp. lac ex sanguine, sed ex Alimento; vndè lac erit reliquia alimenti, & pro alimento non intelligit sanguinem. Nam lib. de Alimento. num. 8. scripsit. *lac, & sanguis alimenti sunt redundantia.* At malè censuit Card. in hunc locum lect. 59. lac esse sanguinis redundantiam: quia non est ad mentem Hipp. sed redundantia alimenti duplex est, vel lac, vel sanguis. Vndè si sanguis est alimenti redundantia, Alimentum non erit sanguis; aliàs sensus Hipp. esset sanguinem esse sanguinis redundantiam, quod absurdum: Nec valet, quod Valesius hoc loco habet, sanguinem menstruum pro sanguine intelligi. Quia hic Hipp. paulo ante explicauerat alimentum esse, vel lac, vel vinum, vel carnes, & huiusmodi alia, quæ ore assumuntur, & in ventrem ducuntur. dixit enim *Principium alimenti, & humidi, & sicci os, gula, venter: Verùm antiquius, & primordiale alimentum, per abdomen Vmbilicus.* Quo patet Hipp. hic intelligere alimentum, quod ore in ventrem ingeritur, & ex hoc duæ fiunt partes sanguis, & lac. Dicuntur *redundantia*, quia etiam si sanguis fit nutrimentum carnis, tamen in venis redundat, quia copiosiùs fuit ingestum alimentum, quàm pro partium nutritione opus sit. quod idem de lacte est dicendum, hoc enim ex nimia alimenti copia in Ventriculo redundans ad mammas defertur.

Cardanus reprehensus.

Alimentū quid.

Eiusdem est sententiæ Auctor lib. 4. de Morbis num. 28. si non fuit Hipp. qui agens de caussis calculi, seu de lacte impuro, scripsit. *Lac autem in nutrice impurum fit, si pituitosis cibis, ac potibus, & alimentis impuris nutrix vtatur: conferunt enim omnia in Ventriculum illabentia in ipsa ad lac.* Ergo ex Hipp. 1. caussa lactis impuri

lactis materia.

puri eſt materia praua in ventriculo contenta; nam quum lac extrahatur à Ventriculo; omnia, quæ in ventriculum illabuntur, conferunt ad lactis generationem, ideſt ſunt materia lactis. deinde ſubdit. *Si nutrix non ſana fuerit; ſed biliosa, aut aquoſa, aut ſanguinea, aut pituitoſa; lac enim malum puero generatur: conſentiunt; enim corpus, & Ventriculus. Plurimùm verò ipſi ad lac cedit de eo, quod ipſa plurimùm in ſe ipſa habuerit*. hæc eſt altera cauſa prauitatis lactis, nimirùm abundantia humorum in corpore, quia humores in toto redundantes confluunt, & refluunt ad Ventriculum; à quo deſumitur materia lactis: & quia lac fit ex omnibus, quæ ad ventriculum allabuntur, vt ipſe dixit: hinc confluente ad ipſum bile extrahitur lac biliosum, confluente ſanguine lac ſanguineum, quod improbat hic Hipp. & indicat lac bonum non fieri ex ſanguine, ſed malum; & ſi lac non extraheretur à Ventriculo, non dixiſſet Hipp. conſentire corpus, & Ventriculum ad lac gignendum, quia poſtquam ſuccus exijt à ventriculo, & pertranſiuit ex hepate in venas, non requiritur ampliùs ventriculi cum corpore conſenſus. Quare voluit Hipp. Ventriculum eſſe locum à quo extrahitur proxima materia lactis, cum quo, quia corpus conſentit, ſæpè ad eum tranſmittit, quicquid redundat, quod negari non poteſt, quum videatur euacuari per Vomitum redundantia; vndè tranſmiſſi dicti humores ad Ventriculum miſcentur cum cibis, & potibus, qui ſunt conſueta materia lactis, & vna feruntur ad mammas, ſic lac inficiunt. Pergit etiam Hipp. dicens, *procedit autem, & quod bibit nutrix, & lac in ventriculum pueri, tale quale trahit à Ventriculo de lacte*. At Caluus hæc eadem verba ſic Vertit. *In pueri ventriculum talis lactis potus deſcendit, qualis in nutricis ventriculo, & lacte fuerat*. quo patet ex Hipp. puerum ſugere potum, & lac; quod extrahitur è ventriculo nutricis: clara igitur eſt Hippocr. opinio, quam diſſimulauit Gal. nec de ea verbum fecit, ſicut etiam Coſtęus, Baricellus alijq; Galenici, qui de lacte ex profeſſo ſcripſerunt, ſolus Prof. Martianus inter tot, quot legi, Hipp. Opinionem hanc conſiderau t, & pro viribus ratione, & experimento comprobauit, cuius veſtigia nos quoq; inſequemur primo rationibus, deindè experimentis ipſam confirmando.

locu vē triculo :

Prima ratio eſt. Si tota lactis materia eſſet ſanguis perfectam ſanguificationem iam antea conſequutus in hepate, impoſſibile eſſet mulierem lactantem viuere, nedum incolumen permanere; conſtat enim infantem ſingulo die vltrà duas lactis libras ſugere, quod quidem ſi ex totidem libris ſanguinis conſtaret, ſequeretur à mulieris corpore duas ſanguinis libras quotidie excerni. Sed quæ mulier tantam ſanguinis iacturam facere poteſt, quin pereat breui? quando videmus eas, quæ ab immodico fluxu menſtruorum vexantur, longe minori ſanguinis excretione non longo tempore in cachexiam incidere, & perire? namq; nec ventriculus tantam ciborum quantitatem ſuperare, nec hepar ſanguificare poteſt, quæ & corporis nutritioni, & ſanguinis excretioni ſatisfacere queat. Quod ſi eadem materia lactis cenſetur in belluis, certum eſt, plures ſingulo die tantam copiam lactis dare, quantam ſanguinis non capiunt venæ totius corporis. Nam Vaccæ in Epiro, vt Ariſt. teſtatur lib. 3. de Hiſt. An. cap. 21. ſingulæ lactis amphoras ſingulas implent, quæ quidem, quantumuis magnæ, facta ſanguinis in lac tranſmutatione exangues omnino redderentur. Amphoram enim 80. libras capere iam notum eſt. At ſupracitatus. Steph. à Caſtro. ad 1. Reſp. ſang. ad lactis materiam reſeruatum quotidie noui alimenti ingreſſu largiter reſtaurari, &c. at non ſoluit Argumentū de quantitate ſanguinis in lac mutati, quę impoſſibilis eſt. nec valet Reſponſio ad ſang. fluxum. quòd ſit lac opus naturale non preter Nat. nam ſanguinis excretio omninò eſſet, ſi lac ſanguis eſſet, ſit quantum vis naturæ opus.

à copia lactis emulsi.

Secunda. ſi Mulieri vtero gerenti non fluunt menſes, quia ſanguinis exiguum quotidie abſumitur in fœtum: quomodo poſſibile eſſet, lactanti menſtrua fluere, ſi ſingulis diebus tanta ſanguinis copia in lac abſumeretur. conſtat enim plurimis menſes ſecundum naturam fluere tranſactis potiſſimum octo, vel nouem menſibus à partu: indicium probabile aliam eſſe materiam lactis, & aliam menſtruorum. Nec Steph. hoc ſoluit licet aliquid dicere velit videri. *à mēſib. fluentib.*

Tertio Corpus aſſuetū generationi tantæ ſanguinis copię, ſtatim in pernicioſā plethorā incideret, vbi mulier lac dare ceſſaret, & tamen nihil incommodi alicui eueniſſe obſeruatum eſt, imò nec menſes ante conſuetum tempus ijs erumpunt, nec copia conſueta maiori, ſignum euidens nihil, aut parùm conſuetæ excretionis retentum eſſe, quando nec nimiam quidem ſanguinis repletionem inducere potuerit.

Tertiū Arg. Martiani. Stephanus irridet; nō ſoluit. cum id ipſi etiam notum ſit. Nat. ſui muneris non obliuiſci. ſed recordetur quantum velit. non poteſt ex munere aſſumpto gignendi tātum ſanguinis, ceſſare illico abſq; noxa, vt cauterijs, qui diu fuerint geſtati, & ceſſarunt fluere, ſuccedit. Stephanus ſemper recurrit ad prouidam naturam, & vellet Martianum magis conſideratum, nos autem ipſum Naturæ opera explicantem, non pretermittentem, & admirantem.

Quarta. ſi ex ſanguine lac generaretur, ſiue ab vtero, ſiue à qualibet parte ad mammas ſecedente, purgationes puerperij ceſſarent omnino, dum lac, ſecundo à partu die tanto impetu fertur ad mammas, vt puerperarum pleriſq; febris ex lacte appellatur; ita enim fieret reuulſio maxima ab vtero, ſanguine confeſtim ad mammas irruente, & nihilominus eodem tempore, & puerperia copiosè erumpunt, & lac abundat in mammis: ſignum euidens, aliam eſſe materiam lactis, aliam puerperiorum, quorum ſi portio quædam āſcendit ad mammas, propter *A puerperijs.*

motum

motum concitatum in vtero tempore partus, cuius calore excalefactæ mammæ maiorem succi copiam postea trahunt à ventre; hæc non est tanta, quæ puerperia impedire, aut auertere possit. Nec verè soluit hāc rationem Stephanus, licet extra rationem loquatur.

Quinta. si tota materia lactis esset sanguis ab vtero transmissus ad mammas, natura ductus maiores constituisset, eosq; continuatos; non adeò exiles, & per anastomosin inuicē communicantes, quotiescunq; enim materia copiosa ad multam distantiam ferri debet (ad proximiora enim loca sufficiunt porositates, vt de mammis, & cornibus testatur Hipp.) natura ductus

à ductibus. amplos eosdemq; continuos ipsi dicauit. Sed vasa, quæ ab vtero tendunt in mammas, adeò exilia sunt, vt plurium anatomicorum nouaculas euaserint. qui tamen ea cognouere, eo artificio confecta esse testati sunt, vt superiora à mammis descendentia secundum extremitates tenuissimas communicentur vasis, quæ ex vtero sursùm ascendunt ad epigastrij regionem, idque à prouida natura factum est, quia si maiores, & continuati adfuissent ductus ab vtero ad mammas, periculum erat, ne aliquando sanguinis tanta copia raperetur à mammis, vt fœtus nutrimento priuaretur, quare angusta vasa confecit conuenientia paucitati materiæ, sanguini scilicet ascendenti ab vtero ad mammas, & lacti vicissim descendenti ad vterum pro ipsius fœtus refectione, vt Hippocr. indubitatum fuit. Respondet Stephanus à natura suppleri necessitatem exilitate, & difficultate vasorum, ob quā sang. commorans, multum de prauitate deperdit. sed non soluit argumentū, & cur statim ab assumpto cibo mammæ replentur, si necessariò est exilitas, & distantia vasorum. remanet igitur Martiani Argumentum validum.

ab odore & viribus. Sexta. Si lac ex sanguine generaretur (inquit Martianus) non ex succo à cibis, & potibus expresso, impossibile esset Odorem, & facultatem ingestorum adhuc retinere, quandoquidem nullus odor, aut qualitas manifesta obseruatur in sanguine cibariorum è quibus conflatus est, & multò minùs in ijs, quæ ex sanguine generantur. Contra verò lac sæpe odorem retinet, & facultatem ingestorum, vt docet Hipp. 6. Epid. sect. 2. *Mulier, Capra, Elaterium, &c.* & multiplici experientia confirmatur. Hic cogitur Steph. fateri totius sanguinis, & carnis odorem, & saporem mutari. quod absurdum. Nā si in Boue indico caro ob assiduum cassiæ pastum fit solutiua. non vnica cibatione, tale accidit. sed lac tale euadit per aliquot horas. vnde nihil obstat Stephani responsio.

à positu mammarum. Septimo etiam dicemus è Mammarum situ materiam lactis deprehendi, positæ enim sunt in pectore mulierum supra ventriculum, non autem propè hepar, neq; propè vterum; & in bellnis in abdomine, signum certum à Ventriculo materiā lactis extrahi non ab alio loco.

Octauo. si lac esset sanguis concoctus, & alteratus in meliùs, eius excretio esset valde nocua, etenim si vel per nares, vel vterum, vel hæmorroidas, vel etiam secta venā alicui quotidie tantum sanguinis excerneretur quantum lactis à puero attrahitur, scilicet lib. j. vel ij. proculdubio cachexia, vel consumptio, & deniq; breui mors succederet, & tamen videmus nutrices benè coloratas, & potiùs pinguescere, quam extenuari. *ab excretione.*

Nono. si lac fieret ex sanguine, & esset sanguis bis coctus, vt Galenici affirmant, esset spirituosius sanguine, (veluti semen) & sanguine puro perfectius, & purius: vndè non solum pauca ipsius euacuatio maximè corpus debilitaret, vt efficit seminis effusio; sed absurdum esset, Naturam constituisse, & nutrisse puerum tenerrimum, & imbecillum in Vtero ex crasso, simpliciq; sanguine Matris, puero verò validiori parasse nutrimentum tenuius, & ex sanguine iterum concocto, magisque attenuato, & depurato. *à spirituositate.*

Nec valet quod Arist. scribit 4. de Gen. Anim. cap. 8. quod eadem sit mat. lactis, & seminis, seu excrementi, ex quo vnumquodq; generatur; quia eadem est mat. quæ alit, & ex qua fit generatio. cum non solum extrà corpus hoc sit falsum, sed etiam intra. Extrà quidem, quia lac debet esse quid medium inter sanguinem, quo alebatur in vtero, & cibos, quib. vti debet grandior factus: intrà verò, quia semen est agens, alimentum, idest sanguis patiens, vnde diuersas debent habere qualitates. quod si internum alimentum est sanguis simplex: semen est ex purissimo, & iterum cocto sanguine. Vnde si internum alimentum est sanguis, & semen fit ex sanguine purificato, alimentum erit imperfectius semine. quod si ita est, non debet externum alimentum purius esse sanguine, & æquale semini agenti, & quod diuersa sit mat. quæ alit, & ex qua fiat generatio, patet in ouo, in quo album in generatione pulli se habet, vt agens, luteum, vt alimentum, nec alterum fit ex altero magis concocto. *Contra Aristotelem.*

Decimo. rationi cōgruū est dicere lac esse sanguinem crudum. scilicet succum prima coctione in Ventriculo depuratum, & segregatum, quod à mammis attractum paruam mutationem in ipsis adeptum ob coctionem ibi factam à vi propria mammarum, euadit lac, qui succus si ferretur ad Hepar in itinere diceretur chylus, in hepate euaderet sanguis. Puer enim in vtero nutritur sanguine, at extra Vterum homo factus, sese grandior puer nutriri debet cibis durioribus suis dentibus præparandis: vndè à sanguine purissimo, & tenuissimo, quo conflatus, & nutritus est in vtero, debet procedere ad cibum crassum, & durum; quæ sunt extrema: Verum quia ab vno extremo in aliud non est facilis trāsitus: ideo antequam fiat transitus à sanguine ad cibos, debet intercedere quid medium sanguini forma humida simile, sed imperfectius, quod neq; sit sanguis purus, neq; merus cibus. Quare constituit Natura puero lac, velnti medium quid, purius cibo, impurius sanguine, *à gradibus alimenti.*

quod

quod cum ſit chylus, ſeu ſuccus ciborum in ventriculo alteratorum, non dum tamen in ſanguinem verſus, erit quid perfectius cibo, nimirum cibus concoctus, & depuratus, erit pariter quid ſanguine imperfectius, quum ſit eius mat. proxima, & apta in ſanguinem verti, nec dum tamen conuerſa.

Vndecimo. Pueri in Vtero nutrimentum, vt eſſe debebat ſanguis, ita mox in lucem edito chylus conueniebat, ſcilicet nutrimentum craſſius, & imperfectius vno gradu. patet hoc, quia natura nutriens embrionem ſanguine per venas vmbilicales, ſanguinem deducit ad hepar infantis, vbi parum quid alteratus fit ipſius embrionis ſanguis. At nutritura maiorem puerum, & in lucem editum, ac à matre ſeparatum præbet lac, ideſt chylum matris, nec amplius in iecur deducit, ſed in ventriculum, ore è mamilla ſugendum, vbi iterũ coquitur, & vt noluit puero in vtero offerre chylum ad ipſius hepar, ita extra vterum, noluit Ventriculum replere cibis. ſed obtulit chylum à matre præparatum, vt ventriculus debilis adhuc ſemiconcoctum alimentum facilius euinceret, At dentibus enatis cibis debet aſſueſci.

à perfectione alimẽti.

Duodecimo. ſi lac fieret ex ſanguine depurato, iterumq; cocto, minùs fęcis deberet relinquere, & tenuius eſſe ipſo ſanguine: tamen videmus quod pueri in vtero nutriti ſanguine pauciſſimum emittunt ſtercus, lactantes autem copioſum. Quare fatendum videtur lac craſſius, & impurius eſſe ſanguine; illud autem aceſcere, quod breui contingit lacti mulſo, arguit imperfectam miſtionem ſuccorum ex cibis mox mox concoctis; nam ſi bis coctus depuratuſq; ſanguis eſſet, diutiùs conſeruaret ſuas qualitates.

à fecibus puerorũ.

Decimotertio. Ex temperamento lactis à Gal. conceſſo aperte cognoſcitur non eſſe ſanguinem concoctum; ſed crudum, dicitur enim *lac eſſe frigidius ſanguine*. vt 5. de ſimp. m. fac. 2 t. *in medio pituitæ, & ſanguinis eſt lac, vtiquè quod ad calorem attinet, non tamen æquè ab vtroq; abeſt; ſed longiùs abeſt à pituita propriùs accedit ad ſang.* & lib. 4. cap. 17. dixerat. *in lacte vincitur à frigore magis caliditas, quam ipſa vincat.* & lib. 1. c. 2. inter frigida numerauit lac, & 1. aph. 40. dixit. *tantò frigidius eſſe lac ſanguine quanto adenes hi hepatis carne frigidiores ſunt.* ergo Mammæ concoquunt lac è ſucco Ventriculi, vt ex eodem hepar ſanguinem. Et ſi lac eſt frigidius ſanguine non erit ſanguis alteratus, & iterum coctione frigefactus; nã ſemẽ, quod eſt verè ſãguis cõcoctus in teſtibus calidius eo eſt ex ipſomet Gal. 2. de temp. 2. imò 1. de ſan. tu. cap. 2. ait. in ſemine plus eſt igneæ ſubſtantiæ, atquè aereæ, in ſanguine aqueæ, terreæq; at ſemen ſanguine ſiccius quidem eſt: cęterum quoque humidum, fluxileq; eſt. Sed libenter intelligerem, quo pacto ſang. calidus, & humidus concoctus in teſtibus lõgè à corde non fiat calidior, & ſiccior ſanguine, at concoctus in mammis cordi proximioribus, arterijſq; refertis reddatur ſe ipſo frigidior, & humidior. An agens eſt frigidum? an verò tepidum? Verum quia dato vno abſurdo ſequitur etiam aliud, non mirum ſi Galenici, qui hanc tuentur ſententiam in abſurda incidãt, concedentes ſanguinem poſſe recrudeſcere, & in pituitam verti, ita etiam profectò concedent bilem in ſang. reuerti, & ita ex amara bile poterit gigni pituita. ita Andernacus doctiſſimus Germanus com. 1. dial. 6. pag. 326. concedit ſanguinem concoctione vlteriori in glandulis frigidis verti in pituitam, quia *ſanguis* (inquit) *in mammarum glandibus veluti recrudeſcit, & lac inter ſanguinem, & pituitam ſit medium, ſanguini tamen, quàm pituitæ propinquius. Cum itaq; lac ex ſanguine fiat, & illud ad pituitam declinet, certè hæc ex ſanguine fieri poterit, quã quam natura lege pituita adeò accurata ex illo fieri nequeat, tamen ſi glandula iſtæ mammarum magno frigore contrà naturam afficiantur, ſanguis ad exquiſitam perduci pituitam videtur, &c.* Mihi autem videtur abſurdum ſanguinem coctione, cuius agens eſt calor, refrigerari, cum aliàs conceſſum ſit calefactum bileſcere, at glandulas natura frigidas nutriri, & attrahere partem ſanguinis pituitoſiorem faciliùs conceſſerim. Nec valet cępas coctione minus acres reddi, & mineralia quædam vſtione, amittere partes calidas, quia ſanguis Galeni ſententia calefactus bileſcit. calefit autem neceſſario, ſi iterum coquatur. coctio ſiquidem à calore fit. E contra autem Baricellus non auſus negare coctione vlteriori ſanguinem magis incaleſcere, coactus fuit dicere lac eſſe calidius ſanguine, quod inuentum ſuis quibuſdam rationibus probare conatus fuit; ſed quia auctores omnes ratio, & experientia reclamant fruſtra id tentauit. Nos autem contrarium concludimus, nimirum, quia lac frigidius eſt ſanguine, non fuiſſe genitum ex concocto, calefactonè ſanguine.

à temperamento. *Galenicorum abſurditas.* *Baricell. erratum.*

Decimoquarto. Sanguinem fluere ad mammas (quod fieret, ſi ibi verteretur in lac) non ſolum non eſt conueniens, & naturale; ſed morboſum, inſolens, & præternat. ſiquidem ex Hip. 5. aph. 40. *Quibuſcunq; mulieribus ad mammas ſanguis colligitur, furorem ſignificat.* Quod quãuis aliter explicet Gal. nos tamen debemus dicere mammas conſuetas repleri chylo, & eo nutriri, ſi contra naturam ſuam fuerint repletæ sãguine, vel quia ob ſuppreſſa menſtrua redundãtia ſanguinis ſuperiora petat, vel aliter, furor ſuccedit, & alia incommoda cum ſanguis in loco non conſueto conſtiterit.

à ſãg. ad mãmas. *à coctione.*

Decimoquinto. Si concoctio fit incraſſando. ſanguis iterum coctus deberet eſſe craſſior, vnde lac, ſi eſt ſanguis recoctus, deberet eſſe ſanguine craſſius. ſed eſt tenuius. ergo non ex ſanguine cocto.

Hanc eandem ſummi Præceptoris ſententiam multis experimẽtis probare erit facillimum. conſtat autem primo lac reddi purgans ob cibos purgantes ingeſtos, prout docuit Hipp. 5. in 6. Epid. *Mulier Capra, Elaterium, aut Cucumerem ſilueſtrem comedentes pueris purgatio.* Pariter Dioſc. *Aluum, ſtomachumq; euertit omne lac*

experimenta.

sua laxatrice, aut nauseam ciente: sed aluum quoq; subducent. paulo post alia addit scribens. *Oleo etiam Maluæ decoctum admiscetur, aut Glaucium, aut adeps anserinus, aut pinguium carnium iura*, quæ sunt lubrica, & lenta, *aut lixiuium lignorum cinere factum*. quod est abstergens. In particulari etiam laudauit Diosc. Maluæ decoctum ad epotas cantharides, pinorum Erucas, Buprestes, Salamandras, Cerussam, præterea ad Gypsum epotum, *quod lapidescens* ait Diosc. *strangulationem creat. Quare eadem proferenda sunt, quæ mansis fungis, auxilia: & adhæc Maluæ decoctum, quod etiam Olei vicem pensat: vt potè cum pinguè sit, euomendo lubricas vias, & faciles reddit, deradiq; corpora non sinit. quod vbi duratur in lapidem, Gypsum efficit*. Postea scripsit. *Calx, sandaraca, & Auripigmentum, pota aluum, & intestina cum vehementi erosione excruciant. Præbenda cuncta, quæ suo admistu illorum acrimoniam hebetant, ac soluunt, & facilem lubricamq; aluum reddunt, cuiusmodi Ibisci, & Maluæ succus est: natura enim vtriq; per lubrica est*. præterea laudat ad Leporem Marinum epotum: ad quæ omnia, eadem ratione prodest Ibiscum, seu Altea, quia congener Maluæ est, imo magis viscida; & quamuis à Dios. laudetur tantum, ad Cantarides, & calcem, & à Matthiolo ad Gypsum: tamen ad omnia ad quæ Malua, valet, & vt magis mucilaginosa, ita etiam efficax. proinde adhæc omnia Sy. de altea erit optimus.

ad Venena.

quãtum. Maluæ decoctum copiosè est dandum vt Vomitum proritet.

quomodo. Potari debet pro Vomitu excitando decoctum non substantia, quia mucilago hic expetitur, vt lubricet. & tepidum detur.

quando. Tempus exhibendi est quamprimum ab assumpto Veneno, & pluries reiteretur.

De Mucilaginibus. Cap. LIV.

MVcus, siue Mucilago, humor est crassus, lentus, & viscosus, ac tenax, hic si valde humidus sit, lubricus est; si verò parum humidus, & siccetur tenax, & gluten fit, ita oui albumen, mucilago Draganti, gummi arabici, *Piscium*, carniũ viscositas, tritici, & hordei farina decocta, radicum, atq; seminum Mucilagines tales sunt: communiter autem nunc nomine Mucilaginis intelligimus Viscositatem eductam è radicibus Alteæ, Maluæ, seminib. lini, fęnugreci, citoniorum, psillij, caricarum, quorum vis lubrica est. talis mucilaginis essentiam exquisitè explicare difficile videtur. Gal. enim de Viscositate Olei varias fuisse Antiquorum Sẽtentias 2. de simp. m. f. cap. 20. scripsit. *Nonnulli* (inquiens) *ex eo quod viscosum sit, frigidum esse contendunt, alij verò calidum, nonnulli siccum, postremo quidam etiam humidum. Etenim nisi contracta, compactaquè partes eius forent, & inuicem exactè adhærerent, viscosum haud forè: atqui illos omnes frigiditatis esse effectus: nam fundere, extenuare, soluere partes à se inuicem separare, eam verò esse calidi naturam. At alij contra viscosum nihil fieri pronunciant citra calidi victoriam, velut in succorum omnium patet decoctione, tum eorum, qui ex herbis exprimuntur, tum qui ex fructibus: quippe qui, cum aquei principio sint, ac consistentia tenui, liquidaq; vbi decocti fuerint, crassi, viscosiq; euadant. Quin & ex particularibus vtriq; exemplis contraria probabiliter adstruunt, alij viscum, mel, picem liquidam, resinam, & alia id genus, quæ in professo, & viscosa sunt, & calida, proponentes: Alij cicutæ, Psyllij, atriplicis, blitiq; succum memorantes; adhæc veluti colophonem quendam orationi pituitam proferentes, liquido enim ipsis ea, & viscosa esse, & frigida videtur. Quin & ex eo, quod, quibus vena sectione sanguis detrahitur, oleum instillatum fluidum reddat sanguinem, vtrosq; contraria adstruere videre est. Alij enim tanquam calore fundens, alij verò tanquam frigore lubricitatem præbens, non secus, ac glaciem fluxibilitatem ipsam facere asserunt.*

Nec facile est determinare an Viscosa sint crassæ, vel tenuis substantiæ. Namq; crassæ substantiæ esse videtur voluisse Gal. 1. de simp. m. f. cap. 11. *Itàq;* (inquit) *cum tenuium esse partium dicantur, quæ facilè in tenues partes comminuuntur, crassarum verò partium, quæ contra tum dura viscosaq; ægrè, ac difficulter, aut omnino in tenues comminui non possint, fragilia verò, & quæ citrà viscositatem mollia sunt, promptè in tenues soluantur*. cum igitur Gluten siccum, & icthyocolla, trochisciq; de Vipera, ob lentorem, & visciditatem siccatam difficillime tundantur ex Galeno, erunt crassæ essentiæ ob visciditatem; sic etiam cętera viscida, & tenacia, vt pituita crassa, & viscida cutis, & corium animalium, pedesq; ac piscium etiam coria, erunt crassæ essentiæ. & proindè omnes quoq; mucilagines esse crassæ essentiæ dici posset. *Viscida crassa.*

Contrà tamen Costęus lib. 2. de stirp. Nat. c. 33. *Ea, quæ lenta sunt* (scripsit) *non aquæ modo, sed & aeris quoquè plurimum habere ex eo constat, quod sincera aqua è lenibus facilè delabitur rebus, neq; hæret: quin etiam sordes altius corpori alicui inhærentes syncera non excipit in se ipsa, neq; deterget. quas addito oleo excipit, & deterget. Habet igitur tenacitas causam, non aquæ tantum, sed aeris simul cum aqua in misto copiam, quod in causa est, vt glutinosis rebus insint bullæ: ita vt, quæ stirpes, aut earum partes lenta sunt substantia, ex ipsa aeris, atquè aquæ plurimum in se ipsis contineant: quanquam alia plus habeant aeris, quæ nimirum pinguia sunt facileq; inflammentur, vt Olea, Picea: alia plus aquæ vt malua, quæ propterea non modo ignem non excipit, sed potius extinguit. Contra autem, quæ Visco illo carent, friabilia nuncupata, his terreni plurimum, aquosi autem parum inest elementi*. fauere videtur Gal. 6. de simpl. med. qui *Viscum* (dixit) *ex plurima aerea, & aquea calida, paucissima terrena substantia constat*, *Contra.*

Mucilaginum vsus. ſed nè nimis longi ſimus accedemus ad explicandum vſum Mucilaginum. quæ ob lubricitatem, excrementa facilia reddunt, vt expellantur, vel per inteſtina, vel per Vomitum, vel Veſicam; & dupliciter adiuuant muniendo, & defendendo vias, ne lædantur acrimonia, & malignitate excrementorum, cauſarumq; morbificarum pertranſeuntium, & præterea materias ipſas citò labi efficiunt.

Quid agendum. At ex inteſtinis fęces induratas, & alia ibi cõtenta, blandè, vt præterlabantur, operãtur, quod idem præſtant, quum nocuam materiam in ventriculo contentam per os, & œſophagum expellere intendimus. ad quæ vtilia erunt Mucilago fęnugręci, nec non etiam ipſum deuoratum ex Gal. 1. de Alim. fac. cap. 24. quandoquè ſtomachum ſubuertit. Sem. lini decoctum ex Dioſ. alui excrementa euocat, & exiſtentib. quidem alui excrementis ſiccis, & aſperis, Mucilagines, & decocta ſem. lini, fęnugręci, & ſimilium optima erunt iudicanda. ſed ad Venena pro concitando Vomitu hæc laudauit Dioſc. lib. 6. in præfactione, nimirum decoctum Maluæ, aut lini ſeminis, aut Tragi, Vrticæ, fœnugreci, *Aluum namq; ſubducunt, & ſtomachum reſoluentia, proniorem ipſam ad vomitum reddunt: & Venenorum acrimonias bebetant, atq; meatus obſtruentia, celerem virium penetrationem inhibent.* præterea ad Cantharidas epotas, decocto ſem. lini, vel fœnugræci vtitur, pro Vomitu, & infuſo. & coquit etiam carnes cum lini ſemine, vt comeſtæ aluum cieant, & acrimonia Venenorum hebetetur, eadem proſunt aſſumptis Pinorum erucis, Salamandra, & Bupreſti, cui etiam prodeſt caricarum decoctum. idem laudauit ad Hyoſciamum, ad Ceruſſam, ad Gypſum. Præterea ſem. lini decoctum exhibet ad epotam calcem, ſandaracam, & auripigmentum.

quãtum. Vt Vomitus prouocetur lib. j. ad minus vnc. viij. harum Mucilaginum erit potanda.

quando. Quanto citiùs fieri poterit, nec ſemel ſufficit, ſed pluries, vt omnis materia nocua à Ventriculo expellatur, ita vt pluries aſſumatur mucilago, & pluries Vomitus prouocetur. ſit potus tepidus. modus autem coctionis, & extractionis Mucilaginum à nobis in Antidotario eſt expreſſus.

quomodo. Idem Dioſc. ſcripſit ad Ceruſſam aſſumptam. *conuenit humor, quem Vlmea folia reddiderunt, cum tepida aqua: ſed tum quoq; Vomant,* qui humor viſcidus eſt, & lubricans.

De Pſyllio. Cap. LVI.

PSyllion dictum volunt, vel à ſemine nigro pulicum ſimili, vel quod ψυλλας, ideſt pulices gigni non ſinat, ſi virens domum importetur, inde Pulicariam dicimus nos. Theophraſtus Cynopem vocauit, & Gaza vertit Canariam, & Canis oculum. Plinius verò tum Pſyllium, tum Cynacidem appellauit. vnum tantum Genus veteres nouiſſe videntur: nam Dioſ. deſcripſit tantum ſemine duro, nigro. at Matthiolus duplex propoſuit Genus, quatuor autem Bauhinus. At Meſues *eius autem aliud album, aliud ſubnigrum, aliud ſubpurpureum* tradit: credo Meſuem loqui de ſeminum colore, & cum Dioſc. Pſyllium nigro fuerit colore, vti noſtrum, alia genera Meſuæ in vſu fuiſſe dicendum. certè Auic. obſcurus eſt dum ait. *Pſyllium eſt duorum colorum byemale, & aſtiuum.* nam tempus non eſt color. Nos de Pſyllio officinarum loquemur, & quum maximæ inter auctores de ipſius ſemine ſint quæſtiones, an calidum, vel frigidum, Dioſ. repoſuit lib. 6. cap. 10. inter Venena frigida. at lib. 4. cap. 65. maximè refrigerare cenſuit. Gal. autem 8. de ſim. m. f. 2. ordine refrigerans dixit. &, cum ipſo Auic. At Meſues Pſyllij ſemen compoſitum ex duabus ſubſtantiis diuerſis agnouit, nimirum ex cortice frigido, & ex Medulla calida, & ſicca in 4 gradu. at quum Græci inter Venena frigida ponant, nec tamen ex Gal. ſecundum Ordinem Pſillium excedat. *contrarietas in pſyllio.* non quidẽ erit Venenũ ob ſecũdi gradus frigiditatem, ſed ob aliud. & corticem frigidum, & humidum Arabes dicunt, Auic. Raſis, Serapio, & Meſ. in ſecundo gradu. non poſſumus nos decernere an verà ſit tanta medullæ Pſyllij acrimonia, nondum experti. ſuſpicamur quidem vera dicere Arabes, quia frigiditati ſecundi gradus vis Venefica non eſt tribuenda: & quia hic pſyllij medulla non eſt ex vſu eam nunc dimittemus, & ſolam mucilaginem inueſtigabimus, quæ ab externo cortice depromitur, conquaſſato ſemine integro cum aqua frigida, vt reddatur mucilaginoſa. iubet autem Meſues, ne ſemen conteratur; nam ipſius ſubſtantia aſſumpta exulcerat, quamuis Damocrates (referente Gal. 2. de Antid.) plurimum teri iubeat Pſyllium in quadam compoſitione nil veritus ipſius medullam.

lubricat. Pſyllij Mucaginem corpus ſoluere lubricando ſcripſit Meſ. canonum tex. 5. 15. & cap. proprio: at Serapio, & Auic. ſimpliciter aluum ſoluere ſcripſerunt, ſpecificauit etiam Meſ. eius actiones dicens *ſolutione educere choleram.* quæ quidem vis ignota fuit Galeno, & Dioſcoridi, qui intùs potandum Pſyllium, tanquam Venenum frigidum interdixerunt: non tamen eſt neganda, cautè tamen eſt in vſum trahenda, tum propter metum Græcorum, tum etiam, quia Meſues, qui Mucilaginem laudat, *timeat* (inquit) *ipſum babens debilitatem viſcerum.* hinc Fallopius trac. de med. purg. cap. 64. ſcribit ſe nunquam vti hac mucillagine ad lubricandum aluum, nec vidiſſe vnquam doctum aliquem virum vſum fuiſſe. & cum ſit ſuſpectum medicamentum melius eſſe, vt ipſum dimittamus, necnon etiam Elet. de Pſillio dictum licet tamen mucagine vti in inflammationib. extrinſecis, ad extinguendum feruorem, & ad ſedandum dolorem, pręſertim in oculorum inflammationibus.

Nos in exhibenda Pſyllij mucillagine, nec nimis audaces, nec valde timidi eſſe debemus, laudauit Alex. hanc mucaginem ad expellendam

bilem, in febribus inflammationis multæ, siti vehementi, in inflammationib. thoracis, & ad leniendum asperitatem Pectoris. idem Serapio ex Habicis dictis: necnon Auic. confirmant. Nos igitur non vtemur hac mucillagine ad lubricandam aluum nisi maxima vrgente necessitate, nimirum, propter validam sanguinis, & bilis ebullitionem, internas inflammationes, & erisipelata, intestinorum inflammationem cum excrementis siccis, & asperis, febres ardentes. nam non solum lubricando excrementa educit, sed etiam summe refrigerando, & humectando, contrarias intemperies blandè corrigit, & canone 7. Mesue laudat, quum à maligno medicamento assumpto in Ventriculo, & intestinis pungens, & mordax, & excorians dolor est sedandus; & reliquum medicamentum est expellendum.

Quid agendum. Saluberrimam dixit Mes. t. 9. can. vt cassia, manna, pruna.

Nos vtemur hac mucilagine etiam ad Vomitum excitandum, vt facilè, & sine viarum nocumento educamus calida, acrioraq; Venena, vt sunt Chantaris, Buprestis, Pinorum erucæ, Calx, auripigmentum, Sandaraca, Arsenicum, Sublimatum, & recordor me exhibuisse cuidam mulieri, quæ biberat aquam calcis, infuso etiam litargiro, quæ parata erat ad capillos denigrandos, & guttur vlcerat. Verum non nimis crebrò hæc mucillago est assumenda, quoniam Habix apud Serapionem ventriculum lædere scripsit; atq; animi deliquium, & tandem mortem inducere.

quantum. Mesues ad Leniendam aluum exhibebat mucaginem extractam, ex j. vel ij. aut tribus seminis drachmis. Serapio duarum drachmarum Mucilaginem laudat.

quomodo. Dat verò mucilaginem cum saccharo, iuleb, mulsa, cum Oleo rosaceo, Violaceo, Alhig. d. aut syr. violaceo, rosaceo, &c. ad asperitates linguæ in ore retenta mirè prodest, sed debet semen integrum petia ligari, & aqua macerari, ac ore detineri ita ligatum. Serapio. Mucilaginem extractam sole siccari posse, & ad vsus seruari sine virium detrimento asseruit.

quando. Mes. circa finem Theorematis primi. Hyeme purgantia lubricando vitanda voluit, ne diarrhœas, ac lienterias pariant.

De Pinguedine. Cap. LVII.

Pinguedinem dupliciter diuidimus in Adipem, & Sebum. Græci quidem varia habent nomina; nam παχύτης, crassities, & obesitas corporis dicitur λίπος, seu λιπαρός, idest pinguedo, seu vnctuositas dicitur de sapore vnctuoso, & de materia vnctuosa vti est Oleum. At in animalibus στέαρ latinè sebum, sepum, & seuum vertunt. πιμελὴ autem Adipem, & Axungiam.

Arist. 3. de Hist. Anim. cap. 17. & 2. de part. Anim. cap. 5. seuum, *& Adipem*, dixit, *esse sanguinem concoctum per bonitatem enutriendi, differreq; ex eo, quod in pulpam quidem animalis nō absumitur, sed concoctionis, alimentiq; bonitate præditum est. indicat id pinguedo eorum, cum pingue inter humida commune ignis, & aeris sit; quamobrem nullum ex ijs, quæ sanguine carent, vel adipem habet, vel seuum, quandoquidem sanguis deest.* hæc habet Arist. nos tamen in insectis pinguedinem obseruauimus, nam ex Ventre magni Papilionis pinguedo quædam oleosa fluebat, vt cartas olei modo vngeret, dum mortuum Papilionem inter cartas seruabamus; vidimus etiam muscas magnas ortas ex Vermibus laridi suilli, quæ ventrem crassum, & adipe plenum gerebant. *contra Arist.*

Sebi, & Adipis differentia. Differunt autem Adeps, & sebum, eo quod sepum sit crassius, durius, & in animantibus totam naturam terrosiorem habentibus, & sanguinem corpulentiorem: vnde fit, vt modò fibrosi sanguinis cogatur, tam ipsum, quam eiusmodi ius, cum parum aquæ, multum terræ contineat. iura enim sebo opimorum concrescunt, vt ouis, & Capræ, bouis, cerui, atq; reperitur sepum in animalib. cornigeris, non vtrinq; dentatis, quæ004 licciora sunt, & magis terrestria, igne seuum, nec facilè funditur liquescitue, & fusum celerrimè coit, ac coagulatur, durum, & fragile apparet. At verò Adeps liquidior, & mollior est, celeriter in ignem positus liquescit, nec facilè, vbi liquatus fuerit, rursum concrescit, ac cogitur, nec siccitate aliqua frangitur, quoniam eius natura minus terrena est. & animalia vtrinq; dentata, & cornuū expertia, vt Sues, equi, Gallinæ, anseres, pisces, Anguillæ, Ranæ, &c. pro sebo Adipem habent. Nihilominus confundunt authores sebum, & adipem; ita Diosc. lib. 2. c. 69. στέαρ vocauit omnem pinguedinem Anseris, gallinæ, suis, vrsi, Hirci, Tauri, Leonis, Pardi, Cerui, Asini, Elephantis, Viperæ, Vulpis, piscium, &c. & Gal. 11. de simpl. quamuis cum Arist. censeat, concedit tamen quodcunq; nomen, dummodo, alterum altero sicciorem, vel calidiorem dicamus, sed Dioscoridis interpretes Ruellius, & Saracenus vocem στέαρ (quæ sebum Aristoteli significat, vt diximus) modo adipem, modo sebum vertunt, & malè, quia vna vox græca debet semper eodem modo verti: melius Marcellus, & Hermolaus semper Adipem vocarunt. mihi videtur, quod latinè magis dixissent vocem στέαρ seuum cum Plinio. lib. 11. cap. 37. qui cum Arist. locis citatis retulit seuum in Cornigeris, in alijs Adipem Vocari. sed hæc de nomine lis est.

De Viribus Adipis intus assumpti. Gal. 11. de simpl. suis inter quadrupeda adipem omnium humidissimum dicit. siccior, & calidior Vitulinus, deinde Taurinus, postea caprinus inde leoninus; suillo & calidior Gallinaceus, adhuc etiam Anserinus. in summa pinguedinis Vis ex Gal. humectatoria, & excalfactoria, sed magis, & minus, & quo vetustior eò calidior fit, & tenuium partium. Diosc. lib. 2. *Ius caprini Adipis decocti datur* (inquit) *vtiliter ijs, qui Cantharidum venena hauserunt.* & lib. 6. pro *Vires.*

vati-

Quid agēdum. vniuerſali curatione Venenorum aſſumptorū ad Vomitum prouocandum Oleo miſcet adipem anſerinum, aut pinguium carnium iura, deinde etiam vt aluus lubricetur, *gallinacea iura, præpingues piſces, vetuſtæ carnes pingueſq; & quæ adipe, aut recenti butyro parantur. Alnum namquè ſubducunt, & ſtomachum reſoluentia, promtiorem ipſum ad Vomitum reddunt, & Venenorum acrimonias hebetant, atq; meatus obſtruentia, celerem eorum penetrationem inhibent*. deinde cap. 1. ad cantharides. *gallinaceis carnibus, & hœdinis, aut ſuillis catulis, maximè pinguibus, & tenerrimis, ac cum lini ſemine coctis veſci debent: ſiquidem aluum cient, atq; Venenorum acrimonias hebetant*. eadem laudat ad Pinorum Erucas, Bupreſtes, & Salamandras. deinde ad Aconitum *proponit carnium bubularum præpinguium iura cum Vino ſumpta*. dat etiam iura pinguia epotis calce, ſandaracha, vel auripigmento: adiuuāt enim pinguia facilè Vomitum natura ſua, ſic Gal. 1. de alim. fac. c. 30. nullum pingue vigorem, & robur ventriculo addere ſcripſit, ſed potiùs implere, & ſubuertere. igitur emolliendo, & lubricando relaxat, & obtundit facultatem retentricem, hinc & facilis Vomitus, & facilis deiectio ſuccedit rerum in Ventriculo, vel inteſtinis contentarum.

quātum. Quantitas non poteſt determinari, ſed aſſumendum in cibis ad ſatietatem. in potu ad vnc. ij. iij. & vj. cum iure, Oleo, & decoctis.

De Lenientibus. Cap. LVII.

Medicamenta lenientia appellat Vulgus, ea, quæ lenia & debilia ſunt, quæq; non attrahunt à tuto corpore, nec niſi inteſtina, primaſq; vias euacuant, ac minima moleſtia; vndè etiam clementia, & benedicta vocitant. quo ſenſu lo-*quid leniens.* quutus fuit Fallopius lib. de Med. purg. cap. 18. qui Vomitoria lenientia pronunciat, quæ euacuant, non ſolum à ventriculo; ſed etiam à primis venis, & ab Hepate, non tamen pertranſeunt vlteriùs, adeo vt iſta vomitoria habeant naturam pharmacorum Hypilatorum, & ſint illa, quæ attrahunt, & euacuant per Vomitum tota ſua ſubſtantia leniter tamen, & talem euacuationem ab huiuſcemodi medicamentis per Vo-*ſyrmeſmus.* mitum factam vocari, ait ab Hipp. συρμίσμ. vt dicit Gal. 2. de Artic. com. 48. & inter hæc eſſe Narciſſi bulbum, ſylibum, cucumeris ſatiui radicem, & ſemen, Oximel, folia Lauri, & raphanum infixa radice ellebori. ſed impropriè lo-*Fallopius arguitur.* quutus eſt Fallopius. Nam enumeratorum nullum leniendo euacuat; ſed vel abſtergendo, vel leuiter attrahendo. immo ſi ex ipſo Fallopio vſq; ad Hepar pertingunt, & trahunt; trahentia ab Hepate, non ſapient naturam Hypilatorum, quæ ſtercora tantum ſubducunt, nihil ab Hepate attrahendo. Nec συρμισμός, Vomendi modum rectè explicauit. ſi quidem cum Hipp. in auris fractura ſcripſerit ad repellendum, eſſe *vomendum ſyrmaiſmo* Galenus quidem explicauit eſſe lenem Vomitum, ſed non definiuit modum præciſum, genus tantum tradens, & ad huiuſmodi leuem Vomitum, alijs modis faciendum, addidit alia. nec credibile eſt Syrmaiſmum eſſe nomen generale euacuationis modicæ ſiuè ſurſum, ſiuè deorſum factæ, vt Gal. videtur explicaſſe. nam particulare eſſe mox demonſtrabo. (quod fortè Galeno in memoriam tunc non venerat) cum autem Gal. ſubdit, multa eſſe medicamenta, quæ hoc præſtent, dicendus eſt intellexiſſe, æquales Vomitus, nimirùm modicè exhaurientes. non autem quod poſſint vocari συρμαισμοί. & ex ſuis mediocribus vomitorijs tres claſſes facit. leuiora docet Mel copioſè ſumptum, mulſam minùs dilutam, & cremorem ptiſanæ, ex aqua decoctum, ſeu per ſe, ſeu cum melle; paulò validiùs adhuc Vomitum concitare radiculam, & Balbos Narciſſi. His efficaciorem eſſe radiculam infixis Veratri ſurculis. quæ quidem poſteriora, quamuis fecerint mediocrem purgationem, non tamen erunt lenientia, nec Syrmaiſmi nomen illis conueniet. *tres medicamētorum claſſes.*

Erit autem Syrmaiſmus potiùs Veterum, vt fatetur Galenus, qua à ieiunis ſumpta Vomitus excitabatur, Baſiſq; eius erat Raphanus, à quo nomen ſumebat, nam Συρμαία ἡ συρμαία quibuſdam dicitur raphanus lexicis, Gorreo, Feſio, Pollnce, Hermolao teſtibus. cum Eratiano, qui ſic. *Syrmæa dicitur longus Rhaphanus, quo cum Muria ad purgationem quandam in cibis vtuntur. Syrmeſmuſquè dicitur eiuſmodi purgatio.* quibus verbis innuit purgationem ex Raphano dici Syrmæſmum. Scapula etiam in lexico Συρμαιοπῶλαι refert dici, qui Raphanos vendunt à Pollnce, ex Ariſtophane. Pariter Herodotus in Euterpe de Ægyptiorum moribus. *Singulis menſibus tribus diebus continuis purgationem ex Syrmea adhibent, vomitibus, atq; alui elutionibus ſanitatem conſeruantes*. Modum autem præciſum legimus in Epiſtola Dioclis apud Æginetam. & apud Marcellum Empiricum ſub nomine Hippocratis. *Vtiles ſunt Vomitiones ante cibum, quas Græci Syrmaiſmos appellant. Oportet autem eum, qui ſic vomet, radiculas tenues præſumere, naſturtium, erucam, ſinapi, & portulacam, mox aqua tepida ſuper bibita vomere.* ecce Raphanus Baſis potioris. quod confirmatur, quia Ariſtophanis interpres ſcripſit συρμαίαν eſſe ſuccum herbæ cuiuſdam, quo vtūtur Ægyptij ad purgandum, videturquè fuiſſe Raphani ſuccus, quo etiam plurimū vtebantur cum ſale. ſic cū Hipp. de Mor. Mul. lib. 1. num. 108 ad ſecundas, & fœtum educendum *Conyzam odoratum melle, & reſina ſubactam ex vino odorato, aut Syrmea*, deinde æruginem *melle ſubactam in ſyrmea*. ſuccum raphani interpretarer, potiùs, nam ex Dioſ. menſes, & vrinas ciet. quàm potum ex aqua, & hordeo, ſeù Zea. nam hos potus non laudat Dioſc. vſquè ad aluum purgandā, neq; ad menſes ducendos. niſi potionē ex ſale, & aqua intelligere voluimus, à qua Heſichius deduci voluit συρμαΐσμόν. quod intellexiſſe viſus *Syrmaiſmus declaratur.* *Syrmea ſuccus Raphani.*

est Herodotus cum de Ægyptijs scripsit. *Tertia verò haec est conditura, qua adornantur, qui tenuiore sunt fortuna. Per syrmeam purgationem ventrem percolantes, sale per 70. dies arefaciant.* Vbi sensus esse videtur ad purganda excrementa in Cadauerum intestinis contenta percolandam esse Syrmeam, idest Aquam salsam. quæ aptior videtur, quam Raphani succus. Non tamen absurdum est succo Raphani id præstari potuisse, in Ægypto præsertim, (vbi maxima copia Raphani serebatur, ex semine Oleum exprimebatur.) eo etiam quia & cum Sale Raphanus in vsu erat. & pro consueto victu. vnde in Pyramidibus condendis, referunt Plinius, lib. 36. cap. 12. Herodotus, Diodorus, & Iulius Pollux pro operarijs, in Raphanum, Cæpas, & Allium talenta Mille octingenta erogata fuisse. Sed quicquid sit. De Syrmeismo. iam constat non esset leniens medicamentum. Nos autem Verba facere intendimus de Medicamentis, quæ facultate propriè dicta *leniente* vomitu purgant, qua etiam Mesues dixit Cassiam fistulam, & Mannam lenire aluum, scilicet, lenes faciendo partes per quas fit Euacuatio, iam enim probauimus Excrementa fieri lubrica, non partes immobiles. nunc dicendum è contra partes leniri, dempta asperitate; vndè etiam dicta est læuitas intestinorum, seu lenitas.

Herodotus habet Syrmeam.

Dubitatio.

Dubitatum autem est, num lenientia, & lubricantia eadem sint, & cum multi multa respondeant, nobis tamen dicendum videtur, eum lignum lene aliud fit à lubrico, nam lenitatem habet à sua forma, & lubricitatem à re externa. ita aliud medicamentum esse, quod lenia facit intestina, aliud verò, quod lubrica. ita Arabes eum Cassiam, & Mannam lenire dicunt, & Mucilaginem Psillij lubricare, intelligunt diuerso modo agere; nam mucilago viscida non finit persistere excrementa. Cassia autem, & Manna, habent simul quid abstergens; vndè omnes asperitates intestinorum tollendo ea lenia faciunt, & cum idem præstent Oleosa, & pinguia, dicemus hæc esse substantia tenuiori; nunc satis est Oleo perunctа esse; sed interiùs etiam ingreditur Oleum, emollitquè, indurata, quod lubricans mucago non facit.

lenient, & lubricant diuersa.

Inter Vomitum autem iuuantia facultate leniente, emolliente, & laxante nos afferemus Oleum, lac, & Butyrum.

De Butyro. Cap. LXIII.

BVtyrum pinguior lactis pars est, & Oleosæ naturæ ex Plinio, Dioscoride, Galeno, atq; Hipp. 4. de Morb. tex. 25. dictum fortè *Butyrum*, quòd è bubulo potissimum lacte extrahatur; hoc enim copiosum butyrum reddit, parcius ex alijs animalibus; immò inter boues, Vaccarum rubrarum lac maiorè Butyri copiam reddit, quàm aliarum Vaccarum. quare omnium maximè butyrosum est. Attamen ex Ouillo, Caprinoq; lacte, Plinio, & Diosc. testibus extrahitur. necnon etiam ex Equino, vt referunt Hipp. & Herodotus. Sed licet minori copia è lacte Ouillo, & Caprino extrahatur butyrum; tamen hoc modicum butyrum, pinguius est copioso illo bubulo, si credimus Plinio.

Butyri etymon.

Calidæ, & humidæ est facultatis in principio primi gradus; ideò facultatem habet emollientem, concoquentem, lenitiuam, & non nihil abstergentem, fortè (vt quidam disputant) ob seri nitrositatem adhuc permixti butyro recenti. Vetustate autem acrius sentitur; vndè calidius, & tenuius redditum censuit Gal. 10. de simp. m. fac. At si sale condiatur, vt seruari possit; non solum calidius, & magis abstergens reddetur; sed etiam minùs emolliens. Diosc. quidem *emollire* dixit. vndè largiùs epotum ventrem resoluit, & prodest vbi Oleum non adfuerit *contra Venena*, cui consentiens Auic. lib 2. trac. 2. cap. 116. scripsit Butyrum esse Theriacam Venenorum in potu sumptorum. Relaxat autem Ventriculum magis, quam Oleum; nam Oleum aliquid adstrictionis in se continet Butyrum nihil, Oleum est siccum, Butyrum humidum, vt etiam adnotat Isaac de Diętis lib 1. cap. 57. ideò copiosè assumptum dicitur Nauseosum esse. immo censeo alicubi, me legisse Butyro assumpto famem, & sitim tolli, (quod Hippaci, seu caseo equino tribuunt alij.) quod si verum est, fient à nimia relaxatione oris ventriculi. Mesues autem. Serum non extracto butyro lenire; sed eo extracto abstergere docuit. vndè Butyrum per se maximè lenitiuum dicemus nos.

Temperamentum.

emolliens.

Vnum de Butyro nunc in mentem venit, quod etsi adhunc propositum non facere videatur, tamen est scitu dignum. hoc est Cardanum lib. 17. de subtil. scripsisse. *Cur butyrum prohibet quandoq; nè aqua ebulliat? an quia densum cum sit, aereum, ac pingue trahit ad se vapores, qui feruere aquam faciunt.* At hoc quidem videtur nullius vius. si quidem maximum hoc est secretum. quod alij patefacere recusant ij, qui Saccharum purificant dum enim ebullit magnū Ahenum sacchare plenum plusquam centenis libris, semiuncia butyri iniecta facit, vt nihil eleuetur, nihil effluat è pleno vase; dum saccharum bullit, natura quidem aptum spumescere & e vase effluere. vius ergo talis butiri vtilis erit Aromatarijs, & ijs qui sacchare condiunt fructus, ne saccharum in Vase bulliens diffluat.

Butyri vsus elegans.

Sed redeamus ad Butyri facultatem Vomitoriam; quod cum leniat, & relaxet Ventriculum, & Oesophagum, & ideo nauseam excitet. Huius auxilio apte poterimus Vomitum excitare ab assumptis Venenis aeribus, & corrosiuis; simul enim lenientur, & defendentur partes contra vim corrosiuam, & obtundetur vis ipsa acris, & erodens.

facultas.

Quid agendum.

Diosc. lib. 6. de Venenis in communi, iubens optimum esse Vomitum excitatum, ait. *Si Oleum natura loci negat, Butyrum cum aqua calida.* Isaac de Diętis particularib. contra Venena valere

Dioscorides.

Isaac.

Æginet. Aetius. Halyabbas.

valere dixit, ſed aſſuefactum ſtomacho nocere, quia villos, & ſtomachi aſperitatem lenit. Paul. Ægin. lib. 5. cap. 29. ſubſcribit Dioſcoridi. vti etiam Aetius ſerm. 13. c. 48. Halyabbas 4. pract. cap. 38. ad Venena in communi dat copioſam aquam calidam cum Vaccarum butyro, & Vomitum prouocat, & pluries repetit donec omnino mundatus ſit ſtomachus. & cap. 39. laudat Butyrum pro Vomitu ad Napellum, cap. 40. ad Cantharides. cap. 41. ad fel leopardi. cap. 42. ad ſudorem, vel extremitatem caudæ cerui. cap. 49. ad leporem Marinum. cap. 50. ad Caſtoreum. ad Beledarum, &c. ex recentioribus Crato. conſ. 25. Ioan. Zecch. conſ. 66. vtuntur butyro ad Vomitum contra Venena. Petrus de Ebano de Ven. cap. 5. *Si ignotum fuerit Venenum, aut Medicus fuerit abſens, & dubitatum fuerit de Veneno, cuiuſcunq; fuerit ſpeciei, tunc ſtatim butyrum cum aqua calida ſimul diſſoluta bibatur, & cogatur euomere, & prius Vomitum cum butyro, iterum vomere cogatur cum aqua Mellis.* hoc etiam vtitur ad Gipſum, ſcoriam ferri, litargirum, viride æris, azurum, Minium, cinabrium, Realgar, Napellum, Anacardos, malum Caſtoreum. & ad ſemen ſerpentariæ. ac leporem marinum, & ranam Marinam. Arnaldus de Villa noua etiam laudat Butyrum, pariter Raſis. Rabi Moyſes tract. 2. cap. 2. Ioan. Gadeſden in Roſario lib. 2. cap. vlt. particula de cura Veneni. Ponzettus lib. 2. de Venen. cap. 10. Arduinus. Cæſalpin. de Venen. cap. 9. Guainerius de Ven. c. 7. in communi, & ad malum Caſtoreum. Mercur. de Venenis lib. 1. cap. 22. & alibi. Capiuaccens, & alij.

Crato. Io. Zecch. P. de Ebano. Arnald. Raſis. Rabi moſes. Ioan. Sadeſden. Pōzett'. Arduinus. Ceſalp. Guainer. Mercur. Capiuac. quātum. agēdum.

Copia Butyri debet eſſe multa, vt libra vna pro Vice.

De Lacte. Cap. LIX.

LAc Græcis τὸ γάλα γάλακτος, vndè Latini dempta prima, & vltima ſillaba lac dixere. Plautus *Lacte* in nominatiuo ſcripſit, & Soſipater vocem magis latinam iudicauit, communiter etiam neutro genere proferunt; ſed Plautus in Bacchides actu 5. ſcena 2. *Quæ nec lactem, nec lanam vllam habent,* inquit.

nomen.

De materia autem lactis maxima eſt diſſentio inter Hipp. & Gal. quæ ſedari nulla ratione poteſt. ſiquidem Hipp. materiam Lactis docet *ſuccum ex cibis, & potibus.* Gal. verò cum Ariſt. & ſequacibus *ſanguinem* aſſignat. & 16. de Vſu part. c. 10. Ex ſang. exactè cocto.

Quæſtio.

Galeni ſententia probatur 1. ex Ariſt. 4. de generat. Anim. cap 8. *eadem* (inquit) *materia eſt, quæ alit, & ex qua generationem natura conſtituit, eaq; ſanguineus humor in ſanguinem habentibus eſt: lac enim ſanguis concoctus eſt, non corruptus.* cum quo ſentiunt Auer. in comm. & Peripatetici communiter.

Galeni ſententia.

Prob. 2. ex Hipp. lib. de hom. ſtructura. num. 6. *lac autem* (ſcribit) *& eodem modo genitale ſemen hominis ex ſanguine gignuntur, & hoc certum eſt: ſi enim homo genitali plus nimio vtetur ſanguinem pro ſemine emittet; ſimiliter autem, & fœmina, ſi plus nimio lactare cogentur, ſang. elicitur.* ergo lac ex ſanguine fit.

ratio.

Prob. 3. Mãmæ cum Vtero maximam habent ſocietatem; nam fluentib. menſibus non gignitur lac, ceſſantib. verò apparet. ergo vtriuſq; eadem eſt materia, nimirum ſang. & Hipp. de Nat. pueri num. 21. dixit venas eſſe ab vtero ad mammas, & ab vtero lac retrucedere ad mammas. Gal. de V. ſec. aduer. Eraſis. 5. Vna, & lactis, & menſtruorum ſubſtantia eſt, amborumq; vt quiſquè dixerit, riuorum fontes communes venæ ſunt. Quamobrem, quibuſcunq; per ætatem menſes fluere ceſſarunt, his neq; in mammillis lac amplius colligitur, quæcunq; etiam purgandi tempora adhuc habent, ac interea lactant, hę non purgantur. Præterea cum mulieri lactanti ſanguis per locos eruperit illico lac huic euaneſcit. Ad hæc quæcunq; animantia vtero non gerunt, his neq; lac vnquam adeſt. rurſus quibus id ſuppetit, illa etiam ad concipiendum à natura idonea ſunt.

Prob. 4. ex Gal. 1. de ſan. tu. cap. 7. *ſanguine,* ait, *dum adhuc in Vtero geſtamur, ali nos conſtat, ex ſanguine verò lac gignitur pauciſſimam in mammillis mutationem adepto.* & 16. de Vſu part. c. 10. *lac, ac ſemen* (inquit) *ex ſanguine exactè cocto generantur. coctionis autem perfectionem tempus moræ, ac conſuetudinis cum vaſe ferente ipſis tribuit: mora enim ex neceſſitate accidit in longioribus, longiora verò ſemper ſunt, quæ è longinquo veniunt.* quam ſententiam confirmat. 7. de Hipp. & Plat. decretis cap. 3. & alibi.

Eiuſdem ſunt ſententiæ Oribaſius. 6. aph. 9. & 11. Auic. lib. 3. fen. 12. tract. 1. cap. 1. Iſaac de dietis lib. 1. cap. 57. & lib. 2. par. 5. Auega, Fuchſius, Valeſius, Triuerius, Vgo ſenenſis, & alij ſuper 5. aph. 40. item Amatus in Dioſ. enarr. 64. Altimarus de Morbis. cap. 56. Balduin. Ronſeus Epiſt. 6. Baricell. de lacte. cap. 1. Andernacus. com. 1. dial. 6. Conſtant. Varolius Anatom. lib. 4. cap. 6. Card. lib. de Alimento. lect. 59. tex. 66. Euſtach. Rudius lib. 1. cap. 44. Franc. Alexandri radio 1. in Elect. Diaſatyrion. Io. Hucherus lib. 3. de ſterilib. Lud. Mercatus lib. 4. de m. mul. c. 16. Matt. in Dioſc. Mercurialis de morb. puer. lib. 1. cap. 3. Omni bonius de mor. puero. lib. 1. c. 1. Pet. Salius 4. de morb. 32. Rodericus à Caſtro de Nat. Mul. lib. 4. cap. 9. & 10. Stephanus Rodericus Caſtrenſis de ſero cap. 1. Scipio Mercur. in Obſtetrice lib. 3. c. 4. Trincau. de ratione curandi lib. 6. cap. 13. Valeſius de ſacra Philoſoph. cap. 45. Veſalius de Hum. corp. fab. lib. 5. cap. 18. & alij plures, nuperrime autem Stephan. Caſtr. 4 de Alimen. quæſt. 8. *Galenici.*

Altera ſententia eſt Hippocratis, cuius ſola auctoritas, & iudicium, æquiualet, ac præualet citatis omnibus auctoribus. & ab Hipp. nec receſſit Martianus, nec recedemus nos. cum ſolidiſſimæ rationes, & certa experimenta hanc *Hippocr. Opinio.*

confir-

confirment ſententiam. nimirum lactis materiam proximam eſſe chylum in ventriculo genitum ex cibis, & potibus in ventriculo concoctis, & per poros in vivente corpore apertos immediatè, & rectà à Ventriculo ad mammas transcolatum, veluti per pannum aliquem.

Et quod huiuſmodi fuerit Hipp. ſententia, patet ex dictis, quæ pluries repetijt. ſiquidem lib. de Nat. pueri num. 21. *lac autem*, inquit, *ob huiuſmodi neceſſitatem fit. Quum Uteri tumidi præ puero ſunt, ventrem mulieris comprimunt, eius autem pleni vbi compreſſio contigerit: pinguiſſimum de cibis, ac potibus foras proſilit in omentum, ac carnem, Quemadmodum ſi quis corium illinat multo oleo, & imbibere permittat, & vbi imbibit, corium ipſum premat: Oleum vtiq; exilierit foras ex corio compreſſo: ſic etiam ſi venter pinguitudinem in ſe habeat à cibis, ac potibus, comprimaturq; ab vteris, pinguitudo proſilit in omentum, ac carnem. Et ſi rara carnis mulier fuerit, citiùs percipit eius perſultationem: ſi non poſteriùs. Quin & pecora prægnantia, ſi non ægrotent, ab eodem potu, ac cibo pinguiora propterea fiunt. ſimiliter autem, & Mulier. Et à pinguitudine calfacta, ac alba exiſtente, quod edulcatum eſt à caliditate, quæ ab vteris acceſſit, expreſſum venit in mammas, & in vteros quoq; parùm venit per eaſdem venas: tendunt enim & in mammas, & in vteros venulæ hæ, & conſimiles aliæ. Et vbi peruenerit in vteros de lacte: puer ipſo paululum fruitur, mammæ verò ſuſcepto lacte impletæ attolluntur. Et vbi peperit mulier principio motus facto: lac in mammas ipſas procedit, ſi lactauerit: ſic enim res habet, dum mammæ lactant, ac exugũtur, venulæ in mammis ampliores fiunt; ampliores autem factæ à ventre pinguitudinem trahentes, in mammas diſtribuunt.*

Hippoc.

Hæc ſunt clariſſima Hipp. verba, vbi aperte dicit lac fieri ex cibis, & potibus, nimirum ex horum parte pinguiſſima à ventriculo ad mammas delata, non autem ex ſanguine, vt male citant hunc Hipp. tex. Scipio Mercur. in Obſtetrice lib. 3. cap. 4. L. Mercatus. de M. Mul. Baricell. de lacte. pag. 8. & alij, qui dicentes hoc textu Hipp. velle lac fieri ex ſanguine puriſſimo, oſtẽdunt, vel ſe non legiſſe Hipp. vel non intellexiſſe clarè loquentem, vel vi trahere voluiſſe in Galeni ſententiam. Steph. à Caſtro de Aliment. ſec. 4. Qu. 8. Art. 2. cum alijs nonnullis cenſet lib. eſſe ſpurium, cum videatur ſibi contradicere, & ſententiam damnari à Peramato de Hom. procreat. cap. 15. ſed inualida repulſio, cum omnes Hipp. tribuant. nec Peramatus tantus eſt, qui præualeat Hippocrati idem alibi ſentienti.

Hippocr. concorſ. Sed confirmat, & commendat hanc ſuam ſententiam Hipp. idem lib. 1. de M. Mul. num. 72. & 99. ſcribens. *At verò lac quomodo fiat, dictum eſt à me in Natura pueri in partu. Poſtquam autem prægnans fuerit mulier, menſes non valdè prodeunt, præterquam quibuſdam pauci; dulciſſimus enim humor ex cibis, ac potibus ad mammas vertitur, ac exugitur. Et neceſſe eſt etiam reliquum corpus magis euacuari, & minùs ſanguine plenum fieri. Atq; hoc ita contingit. ſunt autem, quę natura ſine lacte ſunt, & quibus lac deficit ante tempus. Hæ verò natura ſolidæ ſunt, & denſæ carnis; & propterea ſufficiens humor non penetrat à Ventre in mammas, quum via ſit denſa.* quibus verbis Hipp. apertiſſimè declarauit totam naturam lactis.

Idem Hipp. 2. Epid. ſect. 3. *A cibis, & potibus*, inquit, *humeri, ac mammæ inflantur*; quib. verbis indicat mammas repleri cibis, & potibus non ſanguine, & quod in his continetur, lac eſt. ergo lac à cibis, & potibus non autem à ſanguine fit. paulò poſt ſubdit. *Primiparàrum lac, alimento quidem tranſmutationem accipiente, octimeſtri verò perficiente.* nimirum quando alimentum tranſmutatur in ſanguinem, quo vterus vtitur non apparet lac, ſed quando alimentum, ſeu ſuccus ciborum tranſmutatur, ſeù non ampliùs fertur ad hepar, & inde ad vterum, quod contingit ante octauum menſem, & perficitur octauo; ſed tranſmutatur ad mammas, tunc lac gignitur; intelligit autem de futuro Alimento, non de actuali.

libro de Gland. Idem Hipp. lib. de Gland. num. 11. ſcripſit. *Glandulæ in pectoribus mammæ appellantur, alimentum, quod in ſe trahunt in lac permutant.* hic non dicit Hipp. lac ex ſanguine, ſed ex Alimento; vndè lac erit reliquia alimenti, & pro alimento non intelligit ſanguinem. Nam lib. de Alimento. num. 8. ſcripſit. *lac, & ſanguis alimenti ſunt redundantia.* At malè cenſuit Card. in hunc locum lect. 59. lac eſſe ſanguinis redundantiam: quia non eſt ad mentem Hipp. ſed redundantia alimenti duplex eſt, vel lac, vel ſanguis. Vndè ſi ſanguis eſt alimenti redundantia, Alimentum non erit ſanguis; aliàs ſenſus Hipp. eſſet ſanguinem eſſe ſanguinis redundantiam, quod abſurdum: Nec valet, quod Valeſius hoc loco habet, ſanguinem menſtruum prō ſanguine intelligi. Quia hic Hipp. paulo ante explicauerat alimentum eſſe, vel lac, vel vinum, vel carnes, & huiuſmodi alia, quæ ore aſſumuntur, & in ventrem ducuntur. dixit enim *Principium alimenti, & humidi, & ſicci os, gula, venter: Verùm antiquius, & primordiale alimentum, per abdomen Vmbilicus.* Quo patet Hipp. hic intelligere alimentum, quod ore in ventrem ingeritur, & ex hoc duæ fiunt partes ſanguis, & lac. Dicuntur *redundantia*, quia etiam ſi ſanguis ſit nutrimentum carnis, tamen in venis redundat, quia copioſiùs fuit ingeſtum alimentum, quàm pro partium nutritione opus ſit. quod idem de lacte eſt dicendum, hoc enim ex nimia alimenti copia in Ventriculo redundans ad mammas defertur.

Cardanus reprehenſus,

alimentũ quid.

Eiuſdem eſt ſententiæ Auctor lib. 4. de Morbis num. 28. ſi non fuit Hipp. qui agens de cauſis calculi, ſeu de lacte impuro, ſcripſit. *Lac autem in nutrice impurum fit, ſi pituitoſis cibis, ac potibus, & alimentis impuris nutrix vtatur: conferunt enim omnia in Ventriculum illabentia in ipſa ad lac.* Ergo ex Hipp. 1. cauſa lactis impuri

lactis materia.

puri est materia praua in ventriculo contenta; nam quum lac extrahatur à Ventriculo, omnia, quæ in ventriculum illabuntur, conferunt ad lactis generationem, idest sunt materia lactis. deinde subdit. *Si nutrix non sana fuerit, sed biliosa, aut aquosa, aut sanguinea, aut pituitosa; lac enim malum puero generatur: consentiunt; enim corpus, & Ventriculus. Plurimum verò ipsi ad lac cedit de eo, quod ipsa plurimum in se ipsa habuerit.* hæc est altera causa prauitatis lactis, nimirùm abundantia humorum in corpore, quia humores in toto redundantes confluunt, & refluunt ad Ventriculum, à quo desumitur materia lactis: & quia lac fit ex omnibus, quæ ad ventriculum allabuntur, vt ipse dixit: hinc confluente ad ipsum bile extrahitur lac biliosum, confluente sanguine lac sanguineum, quod improbat hic Hipp. & indicat lac bonum non fieri ex sanguine, sed malum; & si lac non extraheretur à Ventriculo, non dixisset Hipp. consentire corpus, & Ventriculum ad lac gignendum, quia postquam succus exijt à ventriculo, & pertransijt ex hepate in venas, non requiritur ampliùs ventriculi cum corpore consensus. Quare voluit Hipp. Ventriculum esse locum à quo extrahitur proxima materia lactis, cum quo, quia corpus consentit, sæpè ad eum transmittit, quicquid redondat, quod negari non potest, quum videatur euacuari per Vomitum redundantia; vndè transmissi dicti humores ad Ventriculum miscentur cum cibis, & potibus, qui sunt consueta materia lactis, & vna feruntur ad mammas, sic lac inficiunt. Pergit etiam Hipp. dicens, *procedit autem, & quod bibit nutrix, & lac in ventriculum pueri, tale qualr trabit à Ventriculo de lacte.* At Caluus hæc eadem verba sic Vertit. *In pueri ventriculum talis lactis potus descendit, qualis in nutricis ventriculo, & lacte fuerat.* quo patet ex Hipp. puerum sugere potum, & lac, quod extrahitur è ventriculo nutricis: clara igitur est Hippocr. opinio, quam dissimulauit Gal. nec de ea verbum fecit, sicut etiam Costęus, Baricellus alijq; Galenici, qui de lacte ex professo scripserunt, solos Prof. Martianus inter tot, quot legi, Hipp. Opinionem hanc considerau t, & pro viribus ratione, & experimento comprobauit, cuius vestigia nos quoq; insequemur primo rationibus, deindè experimentis ipsam confirmando.

locu ventriculo;

Prima ratio est. Si tota lactis materia esset sanguis perfectam sanguificationem iam antea consequutus in hepate, impossibile esset mulierem lactantem viuere, nedum incolumen permanere; constat enim infantem singulo die vltrà duas lactis libras sugere, quod quidem si ex totidem libris sanguinis constaret, sequeretur à mulieris corpore duas sanguinis libras quotidie excerni. Sed quæ mulier tantam sanguinis iacturam facere potest, quin pereat breui? quando videmus eas, quæ ab immodico fluxu menstruorum vexantur, longe minori sanguinis excretione non longo tempore in cachexiam incidere, & perire? namq; nec ventriculus tantam ciborum quantitatem superare, nec hepar sanguificare potest, quæ & corporis nutritioni, & sanguinis excretioni satisfacere queat. Quod si eadem materia lactis censetur in belluis, certum est, plures singulo die tantam copiam lactis dare, quantam sanguinis non capiunt venæ totius corporis. Nam Vaccæ in Epiro, vt Arist. testatur lib. 3. de Hist. An. cap. 21. singulæ lactis amphoras singulas implent, quæ quidem, quantumuis magnæ, facta sanguinis in lac transmutatione exangues omnino redderentur. Amphoram enim 80. libras capere iam notum est. At supracitatus. Steph. à Castro. ad 1. Resp. sang. ad lactis materiam reseruatum quotidie noui alimenti ingressu largiter restaurari, &c. at non soluit Argumentū de quantitate sanguinis in lac mutati, quę impossibilis est. nec valet Responsio ad sang. fluxum. quòd sit lac opus naturale non preter Nat. nam sanguinis excretio omninò esset, si lac sanguis esset, sit quantum vis naturæ opus.

à copia sanguinis lactis e... mulsi.

Secunda. si Mulieri vtero gerenti non fluunt menses, quia sanguinis exiguum quotidie absumitur in fœtum: quomodo possibile esset, lactanti meustrua fluere, si singulis diebus tanta sanguinis copia in lac absumeretur. constat enim plurimis menses secundum naturam fluere transactis potissimum octo, vel nouem mensibus à partu: indicium probabile aliam esse materiam lactis, & aliam menstruorum. Nec Steph. hoc soluit licet aliquid dicere velit videri.

à mēsib. fluentib.

Tertio Corpus assuetū generationi tantæ sanguinis copię, statim in perniciosā plethorā incideret, vbi mulier lac dare cessaret, & tamen nihil incommodi alicui euenisse obseruatum est, imò nec menses ante consuetum tempus ijs erumpunt, nec copia consueta maiori, signum euidens nihil, aut parùm consuetæ excretionis retentum esse, quando nec nimiam quidem sanguinis repletionem inducere potuerit.

Tertiū Arg. Martiani. Stephanus irridet, nō soluit. cum id ipsi etiam notum sit. Nat. sui muneris non obliuisci. sed recordetur quantum velit. non potest ex munere assumpto gignendi tātum sanguinis, cessare illico absq; noxa, vt cauterijs, qui diu fuerint gestati, & cessarunt fluere, succedit. Stephanus semper recurrit ad prouidam naturam, & vellet Martianum magis consideratum, nos autem ipsum Naturæ opera explicantem, non pretermittentem, & admirantem.

Quarta. si ex sanguine lac generaretur, siue ab vtero, siue à qualibet parte ad mammas secedente, purgationes puerperij cessarent omnino, dum lac, secundo à partu die tanto impetu fertur ad mammas, vt puerperarum plerisq; febris ex lacte appellatur; ita enim fieret reuulsio maxima ab vtero, sanguine confestim ad mammas irruente, & nihilominus eodem tempore, & puerperia copiosè erumpunt, & lac abundat in mammis: signum etiam euidens, aliam esse materiam lactis, aliam puerperiorum, quorum si portio quædam ascendit ad mammas, propter motum

A puerperijs.

motum concitatum in vtero tempore partus, cuius calore excalefactæ mammæ maiorem succi copiam postea trahunt à ventre; hæc non est tanta, quæ puerperia impedire, aut auertere possit. Nec verè soluit hāc rationem Stephanus, licet extra rationem loquatur.

Quinta. si tota materia lactis esset sanguis ab vtero transmissus ad mammas, natura ductus maiores constituisset, eosq; continuatos; non adeò exiles, & per anastomosin inuicē communicantes, quotiescunq; enim materia copiosa ad multam distantiam ferri debet (ad proximiora enim loca sufficiunt porositates, vt de mammis, & cornibus testatur Hipp.) natura ductus amplos eosdemq; continuos ipsi dicauit. Sed vasa, quæ ab vtero tendunt in mammas, adeò exilia sunt, vt plurium anatomicorum nouaculas euaserint. qui tamen ea cognouere, eo artificio confecta esse testati sunt, vt superiora à mammis descendentia secundum extremitates tenuissimas communicentur vasis, quæ ex vtero sursùm ascendunt ad epigastrij regionem, idque à prouida natura factum est, quia si maiores, & continuati adfuissent ductus ab vtero ad mammas, periculum erat, ne aliquando sanguinis tanta copia raperetur à mammis, vt fœtus nutrimento priuaretur, quare angusta vasa confecit conuenientia paucitati materiæ, sanguini scilicet ascendenti ab vtero ad mammas, & lacti vicissim descendenti ad vterum pro ipsius fœtus refectione, vt Hippocr. indubitatum fuit. Respondet Stephanus à natura suppleri necessitatem exilitate, & difficultate vasorum, ob quā sang. commorans, multum de prauitate deperdit. sed non soluit argumentū, & cur statim ab assumpto cibo mammæ repleantur, si necessaria est exilitas, & distantia vasorum. remanet igitur Martiani Argumentum validum.

à ductibus.

Sexta. Si lac ex sanguine generaretur (inquit Martianus) non ex succo à cibis, & potibus expresso, impossibile esset Odorem, & facultatem ingestorum adhuc retinere, quandoquidem nullus odor, aut qualitas manifesta obseruatur in sanguine cibariorum è quibus conflatus est, & multò minùs in ijs, quæ ex sanguine generantur. Contra verò lac sæpe odorem retinet, & facultatem ingestorum, vt docet Hipp. 6. Epid. sect. 2. *Mulier, Capra, Elaterium, &c.* & multiplici experientia confirmatur. Hic cogitur Steph. fateri totius sanguinis, & carnis odorem, & saporem mutari. quod absurdum. Nā si in Boue indico caro ob assiduum cassiæ pastum sit solutiua. non vnica cibatione, tale accidit. sed lac tale euadit per aliquot horas. vnde nihil obstat Stephani responsio.

ab odore & viribus.

Septimo etiam dicemus è Mammarum situ materiam lactis deprehendi, positæ enim sunt in pectore mulierum supra ventriculum, non autem propè hepar, neq; propè vterum; & in bellnis in abdomine, signum certum à Ventriculo materiā lactis extrahi non ab alio loco.

à positu mammarum.

Octauo. si lac esset sanguis concoctus, & alteratus in meliùs, eius excretio esset valde nocua, etenim si vel per nares, vel vterum, vel hæmorrhoidas, vel etiam secta venā alicui quotidie tantum sanguinis excerneretur quantum lactis à puero attrahitur, scilicet lib. j. vel ij. proculdubio cachexia, vel consumptio, & demiq; breui mors succederet, & tamen videmus nutrices benè coloratas, & potiùs pinguescere, quam extenuari.

ab excretione.

Nono. si lac fieret ex sanguine, & esset sanguis bis coctus, vt Galenici affirmant, esset spirituosius sanguine, (veluti semen) & sanguine puro perfectius, & purius: vndè non solum pauca ipsius euacuatio maximè corpus debilitaret, vt efficit seminis effusio: sed absurdum esset, Naturam constituisse, & nutrisse puerum tenerrimum, & imbecillum in Vtero ex crasso, simpliciq; sanguine Matris, puero verò validiori parasse nutrimentum tenuius, & ex sanguine iterum concocto, magisquè attenuato, & depurato.

à spirituositate.

Nec valet quod Arist. scribit 4. de Gen. Anim. cap. 8. quod eadem fit mat. lactis, & seminis, seu excrementi, ex quo vnumquodq; generatur; quia eadem est nat. quæ alit, & ex qua fit generatio, cum non solum extrà corpus hoc sit falsum, sed etiam intra. Extrà quidem, quia lac debet esse quid medium inter sanguinem, quo alebatur in vtero, & cibos, quib. vti debet grandior factus. intrà verò, quia semen est agens, alimentum, idest sanguis patiens, vnde diuersas debent habere qualitates. quod si internum alimentum est sanguis simplex: semen est ex purissimo, & iterum cocto sanguine. Vnde si internum alimentum est sanguis, & semen fit ex sanguine purificato, alimentum erit imperfectius semine, quod si ita est, non debet externum alimentum purius esse sanguine, & æquale semini agenti, & quod diuersa sit mat. quæ alit, & ex qua fiat generatio, patet in ouo, in quo album, in generatione pulli se habet, vt agens, luteum, vt alimentum, nec alterum fit ex altero magis concocto.

Contra Aristotelem.

Decimo rationi cōgruū est dicere lac esse sanguinem crudum. scilicet succum prima coctione in Ventriculo depuratum, & segregatum, quod à mammis attractum paruam mutationem in ipsis adeptum ob coctionem ibi factam à vi propria mammarum, euadir lac, qui succus si ferretur ad Hepar in itinere diceretur chylus, in hepate euaderet sanguis. Puer enim in vtero nutritur sanguine, at extra Vterum homo factus, sese grandior puer nutriri debet cibis durioribus suis dentibus præparandis: vndè à sanguine purissimo, & tenuissimo, quo conflatus, & nutritus est in vtero, debet procedere ad cibum crassum, & durum; quæ sunt extrema: Verum quia ab vno extremo in aliud non est facilis trāsitus: ideo antequam fiat transitus à sanguine ad cibos, debet intercedere quid medium sanguini forma humida simile, sed imperfectius, quod neq; sit sanguis purus, neq; merus cibus. Quare constituit Natura puero lac, veluti medium quid, purius cibo, impurius sanguine,

à gradib. alimenti.

quod

quod cum fit chylus, seu succus ciborum in ventriculo alteratorum, non dum tamen in sanguinem versus, erit quid perfectius cibo, nimirum cibus concoctus, & depuratus, erit pariter quid sanguine imperfectius, quum fit eius mat. proxima, & apta in sanguinem verti, nec dum tamen conuersa.

à perfectione alimēti. Vndecimo. Pueri in Vtero nutrimentum, vt esse debebat sanguis, ita mox in lucem edito chylus conueniebat, scilicet nutrimentum crassius, & imperfectius vno gradu. patet hoc, quia natura nutriens embrionem sanguine per venas vmbilicales, sanguinem deducit ad hepar infantis, vbi parum quid alteratus fit ipsius embrionis sanguis. At nutritura maiorem puerum, & in lucem editum, ac à matre separatum præbet lac, idest chylum matris, nec amplius in iecur deducit, sed in ventriculum, ore è mamilla sugendum, vbi iterū coquitur, & vt noluit puero in vtero offerre chylum ad ipsius hepar, ita extra vterum, noluit Ventriculum replere cibis, sed obtulit chylum à matre præparatum, vt ventriculus debilis adhuc semiconcoctum alimentum facilius euinceret, At deutibus enatis cibis debet assuesci.

à fecibus puerorū. Duodecimo. si lac fieret ex sanguine depurato, iterumq; cocto, minùs fęcis deberet relinquere, & tenuius esse ipso sanguine: tamen videmus quod pueri in vtero nutriti sanguine paucissimum emittunt stercus, lactantes autem copiosum. Quare fatendum videtur lac crassius, & impurius esse sanguine; illud autem acescere, quod breui contingit lacti mulso, arguit imperfectam mistionem succorum ex cibis mox mox concoctis; nam si bis coctus depuratuś; sanguis esset, diutiùs conseruaret suas qualitates.

à temperamento. Decimotertio. Ex temperamento lactis à Gal. concesso aperte cognoscitur non esse sanguinem concoctum; sed crudum, dicitur enim *lac esse frigidius sanguine*. vt 5. de simp. m. fac. 21. *in medio pituita, & sanguinis est lac, vtiquè quod ad calorem attinet, non tamen aquè ab vtroq; abest, sed longius abest à pituita proprius accedit ad sang.* & lib. 4. cap. 17. dixerat. *in lacte vincitur à frigore magis caliditas, quam ipsa vincat*, & lib. 1. c. 2. inter frigida numerauit lac, & 1. aph. 40. dixit. *tantò frigidius esse lac sanguine quanto adenes bi hepatis carne frigidiores sunt*. ergo Mammæ concoquunt lac è succo Ventriculi, vt ex eodem hepar sanguinem. Et si lac est frigidius sanguine non erit sanguis alteratus, & iterum coctione frigesactus; nā semē, quod est verè sāguis cōcoctus in testibus calidius eo est ex ip-

semen. somet Gal. 2. de temp. 2. imò 1. de san. tu. cap. 2. ait. in semine plus est igneæ substantiæ, atquè aereæ, in sanguine aqueæ, terreæq; at semen sanguine siccius quidem est: cęterum quoque humidum, fluxileq; est. Sed libenter intelligerem, quo pacto sang. calidus, & humidus concoctus in testibus lōgè à corde non fiat calidior, & siccior sanguine, at concoctus in mammis cordi proximioribus, arteriisq; refertis reddatur se ipso frigidior, & humidior. An agens est frigidum? an verò tepidum? Verum quia dato vno absurdo sequitur etiam aliud, non mirum si Galenici, qui hanc tuentur sententiam in absurda incidāt, *Galenicorum absurditas.* concedentes sanguinem posse recrudescere, & in pituitam verti, ita etiam profectò concedent bilem in sang. reuerti, & ita ex amara bile poterit gigni pituita. ita Andernacus doctissimus Germanus com. 1. dial. 6. pag. 326. concedit sanguinem concoctione vlteriori in glandulis frigidis verti in pituitam, quia *sanguis* (inquit) *in mammarum glandibus veluti recrudescit, & lac inter sanguinem, & pituitam fit medium, sanguini tamen, quàm pituitæ propinquius. Cum itaq; lac ex sanguine fiat, & illud ad pituitam declinet, certè hæc ex sanguine fieri poterit, quāquam natura lege pituita adeò accurata ex illo fieri nequeat, tamen si glandula istæ mammarum magno frigore contrà naturam afficiantur, sanguis ad exquisitam perduci pituitam videtur, &c.* Mihi autem videtur absurdum sanguinem coctione, cuius agens est calor, refrigerari, cum aliàs concessum sit calefactum bilescere, at glandulas natura frigidas nutriri, & attrahere partem sanguinis pituitosiorem faciliùs concesserim. Nec valet cępas coctione minus acres reddi, & mineralia quædam vstione, amittere partes calidas, quia sanguis Galeni sententia calefactus bilescit, calefit autem necessario, si iterum coquatur. coctio siquidem à calore fit. E contra autem Baricellus non ausus negare coctione vlteriori sanguinem magis incalescere, coactus fuit dicere lac esse calidius sanguine, quod inuentum suis quibusdam rationibus probare conatus fuit; sed quia auctores omnes ratio, & experientia reclamant frustra id tentauit. *Baricell. erratum.* Nos autem contrarium concludimus, nimirum, quia lac frigidius est sanguine, non fuisse genitum ex concocto, calefactouè sanguine.

Decimoquarto. Sanguinem fluere ad mammas (quod fieret, si ibi verteretur in lac) non solum non est conueniens, & naturale; sed morbosum, insolens, & præternat. siquidem ex Hip. 5. aph. 40. *Quibuscunq; mulieribus ad mammas sanguis colligitur, furorem significat.* *à sāg ad mamias.* Quod quāuis aliter explicet Gal. nos tamen debemus dicere mammas consuetas repleri chylo, & eo nutriri, si contra naturam suam fuerint repletæ sāguine, vel quia ob suppressa menstrua reduudātia sanguinis superiora petat, vel aliter, furor succedit, & alia incommoda cum sanguis in loco non consueto constiterit. *à coctione.*

Decimoquinto. Si concoctio fit incrassando. sanguis iterum coctus deberet esse crassior, vnde lac, si est sanguis recoctus, deberet esse sanguine crassius. sed est tenuius. ergo non ex sanguine cocto.

Hanc eandem summi Præceptoris sententiam multis experimētis probare erit facillimum. constat autem primo lac reddi purgans ob cibos purgantes ingestos, prout docuit Hipp. 5. in 6. Epid. *Mulier Capra, Elaterium, aut Cucumerem siluestrem comedentes pueris purgatio.* *experimenta.* Pariter Diosc. *Aluum, stomachumq; euertit om-*

ne lac vbi pabulum fuerit, scammonia, veratrum, Mercurialis, aut Clematis, vt in Istinis montibus fieri traditum nobis est. Capra enim illic Veratri albi folia in prima eorum eruptione pascentes, & ipse vomunt, & lac reddunt, quod stomachum euertat, & vomitiones faciat: Sed prius dixerat Theoph. 9. de Hist. pl. cap. 15: *Arrades pro medicamento; quod aluum purget, lac sorbere, consueuerunt in vere, cum succi huiusmodi foliorum maximè vigent. Tunc enim potissimum lac vim medicaminis habet. Bibunt bubulum, quod Bos inter alia omnia permulta pascere, varioq; herbarum genere vesci videtur.* & Varro lib. 2. cap. 11. *ad purgandum* (ait) *viridi pascuo opus esse ex herba, quæ ipsa sumpta per se purgare corpora nostra solet.* Quo posito, quæso, an solum lac, an verò totus sanguis acquirat facultatem purgatricem? si hoc; adhuc rogo, an statim, & antequam medicamentum purgans sit perfectè coctum in Ventriculo, & in sanguinem mutatum, vel post perfectam mutationem, reddatur purgans? necnon etiam an semper remaneat purgans, vel quandiu postquam mulier ipsa purgata fuerit?

lac purgans.

Si dixeris postquam concoctum est medicamentum, & in sanguinem versum; quia ex hoc iterùm cocto fit lac ex Galeno, & sanguis retinet adhuc vires alimentorum ingestorum, vt concedit Gal. 5. in 6. Epid. 55. adeo vt etiam sudores validi vires medicamentorum redoleant; immo vrina sæpè redolet allium, cæpas, asparagos, brassicam, Terebintum, si pridie fuerint comesta; nec non color in ipsa rubicundus ex cassia assumpta, citrinus ex rab. spectatur: hinc quidam alunt Hircum herbis saxifragis, vt sanguis saxifragus gignatur. sic Oua gallinarum habent odorem nutrimenti è gallinis assumpti. Imò etiam caro è sanguine genita acquirit, & retinet vires alimentorum: sic Verueces nutriti herbis odoratis, atq; acribus, habent carnem sapidiorem, & odoratam. & Gal. loco cit. tradidit, quod Coturnices ellebori pastu habent carnes, quas, qui largiter comederunt, in conuulsionem inciderunt. nostri autem solent pascere Gallinas carne Viperarum, postea Gallinarũ Carnes comedunt cum Viribus Viperarũ.

à medicamento assũpto.

Sed si hoc esset, quia lac ex Gal. 3. in 3. Epid. 36. fit *ex sanguine accuratè concocto, accuratam autem coctionem ei tribuit tempus mora, & consuetudinis.* ergo post multum temporis: quo modo sanguis ex alimentis. Ita primo debet cibus, & medicamentum purgans coqui in Ventriculo, postea separari chylus; deinde coqui in hepate ad sanguinis formam, & totum reddere sanguinem purgantem; demùm huius sanguinis particula debet coqui in mammis, & fieri lac, quod adhuc retineat vim purgantem. & quia supponitur totus sanguis redditus purgans, non autem ille tantum, qui est attractus à mammis: etiam si mammæ sint repletæ lacte purgante adhuc etiam totum reliquum sanguinis remaneret purgans. At quia Vnica potio medicamenti purgantis sufficit ad reddendum lac purgatorium, necesse esset in corpore multiplicari vim purgatricem: nam vna dosis purgantis, videtur totum reddere sanguinem purgantem, qui fortasse non est in corpore vltra x. libras, & lib. j. lactis purgat quantum vna dosis medicamenti esset etiam explicandũ, quandiu perdurat facultas purgans in sanguine; nam si diu duraret, nutrix, quæ assumpsit med. purgans vna vice, & totus ipsius sanguis fuit redditus purgans, quoad talis sanguis esset in corpore, semper lac gigneret purgans. Ita neq; post 15. dies ab assumpto medicamento nutrix posset lactare puerum sine periculo alui fluxus? quod experientia falsum demonstrat. nam si nutrix assumpserit medicamentum soluens aluum, lac fit purgatorium post 3. vel 4. horas. ergo non eget tot mutationibus. nec post 8. vel 10. horas lac vim retinet purgantem. ergo sanguis non est totus redditus purgans; nec vis purgans post coctionem in mammis durat. imo sanguis animaliũ, quæ purgans medicamentum bibere, vt Agni, hędi, porci, si ederetur neutiquam credo ipsum vim purgantem retinere. Itaq; absurdum est dicere, vim purgantem adhuc remanere in sanguine cocto.

Contra Galenũ.

lac purgans.

Nec in hoc credendum Galeno, qui errauit, proptereà quod deflexit ab Hipp. sententia, quæ vera est, & censuit lac ex sanguine fieri iterum cocto. vnde hæc non nouit Steph. dicens totum sang. talem fieri.

Nec experimenta adducta vim faciunt. illud enim de Coturnicibus est dubium; nam quomodo Coturnicum caro efficit conuulsionem ob Elleborum? an per repletionem, an verò per inanitionem? Gal. certè non explicauit. At fateor ab Hipp. scriptum in Aph. *Conuulsio ab Elleboro.* Verùm hæc fit à summa euacuatione per Vomitum: ideò caro coturnicum debuisset primo excitasse validissimũ Vomitũ, cui successisset cõuulsio, non autem solã conuulsionẽ. Veratrum enim non facit immediatè cõuulsionem. cautiùs autem scripsit Auic. lib. 2. Coturnicum carnem hoc habere, non quod comedant Elleborum; sed quia in substantia earum est hæc virtus: vtuntur autem elleboro propter similitudinem complexionis.

refellitur Gal. dictum.

Quod autem Vrina retineat qualitates ingestorum confirmat, quod postea dicemus, serum nimirum, ex quo fit Vrina, esse excrementum primæ coctionis, non autem secundæ, vel tertiæ. Alias autem qualitates dicimus refractas non integras retineri in sanguine, & carne, & hoc, ob frequentem eorum alimentorum vsum, contingere.

Vrina cur oleat ciborum.

Si verò dixeris lac reddi purgans medicamẽto purgante deuorato antequam fiut factæ tot alterationes medicamenti in sanguinem, & demum in lac, experientia coactus quotidiana, quæ demonstrat, post duas, vel tres horas ab assumpto medicamento lac esse redditum purgans. Quia Medicamentum cum non sit aptum coqui à natura, & summæ actiuitatis, breui penetrat totum corpus, omnes venas, & inficit sua qualitate spirituali humores omnes, & ma-

refugium.

ximè purissimos; qualis est sanguis.

Responsio. Respódeo. hoc ipsum demõstrare lac non gigni è sanguine, quia non fit post coctionem sanguinis; sed breui tempore, & breui itinere, vt volumus nos cum Hipp. Vndè si statim ab assumpto eccoprotico medicamento dicto (quod reddit lac eccoproticum quoq;) totus sanguis acquireret eandem facultatem (quod esset necessarium, si istam dare deberet lacti) dicendum esset, vim quamlibet leuem medicamentorum purgantium pertransire Hepar, & omnes venas, ac totum sanguinem inficere, quod est absurdum. *absurdū.* Quare absurdum est dicere totum sanguinem ob med. purgans deuoratum, reddi facultate purgantem, & si hoc est impossibile, erit pariter impossibile lac reddi purgans, ex sanguine factum non toto purgante. ergo solum lac acquirit vires purgantes, & hoc, vt diximus, quia est succus omnium eorum, quæ in Ventriculo continentur, & huius indicium certum est breuitas temporis, quo lac redditur purgans post deuoratum medicamentum. *Historia.* Prop. Martianus in lib. Hipp. de Nat. pueri, & repetit 5. in 6. Epid. huiusmodi Historiam affert. *D. francisca Vxor* Mag. Baptistæ de Castellis cementarij in Vrbe, assumpto medica. purgante, statim (seu post horam) mammam porrexit puellæ anniculæ, quam lactabat, non existimans tam citò virtutem medicamenti ad mammas peruenire posse (nam id ab eo vetitum fuerat ante) quæ adeò fortiter purgata est, vt de superpurgatione læthali dubitatum fit, Matri vero ne semel quidem aluus subducta est, signum euidens medicamentum ad mammas suctionis violentia statim raptum fuisse. Sic Omnibonius ferrarius. lib. 3. de m. pu. cap. 3. quando purgat nutricem cauet nè eo die, quo sumit medicamentum lactet infantem; sed alia nutrix, quod repetit cap. 6. 18. & sæpius, idq; etiam ponit in suis aphorismis. idem refert Leonellus fauētinus de Morb. puer. c. 17. quod videtur sumpsisse ab Auic. 3. 1. doc. 1. c. 3. confirmant Massaria cap. de Epilepsia, & alij, quare sentiunt lac experiri purgans à pueris sumpt eo tantum die, quo mulier sumpserit med. purgans.

remedium lactis calidi. Patet hoc etiam, quia Auic. 3. 1. doc. 1. c. 2. Eucharius Rodio de partu hom. c. penultimo. & alij scribunt. si accidat, vt lac nutricis calidum nimis, atq; acre sit, id sugendum infanti dare non debere ieiunam, & antequam ipsa cibum sumpserit. ex quo casu dico. si cibus mox assumptus contemperat lac. ergo mox assumptus fertur ad mammas. Patet, quia si priùs conuerteretur in sanguinem, quam in lac, longo tempore fieret ista alteratio lactis; nec referret an nutrix ieiuna, vel ebria lactaret.

à pilis deuoratis. Confirmatur nostra sententia ex Arist. qui 7. de Hist. An. cap. 11. *Vbera* (inquit) *tota fungosa ita sunt, vt si in poculo pilum fortè hauserit Mulier, dolor moueatur in mammis, quod malum pilare appellant, nec sedatur donec pilus, vel pressus exeat sponte, vel cum lacte exugatur.* Hoc, si verum est, indicat, si pili deuorati à Ventriculo ad mammas feruntur lactantium, etiam simul ferri ciborum succum pro lacte. Pili existum non esse mirabilem dicit Steph. sed non ob id Arg. soluitur; licet magis miranda ipse proponat. ego dicam. ergo nec mirandum lac per spongiositatem carnis ad mammas ferri.

Sed nonnulli id negant credendum Arist. vti Alexand. Benedictus lib. 1. cap. 4. Rondelet. c. de Cancro. Roder à Castro de M. Mul. lib. 4. cap. 26. Vesalius, Mercurialis, Christoph. à Vega, & aliquot alij, quia nullæ sunt conspicuæ venæ à Ventriculo ad mammas. Pro Aristotele decertant alij. & Alsaharauius tra. t4. cap. 2. prac. dicit se id vidisse. Cardanus autem de Variet. 44. Atq; Thom. à Vega lib. 31. cap. 4. id non esse impossibile fatentur. Nos credimus Hipp. & Arist. Medicinæ, & Philos. principib. mammas esse spongiosas, & cæcos esse intùs ductus, ac per pororum raritates, hinc, & inde ducente natura ferri humores. *spongiositas carnium.*

Quomodo nutriātur ossa, & ossium medullæ, cū viæ nobis non pateant. non est dubitandū, & sicut materia in Thorace absorbetur à pulmone, qui etiam si intus sit spongiosus, tamen ipsius tunica nobis apparet densa. ac sicut lingua nostra statim suscipit, & absorbet Vini saporem, & cutis nostra aspectu densa, tamen, quando Nat. vult, copiosissimum per poros elicit sudores, cur eodem pacto à Ventriculo per poros ad mammas non potest ferri lac? Multa nobis latent, quæ vera sunt, vti V. G. latuere adhuc nostros venæ lacteæ, quæ postea Asellio innotuerunt; ita referunt Caspar Bauhinus apud Schenckiū, & And. Laurent. lib. j. Anat. Quæst. 10. per Vterum, & Vesicam lac quandoq; fuisse expurgatum; sed qui ductus sunt à mammis ad Vesicam? Certum est à Ventriculo materiam lactis ferri ad Mammas, vel per vias adhuc incognitas, vel per porositates in corporibus raris, quod videtur Hipp. sensisse, & ex Ventriculo succus exprimitur in omentum, & in carnes raras præcipuè humerorum: vnde Hipp. dixit: *à cibis, & potibus humeri, & mammæ inflantur.* sentiunt certè manifeste mulieres lac sibi in mammas descendere ab humeris, & optimum lac ipsæ dicunt haberi ab humeris. sed quæ venæ id deferunt, nisi per spongiositates feratur; raritas autem corporum ad transitus lactis est apta. hinc Arist. 1. de Hist. Anim. cap. 12. dicit fœminas gignere lac, non mares; *quia caro maribus spissa, mulierib. fungosa, foraminulentaq; est.* Refert etiam Martianus. D. Domitiam de Grifonibus testatam esse filium suum menstruum sæpiùs cum stercore excreuisse furfures, quùm panem furfuraceum comederet nutrix. *Historia.* narrat etiam idem, teste Prospero Cecchino in Vrbe chirurgo primario, à quo etiam eandem ego audiui historiam, extractum fuisse è papilla mulieris lactantis surculum cicorij, quem præcedenti cœna comederat; quod idem confirmat alius casus relatus à Martiano de Pompilia vxore Adami Melphi, quæ cum purgationis gratia dum puerpera esset lib. vj. lactis potasset, breuis-

V 2 simè

simè in mammas fluxitè Ventriculo tanta lactis copia, vt tumefactæ mammæ maximum inferrent dolorem, vt ipsa met mihi pluries postea narrauit. scio à Castro, hæc experimenta in dubium reuocari ob angustiam ductuum: sed porositates corporis muliebris concessit.

Patet igitur Auctoritate Hipp. validissimis rationibus, & certis experimentis, lac nil aliud esse, quam succum ciborum à ventriculo ad mammas delatum. Hinc respondendum restat ad rationes aduersariorum.

Conclusio.

Et ad Arist. dicimus, verum esse, quod eadem est mat. quæ alit Embrionem in Vtero, & ex qua generatur. sed negamus debere esse eandem mat. quæ alit ipsum extra vterum. Nam cum paulò post debeat vti cibis, Natura paulatim voluit fieri transitum à sanguine ad cibos, idest per medium, seu per lac, quod est succus ciborum in Ventriculo coctorum, & potentia proxima sanguis; vnde quid medium (vt dixi ratione 10.) inter cibum, & sanguinem.

Responsetur Aristoteli.

Ad Gal. dico, gratis ipsum afferere contra Hipp. lac ex sanguine gigni: quod si non differt lac à sanguine nisi ob leuem mutationem in mammillis, ista mutatio, quæso, est in melius, an in peius? non in peius quia, si quis potaret sanguinem, diuersas vires experiretur à lacte, non parum; sed multum varias: nam Taurinus sanguis potus inter Venena ponitur, non autem Vaccæ lac. erit ergo mutatio in perfectius. & ipse Gal. fatetur ipso sanguine paulò perfectius. sed si hoc est, Natura grandiori puero perfectius, elaboratius, & tenuius nutrimentum parasset, quam minori, & molliori, quare irridenda, & inartificiosa fuisset, cum postea à lacte ad crassa cibaria puero crescenti transitus sit faciẽdus, ab vno extremo ad aliud. Equidem dicerem parum differre lac à sanguine, quia amborum eadem est mat. nimirum chilus, sed ad hepar delatus rubescit, & dicitur sanguis, ad mammas dealbatur magis, & dicitur lac, paulo frigidius sanguine, quia mammæ frigidiores Hepate, seu minùs calidæ.

Responsetur Galeno.

Ad alteram Gal. auctoritatem lib. de vsu part. nego paritatem inter lac, & semen. primo, quia diuersa est mat. vt dixi. secundo, quia ex euacuatione lactis non ita alteratur corpus, vt ex seminis emissione, nec titillatio adest in lactis suctu; nec virium tanta debilitas sequitur. Mulier potest quotidie sine detrimento lib. j. lactis emulgere: sed non lib. semis seminis sine maximo periculo, & virium iactura. tertio non tanta mora eget lac, vt coquatur in mammis, quanta semen in testibus; nam breuissimè implentur mammæ, & citò exinaniuntur, & denuo replentur, diutius autem debet in testibus semen permanere, vt perficiatur. quarto vsus est diuersus, semen agens est in generatione, & perfectissimum in natura, naturæ cælestis, & spirituosæ, & lac autem alimentum simplex est, & patiens.

Ad Galenũ responsio.

Ad Hipp. lib. de struc. hom. Respondeo 1. non esse Hippocratis nomine dignum; nam contraria dogmata profert. 2. quia neq; à Gal. neque Erotiano numeratur inter Hippocratis opera, nonnulli etiam tribuerunt Aristoteli, sed cuiuscunq; sit, non refert. certum nobis est, falsò, & contra Hippocratis doctrinam scribere eandem esse lactis, ac seminis materiam; & experimenta ab ipso allata nihil probant. non enim eodem modo exit lac, quo semen: nam hoc quidem exit expulso à nat. semine, & relaxatis partibus continentibus: lac autem per externam attractionem educitur. At quum educitur sang. post multam seminis iacturam, exit proxima seminis materia; sed post multam lactis euacuationẽ, si sanguis sequeretur lac (quod rarissimè obseruatur, cum frequentissimè in femine istud accidat) exiret vi vacui, non vt in potentia lac; nam si repletus cibo esset Ventriculus, nunquam sequeretur sanguis, sed si ventriculus cibo esset vacuus, tunc ob validum suctum fieret attractio à venis ob violentiam, qui sanguis postea attractus in mammas, tantum abest, vt conuertatur in lac, vt corrumpatur potiùs, & morbos pariat.

Responsetur Hipp.

Hippocr. explicatur.

Quando autem Hipp. de Nat. pu. scribit lac retrocedere ad mammas, non intelligit, quod lac genitum in Vtero feratur ad mammas; sed quod illa materia alimentorum, quæ vertebatur in sanguinem, & tendebat ad vterum aliò vertitur, & ad Mammas fertur, & intelligit lac in potentia, non actu.

Et falsum est quod Arist. 4. de Gener. Anim. cap. 18. scribit *eandem lactis, & menstruorum mat. esse* altero enim cessante, alterum emergit. quod etiam sensit Gal. falsum, inquam, est (nisi intellexerint de chilo proxima vel lactis, vel sang. mat. ex quo Menstrua) quia constat multos homines lac in mammis gignere, qui menstrua non habent, vt referunt Arist. lib. 3. de Hist. Anim. cap. 20. Auic. Albertus. Vesalius lib. 5. de Hum. corp. fab. cap. 18. Alex. Bened. Amat. lib. 3. cap. 40. Cardanus lib. 12. de subt. Hier. Rugubius lib. de lacte. Marcel. Donat. cap. 8. de Variolis. Fabritius Aquapend. Chirurg. lib. 3, cap. 13. Conradus Schenkius filius. imò scribunt in India mares habere mammas lactiferas, mulieres paruas, Renardus Cyssatus de Insula Iaponiæ, & And. Laurent. lib. 2. Anat. c. 2. immò Arist. 3. de Hist. Anim. cap. 20. de Capro in Lemno. Matt. in Epistolis, de tribus Capris in Boemia, & Ant. Torquemada lib. j. sui Viridarij de alijs animalib. masculis, referunt lac multum habuisse. nec satisfaciunt Lud. Merc. tom. 1. lib. 1. clas. 4. art. 6. quæst. 124. And. Laur. lib. 9. Anat. Quæst. 2. Baricel. de lacte cap. 3. dicentes non esse Verum lac, quod gratis dicunt, & subterfugij gratia. nam omnes qualitates, & vsus lactis habens, nil prohibet, quin verum sit lac. Atq; hactenus patet nil obstare quin vera sit Hippocratis de mat. lactis sententia, circa quam longior fui, quia Hipp. vetus, & vera sententia à Galenicis gratis damnata erat suæ dignitati restituenda, & falsus etiam Mercurialis, qui ait Hipp. nouam, & incredibilem

contra Arist.

Homines lactiferi.

bilem ſententiam proferre, cum dicere debuiſſet vetuſtiſſimam.

Quid agendum. De Vſu lactia quia Acorambonus, Coſtæus, Baricellus, & alij exactiſſimè tractarunt, non eſt quod aliquod proponam, ſed vt ad Vomitum excitandum inſeruiat tota mea vertetur oratio. ſufficiet eum Areteo lib. 7. cap. 8. dixiſſe. lac aſſumptu ſuaue, potu facillimum, nutritu ſolidum, & qualibet eſca à pueritia familiarius eſſe: præterea viſui colore delectabile, medicamen arteriam non aſperans, guttur læuigans, ad eijciendum pituitam facilem ſputum reddens, inferiorem exitum lubricum efficiens, vlceribus dulce ſubſidiū, & quolibet alio benignius, ſi quis multum lactis potat, nullo alio eget alimento.

Lac potum aluum mouere ſcribunt auctores, & genericè de omni lacte Dioſcorides. differentia tamen eſt ſecundum magis, & minus. nam è viridi pubulo aluum magis emollit. & inter animaliū. Caprinum aluum minùs tentat. quoniam pecus hoc adſtringentib. pabulis robore, lentiſco, olea, ac Terebinto magna ex parte veſcitur. tamen cum eo hic Romæ vtamur poſſum dicere Melancholicos, & ſiccam aluum habentes magis purgare lac hoc, quam validiſſima medicamenta. dedi ego Caterinæ Vacchæ de Auantagija Melancholicæ Vitri antimonij. g. 80. in tribus doſibus diuiſa, ex quib. bis aluus deijciebat, ſemel parum vomuit, aſſumpſit florea antimonij, turbit minerale, mercurium ſublimatum, extractum ellebori nigri, aliàs ellebori albi, medicamenta ex ſcammonio, colocintide, ſed ſemper leuis ſuccedebat euacuatio, admiſcui elaterium paulo validiùs purgabatur. at ex potu lactis caprini, quinquies, & ſeptiea copioſe aluus deijciebat.

Quantum agendum. Vtimur autem ad Vomitum excitandum multo lacte poto, quum, & acrimoniam excernendorum obtundere intendimus, & lenes facere partea exaſperatas ab humoribua internis, vel ab aſſumptis. ideo præcipuus eſt lactia vſus ad Vomitum ab aſſumptis Venenis Acribua, & corroſiuis. Nam Dioſc. de lacte ſcripſit. *Lac recens efficax eſt contra roſiones, vſtioneſq; ab exitialibus medicamentis factas; vti à Cantharidibus, aut Salamandra, Bupreſte, aut pinorum Eruca, Hyoſciamo, Dorycnio, Aconito, aut Ephemero: præſertim bubulum ad id eximiè confert.* deinde ſubdit. *Humanum lac contra hauſtum leporem marinum præſidio eſt*. laudat etiam lac lib. 6. ad Cantharidas, Pinorum Erucas, Bupreſtes, Salamandram. & cum eo Matthiolus. *Quomodo.* præterea ad Ephemerum *lac decocto Serpillo*. ad Doricnium *lac caprillum, aut Aſininum*. ad Aconitum *Opobalſamum cum lacte*. ad Cicutam *lac Aſininum, aut Bubulum*. item ad Sardoniam Herbam. & ad Hyoſciamum. *lac præſertim aſininum, ſi id deſideratur caprillum, vel bubulum.* item ad ceruſſam, calcem, Sandaracam, leporem Marinum. Aetius ſer. 13 cap. 49. ad Cantharidas. *Quod ſi exolutiones, & morſus oboriantur lac bubulum recens mulctum aſſiduè bibendum, & citò reuomendum, exibeto*. & c. 53. ad leporem marinum. *lac Aſininum recens mulctum cum paſſo aſſiduè præbeatur, aut ſi hoc non adſit bubulum, indeq; confeſtim euomant.* deinde ad Ceruſſam. *lac calidum*. Halyabbas 4. prac. cap. 50. Ad caſtorium, & Beledarum exhibet lactia pinguedinem, quæ non eſt Bytirum.

Alio modo vtimur lacte ad Vomitum excitandum, cum nimirum lacte vtimur Animalis, quod ederit herbas vomitiuas, vt Elleborus albus. ſed hoc modo lac, quod vim habet ſolutiuorum, eſt numerandum inter ſoluentia non autem hic inter lenientia.

De Oleo Cap. LX.

SI de Oleo vniuerſaliter agere decreuiſſem, ſeu de omni re, quę ad ipſum pertinet, multa eſſent docenda de eſſentia, differentijs, & facultatib. Verum quia omnia hic dirigo ad Vomitum, cæteris omiſſis, de Oleo loquar, vt eſt materia vnctuoſa, pinguis, & leniens, atq; lubricans, & viſcera, & excrementa interna. & loquar dè communi Oleo, ſeù Oliuarum. nam quorundam ſeminum, vt Latiridis, Ricini, Glandis Vnguentariæ, nucis Moſcatæ, ſem. papaueris, hioſciami, &c. *Oleorum diſtinctio.* non ſunt Olea alimentalia, ſed medicata, & valida neutiquam lenientia, & lubricantia, ac mollientia tantum.

Ex Oliuis immaturis, vel ſilueſtribua Ol. adſtringens paratur, è maturis verò dulce, calefaciens, emolliens, humectans, & quamuis Ol. guttur exaſperet, & oculos mordicet, tamen leuit partes aſperatas, quod eſt problema propoſitum à Gal. 2. de ſimpl. m. f. cap. 5. ſicut etiam *problema.* coria mollire, & piſces coctos durare. ac Ventrem ſubducere: dicendum autem ab oleo dulciſſimo, quale Amigd. d. recens, fauces leniri, & tuſſes ſedari, at ab acri Oleo, & veteri aſperitatem gigni, Oculi autem omne vnctuoſum reſpuunt, quia eorum humiditas, qua lubrici ſunt, eſt aquea non pinguis, & pinguia obſtruunt tenuea membranas, ideo exaſperant: aliàs natura ſua Oleum lenit partes aſperas, & lubricas facit, vt cætera pinguia: & cum tenuiſſimæ ſit eſſentiæ corium (penetrando poros) emollit, & humectat, nec non fæces induratas emollit. at oleo cocta frigūtur, & friātur, ſicca, & dura reddūtur, quia conſumitur ab igne naturalis humiditas; qua ablata pars terreſtris remanens ſiccatur; nec Oleo vniri poteſt alterius naturæ. Venter autem ſubducitur, quia excrementa emolliūtur, & lubrica ab Olei pinguedine fiunt, ac inteſtina lenia. Dioſ. *Soluit* (inquit) *aluum hemina menſura cum pari ptiſanæ ſucco, aut aqua, potum: ad tormina calidum ſimul decocta ruta tribus ſextarijs in potu datur*. nec multum diſtat Plin. lib. 23. cap. 4. *Tormina calidum potum cyathis ſex, magiſq; ruta ſimul decocta ſedat. Soluit aluum hemina menſura, cum vino, & calida aqua potum, aut ptiſanæ ſucco*. at Gal. 2. de ſimpl. c. 18. *Oleum leniens.*

18. Oleum depuratum dicit se bibendum dedisse, & nullam prorsum intestinis mordacitatem attulisse, gutturiq; minimè ad tussim impetum commouisse; cumq; oculis esset infusum, sensum mouisse exiguum, ipsa potiùs nouitate, atq; insolentia, quam acrimonia molestum, & 1. ad Glauc. 14. Oleum epotum solet ventrem mollire. & 5. de san. tuen. cap. 9. In senibus prestat *aluum soluere potissimum oleo ante cibum absorpto, sed et oleribus ex Oleo, garòq; ante cibum assumptis.* & lib. 6. cap. 7. laudat etiam vt ad emolliendam aluum initio mensæ, sumantur Olera cum Oleo & Garo. idem probat paulo post cap. 10. vocatq; lubricantes cibos. & lib. 5. citato. dixerat securum esse Oleum, quippe quo, & siccius excrementum madescit, & transitus efficitur lubricus, & corpus ipsum siccum emollitur. dixerat etiam lib. 2. cap. 11. aluum subducere in pituitoso ventre per lubricitatem, simili modo cum maluis, blitis, moris, ex quibus nos inferemus Oleum aluum subducere, vt emolliens, & lubricans, ac relaxans.

Vomitum verò adiuuat, vt relaxans, atq; lubricans, & confert maximè præmunitis vijs, per quas mat. euomenda debet transire, ne ab ipsius acrimonia ledantur. quo pacto Diosc. lib. 1.

Oleum Vomitorium. scripsit cap. 28. *Vlcerantium medicamentorum vires permistum hebetat: contrà Venena datum, assiduè potum, redditumq; Vomitionibus.* Plinius vero. lib. 23. cap. 4. *stomacho contrarium* (inquit) *Venena omnia hebetat, præcipuè psimmythij, & Gypsi in aqua mulsa, aut ficorum siccarum decocto potum; contra meconium ex aquas: contrà cantaridas, Buprestin, Salamandras, phtyocampas, per se potum, redditumq; vomitionibus. contra omnia supradicta laudatissimum.* Præterea Diosc. lib. 5. de Melicrato. *ijs* (inquit) qui Venena hauserunt ex Oleo Vomitionem incitamus, & lib. 6. in præfac. assumpto Veneno. *Sine mora* (ait) *calidum oleum ex aqua, aut seorsum, vt vomere cogantur dari conuenit.* & cap. 1. ad Cantarides. *dato oleo vomere cogantur.* similiter ad Buprestes, & Salamandras epotas, & ad Pinorum Erucas. *Peculiariter tamen* scribens *pro simplici Oleo, & irino, Melinum, quod è Cotoneis pomis, & Oleo temperatur accipiemus.* deinde Coriandro epoto Vomitionem *irino Oleo* concitat. Meconio, & Papauere corniculato assumpto citat *Oleo Vomitionem.* Cerussa pota. *Amaracino oleo, aut irino.* Fungis nocentibus confestim succurrendum; communiter *ex Oleo vomere cogendi.* Gypso poto. *Prodest Oleum ex aqua mulsa.* Galenus autem 2. de Antid. cap. 7. ex Asclepiade. *ijs, qui Papaueris succum hauserint, confert hydrælæon, hoc est aquam oleo conditam, calidam subinde bibendam exhibere, atquè, vt vomant cogere.* deinde ait. *Quod si Psilothrum quis forte biberit, Oleum calidum sumendum est, deinde Vomendum.* ego quondam vsus fui Oleo communi, & Amigd. d. ac iurib. pinguibus, pro quadam muliere, quæ per errorem sumpserat in potu aquã calcis, & litargirij ad pilos denigrandos, eiusdem cum psilotris facultatis. Præterea ex Galeno *Cerussam si quispiam assumpserit, oleum calidum bibat, & Vomat.* & addit. *si incognitum nobis fuerit Venenum quod quis biberit, ederitué, hydrelæon calidum dabimus, vtq; ex eo multum bibat iubebimus, tum vomere ipsum faciemus.* & de remed. par. fac. c. 27. *Principio igitur*, inquit, *iubendum, vt qui venena sumpserunt, confestim vomant, epoto prius Hydrelæo, idest mistis aqua, & Oleo, & plurimo, & frequenter deinde varijs diuersisq; sunt cibandi ferculis, à quib. non ita multò post rursus vomant, iubeto, sic enim aut simul reijcietur mortiferum medicamentum, aut saltem infringetur ipsius virtus. Quod si post hæc ventriculus videatur à Vomitu veluti aduri. Hydrorhodynon, idest aquam rosaceo Oleo mistam, potui offerto: dehinc vomant rursus iubeto.*

Neq; Venenis tantum assumptis, sed alijs eti- *Quid*
am humorib. in Ventriculo existentib. Oleo in- *agẽdum.*
citandus est Vomitus. nam 2. de Alim. fac. cap. 22. Malua cocta cum Oleo, & garo, ventriculum subuertit, & potissimum ipsius os. ideo Vomituri in fine cęnæ assumant. & 1. ad Glau. cap. 14. *Qui verò* inquit *ex vitiosis humoribus os Ventriculi mordicantib. dissoluuntur, hos post aquæ calida, aut hidrælei potum fac euomere,* *quomo-*
quod si difficulter euomant, prius concalefacere, *do.*
oportet, quæ os ventriculi circumstant loca, & manus, & pedes, quod si neq; hoc modo possunt euomere, digitos, aut pennas demittendo irritare oportet: quod si neq; sic euomant, rursus his Oleum calidum, quam optimum exhibendum. Solet autem sæpius Oleum non solum ad vomitum irritare, sed etiam Ventrem molliorem facere.

Quantitas videtur sufficere ad vnc. v. vel vj. *quãtum.*
quæ dosis communiter est in vsu de Oleo Amid. d. ad aluum lubricandam mediocriter.

Aetius. ser. 3. cap. 119. ad Vomitum irritandum vtitur etiam oleo sesamino, raphanino, & narcissino.

De Comprimentibus. Cap. LXI.

GEnus Medicamentorum leuiter aluum purgantium docuit Mesues, quod comprimendo euacuare dicit, quasi astringendo, & corroborando: eo quod frig. & siccum sit. vti sunt Myrobalani,
dubitant tamen aliqui, & iurè, an detur hoc ge- *an detur*
nus medicamentorum euacuantium. *comprimentia.*

Primo, quia vnica tantum species assignatur, nimirum de solis Myrobalanis id prædicatur, qui cum sint quinque specierum Chebuli, Emblici, nigri, citrini, Bellirici, & omnes comprimendo, & astringendo euacuare dicantur. tamen vis solutiua in omnibus diuersa est. quia Citrini bilem educunt, Nigri Melancholiam, chebuli, Emblici, & bellirici pituitam: vnde si sola astrictione euacuarent omnes, eodem modo, eandemq; materiam omnes educerent. sed hoc est falsum, igitur & illud.

Secun-

ratio 2. Secundo, dici potest Mirobalanos habere duplicem substantiam, vt Rabarbarum, & multa alia: crassiorem, terrestrem, & Elementalem, frigidam, siccam, & astringentem. tenniorem vero solutiuam, quæ in assatione perit; vndè terrestrior remanens sola validiùs operatur, & quod facultas Mirobalanorum solutiua, non sit a temperamento frig. & sicco, patet, quia determinatum euacuat humorem, vel bilem, vel Melancholiam, vel pituitam.

ratio 3. Tertio, dici potest, vt aliqua astringentia à Galeno relata aluum quandoq; mouent per Accidens, ita etiam Mirobalanos operari. non autem per se. quia comprimentia, quum aluum mouere debent, ex Gal. 6. de san. tu. cap. 6. per se id nequeunt; sed aliena ope. siquidem scripsit Gal. cum volumus, astringentibus aluum ducere, oportere, vt in prima mensa exhibeamus ea, quæ lubricant, vt sunt maluæ, ins pingue, Oleum, & similia: in vltima verò mensa, exhibeamus astringentia, & styptica, vt roboretur, & astringatur os Ventriculi, & partes aliæ superiores; quæ dum sese constringunt, exprimunt deorsum fœces, & humores iam lubricos redditos, & nisi in prima mensa exhibita fuerint aliqua emollientia, & lubricantia, etiam si postea in fine mensæ assumpta fuerint astringentia, quia exitus imparatus, nulla sequetur deiectio. & multo minus si initio cœnæ astringentia deuorata fuerint, vt claro exemplo docuit Galenus: ex quibus patet astringentia, & comprimentia, non per se; sed per Accidens mouere aluum. cum autem hoc sequatur ab omnibus astringentib. dicto modo assumptis; & Mirobalani, non solum dicto modo; sed etiam ante cibum sumpti aluum moueant, sequitur ipsos aluum ciere non comprimendo, sed attrahendo.

comprimentia Vomitiua. Porrò cum maximè dubitetur de euacuantibus deorsum comprimendo: de euacuantibus sursum, non solum dubitare licet, sed omninò negare: cum præcipuè nullum detur, seu assignetur ab Auctoribus Vomitorium, quod habeat facultatem astringentem. & in cibis fortè astringentia contrario modo sumpta, scilicet in principio mensæ, & in fine mollientia, Vomitum mouere possent, roborato enim, & adstricto inferiori ventriculi Orificio, & relaxato superiori, non est dubium, quin faciliùs Vomitus, quàm alui deiectio sequatur. Operatio tamen erit per Accidens.

His tamen non obstantibus, quia Arabs Medicorum schola affirmat Mirobalanos comprimendo purgare, & consentiunt ferè communiter latini posteriores; ego quoq; acquiescam. & conabor inter Vomitoria, saltem vnum comprimens numerare. nimirùm Corticem, & Iulos Inglandis, quæ astringètia dicuntur, & Vomitiua, & quidem dicere possem Naturam sæpissime duo contraria miscuisse, in diuersis generibus rerum; vnde non mirum si quandoq; in vno simplici medicamento cum substantia facultate adstringenti prædita, aliam facultatis solutiuæ confuodit. nonnè Rhabarbarum cum facultate solutiua, habet etiam vires adstringendi? sic *comprimentium duplex substantia.* facultas solutiua in Myrobalanis, iuncta est cum substantia astringenti; vnde duplex effectus, nimirum actuata prius facultate solutiua; quæ in tenniori substantia residebat, deinde, quæ in crassiori firmatur, ad actum reducitur; nempe adstringens, ac comprimens. verum quia hæ quæstiones non sunt huius loci, ne in omnibus à vulgaribus opinionibus discedere velle alicui videar, Iuglandis corticem adstringentem, & corpus purgantem inter Medicamenta comprimentia collocare placebit.

De Iuglandium Arboris mediano Cortice, & Iulis. Cap. LXII.

Cortex Arboris ferentis Nuces iuglandes astringens esse videtur: vndè Gal. 7. de simpl. m. f. *Nucis arbor* (inquit) *tum in folijs, tum in germinibus astrictionem quandam possidet, cæterum euidentem multamq; in nucis putamine recenti pariter, & sicco, proindè eo tinctores quoq; vti solent.* ipse autem Galenus succum adhibuit. cum autem folia arborum à corticè oriantur, necnon florum etiam, & fructuum exteriora inuolucra; eius etiam facultates habere dicemus, sicut fructuum, & seminum Medullæ ab arboris Medulla ortum ducunt, & quia requiritur non primus, sed secundus Arboris cortex, ex quo gignitur secundus cortex fructus, idest durus, & osseus, qui etiam dicitur astringere: pariter, & Arboris secundus cortex adstringens erit. ergo si iuglandis folia, germina, & fructus cortex, ex Galeno astringentia sunt, erunt etiam cortices arboris astringentes. Pariter cum Iuli præludium fructuum sint, & non à medulla, sed ab arboris cortice ortum ducant, adstringentem habebunt facultatem, non autem aqueam, insipidam, & Oleosam, vt Medulla fructus, & arboris. & iuglandis iulos astringentem habere facultatem, vnus (quod legerim) Cardanus libro de dentibus adnotauit, vt mox afferam. *cortex adstringens.*

Porrò cum Iuglandis arboris medianus cortex, & Iuli sint adstringentes, & Vomitorij leues, & blandi, nec numerare queam inter Vomitoria lenientia, lubricantia, & abstergentia, cogor inter comprimentia reponere. Nuces autem ipse ex Gal. astrictionis non sunt participes, & ex Diosc. Plinio, & Auerroe. Vomituris ieiunis in cibo aptæ, Plin. in Tenesmo solo, quia pituitam trahunt. at Auer. etiam laxare ventrem, fortè ob Oleositatem Innatantem, & os Ventriculi petentem nauseam excitat. Hinc Diosc. *Difficiles concoctu, stomacho inutiles, biliosas, capitis dolorem inferentes, & tussientibus inimicas* pronunciauit. quod repetit etiam Plinius, id siccis tribuens. cum virides ex Gal. stomacho vtiliores sint, quam Auellanæ.

Quo ad facultatem Vomitoriam, antiquis ignotam, scripsit Fernelius. *Iuglandis arboris, quum præsertim succo madet, decerptus Mediaz* *facultas Vomitoria.*

nus

nus cortex, arefactus, tritusq; Vomitionem ciet, longeq; mitiùs Iuli eius. Eumanellus. *Experimentum optimum, vomitionem excitans absquè Ventris offensa, varios educens humores. datur ieiunis. Corticum crassarum radicum Nucum ex Vino decoctum. pondere. vnc.iij.* Plinius certè lib.23.cap.8. de Nucibus iuglandis. *laxatum enim*, inquit, *ac emollitum oleoso suo vnguine ventriculi os, ad vomitionem imbecillum reddunt*. Porrò in Vomitu ciendo non est eadem facultas nucum substantiæ, & corticum arboris, medulla enim oleosa laxat, ac lenit. cortex adstringit. sicut, & iuli.

Iuglandium Iulorum, quos Catulos, & flores etiam appellant, Vomitoria vis non antiquos modo, verum etiam Matthiolum latuit, quia tantum retulit dari siccatos hystericis mulieribus. At Manardus. lib. 19. Epist.5. deiectoria tantum esse meminit, nec etiam nimis; sed veluti in secundo ordine, quorum scilicet dosis possit integram vnciam excedere, atq; id certa experientia se didicisse. Ferneliùs autem. *Iuli qui florem antecedunt, deciduntq; frondescente arbore. furno siccati, tusiq; à drach. semis ad drach.j.ex leniente liquore, aut Vino albo sursum purgant, & longe mitius mediano Cortice. Colicosquè dolores, ac nephriticos tollunt.* Crato consl. 3. pro Hemicranea ex consensu Ventriculi. *Iuli Iuglandis dum floret, mox collecti, ac torrefacti, & in puluerem redacti Vomitum absq; molestia cient.* Castor Durantes. *Iuli valent ad purgandos Equos dati cum furfure, ante quam eis exhibeatur Cichorium.* & postea cum Matthiolo dracmam pulueris in vino Hystericis exhibet. sed cum moueant Vomitum, non semper Hystericis confert Vomitus, vt dicemus. Card. de Dentib. 23. *Refert Manard. purgare bilem. cum verò tot melioribus liceat eam purgare, non est, vt eis vtamur, nisi vel eum Ruri fuerimus, vel cum sistere volumus menses. Calidi sunt in primo Ordine, sicci in tertio acremquè quandam, simulatq; astringentem habent vim. In tenui substantia astringens vis ad venas penetrat, imbecilla eum sit, non potest cohibere fæces. Acris enim substantia crassa nonnunquam iungitur, vt in pipere, velut in Rosa astringens tenui, quamuis ordine rerum contrario modo res se habeat; ludit natura in huiusmodi eleganti vicissitudine. In Dysenteria non incommodi, vt reor: sed neque ventriculo, neq; Iecori multis rationibus possunt esse salubres.* Ex his Cardani verbis, quamuis suis quibusdam rationib. non allatis, non recipiat horum Iulorum Vsum, colligimus hos habere facultatem astringentem, acri mixtam, & concedit dysentericis. erit ergo compositio huius mixti similis Mirobalanis, astringentib. & laxantibus mixta, sed Mirobalanis deorsum tantum. his verò sursum, & deorsum, vt patet ex citatis Auctoribus.

Quid igitur agendum in horum vsu? pro leui vomitu concitando, vt postea ventriculus roboretur, dari poterit Iuglandis arboris medianus cortex, vel radicum, vel trunci, collectus vere, quàm arbores succo turgent, & siccatus, & in puluerem redactus, vel in vino decoctus.

Iuli autem mitius cortice commouent corpus, vtiles autem erunt in Vomitu excitando pro colicis, & Nephriticis, in Hæmicrania ex consensu ventriculi. purgare bilem dicuntur à Manardo: sed pituitam etiam ducere reor, eo quod & colicis, & ventriculo repleto prosint. dantur hi furno siccati ex vino albo, vel iure, vel alio conuenienti liquore.

Et florum quidem dosis ex Fernelio à drachma semis, ad drachmam vnam. sed Manardus ad integram vnciam ascendit. & vere quidem debiles expertus sum.

Corticis autem vncias quatuor in Vino coquebat Fernelius.

De Solutiuis. Cap. LXIII.

Hactenus de Vomitorijs leuibus, & per Accidens tractatum est, sequitur modo vt de vere, & à facultate propria Vomitum excitantibus agamus, quod non minori diligentia erit peragendum.

Quare primo agendum esset de facultate ipsa solutiua per Vomitum, cur, & quomodo electiue humores euacuentur, longa, & immensa certe disputatio, cum autem eadem sit omnino facultas, quæ sursum, & deorsum vergit. nisi. quod ad sursum, vel deorsum specificetur, quod de deiectorijs solutiuis dicitur idem etiam. Vomitiuis competet. cum vero ista quæstio ab infinitis auctoribus sit exagitata, ne tempus teram in examinandis tot varijs opinionib. de vi solutiua. ad alios scriptores legendos lectorem meum remittam, ne nimis defatigatus, quæ de Vomitiuis sum traditurus, oscitanter legat, & licet Mesues Vomitoria diuidat in leuia, mediocria, & valida. quia tamen difficillimum est has Classes exacte distinguere Ordinem alphabeticum sequemur, vt supra fecimus vniuscuiusquè tamen virium considerantes gradum.

De Aceto Destillato. Cap. LXIV.

Non quodlibet Acetum destillatum vim vomitoriam possidet; sed illud tantum, quod in Campana plumbea, cum fundo æreo destillatur. vnde alij destillantes in vase vitreo, Aceti acerrimi libris quatuor imponūt laminarum æris, & plumbi libram vnam, sic destillant. quo patet vim vomitoriam non esse aceti opus; sed facultatis à duobus prædictis metallis assumptæ. vehemens igitur vis erit, quia metallica. ob id Fernelius lib.5.meth.cap.13. *At verò*, inquit, *stillatitium Acetum vulgares nonnulli non paruo periculo experti sunt vomitiones mouere, quandoquidem ventriculum, intestina omniaq; interiora viscera summis*

summis cruciatibus exulcerat ; quemadmodum, & hoc ipsum metalla omnia dissoluit, ab arte igitur, vt perniciosum, exulet. possem id à minori, damnare: scio enim accidisse Romæ in quodam Monasterio, vt & Messanæ in alio, quod cum moniales vinum per noctem in vase æreo manere permisissēt, fere ab omnibus, quę huiusmodi Vinum potarunt ob summas vomitiones, se Venenum assumpsisse creditum. ergo si Vinum ab ære vim vomitiuam assumpsit, multo magis Acetum corrosiuum. & quod magis est etiam aqua è Vasis æneis suspecta est, quia vim æris suscipit. vnde Cæsalpinus cap. de Elephantiasi. *Apprehenduntur, qui potant assidue aquam in Vasis aneis: nam virus Æruginis Elephantiasim gignit.* Profectò Libauius Syntag. arcan. lib. 8. c. 29. describens Aquam Aesculapij Zappatæ. *est autem,* inquit, *dulcis liquor Aceti, participans naturam Iouis, & Veneris.* ego autem dico Saturni, & Veneris, & pergit dicens. *Medicamentum hoc est ad vlcera, tremores, & similes affectus, non puri aceti; sed metallica vi imbuti, qua acidus spiritus, aut corruptus est, aut perijt, restante dulci phlegmate.* nec de vi Vomitoria ex Zappata quicq. transtulit, signū euidens nō probasse.

Elephantiasis.

Acetū destillatum vomitorium.

Ex altera parte multos noui, qui felicissimè ab hoc Aceto destillato Vomitum habuerunt. & pharmacopeus quidam plurimis quotidie vendebat, & ipsum summis laudibus extulit Io. Baptista Zappata in suo libro Mirabilium secretorum. c. 18. inter alia scribens vocari aquam Aesculapij, quod omnia difficilium morborum genera sanet, sitq. vera pauperum medicina. licet enim inter euacuantia supremum sit solutiuum, omnes educens humores, tum per vomitum, tum etiam per secessum: tamen ipsius immensis viribus hunc per os exhibendo, omnem capitis difficilem affectum sanauisse, qualis est Epilepsia, Apoplexia, Lethargus, Phrenitis, inflammatio oculorum, aurium, faucium sinãche dicta, item inflammatio Pulmonum, ventriculi, renum, hepatis, vteri, atq. cuiuscumq. corporis partis, cum externæ, tum internæ. Pariter se abstulisse, atq. resoluisse, ait, omnem Hepatis, lienis, partiumq: internarum tumorem, ac duritiem ab humoribus frigidis, crassis, atq: viscidis causatam, eos quippe attenuat, facileq: educit. Præterea se resoluisse, subdit atrocissima Morbi Gallici gummata, capitis dolores, iuncturarumq: ossiumq: cariem, dictam vulgo spinam ventosam. Prodesse etiam Alopeciæ, Scabiei, pustulis, escaris, lepræ, Herpeti exedenti. Insuper se infinitos Epilepticos sanauisse, quibus Vomitus proderat, ob magnam à capite fluxionem. & tandem se sanasse Mulierem, quę quotidie quater, & quinquies Epileptica accessione corripiebatur. & cum prius esset demens, & decolor, colorem, & mentem recepisse, morbumq: cessasse. se etiam curasse scripsit mulieres copiosis adeo albis mensibus vexatas, vt totæ consumerentur, sicut etiam multas Erisipelatibus caput, faciemq: tumefacientibus, euacuato autem ventriculo, refrigeratoq: sanguine, morbum cessasse. nec non etiam similiter fuisse sanatos hæmorroidarum doloribus vexatos.

Distillatio autem Aceti talis esto. In campana plumbea cum fundo æreo, in qua Rosæ destillari solent, ponatur Acetū acerrimū ad duas tertias, & carbone supposito destilletur, vt quasi ebulliat. aqua destillans colligatur in ampulla, vt solet aqua rosarum, destillabit autem primo aqua aurea, sapore dulcissimo, postea clarior, & acrior procedet, nec totalis destillatio compleri debet, tedoleret enim Empyreuma: sed illico residuum auferi, & ablui vas debet, ne æs corrodatur. & hic quæstio discutienda se offert, cur Acetum dulcescat. & multa quidem proponi possent, quia fermentationis metallicæ opus est. de qua alibi à nobis actum est. satis erit dicere dulcedinem esse à plumbo, & aceti saporem refrangi, ob ipsius spiritus resolutos, non ita tamen pereunt, quin à cerussa acidum Acetum iterum separari queat.

Quid agēdum.

Quid autem sit agendū circa Aquæ Asculapij exhibitionem ex dictis patet. dosim autem præscripsit Zappata in debilioribus ad vncias duas. in alijs ad vncias tres. iam autem ascendere ad vnc. tres, & semis.

Quantum.

De Æris Ærugine. Cap. LXV.

NVllo modo Aeris æruginem Vomitum excitare, immo nec aluum incitare posse, videtur. cum scripserit Dioscorides libro sexto. c. 52. *Ærugines omnes adstringunt.* nec quicquam de vi vomitoria loquatur. vti neq: etiam Plinius lib. 33. c. 11. & quod magis est, neque etiam Galenus. immo contrarium clarissime docent Neoterici. Etenim P. de Ebano libro de Venenis c. 16. *Ille,* inquit, *cui Viride æris datum fuerit in potu oblacionem, & suffocationem pulmonis, & anhelitus habebit, & quasi non poterit respirare, & patietur solutionem continuitatis in interioribus, & vulnera, & vlcera in intestinis, & punctiones corrosiuas, & eius cura erit statim cum vomitu procurato cum butiro, & aqua calida, & sepe reiterata, &c.* à quo non dissentit Matthiolus scribens. *Ærugo præter alia eius mala ante dicta adeo spirandi meatus occludit, vt magno impetu suffocet affectos. Succurritur noxæ crebris cum butiro, & calida excitatis vomitibus.* Ergo non est per se vomitoria. si pro curatione debet excitari Vomitus.

His non obstantibus, supposito Aeruginem genere duplicem antiquis notam fuisse, alteram quidem Scoleciam (idest vermicularem) dictam, tum naturalem fossilem, tum factitiam: alteram verò rasilem, quæ artificialis erat, licet in Cyprijs metallis per se etiā

efflorescceret. Dicendum omnem Aeruginem Vomitum excitare, quoniam alia ære genita etiam Vomitoria sunt, vti Aes Vstum, Aeris squamma, & Flos Aeris, Calchantum, & ita etiam Aeris ærugo vomitoria erit. Sed patet hoc maxime experimentis eorum, qui Vinũ per aliquot horas in æreis vasis repositum potarunt: vidimus enim anno 1610. Moniales Sanctæ Annæ Romæ, quæ ferè omnes potauerant Vinum in Vase æreo reseruatum, maximo vomitu, aliquique fluore fuisse correptas, vt Venenum sumpsisse suspicarentur. constat etiam Acetum in Vase æreo destillatum vim Vomitoriam sibi ab ære assumere. Denique qui de Venenis tractant inter signa assumptæ æruginis Aeris numerant vomitum exortum, vti Auicenna lib. 4. fen. 6. Tr. 1. c. 7. de alziniar, seu ærugine. Rasis 8. ad Almansorem c. de his, quibus Ziniar in potu datum fuerit. Albucasis 2. particula Azarauij trac. 2. c. de potu Ziniar. Cæsalpin. lib. 3. de Venenis c. 31. *Historia.*

Quid agẽdum. Est ergo æris ærugo Vomitoria; sed veneni naturam sapit; vnde pro Medicamento vomitorio non erit recipienda. Rasis enim 20. Cõtinentis c. 2. scripsit. Viridis æris aureum vnũ interficere per diem.

Quantum. Hæc igitur, si ab aliquo fuerit assumpta, & molestus vomitus fuerit exortus, debet iste sedari, modũ autem curandi lib. x. afferemus.

De Æris Flore, Cap. LXVI.

ÆRis florem parandi modum Dioscorides primum tradidit, & simul etiam Plinius lib. 34. c. 11. deinde Mattiolus in cõ. raro in officinis nostro æuo prostat; antiquis tamen erat in vsu, vt ex Dioscoride constat. ex quo adstringere dicitur, & ex Gal. 9. de simp. med. fac. extergere, & quod magis, ex Dioscoride, *quaternum obolorum pondere datus crassum humorem extrahit*, nec clarè constat an sursum, vel deorsum intelligat. at equidem per vtramque partem extrahere, censeo. sic etiam cum Hipp. 3. de morbis. num. 23. *Quòd si*, inquit, *ad dolores in lateribus etiam præcordia doleant; clysterem adhibere oportet, & in potu ieiuno bibendam dare Aristolochiam, Hyssopum, Ciminum, Silebiũ, καὶ πέπλον λευκόν* (peplum album vertit Foesius, Papauer album Caluus, & Salius, Peplum, mecona appellatum album Cornarus) *florem æris, mel, acetum, & aquam.* quam potionem Emeticam esse, assero, quia solet Hippocrates ad vomitum excitandum vti potione ex melle, aceto, & aqua, & hic adsunt præterea Aristolochia, & Hissopus deiectoria facultate prædita, nec non etiam Peplus, & flos æris. vnde validius erit vomitorium, & simul etiam deiectorium. Profectò Salius hãc potionem esse abstergentem ratus fuit. vt quę per sputum, vel per lotium, aut aluum possit materiam excludere. verum multa purgantia *Potio Vomitoria.* admixta redderent medicamentum deiectorium. ratione autem floris æris omnino Vomitorium censeo. quoniam omnia alia ab ære ortum ducentia Vomitum prouocant, vt superiori capite dixi.

Quid agẽdum. Cum ergo crassum humorem à Ventriculo abstergere voluerimus, Aeris flore vti poterimus.

Quantum. Dosis præscripta fuit à Dioscoride quaternum obolorum, idest duorum scrupulorum.

De Æris Scoria. Cap. LXVII.

SCriptum reliquit Dioscorides cap. de ære vsto. hęc paucula verba de Aeris scoria. *Aeris recrementum, stercusuè, quam scoriam vocant, eodem modo lauatur, & eandem vim; sed imbecilliorem habet*, sed Aes vstum *vomitus ciet*, ergo, & Aeris scoria. vndè si quis dare voluerit ad Vomitum prouocãdum Aeris scoriam sciat pondus æris vsti superare debere. quia debilior. *Quid agẽdum. Quantum.*

De Æris Squamma. Cap. LXVIII.

QVid sit æris squamma ex Dioscoride notum est, cuius vim esse tradidit, *vt facultatem habeat adstrictoriam, extenuantem, reprimentem, & erodentem, nomas coerceat, vlcera ad cicatricem perducat*, Porro dicta facultas inepta videtur ad Vomitum prouocandum. tamen subdit, *Pota ex aqua mulsa, aquam trahit. aliqui farina subactam, dant in cata potio.* videtur autem deiectoria potius quam Vomitoria, quia subdit Dioscorides de stomomatis squamma. *eadem vis, & lotio: sed ad molliendam alui detectionem inefficacior est.* ergo si Calybis squamma aluum deijcit, etiã Aeris squamma. Cardanus lib. de dentibus. 3. c. 5. nu. 70. *Drachma igitur*, inquit, *Squammæ nõ solum purgat; sed superpurgat aquam. Cæterum ipsa bonum etiam corpori habitum præstat, & lienem extenuat.* mox subdit. *Ergo dimidium drachmæ cum panis medulla in globulos cogitur*, & addit. *Præterea eius squamma ipsa etiam attenuat, & erodit quod corruptum est, vt etiam phthisicorum vlcera curare posset; sed ad illa penetrare non valet*, sed prius Hipp. lib. de Victu Acut. circa finem scripsit Ad Hydropicos. μηκώνιον Cornarus vertit *Pepli* meconium appellatum, Foesius *Pepli rotundi*, quod Meconium dicitur. Caluus *Meconion rotundum* Brasau. Vasseus, & Valesius, Peplum rotundum. *acetabulum paruum Atticum rotundum potio vna, Squammæ æris spicilla lata tria, Hac leuiter trita, & cum farina recenti agglutinata. ac in catapotia efformata deglutienda dato. Purgant aquam deorsum*, in quo textu plurimæ sunt difficultates. primo quid sit Meconium, secundo, an Meconium cum squamma æris sit miscendum. Porrò viuente Prospe- *Meconium*

ro

-ro Mattiano doctissimo, amicissimoq; viro, sæpins disputabamus de hac voce Meconij. extat vna mea ad ipsum Epistola. Decade 2. mearum Epistolarum. in qua meam aperui sententiam. ipso autem defuncto cum ipsius manu scriptæ in Hippocratem annotationes ad me peruenissent, omnia reuidi, & ad Auctoris mentem edere volui, & licet meam opinionem de Meconio oppugnaret, nihil immutare volui. Quare cum hic Hippocrates non iungat Meconium cum squamma æris (etiam si Cornarus coniunctè vertat) potiones ad Hydropem, non erit hic nobis opus de Meconio loquendi. sed de squamma tantum, quam non solum deiectoriam; sed etiam vomitoriam censemus.

Dices Hipp. hic de squammæ vsu subdit *purgant aquam deorsum*. Respondeo. Cornarum quidem iuncta legisse. sed Fesius, Brasauola, Valesius, & Caluus cum posterioribus iungunt: vnde nullo modo Hippocrates dixit squammam purgare deorsum.

Contra Arduinus lib. 2. de Venenis c. 18. Cardanus de Venenis lib. 2. Pet. de Abano de Ven. c. 9. Cæsalp. de Venenis c. 31. & alij Aeris squammam Vomitum prouocare testantur, vt Aeris flos, & ærugo. certè Trallianus lib. 9. c. 2. ad Hydropicorum aquas purgandas, & simul nnmerat, sambuci corticis secundi succum, latindem, & æris squammæ, cum autem illa sint vere emetica, ita etiā æris squamma talis erit dicenda.

Sed omnem difficultatem absorbet Paulus lib. 7. c. 4. dum ait. *Squamma Cipria drachma cum mulsa pota aquam educit. aceti vero momentum superforbere oportet ne per Vomitum reddatur.* Est ergo æris squamma natura vomitoria. sed ars potest Vomitum sedare.

Quid agēdum. Assumptio huius squammæ videtur periculosa, quum ad Veneni Naturam accedat squamma. in Hydopicis tamen robustis in vsu trahi potest.

Quantitas autem assumenda à Dioscoride non fuit definita. Hippocrates quidem sumi *Quantum.* iussit *specilla lata tria* μηλας τρεῖς πλατείας, idest quantum ter sumere potest specillum ex sui parte latiore. quæ fortasse capiet scrupulum vnum pro vice. vt tria specilla faciant dracmā vnam, quod declaratur ex Gal. 9. de comp. med. loc. c. 3. cum ex Archigene scripsit ad hydropem. *Squamma æris dracmam vnam, panis medulla excipito, & catapotia facito, ac exhibeto fortiter aquam ducunt.* ita etiam Paulus nuper citatus squammæ Cypriæ dracmam exhibet. ita etiam sentit Brasauola com. libri de Victu acut. & Plinius lib. 34. c. 11. *Dant, & Hydropicis eam duabus dracmis in mulsi hemina.* At Paulus lib. 3. c. 48. Hydropes *squammæ æris dracmæ duæ, aut tres cum micis panis excepta, & in orbiculos digesta.* sed lib. 3. c. 4. dicit. *Squamma* *Quomodo.* *cypria drachma semis cum resina pari in Catapotijs valentius purgat pituitam.* fient autem vel catapotia, addito flore farinæ, & liquore conuenienti pro agglutinatione, aut panis medulla, aut melle, vel aqua mulsa dissoluetur.

De Aere Vsto. Cap. LXIX.

Profectò contraria Aeri vsto tribuere videtur Dioscorides: astringentia siquidem ventriculum laxare non posse, satis est euidens. cur ergo dixit. *Adstringit, exiccat, reprimit, extenuat, attrahit*, & mox. *Vomitus ciet cum hydromelite potum, aut cum melle delinctum, illitumuè?* vt etiam Plinius lib. 34. c. 10. scripsit. *facit & Vomitiones è Melle sumptum.* Si ergo Aes vstum Vomitum prouocat etiam alia medicamenta id ipsum recipientia vomitoria erunt. quale *Contradictio.* apud Aetium legitur. serm. 2. c. 26. *Aeris vsti drachmam vnam, foliorum Rutæ drachmam vnam, stercoris columbini drachmam vnam, salis communis parum. Hoc totum cum dimidia hemina vini tenuis prabeto.* sed hoc prius ex Archigene transcrip- *Solutio.* serat Galenus 9. de comp. med. secundum loc. c. 3. ita. *Aut Aeris vsti drachmam vnam, Rutæ ramulos tres, stercoris columbæ drachmam vnam, salis communis parum, cum vino Ephesio, & aqua, ita vt tota mistura hemina dimidia* (alij cyathi dimidij) *sit, prabeto.* Paulus autem lib. 3. c. 48. *Vel Chamalea foliorum, æris combusti, anisi singulorum par modus, datur in aqua, per initia quidem drachma vna, diebus aliquot interpositis etiam duæ, & plures.* vbi adnotauit Cornarus, legendum *squammæ æris* χαλκοῦ λεπίδος. *Neque enim* (addens) *æs vstum; sed æris squamma vim ducendi aquas habet, velut etiam linea vna, aut altera præcedente eius mentionem fecit. Et sicut istic micis panis excipit; ita hic Anisum addit, quo minus quis vsum ipsius auersetur.* Sed Alexander lib. 9. c. 1. posuit etiam idem Medicamentum hisce verbis. *Verùm nullum adeo, vt illud, quod recipit, chamaleæ foliorum, æris* (græce χαλκοῦ,) *anisi, singulorum drachmas quinq; &c.* vbi interpres Andernacus censet addendum *squamma*, sed Antiqua versio cum annotationibus Iacobi de partibus, & Simonis Ianuensis. legit. *Calcecaumenon. idest æris vsti.* Verum quidem est, quod in Auic. c. de cura Ascitis legitur. *Scoriæ æris, & foliorum almezerion, &c.* & est hæc eadem compositio. tamen dicendum non modo squammam æris; sed etiam ipsum æs vstū ducere aquam, & falli Cornarum. namque Auic. ad Hydropem ait. *Rx. Galbanum, & æs vstum, & scoriam æris, &c.* coniungens ambo. Certe Auic. cap. de ære. in vniuersum de eo scripsit. *soluit aquam citrinam, quando bibitur cū Oxymelle.* (Bellunensis legit hydromelle) *& si ex eo liniatur palatus, excitat Vomitum, & potio quidem eius sit, aureus vnus, & semis, & extrahit aquositatem sine nocumento.* Hoc Baesdorpium Carolo V. Hydropico exhibuisse refert Forestus lib. 19. ob. 37. in Schol. & ex eo Senertus de Hydrop.

Statuemus Aes vstū datum Vomitum pro- *Quid agēdum.* uoca-

uocare, & aquas Hydropicorum educere.

Quantum. Dosis erit à drachma vna ad drachmam vnam, & semis, cum melle, vel Hydromelite, & supradictis. ex Senerto fiunt pillulæ, cum charyophillis, cinamomo, & melle, quæ dantur a drac. 1. ad drac. 1. ÷

De Anagiride Cap. LXX.

ANagiris, quam etiam Acopum vocant. fructex est Arboris forma assurgens frondibus trifoliatis, & fructu siliquoso. cuius altera species fœtida est, alia vero non. At fœtida vel est folio trifido, vel rotundo. Non fætida autem, est maior, & minor. Antiquos loquutos fuisse, reor, de fœtida maiore, quæ in siliquis fructum producit, renum figura, seu faseoli forma, vnde faseolum vomitorium quidam vocant. alij verò, teste Anguillara, fabam innersam, & fabam Lupinam. huius fructus vis vomitoria non leuis est, si quidem Dioscorides scriptum reliquit. *Semen commanducatum vomitiones vehementer monet.* & dixit *vehementer*, quod confirmat Plinius. lib. 27. c. 4. *Semen commanducatum vomitiones facit.* sic etiam Galenus 6. de sim. m. f. Et Paulus. lib. 7. Semen Vomitum prouocare fatentur. tandem Mattiolus. *Fructum*, inquit, *Phaseoli figura commedentes quandoque ignari pastores, veluti legumina, crebris adeò vomitionibus afficiuntur, vt nonnunquam viderim ego quosdam, qui sanguinem vsq; euomuerunt.*

Quid agendum. Hæc semina non videntur esse tuta, licet enim responderi possit Mattiolo sanguinem fuisse excretum, ob nimiam copiam ingestum, nam comederunt veluti legumina. & quidem Gal. com. 12. in 1. de Humoribus commendasse videtur: dum ait. *vales etiam ad prouocandum vomitum Anagiris semen*, nos tutius vtemur vsitatioribus.

De Apio. Cap. LXXI.

APios, seu Tithymalus tuberosus. Ischias, à Teophrasto dictus. Mesues videtur appellasse Alsebran magnum habēs radices rotundas. Pet. Belonius in Monte Atho vocari scripsit Chamæpydia. radice est Piri, seu Fici forma. cuius vnicam tantum speciem nouere Antiqui: plures, & fermè quatuor recentioribus innotuere. Pyriformis maior, & minor. Oblonga radice Clusij. Tithymalus tuberosus Germanicus Camerarij. nos cum Dioscoride, & Antiquis de Maiore Apio loquemur. prout Vomitorium tradidere medicamētum. licet, & tres reliquas species eandem sortitas esse facultatem probabile sit.

Igitur Dioscorides *Apios*, inquit, *superior pars Vomitione bilem, pituitasq; extrahit, inferior per aluum: tota vtrinque purgationes monet.* non dissentit Theoph. 9. de Hist. Pl. c. 10. *Apios datur ad expurgandum corpus, quod altera radicis parte superius, altera inferius purget*, Plinius etiam lib. 26. c. 8. *inspergitur*, ait, *& arida radicis farina potioni, aiuntq; superiorem partem eius vomitione biles extrahere, inferiorem per aluum.* notandum, quod Plinius dixit, *aiunt.* nam videtur non facile creditu, vnicam radicem pyri formem diuersas habere facultates. sed etiam de Lathiride aiunt magis miranda, idem folium à planta abstractum trahendo sursum, vomitum: trahendo deorsum aluum excitare. grauissimi tamen Auctores id retulere, quos sequitur Paulus lib. 7. c. 10. inquiens. *Item facit Apij radicis pars superior, aeri proprior commesta, vocant eam nonnulli Chamæraphanum: inferior autem pars per inferna purgat, tota vero sumpta vtrinque.*

Quid agendum. Si ergo credendum est Antiquis, superior Radicis Apios pars Vomitum prouocabit, & bilem, ac pituitam educet, & Hidropicis cōuenient. At Mesues dixit. abscindere viscera.

Quantum. Succi Plinius, & Dioscorides sesquioboli pondus exhibent. Hydropicis Acetabuli mēsura.

Quomodo. Scripsit autem Plinius loc. cit. *Apios radix effoditur Vere, tusaq: in fictili mergitur, deiectoque quod supernatat, reliquus succus purgat vtraq: parte, inspergitur, & arida radicis farina potioni.* & Dioscorides. *Succum si libet eximere, tusa radix in fictili mergitur, & agitata aqua, quod supernatat Penna selectum exiccatur.* Ergo si volumus purgare per Vomitum superiorem radicis piriformis partem in puluerem exhibebimus. in maiore dosi quam succi, qui exhibetur ad sesquiobolum. vnde puluis radicis poterit ascēdere ad drac. 1. & drac. ÷ si purgare voluerimus per secessum eadem dosi exhibebimus radicis partem inferiorem, si verò per vtramq: partem sursum, & deorsum. totius radicis puluis. vel succus erit exhibendus.

De Asaro. Cap. LXXII.

ASarum officinis nota herba est; nobis inseruiet ad Vomitum prouocandum. vtimur autē radicibus odoratis Nardi æmulis: vnde nonnulli Nardum siluestrem appellauere. *Asarum*, inquit Dioscorides, *Hydropicis, & vetusto Coxendicum dolori prodest. Radices senis dracmis ex aqua mulsa pota, menses trahunt, & Veratri albi modo purgant.* idest per vomitum, non autem tanta violentia, periculo, & crassorum humorum eductione. *Dioscorides.* Plinius autem lib. 21. c. 20. *Asarum Iocinerum vitijs salutare esse traditur. vncia sumptum in Hemina Mulsæ mixti Aluum purgat Ellebori modo, Hydropicis prodest, & præcordijs, vuluisq: & morbo regio.* *Plinius.* Inde Mesues. *Est ex rebus facientibus Vomitum, & educit choleram, & phlegma. sed de eius operatione in phlegmate est* *Mesue.*

maxi-

manifestius, & educit ex anchis, & iuncturis materias, & confert doloribus earum, & proprie infusio eius, & etiam alij modi administrationis ipsius. Et est ex bonis rebus in quibus est spes iuuamentorum ad oppilationes hepatis, & splenis, & duritiem eorum, & morbos oppilationum, sicut est hydropisis, & icteritia, & durities splenis, & confert iuuamentum magnum febribus oppilationum, & febribus antiquis. Sed præstat Macri de Viribus Asari carmina afferre.

Macer.

Est Asarum gracè, Vulgago dicta latinè,
Hac calida, & sicca virtutis dicitur esse,
Tertius est illi gradus, vt dicunt, in vtroq:
Prouocat vrinam, potataq; menstrua purgat.
Hocq: modo iecoris medicatur sumpta dolori;
Hydropicosq: iuuat, schiasim fugat hausta frequẽter
Et vuluæ morbis decoctio subuenit eius.
Dicitur ictericum potata repellere morbum.
Helleboriq: modo vomitu præcordia purgat,
Sed non est huius purgatio tam violenta.
Hæc metuenda quidem si fiat taliter illa,
Ætatem, & vires eius circumspice primum,
Quem purgare voles, & tempus quale sit anni,
Et si sit regio feruens, vel frigida valde,
Aut si temperiem mediam tenet inter vtramq:
Nam senibus, puerisq; parum donare licebit,
Ætatis mediæ plus his, iuuenesq; requirunt,
Pinguibus, & validis plus dandum, quã macilẽtis,
Debilibusq: viris. magis in gelida regione
Dandum, quàm calida, duris quocumq: labore
Plus illis tribues, quos reddunt ocia molles
Hæc circumspiciens; & cætera talia tractans,
Non solum tutus dabis hanc, sed quaslibet herbas,
Quæ purgant Vomitu, ventrẽ stomachũue resoluũt.

His subscribunt plurimi alij Auctores cum sit tutum Vomitorium, & Catholicum. vnde

Sanctorius

Sanctorius commentario 1. Aph. 19. *Nos*, inquit, *in principio accessionis quartanæ febris interdum Asari puluerizati drachmam vnam, & semis in vino albo generoso exhibemus, quo remedio plurimos, qui ad vomitum erant procliues, breui spatio sanauimus.* Ita Diomedes Amicus de Morb. sporad. c. 93. scripsit. Mediocre vomitiuum est, quod Asaro paratur, nimirum Asari radicum decoctio. Fernelius autem *Asarum*, inquit, *calidum, siccum, gradu tertio, attenuans, obstructionesq; aperiens, odore aromatico, vomitione validius, quam raphanus, peponis radix, & Vrtica primo Ventriculum. deinde vicinas quoq; & abditiores partes ex interuallis purgat, e quibus, & crassam pituitam, & bilem tum flauam, tum æruginosam euellit. Omnis malignæ qualitatis expers, atq: etiam prægnanti tutum, præsertim quum non exquisite teritur.* Præterea Mattiolus in com. Diosc. *In Germania Rustici tertianam febrem, & quartanam curant, epoto Asari, ex vino decocto, melle, maci, cinnamomo, & id genus aromatibus additis, bibunt enim huius decocti calidi cyathum vnum. alij quotidie, alij alternis diebus, itaq; aluum subducunt. Et quandoq: bilem, aut pituitam vomitionibus reddunt.*

Quid agẽdum.

Hinc dicemus cum Andernaco com. 2. dial. 5. Quia pituitam manifestius quam bilem educit, coxendicum, cæterarumq: compaginum dolori insigniter succurrere, præsertim in sero maceratum, aut decoctum. adhæc iocinoris, & lienis infarctus, scirrhososq: tumores discutere, ob quod aquæ subtercutem, & regio morbo ex vino maceratum opitulari, denique etiam febribus diuturnis, & quartanis mederi, quæ ex communi potissimum obstructione proueniunt. sed Nicolaus Houel in annot. Mesuæ Theorematũ Tagaugatij. *Et vulgus*, inquit, *hodie, ex folijs succum cum vino albo extrahit, & quartana laborantibus ad ciendum vomitum propinat, non sine magno ægrotantium commodo.*

Quantum.

Radicum pulueratarum dosim Mesues docuit esse a dracmam vna, ad aureos duos, idest dracmas tres. Prosper Alpinus de Med. Aegipt. lib. 3. c. 10. à drachma ad duas ex vino. minus dabat Ioannes Baptista Zapata. nempe pulueris tenuissimi drachmam vnam, cum Vino, vel aqua ardente, vel Aceto, vel forma boli cum melle, vel sapa, vel alia re, atq: asserit millies se quartanarijs initio accessionis dedisse, & si febres erant in declinatione, prima vice sanabantur, aliter dabat tertia, vel quarta quaq: die. sed maxime formidolosus in huius exhibitione videtur Fernelius. ait enim. *Radicis cuius præcipua vis est, trita, datur ex Hidromelite, vel sero, vel leniente decocto à drachma semis ad scrupulos quatuor.* cum Sanctorius exhibeat drachmam vnam, & semis. liberalis fuit Dioscorides scribens *Radices senis drachmis ex aqua mulsa pota, menses trahunt, & Veratri albi modo purgant. ὡς ἐλλέβορος λευκός.* clarè scripsit, vnde male Andernacus Ellebori nigri modo purgare transcripsit. sed pondus exactius retulit sic. *Quatuor, vel vt alijs medicis placet quinque, vel sex, vel septem drachmarum pondere, ex sero caprino, aut hydromelite efficacius expurgat.* audacissimus Plinius, qui ait. *Vncia sumptum in Hemina mulsi mixto, aluum purgat ellebori modo.*

Quomodo.

In infusione autem Mesues dari voluit ab aureis duobus vsq: ad quatuor, seu a drachmis tribus ad sex. at Fernelius macerat in aliquo liquore à drachma vna, & semis ad drachmas tres, expressumq: dat, nam coctura, inquit, vis eius vanescit, quemadmodum, & cæterorum, quæ vomitione purgant. Alpinus vero parat decoctum ex geminis dracmis ad quatuor ascendendo.

Folia.

Foliorum est etiam vsus; vnde Fernelius *Viridia folia*, inquit, *dantur à quinque ad octo trita, & effuso vel hydromelite, vel sero lactis, vel leniente decocto expressa.* sed leuissima potio. Aemilius Macer hæc docuit.

De folijs eius triginta recentia tollens
Adde meri tantum, quo possint cuncta recondi:
Tota nocte mero facias macerentur in illo,
Manè teres vino, quo sunt macerata, resolue,
Tunc Olus excoctum cum pingui carne recenti
Porcinæ, prius ægroto da sufficienter:
Et sumat vini quantum vult fortis, & albi,
Sic Asari succum colatum trade bibendum
Fortibus & magnis est hic numerus foliorum

Subij-

Subycıens, reliquis(vt diximus minuendus iuxta quod vires, ætas, & cætera poscunt.

Io. Baptista Zappata ex Asaro viridi, vel sicco cum Aceto decocto Oximel parat, de quo vncias tres, vel quatuor cũ iure exhibet, febribus in die intermissionis. Quartanarijs vero ex Hip. præscripto initio febris, dat etiã decoctum ex sero lactis, vel mulsa.

Fernelius composuit Electuarium, quod Diasarum vocauit, nunc in vsu Officinis. nam omnis generis humores circum ventriculum. & præcordia exuperantes vomitione ducit, nõ continuato; sed ex interuallis facto impetu, seni atq; prægnanti tutum, ac facile. sic paratur.

Diasarum Fernelij.

℞. Sy. Mentæ, & Violarum ana vncias octo. coquantur in mellis crassitiem, sub finem subducto igne insperge radicis peponis arefactæ, seminum raphani, & Vrticæ maceratorum in aqua rosarum, & arefactorum, & tritorum, ana vnciam vnam. Radicis Asari contritæ, & cretæ vncias duas. Cinnamomi, semi. feniculi ana drac. iij. confice in Electuarium liquidum. dantur drachmæ tres ex aqua hordei, vel ex mulsa, vel ex sero lactis.

De Balano Myrepsica. Cap. LXXIII.

QVam Theophrastus *βάλανον* simpliciter, Dioscorides verò *βάλανον μυρεψικήν*, seu Balanum Myrepsicam. idest Glandem vnguentariam latinè, seu odoratam, eandem plantam Plinius Myrobalanum grecizans vocauit: vti Aetius quoq: Arabes verò scriptores Ben, seu granum Almesus vocantes duplicem fecere, & de quo loquuturi sumus, paruum Mesues Monardes, & Cardanus censent, magnum vero Manardus, & melius. Pharagon incolis ad Montem Synai esse Bellonio dicitur. Macaleb album RauVVolfius nuncupauit. Romanæ officinæ *Bene*. Planta inuisa Teophrasto, Plinio, atq; Dioscoridi, vt patet ex imbecilli descriptione. nos oculati sumus testes, plantam alumnus, & inter plantas rariores Horti Farnesiani descripsimus. ex semine nata, 1618, quæ per triennium vixit, & annuam quidem descripserat iam Io. Pona in suo Monte Baldo. nos trimam. Radix crassa erat Napi quodammodo effigie ab extra nigra paucis adnatis radiculis subluteis, sapore acri, odore nasturtij siluestris, intus alba spongiosa, quam adhuc apud me seruo siccatam. Quolibet anno, (nempe triennio, quo Romæ vixit hæc planta) caulis siccabatur, & à radice regerminabat. cui folia inordinate inhærebant, ramosa spartacea alijs mirteis adnatis foliolis, à caudice nempe folij vice exoriebatur oblonga virgula veluti tenuis iuncus cubitum longitudine superans, in cacumine in acutum desinens hinc, & inde ordinate quinq: aliæ iunceæ virgulæ exoriebantur quibus combinata folia, per longa interualla mirtacea sena, vel septena inerant prima maiora foliorum Heliatropijs minoris magnitudine, in cacumine vero ad poligoni formam. Plinius certe Heliotropij folio descripsit; Sed Theophrastus Mirthi folio oblongiore tamen. qui ambo vera scripsere; sed non omnia talia sunt, vt diximus. Autumno autẽ primo decidunt mirtacea folia, & planta spectatur, veluti genista, deinde totum folium virgosum decidit, vltimo tandem etiam cauliculus. Arbor est Miricæ similis, ait Dioscorides. quæ magna haud est, sed Theoph. lib. 4. de Hist. Plan. c. 3. *Illesa magnaq: arbor est*, inquit, *verum non recta, sed contorta, materies valida, & tam ad alia, quam ad nauigia percommoda*. nos certe non vidimus, nisi ad humanam altitudinem. Florem, recentemq: fructum nec item vidimus. Sed plantæ, & folij exquisitam iconem dedimus in libro de rarioribus Plantis Horti Farnesiani alieno nomine.

Hortus Farnesianus à nobis descriptus.

Forma arboris.

Quibus positis deueniemus ad vim vomitoriam. Dioscorides enim *Drachma pondere*, inquit, *pota lienem absumit. Vomitiones mouet, & aluum cum Hydromelite resoluit. stomacho aduersatur*. Galenus verò lib. 6. de med. fac. scriptum reliquit, *quod si quis carnem eius drachmæ pondere cum melicrato bibat, medicamen experietur vomitorium, Sæpe etiam per infernam aluum largiter subducit. Itaq: cum hoc medicamento vtimur ad viscerum expurgationem, & maxime iocinoris, lienisque ex Oxicrato ipsum exhibere consueuimus*. Dioscoridi Paulus subscripsit, inquiens, *Drachmæ vnius pondere cum mulsa pota facile vomitiones ciet*. Hinc Mesues docuit per Vomitum, & Ventrem educere pituitam crudam, & crassam, medicamentumq: mirandum in colica phlegmatica, atq: flatuosa experiri, stomacho tamen subuersionem inducendo nocere ac tarde, & cum difficultate soluere. & addit assatione nauseatiuam vim auferri. Fernelius inde *calida tertio, sicca secundo recessu, oleosa; sed tamen acris, ventriculum visceraq: conturbat, crassos, lentosq: humores vomitione purgat. Medulla eximitur, siccaturq: igne, ac torretur, daturq: ex fœniculo, cinnamomo, & sacharo; vel ex feniculo, & cinnamomo subacta, vt Ricinus coquitur in massa daturq: à drachma semis ad drachmam vnam*. Sed hæc præparatio per torrefactionem demit vim nauseatiuam, non modo ex Mesue; sed ex ipso quoq: Fernelio, qui de Asaro agens *coctura*, ait, *vis eius vanescit, quemadmodum, & cæterorum, quæ vomitione purgant*. fortasse Fernelius torrefactione vult à Glande Vnguẽtaria vomitoriam vim tollere; sed non debebat proponere medicamentum, vt vomitione purgans. sed vim Vomitoriam confirmat Alpinus de Med. Methodica lib. 3. c. 10. inquiẽs. *Et pulpa glandis Vnguentariæ eiusdem cum Cnico naturæ ad drac. ij. ex mulso epota, pituitam crassam, & lentam per Vomitum itidem expellit*. Deniq: Cardanus libro de dentib. pag. 359. sic scripsit. *Educit pituitam, & multam, & crassam. Purgat, & Oleum ipsum. Nec est nauseabunda, vt putat Me-*

Facultas.

sue

sue: oleum est, quoniam omne oleum nauseabundum est. certe Mesue in canone tex. 15. Balanum Myrepsicā minorem numerat inter vehementissima Vomitoria, vt Elleb, Elater. &c. Maiorem verò inter mediocria. Ex quibus nos colligimus, cuiq; pulpa, seu nucleo Glandis Vnguentariæ vti licere ad vomitum prorritādum, pro educenda Pituita crassa, Viscida, & copiosa; vnde confert morbis pituitosis: hinc eam laudauit Mesues ad colicam pituitosam, & flatuosam. lienem absumere scripsit Dioscorides, Galenus vero expurgare viscera præcipue iecur, & lienem.

Quid agēdum.

Quantum. Antiqui drachmæ vnius pondus præscripsere. Fernelius à drachma semis ad vnam. Cardanus ascendit ad duas.

quomodo. Dedere Antiqui ad Vomitum prouocandum cum Aqua Mulsa. vnde libra vna Mulsæ in qua liquata fuerit drachma vna medullę seminum Ben exhiberi poterit.

De Bettonica Cap. LXXIV.

VVlgaris notitiæ est Herba Bettonica, alijs Vetonica, Græcis Cestron. de hac libellum conscripsit Antonius Musa Cæsaris Augusti Medicus. Vires tamen Vomitorias non patefecit, solummodo scripsit Ad Aluum concitandam *Vetonicæ drachmas quatuor, hydromelitis cyathos octo ad bibendum dato, vētrem præsentaneum mouebit*. Sed respondere licebit vim vomitoriam esse in radice, deiectoriam in folijs, vnde Dioscorides. *radicibus*, inquit, *nititur vt Veratri, tenuibus, quæ ex hydromelite in potu pituitosam vomitionem euocant*. & Plinius lib. 26. c. 7. *faciles præstat vomitiones radix Vettonicæ Ellebori modo quatuor drachmis in passo, aut mulso*. Paulus verò lib. 7. c. 3. *Radix ipsius cum hydromelite pota vomitionem mouet, folia autem aluum subducunt.* Sed Paulus præter hanc aliam etiam Bethonicam Pulegij folio proponit. deinde c. 10. *Etiam radicum Bethonicæ, quæ Cestrum dicitur quinque, aut sex drachmæ cum mulsa sumptæ sursum valenter purgant*. Equidem vidi Iurisperitum quendam senem ab assumpto mane Iure incoctis radice Bettoniæ, Adianto, & cicorea à Medico præscripto ignorante vim radicum harum uomitoriam, ualidissimum habuisse uomitum, ut de Veneni suspitione, uel Ellebori radicum commutatione dubitatum fuerit, ut opus nobis esset Pharmacopolam tueri, manifestata radicum ui Emetica. Aemilius Macer sic cecinit.

Radicum puluis cum mulsa tritus, & haustus
Humores velut Helleborum vomitu cito purgat
Bis binas drachmas præcepit Plinius harum
Radicum dare cum passo, mulsoue bibendas
Præcipue phlegma vomitu purgabitur isto.

Quid agēdum. Si ergo ad Vomitum excitandum uti libebit radicibus Bettonicæ, cum hæc sit calida, & sicca, abstergens, & attenuans crassos humores eiectio succedet crassæ, uiscidæq; pituitæ, qualem educit etiam Veratrum album, hinc ellebori modo uomitum prorritare Antiqui scripsere.

Quantum. Quatuor radicum Bettonicæ drachmas Plinius laudauit, sed Paulus ad quinq; & sex ascendit. forte Plinius dat in substantia, Paulus exhibet decoctum.

Quomodo. Cum Mulsa, aut Passo antiqui offerebant, quidam ex recentioribus decocto radicis ex Mulsa addunt Carthami flores.

De Bulbo Vomitorio. Cap. LXXV.

QVem *Bulbum vomitorium* appellauit Dioscorides, equidem quid uere sit determinare non audeo. à doctis enim uiris nequaquam definitum est. siquidem bulbus est *folia habens lentiora multo, & longiora, quam bulbus esculentus, radicem similem, cortice nigro*. alius textus *cortice magno*. sed quis est iste bulbus esculentus cui comparantur alterius radix, & folia? Profecto quid diuersum ab Allijs, Cæpis, Porris, Ampeloprasо, & Scorodoprasо. immo cum alicubi quidam alij bulbi edantur, ut Teophrasto, Galenoque textibus Scilla. quam etiam in Græcia etiamnum edi testatur Anguillara à nostra diuersam. immo etiam Syrinrichium ex Theophrasto. quod in Lusitania esitari uidit Clusius. Messanæ tamen, quo non copiosior planta in campis spectatur, à nemine editur, sed *aglio de Morti* uocatur: sic Tulipa edi posse patet. alijq; bulbi tum à Veteribus, tum à recentioribus traditi, edibiles sunt, non tamen constat, quis sit bulbus esculentus, quis Megarensis, quid Bulbina. Nec me latet ab Amaro Lusitano nostram Ascaloniam censeri Bulbum esculentum, eo quod ea, Venerem, ut de bulbis Antiqui retulere, excitare credatur. Verum Dioscorides plures bulbi esculenti species docens, ait bulbos amaros, & scillinos stomacho aptiores esse. ex quo colligo. aliquam debere adesse cum Scilla similitudinem non solam amaritiem. quod neutrum Ascaloniæ possident. Anguillara, quem alij Hiacintum comosum vocant, Dioscoridisq; Hiacinthum censent, bulbum esculentum, in Gæciam etiamnum esitarum, asseruit. sed Bulbum uomitorium se ignorare fassus est. ut etiam Mattiolus ingenue esculentum se ignorare fatetur, Vomitorium uero, quem nos Hiacinthum botriodē Moschatum uocamus, Vomitorium Dioscoridis rarus est. Ego nihil determinabo, quia cum tot alia uomitoria habeamus hoc carere possumus. non Præteribo tamen Bulbinam Plinij, quæ folijs describitur porraceis: flore uiolæ purpureo in spicis, nigro semine, foris rubicundo, radicis bulbo intus candido. uel Hiacintum botriodem pratorū esse, ut Gesnerus, & Bauhinus putarunt, uel Hiacinthū orietalē.

Vires

Vires quidem Bulbi vomitorij à Dioscoride traduntur, quod *radix mansa, aut decoctum eius potum vesica malis medcatur, Vomitiones mouet*. sic Actuarius lib. 1. c. 8. *si per se estur*, inquit, *decoctumud eius potatur vomitum mouet*.

Quid agēdum. Concludendū nō tentandum experiri bulbos non vsitatos si tutò mederi cupimus; sed alijs certioribus vtendum.

De Chamadryos radice Cap. LXXVI.

Satis nota herba est Chamædrios vera apud botanicos, licet vulgus quandoq: pro ea Teucrium assumat, fruticosam plantam, & albo flore, cum vera Trissago plantula sit dodrantalis ex Dioscoride, nec palmum excedat ex Theophrasto. flore sit purpureo, & exiguis folijs, atq: odoratis, maxime autem dubium est, quod de eadem tradidit Theophrastus 9. de Hist. plum, c. x. nempe vim sortitam esse in radice vomitoriam cuius nullam nec Dioscorides, nec Plinius, nec Galenus, nec Serapio, alteruè (quod meminerim,) mentionem fecit. Quare ipsius Theophrasti verba afferre conueniet. qui quidem *Trisaginis fructus*, ait, *bilem extrahit. Habet hac herba folia quercus instar, & statura vix palmum excedit, & odorata, atq: suauis est. Partes verò omnes herbæ eiusdem minimè ad idem vtiles fore haud quicquam absurdum fortasse videatur. Radicis verò eiusdem partem vnam superius, alteram inferius purgare profectò mirabilius sit, vt Thapsia, Ischiadi, idest Apio, & Libanotidi. Idem tam inferius, quam superius extrahere posse, ceu elaterium, nequaquam absonum dixeris.* Sed si herbula est, quæ ex Dioscoride *nascitur in petrosis, & asperis*. minimas habebit radices, vt etiam passim spectamus. non autem crassas vt Thapsia, & Apios; vnde non poterit fieri diuisio partis superioris, & inferioris, vt in crassiradicibus. apud me certe valde dubius textus est, resq: mirabilis, non ob facultatem assignatam; sed quia de tenui radice prædicatur. & assimilatur crassiradicib. additur suspitio. quia hunc Theophrasti locum de duplici facultate in Libanotide citat Dioscorides. at in radice Camędrios reticuit. Equidem in Theophrasti codice aliquid deesse suspicor, & facultatem vomitoriam radici alterius plantæ tribui. non autem Chamædrios. si quis tamen experiri voluerit poterit superiorem radicis partem, prope caulem, radiculis filamentisq: inferioribus resectis, vel in puluerem redactam, vel decoctam ad dracmam vnam exhibere ad bilem per Vomitum educendam.

Quid agēdum. *Quantum.*

De Charameis. Cap. LXXVII.

Huius Arboris mentionem fecit Christophorus à Costa. & ex eo Lugdunenses, Castor Durantes, & Bauhinus, qui ad Pistaciorum genera refert. Huius arboris *duo sunt genera*, inquit à Costa, *Vnum Mespili amplitudine, folijs Pyro similibus, dilutè virentibus, fructu auellanis simili admodum flauo, eleganter in multos angulos desinente, sapore omphacij, & grata aciditate, quem vel immaturum, vel maturum, vel sale conditum, vulgariter edunt. Alterum genus eiusdem est magnitudinis, foliaq: habet Malo minora, fructum vel priore maiorem, cuius decocto cum Santalis aduersus febres vtuntur Canarini Medici. Crescit in siluis, & montibus procul à mari dissitis. E primi generis, quod secundum aquas nascitur, arboribus, seligunt Decanini, & Canarini eam, quæ longius à mari abest: huius radicis corticem (cui lacteus succus inest) quatuor digitorum longitudine sumentes cum drachma sinapi probè terunt, & asthmaticis exhibent: valenter enim purgat per aluum, & vomitum. Quod si immodica subsequatur euacuatio, Carambolas fructum vnum viridem edunt, vel aceti canarini haustum sumunt (quod nihil aliud est, quam aqua decoctionis oriza vno, aut altero die reseruata, donec acescat, Canarinis aceti vices præbens, & medicū vsum præstans) & si pro fluuium non cessat, ægris caput frigida abluunt.* Hoc autem Medicamentum ad nos ferri non dum noui. Vnde satis erit scire, in India reperiri, & in vsu esse corticem radicis arboris Charameis, quā Turcæ Ambela vocant, ad valenter per aluum, & vomitum purgandum. hinc Castor durantes cecinit.

Quid agēdum. *Quantum.* *Quomodo*

Ambela expurgat pariter bilem, & pituitam. Cit vomitum, Astmaticis confert, dat vota ciborum.

Expectabimus donec cortex Charameis feratur in Italiam: tunc experiemur in Asthmaticis.

Quid agēdum.

Et dabimus talis corticis quantitatem longitudinis duorum digitorum, cum drachma sinapi, probe terendo in aliquo liquore conuenienti.

Quantum.

De Carthamo. Cap. LXXVIII.

Quem Officinæ Carthamum vocant, à Græcis tum *κνῆκος*, tum *κνῆκος* dicitur: vnde latini & Cnecum, & Cnicum vertunt. cuius flos croceus, siluestris, vel saracenicus Crocus nuncupatur. semen autem, quia Psittacis gratum, vulgus *seme de Papagallo* appellat.

Theophrastus 6. de Hist. Plant. c. 4. in siluestrem, & vrbanum diuisit, quem secutus est Mesues, & cum eo Serapio. Dioscorides autem. dum rationem coloris seminis in candidum, & ruffum distinguit, de satiuo vide-

videtur loquutus. nos autem illum, qui candidum gerit ſemen ratione coloris ſeminis in eum, qui flore eſt candido, & alium flore croceo, etiam diuidemus.

Figuram Carthami vulgaris non equidem deſcribam, quum ſit notiſſimum ſemen, notiſſimus flos croceus. ſed ad vires inueſtigandas properabo,

Primo autem ſeminis huius inueſtigandũ eſt temperamentum, in quo ſtatuendo Autores medici non concordant. nam Auic. Meſues. Caldum in primo gradu ſiccum in ſecundo. Serapio calidum, & ſiccum in ſecundo. Galenus, & Paulus, Oribas. Calidum in tertio pronſitiãt.& ex poſteris hi hos, hi illos ſequuntur. ſic Dodoneus, Renodeus, Cardanus de Dentibus, & alij. Calidum in primo, C. Durantes in 3. Simon Paulus cenſet in Galeni textu erratum. Auerroes 5. Colliget 42. ſcripſit. *Galenus dicit in primo de ſimplici medicina, quod calefacit, & exiccat temperate, & in ſecundo libro dicit, quod eſt calidum in ſecundo gradu, quando applicatur homini per modum emplaſtri. Et diſtinguendum eſt, quia in primo dixit de radice, in ſecundo de ſemine, & in alio de folio.* Mihi profectò videntur Arabes habuiſſe Galeni textum corruptum, ob id non mirum ſi aliquando Galenum falſo citant. nec n. Galenus primo de ſimp. m. fac. ſcripſit Cnicum eſſe temperatum. nec libro ſecundo eſſe calidum in ſecundo foris admotum. vti etiam Serapio citauit Galenum ſcribens. *Galenus. eius virtus prima calefacit in ſecundo gradu quando adminiſtratur exterius.* ſed formalia Galeni verba ſunt hæc lib. 7. de ſimpl. m. fac. *Cnici ſemine dumtaxat ad purgationes vtimur, tertij eſt ordinis excalefacientium, ſi quis foris eo vti volet.* quare Auerrois ſolutio nulla eſt. nec enim libro primo Galenus dixit vnquam, quod Cnici radix ſit temperata, quum ſcribat Mattiolus. *Radice nititur oblonga, gracili, fibrataque ſed nullius in medicina vſus.* nec libro ſecundo, vel verius ſeptimo, dixit ſemen eſſe in ſecundo gradu calidum; ſed in tertio, ni textus noſter corruptus ſit. At de folijs Cnici deuoratis videtur Galenus fuiſſe loquutus. 2. de Alimento. fac. 39. dum Cnici ſpinoſam plantam in cibis pauci nutrimenti, & praui ſucci eſſe docuit. de quibus etiam loquitur auctor libri de cura Icteri Galeno tributi. his verbis. *ex Oleribus oportet ſumere, quæ ſuauiſſime vrinam mouent, qualia ſunt paſtinaca, & carthamum, & ſtrutij genera.* ſed fortaſſe ex Galeno 3. de ſimpl. med. fac. c. 25. collegit Auerroes Cnicum eſſe temperatum, quando ſcripſit Galenus. *Cnicum à pituita natura alienum non eſt; ſed calore ipſo, quã pituita valentior eſt,* ſi tamen à natura vincatur vice purgationis Alimentum effici, quæ n. ſunt pituitæ ſimilia, & paulo calidiora videntur eſſe temperata. tamen loquitur Galenus de Cnici ſemine, non autem de radice Coſtæus autem vt ſoluat contradictionem inter Meſuem, & Galenum ait. Galenum de Cnico extra admoto, Meſuem autem ad purgationes moliendas verba facere. quæ quidem vt nota, & clara ex verbis Galeni, difficultatem non tollunt. ſcimus enim ad purgationes moliendas primas qualitates nõ eſſe principes cauſas, ſed coadiutrices. Et nunquam Galenus diſtinxit temperamenta ſimplicium ſecundum magis, & minus pro applicatione extro, vel intro. vnde ſi Cnicus erit foris admotus calidus in tertio, etiam talis erit intus aſſumptus. Equidem ſuſpicor in Galeni textu erratum: nam ex regulis Galeni non poſſumus aſſerere Cnici ſemen eſſe adeo calidum, quum ſit dulce, vt Amigdalæ, Auellanæ, nuclei pinei, & ſimilia ſemina quæ non dicuntur eſſe in 3. calida,

Têperamentum · *Cõtradictio.*

Altera eſt contradictio, Galenus libro de Cura Icteri. *Ex Oleribus*, inquit, *oportet ſumere, quæ ſuauiſſime vrinam mouent, qualia ſunt paſtinaca, & carthamum, & Strutij germina.* Contra nec Dioſcorides, nec Meſues, nec Serapio diureticæ facultatis meminere. ſicut neq; etiam Plinius, Auicenna, & Caſtor durantes. ſed neque aluum mouere ſcribunt. *Cõtradictio.*

Reſpondeo. Galenum loqui de folijs. cæteros auctores de ſemine. ſed an de ſemine, vel de folijs loquatur Hipp. 2. de Diæta n. 14. definire non audeo, dum ſcripſit. *Aluũ mouet, & purgat Cnicus, & aluum magis mouet, quam Vrinam,* vnde loquens de Victu videtur loqui de folijs; ſed dicens. quod Cnicus purgat aluum, videtur ſemen intelligere, quia Galenus ſcripſit. *Cnici ſemine dumtaxat ad purgationes vtimur.* non ergo folijs. Nota igitur fuit Hippocrati leuis diuretica vis in Cnico. *Solutio.*

Sed maior controuerſia erit de vi Vomitoria in ſemine Cnici. quia Meſues ait. *eſt autem abſterſiuus, conturbatiuus, & faciens nauſeam, & ineſt ei virtus educendi per vomitum, & per Ventrem:* deinde ſubdit. *Solutione educit phlegma per ventrem, & Vomitum.* & in canone tex. com. Coſtei. 15. inter mediocria Vomitoria numerat Cnicum. Vnde Caſtor Durantes cecinit. *an Vomitorium.*

Per vomitum purgat, emollit Carthamus aluum.

Et Proſper Alpinus 3. de Med. meth. c. 10. *Cnici ſeminis*, inquit, *pulpa expreſſa ad ſemunciam deuorata per Vomitum pituitam, atq; aqueum humorem purgat.*

Contra verò Medicinæ Principes facultatẽ vomitoriã in Cnico non expenderunt. nã Hippocrates purgare quidem dixit, non tamen vomitu declarauit, vt 2. de Diæta, n. 8. *Cnicus aluum mouet,* & n. 14. *aluum mouet, & purgat Cnicus, & aluum magis mouet, quam vrinam.* & primo de Mor. Mul. n. 45. Ad Pituitam purgandam proponit Cnicum, & 7. Epidem. Pythonis filio cum febre, & ſomnolentia datum fuit medicamentum quoddam ex his, quæ Cnico. Cucumere ſilueſtri, & Peplo conſtãt, & bilioſa educta, & ſopor ſedatus, & febris mitigata, & omnia leuiora *Hippocrates.*

facta, & 3. de Morbis ad finem. ictero si febris supervenerit, exhibet decoctum multarum rerum cum Cnico, si aluus plus quam convenit, non fluat. Pariter Galenus 5. de san. *Galenus.* tuen. c. 9. *Si seni biduo fuerit aluus adstricta sat erit Cnicum in Ptisana, aliaque, quæ modice medicamentorum vim obtinent dedisse.* deinde lib. 6. c. 7. Vt cibi corrupti in ventriculo ad intestina decidant. *Quod ex ficis, & Cnico componitur, aliaque, quæ ex Cnico, vel Epithimo conficiuntur.* & 11. Meth. med. c. 15. per ventrem euacuat, si cauum iecoris afficiatur, Cnico cibis admisso, & modice aluum deijcit. & c. 20. Cnicum inclinante phlegmone datum Aloe præfert, & libro de Dinamidijs Galeno tributo. dicitur purgare phlegma; sed non fortiter. & libro de Simplicib. ad Paternianum. *Ventrem purgat, & phlegma, ac choleram deponit.* immo 7. de sim. med. fac. dum inquit. *Cnici semine dumtaxat ad purgationes vtimur.* si dumtaxat ad purgationes. ergo non ad Vomitum. nec alios Græcos legi Vomitoriam vim Cnico tribuentes. sed scripsit Actuarius lib. 5. suæ meth. med. c. 9. *Dioclis medicamentum quod aluum subducit in pituitosioribus habitibus, ficus pingues triginta, spumæ nitri dracmas quatuor, & viginti, Cnici seminis dracmas quindecim. Hæc accurate trita, cum despumato melle in vnitatem cogito, ac frustula triginta facito, quorum singula quotidie ante cibum assumantur.* Idem Actuarius c. 8. scripserat. *Cnici semen purgat pituitam, non tamen fortiter.* Oribasius primo Synopseos. c. 17. de ijs, quæ per infernas partes purgant. *Cnicus an. pituitam, & bilem; sed non vehementer purgat.* quod etiam refert Aetius ser. 3. c. 41. Sed nec Auicenna, nec Serapio; nec Haly abbas 2. pract. c. 54. nu. 573. Vim vomitoriam adnotarunt. immo nec Auerroes. qui 5. colliget Carthamum mire extollit scribens. c. 42. *Et est ex medicinis manifestis in purgando phlegma sine aliquo timore, & eius nobilitas est, quasi super nobilitatem omnium medicinarum purgantium. Et multum senib. cum ficubus ante cibum comestum valet.* sed si esset Vomitorium, vomitum excitaret. Inter recentiores autem eius vim vomitoriã despexisse lego Cardanum de Dentibus, Cnico alias parum amicum. Fallopium libro de med purg. Renodeum de mat. Med. & alios. Vnde miror Danielem Sennertum Instit. med. lib. 5. par. 1. sec. 1. c. 11. posuisse Carthami semen inter fortia pituitam, & aquas vomitu, & deiectione purgantia. & c. 12. inter fortia vomitoria numerare Cnici semẽ. Verum quia experientia, & auctores citati repugnant. vnde Syluius 1. de simp. med. Natura. *Nihil tamen*, inquit, *aut minimum harum virium in consueto nobis semine Cnici expertus, forte, quod à regionibus calidioribus, non nisi allatum, sed in agro Parisiensi natum.* videtur dicendum Cnicum per se non esse Vomitorium, sed benignum subductorium. *Siluius reprehẽsus.* nec dicam cum Syluio Carthamum Arabicum, vel Damascenum Mesues esse vomitorium; quia nec Auic. nec Serapio experti sunt vomitorium, in calidis regionib. & licet non pauci ex nostris transcribentes verba Mesuę, id etiam testari videantur, vt Andernacus, Veccherius, Schuuenchfeldius, &c. tamen cum sint testes de lectu, non autem experti, id credere nos non cogunt.

Equidem censeo Carthamum esse Vomitorium per Accidens, scilicet in ijs, qui ventriculum debilem habent, quum enim accidat, vt Ventriculus natura debilis, a facultate Cnici amplius debilitetur, retentrix relaxatur, hinc nausea, & Vomitus. *Vomitorium per Accidẽs* Quod autem Cnicus Ventriculum debilitet, docuit Dioscorides, *Stomacho aduersatur*, inquiens, quod confirmant Auicenna. & Serapio, & denique Mesue scribens. *Est conturbatiuus faciens nauseam, Nocet stomacho, faciens fastidium.* quod eius substantiæ oleosæ tribuere videtur Costæus in Mesuem. *ob eius pinguem*, inquiens, *oleosamque substantiam innatare ventriculo, ac nauseam concitare, ratio ipsa, vel nullo asserente, manifeste docet.* sic Santorius com. Aph. 15. Quæst. 56. in fine. *Ad quotidianam*, inquit, *vtimur Oleo Cnicino, quod fit ex semine Carthami, quod euacuat, pituitam per aluum, & interdum per Vomitum*, suspicor quando Oleũ fuerit rancidum.

Ob id alia causa mihi in mentem venit à nemine animaduersa, & est seminum ipsorum alteratio, licet n. Saladinus scripserit Carthami semina tribus annis conseruari, tamen & ante rancida fieri queunt, malè collecta, siccata, & conseruata: anne censetis Cnici semina rancida valere, vt optima, & recentia? dico igitur Galenum, Auerroem, cæterosque, qui benignum esse Cnicum experti sunt, loqui de recenti, & electo semine; *Cnicum rancidũ.* Mesuem autem aliosque Vomitorium dicentes loqui de antiquo, & rancido semine, quod malum Ventriculo est. vti omnia alia semina in cibis vsitata, si rancida deuenerint, vt Nuces, pistacea, nuclei Chrysomilorum, pineorum, auellanarum, & Amigdalæ, vt refert Auicenna lib. 4. fen. 6. tr. 1. c. 30. de medullis fructuum rancidis, & refert accidere ex istis *nauseam, sincopim, & angustiam*, & Petrus de Ebano. de Venenis. c. 42. *Semina rancida.* *ille*, inquit, *qui comederit nuces, aut auellanas rancidas patietur accidentia mala .s. nauseam, & deiectionem appetitus, & vomitum.* de ijsdem etiam agunt, Rasis 8. ad Almans. & in lib. diuisionum. Albucasis 2. part. Azarauij. tra. 2. cap. proprio. & Santes Ardoinus lib. 3. c. 39. de fructibus rancidis Auellanis, amigdalis, pineis, pistaceis, baccis Lauri, medulla Nucis indiæ, ossium Persicorum, ossium Chrysomilorum, &c. & nos addemus semina Melonum rancida, & Carthami semina, quæ ob id censemus esse vomitoria, non autem natura sua.

Quid agendum. Censeo igitur Carthami semina electa, & recen-

recentia ad Vomitum non valere, rancida autem esse venenata, ob id omittenda, & vtendum recentib. ad pituitam per aluum purgandam.

De Chrysocolla, Cap. LXXIX.

SI Antiquorum Chrysocollam quam Arabes Boracem vocant, inuestigare voluerimus, non pauci recentiorum auctorum reprehendẽdi erunt. Antiquos autem dicam Dioscoridem, Theophrastum, Vitruuium, & Plinium. Vt igitur hanc reperiamus, Locum natalem, colligendi modum, & colorem considerabimus. Quoad primum. Dioscorides *Chrysocolla*, inquit, *laudatissima Armeniaca. Secundum locum sibi vendicat Macedonica, & proximum Cypria.* at ex quo metallo fiat, non explicauit. sed Theophrastus libello de lapidibus ita docuit. *Copiosa in auri metallis, & magis in ærarijs inuenitur: & in ijs locis, quæ circa fodinas sunt.* At Plinius lib. 33. c. 5. *Laudatiorem candem*, inquit, *in ærarijs metallis, & proximam in argẽtarijs fieri comperiũ est. Inuenitur, & in plumbarijs vilior etiam aurarijs. In omnibus autem ijs metallis fit.* Vitruuius autem erui scripsit, e locis venis æris proximis. Qua occasione Ferd. Imperatus lib. 4. suæ Hist. c. 32. Plinium carpit Vitruuio magis fidens, eo quod Chrysocolla propria sit Venarum æris non autem aliarum, nisi in quantum ære participant, quia viridis color æris proprius est. Pro Plinio dicemus verissima scripsisse, aliud n. est erui in fodinis auri, argenti, &c. aliud verò fieri ex auro, argento, ære, &c. Plinius, & Theophrastus copiosiorem, & laudatiorem in ærarijs metallis inueniri dixere, & verissimum est, quia æris excrementum proprium est Chrysocolla. Nec potest quispiam negare Chrisocollæ inuentionem in alijs fodinis, quia nullibi reperitur pura minera auri, argenti, æris, plumbi, &c. sed semper mixta metalla conspiciuntur, at Mineræ denominationem sibi asciscunt à copiosiori, sic vbi magis abundat æs, quam aurum, vel argentum, dicitur Minera æris. pariter minera plumbi, &c. Vnde quum omnes fodinæ contineant omnia ferè metalla, sed plus, & parcius, omnes etiam continebunt æs, sic ærariæ plurimum æris, & plurimum excrementi ærei, argentariæ minus æris, auratiæ adhuc minus, & minimum plumbatiæ. ita Agricola lib. 3. de Nat. foss. pag. 222. *fossilis*, inquit, *nascitur in ærarijs metallis. Nam ex ære tantum fit: quo circa si argẽtarijs, aurarijs, plumbarijs oritur, eorum venas certum est esse cum ære permixtas.* quare optime scripsit Plinius, Vitruuius autem etiam optime; sed ab Imperato non fuit intellectus, quippe, dicens erui è locis venis æris proximis intellexit venulas æris etiam aurarijs, argentarijs, & plumbarijs metallis inesse. & proinde etiam Chrysocollam. & ipsius Imperati Franciscus filius in Opusculo de fossilibus. *præstantior est*, inquit, *ex æris dum profluit venis, vel aliorum metallorum aliquid æris habentium.* & paulo post ait. *melior est ad viridem Smaragdi accedens; vt quandoque alios sequitur colores, iuxta metallorum colores ex quibus profluit.* ergo fatetur misceri cum alijs. sed non animaduerterunt cõtradictionẽ inter Theophrastum, & Plinium. Theophr. enim post Metalla ærea, *copiosam*, ait, *in auri metallis*. Plinius verò. *Laudatiorem in æreis metallis, & proximam in argentarijs.* vnde alter secundum locum aurarijs, alter vero argentarijs metallis tribuit. Soluemus nos dicentes, alterum loqui de quantitate, alterum vero, & de qualitate, vt *copiosior* fit in aurarijs, *laudatior* verò in argentarijs.

Vbi nascatur. — *Plinius defensus.* — *Plinius explicatus.* — *Cõtradictio Theoph. et Plinij.* — *Solutio.*

Quo ad Colligendi modum, hunc diligenter explicauit Plinius. lib. 33. c. 5. *In omnibus autem ijs metallis fit, & cura, & multum infra naturalem illam, immissis in venam aquis leuiter hyeme tota, vsque in Iunium mensem. Dein siccatis in Iunio, & Iulio; vt planc intelligatur nil aliud Chysocolla, quàm vena putris. Natiua duritia maxime distat, luteam vocant, & tamen illa quoque herba, quam luteam vocant tingitur. Natura est, quæ lino, lanauè ad succum bibendum. Tunditur in pila, deinde tenui cribro secernitur, postea molitur, & deinde tenuius sic cribratur. Quicquid non transmeat, repetitur in pila, deiu molitur. Puluis semper in catinos digeritur, & ex aceto maceratur, vt omnis duritia soluatur. Ac rursus tunditur, dein lauatur in conchis, siccaturq;* Deinde docet Tincturam Chrysocollæ ad vsum Pictorum. Dioscorides autem lotionem, & vsturam docet ad vsus Medicos. Nobis in artificio adhuc insistendum erit. hic enim est modus conficiendi Chrisocollam veram, quæ, quoniam ex statione, & siccatione addità aquæ fit ex putredine venæ fieri dixit Plinius. nec absq. ratione. quam clarius explicauit Agricola lib. 3. de ortu, & cau. subterran. pag. 47. *Chysocolla quidem*, inquiens, *in venis gignitur, cum materia metallica imbuitur aquis, rursusq. siccatur. cuius indicia ostendit labrum, aliuduè vas æneum, quod est in balneo. id cuim si diu, ac multum aqua madidum manserit, post arescens efflorescit insigui viriditate, quod si succus, vehementer acidus, conclusus circumsleterit æris materiam ipsam erodens, æruginem efficit. similiter in metallis gigni videtur caruleum, cum salsus, & acidus humor corroserit metallicam materiam, ad vtriusque autem experientiam natura nos excitauit: didicimusq. conficere tam æruginem rasilem, quam cæruleum. huius vero generis sunt colores synceri: At quæ terræ Chrysocollam aquis dissolutam, aliumuè colorem combibunt, non in hoc; sed in terrarum genere collocari debent.* & talis est Chrysocollæ colligendæ ratio.

Collectio. — *Præparatio.*

Color deniq. Chrysocollæ laudatissimæ Viridis, & smaragdo similis esse debet. Etenim

Color.

nim Theophrast. libro de lapidibus. *Adglutinat n. aurum, & smaragdus perinde atq. Chrysocolla, quin & non desunt, qui eandem esse amborum naturam arbitrantur. sunt n. colore quam simillimo.* & Plinius lib. 33. c. 5. *summa commendationis est, vt colorem herbæ segetis latè virentis, quam simillime reddat.*

Quid sit. Quibus positis statuendū erit Chrysocollam in æris familiam reponendam, vt sit æruginis species, est enim veluti flos æruginosæ, & putrefactæ mineræ æris: vnde, & essentiam, & qualitates putridi, & corrupti æris, similesque ærugini, sibi assumet.

Porro si huius differentias exactè inuestigare libuerit, aliam esse natiuam, aliam vero artificialem inueniemus. *Differentiæ.* Et natiuam quidem Medici, teste Plinio, Acesin appellant, quæ non est Orobitis. etenim est pura, & simplex; at Orobitis colores absorbuit in vsum Pictorum. durior est natiua, à natura genita in fibris, & venis, aut reperitur per se plerumq: arenæ similis, aut materiæ metallicæ adhæret: atq: hinc abrasa similitudinem gerit eiusdem arenæ, quæ tamen interdum ita modice aspersa est Chrysocolla, vt nulla vel admodum exigua abradi possit. hanc natiuam Chrysocollam Natura sæpe genuit Lapidi Cyaneo, quem vulgus Lazuli vocat, mixtam, & contiguam, vt testes sunt Theophrastus, Imperatus, & Agricola. At Io. Kentmanus pag. 17. Habuit *Cæruleum natiuum Goldbergense cum Chrysocolla, in vena ferri reperta, in lapide candido, qui igni liquescit.* & etiam *Natiuum Snebergense, & Chrysocolla pura, in silice candido distinctè adhærente,* & hæc est Chrysocolla natiua.

Artificialis. Altera species fit artificio quodam; vnde Plinius, *In omnibus,* inquit, *ijs metallis fit, & cura, multum infra naturalem illam, immissis in venam aquis, &c.* quod autem hominum cura Plinij æuo fiebat, simile nostro fieri retulit Agricola scribens, eum aquæ Chrysocollam lambunt, puluerem similiorem subsidere, *qualem Neusola in Carpato monte aqua viridis ex antiquo cuniculo effluens rapit secum, quæ amplius triginta castellis excepta subsidit, singulisq: annis derasa colligitur, atq: diuenditur.* & hæc arenosa videtur. sed Plinius dixit fieri crassescente limo rigoribus hybernis vsq: in duritiam pumicis. Hanc Chrysocollam tingebant Antiqui ad Pictorum vsum, & colore infectam Orobitin vocabant. & tribus generibus distinguebant. asperam, mediam, & attritam, quam & herbaceam vocabant, maioris pretij. nunc Pictores, teste Fran. Imperato, & Schmuencfeltio. *Verde montanum* appellant.

Aurificũ Chrysocolla. Diuersum Chrysocollæ genus est illud, quo Aurifices ad conglutinandum aurum vtuntur; vnde, & Chrysocollæ nomen, seu Auri glutinis confictum fuit. hinc nonnulli voluerunt huic artificum mixturæ primum nomen fuisse impositum, & inde transiisse ad naturalem ob coloris similitudinem. vt Agricola lib. 3. de foss. Nat. p. 121. ex hoc Musæum Calceol. & alij. Plinius n. scripsit. *Chrysocollam, & Aurifices sibi vendicant, agglutinando auro, & inde omnes appellatam similiter vtentes dicunt.* Hinc doctissimus Cæsalpinus. *Dicitur,* inquit, *Chrysocolla, quasi auri glutinum, non quia hæc in eum vsum veniret; sed quia imitaretur Aurificum Chrysocollā, quæ ex Cypria Aerugine, & pueri impuberis vrina addito Nitro temperabatur, Santernam Latini vocant.* Ego, pace tanti viri, contrarium sentio. & prius natiuam Chrysocollam aurificibus in vsu fuisse; deinde eius defectu alteram successisse; sicut nostro æuo huius etiam defectum supplet Borax officinis dictus. id mihi videor ex Theophrasto lib. de lapidibus colligere posse. qui *Et ad ferruminandum aurum,* inquit, *smaragdis vtuntur, adglutinat enim, & smaragdus perinde atq: Chrysocolla, quin, & non desunt, qui eandem esse amborum naturam arbitrantur, sunt n. colore quam simillimo quamquam Chrysocolla copiosa in auri metallis, & magis in ærarijs inuenitur,* vbi constat vsum cōglutinandi auri à Theophrasto assignari, tum Chrysocollæ natiuæ de qua loquitur, tum etiam Smaragdo. *Nomen Chrysocollæ.* immo addam tantum abesse, quod factitia Chrysocolla tale primùm habuerit nomen, vt Dioscorides id nominis minime illi assignauerit: sed solummodo æruginem vocauerit Aurifabrorum, Galenus verò licet lib. 9. de sim. med. fac. etiam Chrysocollam nuncupet, æquiuocationem tamen notat, dicens. *Igitur quidam id modo, quod in metallis inuenitur, ita nominant, alij verò id, quod in æreo mortario, pistilloq: æreo, ex pueri vrina præparatur: id quod quidem inter æruginum differentias numerant.* Sed quod Chrysocolla non sit nomen proprium glutinis aurifabrorum patet, quia verum huius nomen est ex Plinio tum lib. 33. c. 5. tum lib. 34. c. 12. Santerna.

Profectò neque hæc aurificum colla paratu facilis nunc est, vt ait Agricola, propter Cyprij æris inopiam: vnde Aurifices aliud glutinis genus, aliam Chrysocollam sibi cōparare coacti fuere. *Inopia.* hanc nomine arabico Boracem vocant. fitque, teste Mattiolo, ex Alumine rubeo, salenitro, & alijs. Agricola, Fran. Imperatus, & Cesalpinus ex quodam genere nitri fieri conscripserunt. Io. Kentmanus scripsit se apud se retinere Nitrum natiuum scissile, ex quo Venetijs Borax coquitur. Etiam natiuum cinereum, durum, glebosum, ex quo item Venetijs borax coquitur. Præterea verum Venetum coctum, & præparatum, quod Chrysocollam nomināt Græci, Mauri Boracē. Ludouicus Launæus lib. de Antim. contra quem scripsit Greuinus ait. Boracem esse medicamentum compositum ex nitro fossili, & natiuo.

Facultas. Vires autem Chrysocolla habet generi humano infestas ob quas Vomitum concitat

tat. ſic Dioſcorides de vtraq: Chriſocolla Naturali. *Vomitiones*, inquit, *concitant, & necem inferre poſſunt*. & de iactitia Aurifabrorum. *Æri vſto omnino reſpondet; ſed validior*, & licet Plinius eam laudaſſe videatur, dum ſcriptum reliquit. *Datur, & in Angina, Orthopneaq: miſcendo cum melle. concitat Vomitiones*. Non tamen remedium tutum videtur, pro Angina, vel Orthopnea, quia malum vomitum prouocat. & cæteri auctores eam vituperant. inter quos Raſis 8. ad Almanſ. *Aſſumpto Tincar. i. Borace, eadem accidunt, quæ ex Mercurio ſublimato, Tincar tamen deterior exiſtit, quamplures etiam dicunt, quod ex eo nemo euadit*. imo refert Ardoinus de Venenis l. 2.

Chryſocolla periculoſa. c. 17. & Renodeus de Chryſocolla. *Si per os, inquit, ſumatur periculoſa eſt*. Agricola. *modice pota mouet Vomitiones, interficit multa*. Cæſalpinus. *intus aſſumpta Vomitiones concitat, & enecare poteſt*. Schuuenckfelt. *aluum ſoluit, & vehementer vomitum concitat. intra corpus non tuto ſumitur*.

Si ergo huiuſmodi ſunt Chryſocollæ vires, nempe adeo periculoſa eſt eius aſſumptio, quis ſanæ mentis, deſertis tutioribus medicamentis vomitorijs, ad Anginam, vel Ortophneam curandam Cryſocolla vtetur? nos nequaquam.

Quid agendum.

De Recentiorum Borace, an ſit res Vomitoria mihi non conſtar. & ſi Aluminis eſt ſpecies potius aſtringendi vires poſſidebit. Profecto Amatus Luſitanus. cent. 2. cur. 18. inquit. *Indi noſtros Luſitanos docuerunt Chryſocollam, boracem officinis dictam ciceris magnitudine in ouo ſorbili ebibitam, Hominem in priapiſmum trahere, & tentiginem ciere*. deinde cur. 81. in Elect. ad Coitum ponit. *Chryſocolla naturalis, vnc. ij.* at in com. in Dioſc. agens de Chryſocolla luſitanorum viridi huiuſmodi facultatem reticuit, mihi incredibile eſt.

De Chryſopo, Cap. LXXX.

Licet peculiari libello de hoc medicamento loquuti ſimus, vt nihil noui dicendum ſit relictum; tamen quia etiam Vomitum facit, hic ipſi locum dabimus. vocauimus nos Chryſopon ab aureo colore, & quia nec ſuccus, nec Gummi, nec Reſina eſt; ſed liquor diuerſus, veluti lac, quod Græci ὀπὸν appellant. apud alios auctores varia nomina leguntur, vt *Gummi gutta*, & *Gutta Gummi*. eo quod cenſeāt, hoc eſſe Gummi ad guttam Monardis. hinc corrupta voce alij *Gummi gotta*, vel *Gummi gitta*. uel *Gitta Gummi*. vel *Gummi Chatta iemu*. vel *Gumma indica Guuot*. vel *Gummi de Goa*. vel *Gummi Gamandra*, vel *Gummi de Peru*. vel *Gummi purgans Peruuianum*, vel *nouum Gummi purgans*. nonnulli dixere *Guttam Gamba*. quod Gambarum guttæ, barbara nomenclatura, profit, vel *Gittam iemci*, vel *Ghittaiemci*. vel *Ghittaiemeu*, vel *Gutta gemu*, vel *Gemou*, vel *Gemau*. vel *Gothagemi*, vel *Gatagauma*, vel *Guttam Gamandram*, vel *ſuccum Gambici*, vel *Crambici*. Libauius appellauit *Scammonium orientale*. ſed de nomine ſatis.

Etiamſi Gummi nomen huic medicamento à multis tributum ſit, ſi tamen proprie loqui voluerimus, non Gummi, non Reſina, non ſuccus dici poterit, ſed ὀπὸν. nempe lac, vel ſanguis plantæ: deſtillat n. planta inciſa, veluti per venulas, vt apparet in Aloe. ſcammonio, papauere, Titimallis, & ſimilibus, quorum ſuccus diuerſus eſt ab eorumdem Opo. liquatur aqua, & pro croceo colore pictoribus inſeruit, ſi igni approximetur, flammam ſtatim concipit, ardet, & liquatur, (vt Elaterium, Opium.) ſed liquefactus cadit aduſtus, & niger. habui à quodam Medico Gallo chimico, ex India redeunte ſuccum nigrum concretum, & dono mihi dedit. dicebat, depurari in Guttam Gummi. Cuius autem plantę opos ſit certò affirmare non licet; quia ille Gallus non exprimebat, ſed prope Chinarum Regionem deferri aiebat. huius ſapor primo guſtatu inſipidus videtur; ſed paulo poſt acerrime fauces vexat. vnde ad tertij gradus caliditatis aſcendere reor. radicum Timeleæ inſtar, & eaſdem vires habere cum Scammonio. Eſulaq. cenſuit Libauius, cum ſit medicamentum validum electiue purgans ſurſum, & deorſum. ſed mihi videtur ſeroſos proprie euacuare humores, per accidens vero, alios quoq. ſcilicet, pituitam, & bilem, & aliquando etiam craſſos, & ex partibus ab inteſtinis remotioribus. Sed Hydropicis peculiare remedium eſt, præter n. Experimenta Burgrauij, Næuij, Andreæ Chiocci, Ioannis Ingoſtetteri, Reudenij, Hecſtetteri, Libauij, P. Io. Fabri, & aliorum; plures ego Hydropicos Romæ, Neapoli, & Meſſanæ ſanaui hoc medicamento maximo cum honore. Pro Artritide, Chiragra, & Podagra, quam guttam aliqui vocant, vnicum remedium credunt nonnulli cum Reudenio, & P. I. Fabro ob nomen gummi guttæ. Pectoris morbis conferre aliqui dixere, immo etiam phthiſicis, & ſuſpirioſis, vt Næuius, & P. I. Faber: ſed mihi nō probatur, ſicut nec quibus acute febricitant. ſit exhibendum, concedo autem Burgrauio, & Fabro in Quartana præterea ad Capitis, & ad cutis affectus ſanandos. aliqui demum ad omnes corporum morbos ſanandos exhibent, eo quod Medicamentum jucundè ſumatur, quum ſit in pauca copia, ſine odore ingrato, & multa educat. Hoc medicamentum non ſemper eſt Vomitorium; ſed pluries obſeruaui ſine Ventriculi faſtidio, ſine nauſea clementer deorſum multa eduxiſſe: ſed aliquando raro tamen, ſurſum, & deorſum, aliquando verò ſur-

Io Colle.

sursum tantum euacuat, quod fit rarissimè.

Porrò Io. Hartman disput. 9. in fine ait hoc Gummi *Picrocolis inimicum, & Ventriculo, vix propinari tuto licet, nisi prius cum spiritu vitrioli corrigatur.* & P. I. Faber scripsit, *exiccare Ventriculum, & Oesophagum summopere*, ego in Hidropicis, & in alijs, qui medicamenta fastidiebant Chrysopon exibui, quò sine nausea, sine molestia, sine tanto periculo euacuati fuere. aliquando vomitus accessit. sed vt verum fatear aliquando exhibui verè purgationis gratia aliquibus, qui medicamenta iucunda cupiebant. qui iucunde assumpserunt medicamentū blande, & sine vlla molestia euacuati fuere, & gloriabantur de medicamenti facilitate; tamen vesperi illis superuenit lipoumia, & anxietas quædam; quod octo, vel decem vicibus mihi obseruare licuit, quum per ducentas vices hoc medicamentum exhibuerim. aliud nocumentum nunquam obseruaui.

Quid agendum. Ergo pro Hydropicis præstantissimum iudico medicamentum aquas vtiliter educens, nec non ichores humorum. ita etiam podragricis. Quartanarijs,&c. vtile: sed non semper Vomitum prouocat; vnde assero esse medicamentum sursum, & deorsum purgans; sed magis deorsum.

Quātum. Quoad dosim pueris Hydropicis ad grana iij. adultis ad g. vj. 9. 11. 15. vidi quosdam dedisse ad g. xviij. mediocriter robustis: sed ego prima vice soleo exhibere ad grana vij. si non satis eduxerint secunda vice augeo dosim.

Quomodo. Soleo ego cum sacharo rosaceo, vel dr. conf. de Hyacintho, deuorandum non masticandum exhibere sine alia præparatione: Verum, alij præparatum quærunt, vel additis spiritus Vitrioli aliquot guttulis, sic minus afficit os Ventriculi & non fit Vomitorium. aliqui in iure, Vino, & alijs liquoribus exhibuerunt, alij alijs medicamentis miscuerunt; mihi placet, vt caueamus, ne eius qualitas, oesophagum, & os ventriculi inficiat, vnde præstat in forma boli, vel pillularum assumere, quam in potione.

De Cocleis. Cap. LXXXI.

Ocleæ decoctæ multis in cibo sunt, immo Antiqui Coclearum Viuaria confecerunt, veluti in cibis exquisitæ essent, quum etiam nostri Phthisicis eas offerant in cibis. adde Dioscoridem asseruisse, tum terrestres, tum marinas cocleas stomacho vtiles esse. equidem scio Iuuenem quandam ob multum esum Coclearum tumidam factam obijsse. nec vomitum perpessa fuit: vnde nullomodo vomitoriæ videntur dicendæ Cocleæ.

Tamen Dioscorides. *Quæ verò vepribus, inquit, frutetisque glutinata cohæret, quam vocant nonnulli sesilon, aut sesilitim, ventrem, & stomachum turbat, vomitiones excitat.* At Vomitum excitare accidit, vel ob prauam ipsarum substantiam; vel ob alimentum, illud non videtur dicendum, quia omnes Cocleæ eiusdem videtur esse naturæ; sed ipsarum victus potest variationem efficere, si n. Titimallos, Brioniam, Laureolam, Peplium, Ricinum, Timeleam, elleborum; cucumerem Asininum, Ebulum, Esulam, & similia depasta fuerit coclea, certum est vires vomitorias habituram, & ex Hipp. Dios, & Theoph. lac Capræ Elleboro, cucumere asinino nutritæ. immo ex Absintio Coclea assumit amaritudinem, ex Thimo, Origano, & similibus odorem, & saporem: quare dicendum cocleis vim Vomitoriam per accidens inesse: vnde ijs ad Vomitum proiiciēdum non esse vtendum; sed tutioribus, illæ n. quæ vomitum concitant prauam assumpsere qualitatem. fugiendæ ergo sunt istæ cocleæ, quæ Vomitum concitant, & venenosæ cēsendæ.

De Damasonio. Cap. LXXXII.

Irum vobis videbitur me Damasonium inter Vomitoria numerare velle, quod de eo aliter scripserint primates scriptores. siquidem Dioscorides. *Herba sistit aluum,* inquit, atque etiam, *Torminibus, atq; disenteria, per se, aut cum parimodo seminis dauci, potui datur.* Galenus autem lib. 6. de simpl. m. f. Dioscoridis verba refert. sed aduertatis Dioscoridem Vocasse Alisma. Plinius nihil de facultate Vomitoria. Aetius autem ser. 1. se expertum esse decoctum radicis potum calculos in renibus consistentes, ac coactos cōfringere. ergo non est Vomitorium; vnde nec radix, nec herba vim vomitoriam habere videtur. *Non esse vomitorium.*

Tamen Marcellus Empiricus c. 30. scripsit. *Damasonij radix detrahit sursum, deorsumque pituitam, atq; bilem, & ex vino, & aqua mulsa data. sed si per sellas aliquis magis voluerit purgari, succum sumat, si sursum versus, radices eius accipiat.* ecce Marcellus scriptum voluit radices Damasonij sursum purgare. In hac controuersia, nihil certum affirmare queo. si n. de Damasonio Dioscoridis sermo fuerit. hoc quid verè sit, inter recentiores Botanicos controuertitur. vnde quam plures plantæ à Matth. Cordo, Cæsalpino, Bauhino, Columna, lugdunensib. & alijs proponuntur, quam veram, & indubitabilem vobis proponam, hæreo. nec experiri queo. Sed inclinat animus, ut dicam aliud esse Marcelli Damasonium purgans, aliud uerò Dioscoridis adstringens. sat erit, uos admonuisse de Damasonio Vomitorio Marcelli. Verum scio Bettonicæ radices Veratri modo purgare. fortasse Damasonij radix purgat, folia

astrin-

astringunt. nam ex Dios. confert deuorata Opio, nel lepore marino, quibus conuenit Vomitus, præterea Torminibus, Dysenteriæ, conuulsis, & Histericis. quibus omnibus uomitus confert.

De Daphnoide. Cap. LXXXIII.

Nomen A Lauri similitudine, quę Daphnis est, Daphnoides fuit dicta Antiquis. nostris nunc Laureola dicitur. quę à Mattiolo pingitur, uidetur genuina: subuiridi est flore, nigro fructu, & perpetua coma uiret, in montuosis nascitur. *Differentia.* Alterum genus uidi è Germania allatum, quod Lobellius Mezereon Germanicum vocauit, folio deciduo, flore persici, seu purpureo. fructu croceo. vires similes habere credo; vnde, quicquid dicant alij hanc Daphnoidem minorem, maiorem alteram appellabo.

Facultas Dioscorides, *Pituitam*, inquit, *extrahit folium recens, vel aridum, in potu; menses ciet, & Vomitum; caput inanit commanducatum, sternutamenta mouet. Bacca quindecim epota aluum resoluunt*. Ex quo Cardanus lib. de Dentib. scripsit. *Frondes huius plantæ tam virides, quam siccæ epotæ pituitam educunt, & crassam etiam; verum vomitum mouent. hoc autem ad molestiam pertinent. sed & baccæ eius quindecim numero corpus purgant. hoc autem & in Daphnoide, & in ca eris medicamentis, ut dixi, educentibus, obseruandum est; quod & commansa per palatum, & per nares attracta, eundem trahunt humorem; sed non contraria ratione quæcumq. apophlegmatismata, & errhina per aluum purgant. Exemplo est Staphis agria, quæ cum potenter pituitam commansa educat ex ore, non tamen aluum purgat, tametsi quædam potius per Vomitum pituitam educant; sed non ex aluo*. Paul. Aegineta. lib. 7. c. 10. ad Vomitum *Daphnoidis tria folia viridia in leuorem coacta comestaq.* laudat. sic etiam Aetius. ser. 3. c. 119. *Daphnoidis*, inquit, *folia viridia tria commesta*.

Radicis vsus. Sed miror Antonium Fumanellum scripsisse, valide vomitum ciere, Decoctum corticum radicis Laureolæ, ireos, sem. Raparū, ana. drac. j. omnium tritorum, & in libris iiij. aquæ decoctorum. potentiorem tamen existere ipsorum pulnerem ex aqua potum. miror, inquam, quoniam ex Dioscoride *radix inutilis*. ergo nullius sunt cortices radicis vtilitatis, alij tamen etiam vtuntur.

Venenositas. Periculosum uidetur esse Medicamentū: Nam Santes Ardoinus lib 3. de Venenis. c. 9. inter uenena reponit. & ait Laureolam esse natura excessiuè calidam, & siccam, & addit. *Et est ob eius proprietatem vomitiua, & phlegmatis præcipue laxatiua, & si ex ea præsertim ex eius folijs unc. ij. sumantur interficit*. Item Arnaldus lib. de Venen. scripsit unc. ij. laureolæ deuoratas enecare. quod desumptum uidetur ex Rase 20. continent c. 2. ubi hæc protulit. *si quis acceperit unc. ij. Laureolæ morietur multo fluxu*.

His stantibus dicemus nos esse quidem ualidum medicamentum, & non temere adhibendum, non tamen adeo Venenatum. noui enim ego quendam senem Messanæ, qui Laureolæ huius folia aceto per 24. horas macerabat, in puluerem redigebat, & ne fauces adurerentur in pilulas conformabat. & omnibus morbis exhibebat, nec multum excitabant Vomitum; sed quo antiquiora erant folia, eo minus uomitum prouocabant. alios noui, qui cum malua, & Mercuriali Laureolam decoquebant. nec molesta succedebat euacuatio.

Ergo in morbis pituitosis, in hominibus robustis, Rusticis, & uirtute ualida exhiberi poterit Daphnoides, ex dictis autem citatorum auctorum folia uidentur Vomitoria, baccæ uero aluum ducentes. *Quid agēdum.* Caspar Schuuenckelfel. lib. de stirp. Silesiæ. Pituitam extrahit, uomitum ciet. Mensesque educit cortex aduersus Quartanam, Hydropem, & Venena per se cum saccharo, vel liquore aliquo bibitur. corrigitur lacte, uel aceto.

Dosis uidetur fuisse tradita ab Aetio, & Aegineta. nempe tria folia, uel uiridia, uel sicca. maius autem pondus est periculosum. *Quantū.* unde ad unc. ij. necem inferre potest ex Rasi. Ardoino, & Arnaldo.

Folia præparandi modum nō docuit Antiquorum aliquis: sed sequi licebit Mesues doctrinam de Mezereo, quod si Laureola non est, habet tamen facultates similes; *Quomodo.* unde similis correctio commendari poterit, & tali utebatur Senex prædictus, nempe in Aceti infusione.

Aduertēdum autem multos nomine Mezerei Laureolam intellexisse, uti est Floraantus in fisica lib. 1. c. 37. qui millies se expertum prædicat, ad febres tertianas longas. hic herbam florentem in umbra siccabat, inde aceto macerabat. deinde siccabat, in puluerem redigebat, & additis cinnamomo, turbit, & saccaro, acq. rosacea, moschata soluto, & cocto, in tabellas conficiebat, & l. 4. Tesauri, c. 13. puluerem foliorum siccatorum quam capit nummus argenteus cum aqua, Vino, aut iure.

De Ebulo. Cap. LXXXIV.

Vulgaris est planta, & omnibus nota Ebulus, Sambuco congener: nā Gręci Sambucum uocarunt Acten. Ebulum uero Chamęacteno idest humilem Sambucum. Huius unicam speciem nouit Antiquitas, nos duplicem habemus, tum uulgarem, tum laciniatis folijs, similis tamen facultatis species utraq. est, folia autem, radix, & acini purgandi uim aquas, pituitam, & bilem ex Dio- *An Emeticus.*

sconde

ſcoride ſortita ſunt. Porrò ſcribens Dioſcorides, *aluo detrahens aquam*, & cum eo Paulus, &c. videtur negaſſe uim per Vomitum educentem. Nec Galenus huius meminit, nec Plinius. nec Serapio: immo nec Auic. de Ebulo tractauit. unde inter Vomitoria non uidetur numerandus Ebulus.

Tamen Mattiolus. ſuccum è radicibus ebuli extractum Vomitum ualentiſſime commouere, & aquam inter cutem pellere ſcripſit. Senert. in Inſtitut. cap. de Vomitorijs inter fortia Vomitoria Ebuli flores, corticem, & radicem numerat. & Diomedes amicus de Morb. Sporad. c. 93. *Succus etiam*, inquit, *è radice Ebuli, vel è mediano cortice ſtipitis eius extractus, ſi prius contundatur, & aqua Hordei decocti, cum momento cinnamomi, vel nucis moſcatæ, & paſſulis, aſpergatur cum zuccaro potus, aquam n. educit, & Vomitum quandoq*, ergo non ſemper Vomitum prouocat. Non eſt negandum ab Ebulo aſſumpto fieri moleſtam purgationem, cum nauſea, & ſæpe Vomitu: unde a paucis auctoribus laudatur Ebulus; equidem recordor quondam Romæ famam increuiſſe. Ebuli ſemen optimum eſſe ad Podagras. & plurimos id aſſumpſiſſe; ſed quia moleſte euacuabat. & ſtomachum lædebat ab eius uſu ceſſatum fuiſſe. Quod ſi ſcriptorum ſententias audire libuerit, deſcribuere eas, me non pigebit, L. Apuleius Platonicus. c. 91. *Herbæ Ebuli radices*, inquit, *conteres, & eius ſuccum expreſſum cyathis quatuor ex vini ſextario ſemis potui ſemel in die dato: Hydropicis validiſſime proderit. per anum enim humor omnis detrahitur*. ecce per anum dixit, non per Vomitum: ſed ualidiſſime. At Marcellus Empiricus. c. 23. ad Lienis morbos. *Ebuli baccas*, ait, *permaturas exprime: atque ex eo ſucco Viro tria coclearia ad diem dà bibenda, mulieri duo, quo ſumpto deijciet per Ventrem inſtar ſanguinis: in interiecto triduo rurſum dabis, & per hæc interualla repetes dando potionem donec perſanes*. certè ſi inſtar ſanguinis per aluum deijciuntur, ualidiſſimum erit medicamentum non temere adhibendum. Cardanus autem libro de Dentib. 3. parte 3. c. 1. *Ebuli cortices*, inquit, *medij aluum mouent, & leniunt, purgãtq; ſed nullum tamen proprium humorem. dantur pondere dimidiæ drachmæ, parum amici ſunt iecori hi; ſed Ventriculo minus; ſunt enim odioſi, ac lignei, & violenti*. Addemus Dodonei ſententiam, *Educunt autem*, inquientis, *radices non modo pituitam, verum, & aquoſos potiſſimum humores: vtiles idcirco ad hydropicorum purgationes; ſed tamen correctæ, & vbi vires ſuffecerint. Purgant enim cum moleſtia, ventriculum ſubuertunt, interioraq; viſcera omnia perturbant. Male omnibus vſus earum ſuccedit, quibus hepar obduruit, vt quando ex regio morbo Aſcites ſucceſſit, Quamobrem nec temere, nec niſi valde robuſtis, ex Ebuli radicibus medicamentum, aut potio danda. Decoquitur in Vino radix, ſi cauſa morbi frigida, & febris abeſt: aliàs pro affectus natura temperanda potio eſt. Expurgant & Acini, & ſemina; ſed elementius multo, ac minori cum moleſtia, præſertim prius aceto infuſa, ac deinde ſemine Aniſi, vel alijs aromatis vnà permixtis*. Denique Simon Paullis ait. *In genere viribus non dum corruptis, ægro non oppido delicato, ſubinde confectis ex Ebuli ſemine, & ſucco medicamentis vti poteritis, à quorum vſu ad ducendas hydropicorum aquas in alijs abſtinere neceſſe eſt*.

Quid educat.

Cõcludemus nos Ebuli uſum multis profuiſſe. Vnde ad Hydropicos, podagricos, Iſchiadicos, & morbo Gallico affectos ſingulare eſt remedium, teſtibus etiam Mattiolo, Caſtore Durante, & alijs multis. ſic Marcellus ad lienoſos propoſuit: quidam ad omnes morbos, & ad omnes dolores, quia aquas, bilem tenacem, & pituitam educit, & ut Mattiolus ait, quia mulcet delectoria ui mirifice eorum dolores, cum humores eo confluentes, tum reuocet, tum deijciat, & ducit quidem per aluum primario, uerum interdum uomitum prouocat, quia ſtomachum natura ſua relaxat. & natura debilem magis afficit. Vnde iure ſeligunt docti Medici Naturas eorum, qui hanc aſſumere debent, ut ſint ualidi, robuſti, firmo uentriculo. Delectus etiam habendus eſt partium ipſius Plantæ, uti foliorum, Acinorum, ſeminum, corticum radicum: debiliora n. ſunt folia, mediocres Acini, & ſemina, fortes radices.

Quid agendum.

Ideo folia manducata cocta aluum tantum commouent. Baccarum recentium ſuccum expreſſum Viro tria coclearia. Mulieri duo, exhibet Marcellus: ideſt forti tria, debili duo. Seminis doſis eſt ad unc. j. at Corticum radicum unc. ÷ exhibetur.

Quantum

Quoniam autem ſtomacho inimicum eſt Medicamentum, ideo roborantia ipſum erunt admiſcenda. ut Cinnamomum, Aniſum, Daucus, Maſtiche, &c. Quum baccæ fuerint maturæ per diutinas aquæ lotiones à nigro circumſtante ſucco ſemen erit expurgandum, ita ſiccandum, & ſeruandum, aliqui aceto præmacerant.

Quomodo

Tertio quoque die dabat Marcellus.

Quando,

De Elaterio. Cap. LXXXV.

ELaterium, ut Vocem latinis uſitatam, retinuit etiam Plinius. ἐλατήριον Græcis dicitur, latinè *Agitatorium* uertit Theodorus Gaza, forte quia corpus agitat, ſicut ἐλατὴρ agitatorem, & impulſorem ſignificat, à uerbo ἐλαύνω, & apud Poetas, ἐλάω, quod eſt agito, uexo, impello, ualde enim corpus exagitat hoc medicamentum; Succus eſt fructuum *Cucumeris ſilueſtris* (qui a Dioſcoride, & Theophraſto σίκυς ἄγριος uocatur. Plinius *Cucumerem erraticum, & Anguinum* appellauit, noſtri *Aſininum* dicunt) ſiccatus, & in ſolidam formam redactus.

Nomen.

Huius

Huius plantæ unica hactenus Botanicis innotuit species, eaq. passim omnibus nota, ut à nobis describi non mereatur, Plinius tamen lib. 20. c. 1. alterius speciei meminit. *Differētia.* *Aliqui*, inquiens, *in Arabia natum magnificant, mox Cyrenis, alij in Archadia tradunt, similem Heliotropio, cuius interfolia, & ramos prouenire magnitudine Nucis inglandis semen, esse autem ad speciem Scorpionis, cauda inflexa; sed candida, aliqui etiam ab eo Scorpionem Cucumin vocant, efficacissimum contra Scorpionum ictus, & semine, & Elaterio*, Profectò huius Arabici elaterij, ac Scorpionum Cucumeris, apud nos nulla extat notitia, nec alium nosco succum plantæ Elaterio similiorem, quam Guttam gummi, seu Crysopum supra descriptum, sed leuis est coniectura.

Collectio. Nobis autem de nostro Elaterio acturis, prius de eius colligendi modo à Veteribus tradito agendnm erit. *E fructu huius Cucumeris*, inquit Dioscorides, *fit medicamentum, quod Elaterium vocatur, ad hunc modum. Decerpti Cucumeres, qui tacti protinus exiliunt, seruantur nocte vna, postridie imposito supra craterē rariore cribro, vtrisque manibus prehensi sigillatim supino cultro, sursum versus aciem habente, finduntur, atque per cribrum humor in subiectum vas exprimitur: simulque carnosum, quod hæsit cribro, quo facilius excidat, eliditur. quod ita pressum est, residere finitur, atq: in vicinam pelum dimittitur. Coaceruata autem in cribro segmina dulci aqua perfunduntur, & denuo pressa abijciuntur. Humor in pelui agitatur, & linteo opertus, soli exponitur, dumq: steterit, tota supernatans aqua cum humore concreto, effunditur. Hoc vero identidem fieri solet, donec existens aqua liquescat; qua stillatim exhausta, sedimentum mortario suscipitur, & conterendo cogitur in pastillos. sunt qui ad hauriendam protinus succi abundantiam cribratos cineres humi inspargūt, & medium cauantes, triplicatum linteum obtendunt, per quod elaterium cum sua humiditate diffundunt. siccatumq; in pila, vt dictum est conterunt. Alij pro dulci aqua marinam perfundentes, ita eluunt. Alij in nouissima lotione mulsam aquam respergunt.*

Difficultas Hinc Antonius Pasinus, cum dicat Dioscorides decerptis Cucumeribus τῇ ὑστεραίᾳ. *Postridie* findendos esse. & Serapio in *Meridio* vult Dioscoridis textum esse corrigendum. censens fideliorē esse Serapionis codicē, quā vulgares grecas Dioscoridis editiones. Albucasis in libro Seruitoris. *dimitte eos vna nocte*, sed Plinius *postera die* scripsit. Oribasius, Postridie. Vnde corrigendus potins textus Arabolatinus, & Arabicus, qui ex Græco decerptus, quam textus Græcus legitimus, pariter dissecās Dioscorides fructus cultello vtitur. Plinius verò arundine, non videtur hic magna oppositio, vt Saracenus censnit, quoniam vtroque modo fieri potest. Irridet Pasinus additionem aquæ, quam facit Albucasis in libro seruitoris. succo iam expresso: immo Plinius, & iure irrideret, si id placuissent. sed alia fuit Dioscoridis intentio, nempe vt expresso, & transcolato succo, quod reliquum est ablueretur aqua, & ipsum etiam cribrum aqua ablueretur. tunc denique aqua ea, cum reliquo succo misceretur. *Explicatio*

Electio. Pergit Dioscorides afferendo Elaterij optimi notas. *Optimum esse constat, lane κοῦφον non ponderosum cum candore leuiter humectum, gustu amarissimum, quodq: lucernarum luminibus obiectum, facile flagret. Porraceum tamen scabrumq: si turbidum spectetur, atq: erui, cinerisq: plenum sit, graue, & vitiosum esse solet. Nec desunt, qui cucumis succo amylum imm scent, vt candorem ipsum, & leuitatem imitentur.* Hic non paucæ emergunt difficultates. *leue* dixit Dioscorides Pasinns censet vocem esse superfluam, ea tantum ductus ratione, quia Serapio non transcripsit. censetq: mediocriter graue esse debere; sed decipitur, quia Dioscoridi subscribit Oribasius. nec non etiam Albucasis Arabs: quare Elaterium graue improbatur, quia terreum est. vt clarè ipse Dioscorides indicauit, dicens. scabrum, turbidum, cinerisque plenum, esse graue, & proinde vitiosum,

Color. Qno ad colorem Elaterij τὸ κατὰ τὸ λευκὸν debet igitur aliquid albedinis habere, & patet, quia subdit Dioscorides. *Nec desunt, qui cucumeris succo amylū immisceāt. vt candorem ipsū imitentur.* Porraceum verò, idest viride, vituperat. Plinius ait. *Pallidum, ac laue, herbaceo, ac scabro melius*. at Mesnes *cuius succus*, inquit, *est albus*. his subscribunt Oribasius, & Serapio. Contra Aegineta lib. 7. sui operis *porraceum* protulit. τὸ πρασίζον. cui subscripsit Cordus impossibile censens succum densatum candidum remanere posse. profectò opium, scammonium, & huiusmodi alia, quæ lactis formam habent, quum siccantur candorem non retinent. neq: etiam pallorem, mihi videtur Bulcasis in libro seruitoris rectè Dioscoridis verba explicasse dicens. *Et melius ex eo est, quod habet viriditatem paucam, declinantem ad albedinem parumper, & quod est simile colori ambræ.* Vnde nec omnino candidum, nec valde viride esse debet, sed dilute virescens.

Sic certatur inter scriptores, an Vere scriptum à Dioscoride fuerit. *Quod lucernarum luminibus obiectum, facilè flagret.* nam contra Theoph. 9. de Hist. plant. c. 14. docuit Elaterium tantum in se humiditatis continere, ut etiam ad quinquagesimum annum lucernis admotum earum lumina extinguat. Sed si quæstiunculas omnes medicamentorum Vomitorium exagitare vellem, nimis in longum hic meus sermo protraheretur.

Consideretur igitur hic a nobis Elaterij vis vomitoria tantum. Mesnes. *Educit*, inquit, *phlegma cum virtute, & per Vomitum, & per ventrem.* & Paulus lib. 7. c. 10. *Elaterij obolus. in aqua assumptus sursum pituitum, & bilem* *Facultas Vomitoria*

expurgat. addit Mesues. *& interdum choleram, & proprie si inueniatur ei præparatio, & educit mirabiliter aquositates à partibus difficilis eradicationis earum, & educit materias, quæ sunt in iuncturis, & curat dolores earum, & proprie succus eius*, paulo post subdit. *Succus verò eius, & succus radicis ipsius est medicina bona, Hydropisi, Extrahit enim aquam citrinam cum fortitudine, & similiter decoctio radicis ipsius, Et confert ictericiæ, & oppilationi Hepatis, & splenis*, Tandem ait Mes. *Et scito, quod solutio ex eo, quando superflua est, educit sanguinem*. Hippocrates 3. de Morb. in Paracynanche. Elaterio recenti vtitur. Dioscorides. *Radicis succus*, inquit, *sesquioboli pondere, & item cortex acetabuli quarta parte, bilem, pituitamque deijciunt, præsertim in hydropicis; deiectiones autem citra stomachi iniuriam mouet. Radicis selibra in vini præsertim Lybici hemina conteritur, danturq. ex eo terni cyathi triduo, dum tumor abunde deprimi cernatur*, deinde ait, *Bilem, ac pituitam vtrauis parte extrahit, optima suspiriosis est purgatio. Quod si in animo sit, deiectionem moliri, adiecto salis duplo. & Stibij, quod colorare sufficiat, ex aqua erui magnitudine catapotia dato postea cyathis vnus aquæ tepida sorbeatur*. Serapio scripsit. *Si vis laxare ventrem cum eo, admisce ei de sale armoniaco, tantum, quod mutet colorem parum, & fac inde pillulas in quantitate granorum Orobi, deinde bibat post ex aqua calida quantitatem*.

Ant. Pasinus obiecit. Antonius Pasinus in Annotationibus in Mattiolum, dicit irrationabile esse miscere sal, & stibium, quia stibium est res mineralis: nec dicendum est laudabile esse, misceretem potius perniciosam, & nullius beneficij in rebus potabilibus;

Responsio. Sed quis respondere posset, præparari medicamentum deiectorium, & antiquos vsos fuisse lapide lazuli, lapide Armeno, Crisocolla, Aeris squamma, ærugine, flore, scoria, ære vsto, vt supra diximus, & nunc nostri vtuntur ipso stibio varijs modis præparato. nec non etiam Mercurio diuersimode alterato.

Imaginatio. Vnde Pasinus, vbi legitur καὶ στίμμεως, censet dici posse κόμμεως. idest gummi, quia iure addi posset gummi, qua enim sua viscditate, & lentore impediret mordicationem, qua etiam conferret ad corporeitatem pilulis ex elaterio conficiendis præbendam. sed nulla auctoritate id confirmat, Verum postea adducit Habix apud Serap. *si frangere vis acuitatem eius quando ponis ipsum in pilulis. adde Gummi Arabicum, vel gummi Amigdalarum dulcium, vel amararum.*

Mattiolus vero scribit in vetustis exemplaribus manuscriptis reperiri σινήπεως sinapi, quod additum putat ad vim Elaterij roborandam. & malitiam corrigendam, vt Rhabarbaro spica, & alia alijs purgantibus adiūcta sunt à primis medicinæ parentibus, Probat ipse. ex eodem Dioscoride libro 2. de facile parab. c. 39. de curatione difficilis respirationis, & asthmatis. Elaterij, Nitri, Sinapeos. an. drac. 1. catapotia conformato. Galenus verò lib. 7. de comp. m. localium, *Galenus.* circa finem ex Andromacho scripsit. ad Dyspneam. *Sinapis drac. 1, Salis communis obol. iij, Elaterij obol. iij. alij obolum j. & dimidium, terito cum aqua fac pastillos octo, dato alternis diebus cum hydromelite*. Apud Aetium serm. 8. c. 57. *Mirum in modum autem efficax est, quod ex Elaterio constat, & Octaobolon appellatur. Elaterij æreolos v. spumæ nitri obol. iij. Sinapis drac. j. hæc in aqua diluta in octo catapotia infirmo, maneq: duo, tantundemq: vesperi exhibeo. Purgat enim citra molestiam supra, &c.* & Ianus Antonius Saracenus in annot. in suum Dioscoridem cum Mattiolo sentit.

Dioscorides. Pergit Dioscorides scribens. *Ad citandas tamen vomitiones aqua dilnens elaterium, subiectas linguæ partes penitissime pennæ oblinito; quod si quis quam difficilius euomat, oleo, aut vnguento irino resoluto, somnum inhibeto*, & Mesues. *Mesue.* *Educit phlegma cum virtute, & per Vomitum, & per ventrem, & interdum choleram, & proprie si inueniatur præparatio, & educit mirabiliter aquositates à partibus difficilis eradicationis earum, et educit materias, quæ sunt in iuncturis, & curat dolores earum, & proprie succus eius*, deinde subdit, *Succus vero eius, & succus radicis ipsius est medicina bona Hydropisi. Extrahit enim aquam citrinam cū fortitudine, & similiter decoctio radicis eius.*

Dubitatio. Dubitabit aliquis, an Elaterium sit proprie Vomitorium, an potius deiectorium. & per Accidens emeticum. ratio est, quia videntur Auctores dicere Vomitorium fieri præparatione, ergo non per se. patet ex Verbis Dioscoridis dū ait, ad Vomitiones excitandas, eo esse vtendum penna illita, aut etiam oleo admisto. sic Auic. præterea scripsit Dioscorides, *Deiectiones autem citra stomachi iniuriam mouet*, & apud Serapionem Aben Mesuai, *purgat aquam citrinam, absque nocumento stomachi*, idest absq; Vomitu, & nos pluries dedimus elaterium in pilulis, quod vomitum non excitauit. Fallopius lib. de purgan. *Error Auicennæ.* tib. scribit se eo vsum esse ad aquas deorsum detrahendas. & hic notato ab Auicenna non bene fuisse intellectum Dioscoridem. nam inquit *Deiectiones autem citra stomachi iniuriam mouet, radicis selibra, in Vini præsertim lybici hemina conteritur, danturq: ex eo terni cyathi triduo, dum tumor abunde deprimi cernatur*. Auicennæ autem interpres transtulit. *Et quando decoquitur media libra eius cum duobus kisi Vini, & datur in potu omni die tres oboli vsq: ad v, et quando assumitur de radice eius obolus j. & semis. aut de cortice eius quarta anellure, in die facit vomere phlegma, & coleram rubrum.* hic Auic. dicit, quod *facit vomere*. Dioscorides autem *deiectiones mouere*.

Distinctio. Mihi videtur distinguendum de Elaterio recenti, vel inueterato, & censeo recens esse magis vomitorium. Antiquatum minus, & ideo Hipp. 3. de Morb. nu. 11. in Paracynan-

nanchæ, & n. 16. in peripneumonia suspicor voluisse Elateriũ recens. cum autem Teophrastus, & Plinius asserunt longissimæ ætatis esse Elaterium, vnde Plinius. *Incipit à trimatu, si quis recentiore vti velit, pastillos in nouo fictili igne lento in aceto domet. Melius quo vetustius.* & Theoph. 9. de Hist. Pl. c. 14. *Opportunum, quod Vetustissimum. Itaq; Medicus quidam, vir haud insolens, neq; mendax Elaterium ducentorum annorum virtute mirabili seruare apud se retulit eo à quodam munere donatus.* Dioscorides à bimatu *ad decennium esse purgationi aptum.* ego interpretor per Vomitum; nam vltra decenniũ purgat tantũ per inferiora. quod est autẽ infra decenniũ, forte recẽtis nomine intellexit Hipp.

Mesue defensus.

Mesue autẽ scribens *conseruatur succus eius triennio, & est administrandus post sex mẽses*, excusatur, quia fortasse in Damasco non cõseruatur, vt in Græcia apud Theophrastũ, & ob id non videtur dicẽdus errasse Mesues.

Elaterium esse Vomitorium.

Quare ad Quæsitum respondeo, licet Elaterium antiquatum non excitet Vomitum, immo neq; etiam recens id semper efficiat; tamen quia sæpe vomitum excitare solet, inter Vomitoria iure reponendum Elaterium, & dimissis inutilibus Quæstiunculis accedamus ad quid agendum.

Elaterium purgare per Vomitum *Bilem, ac pituitam* testes habemus Dioscoridem, Gàlenum libello de Dinamidijs, Paulum lib. 7. c. 10. Marcellum Empiricum. c. 10. Auicennã Mesuemque: immo Hippocratem de int. aff. n. 19. in morbo magno venarum cauarum ob pituitam, & bilem eò confluxam.

Quid purgat.

Quod purget *Aquam*, & serositates possimus colligere, eo quod Hydropicis præscribũt Dioscorides, Plinius, & Auic. ait. *Confert Hydropisi extrahendo acquositatem mirabiliter sine nocumento, quando in potu datur de radice eius: obolus vnus. & semis.* & Mesues *educit mirabiliter*, inquit, *aquositates à partibus difficilis eradicationis*. deinde subdit. *Succus vero eius, & succus radicis ipsius est medicina bona hydropisi. extrahit enim aquam citrinam cum fortitudine, & similiter decoctio radicis ipsius.* sic Aben Mesuai apud Serapionem. ait, *purgat aquam citrinam absq; nocumento stomachi.* ita etiam Habix.

Fallopius.

Fallopius vero lib. de med. purg. *Ego*, inquit, *in hydrope exhibeo radices cucumeris siluestris siccatas; Elaterium autem exhibeo præcipue quando aquas thermales do, & hoc habeatis per secreto: V. G. quando exhui aquam prima, & secunda die, & non egreditur: tunc ne aqua illa ferueat in corpore, & accendat febrem, ego tento primum eductionem aquæ per exhibitam pillulam vnam Euphorbij; deinde si videro, quod aqua non exeat, ego accipio vnam pilulam alephanginam ponderis vnius scrupuli, & secum misceo vnum, vel duo grana Elaterij, & facta vna pilula exhibeo vesperi per vnam horam ante cœnam, & optime educit aquam sine vllo incommodo, soleo etiam vti exemplo istorum doctissimorum Medicorum ad dandam penetrationem aquis thermalibus accipiendis, si n. timeo, quod aqua non sit optime penetratura, exhibeo aliquid elaterij ante, mox aquam, & optimo cum successu.* Habix autem apud Serap. laxare humores grossos, & melancholiam.

Temperamentum.

De Elaterij temperamento possumus dubitare; nam cum calidum ab auctoribus statuatur. de gradu dissentiunt. siquidem Galenus 8. de simp. med. fac. *Calefacit*, inquit, *in secundo ordine, summe siquidem amarum, leniter calidum subtilium partium, & digerendi vim possidet.* & hunc sequuntur, Serapio, Habix apud Serapionem, Amatus, Renodeus, Caspar Schuuenckfelt, Dodoneus, & non pauci posteriorum.

Contradictio.

Contra Mesues, Auicenna. Calidum, & siccum in tertio. *Est autem compositus ex partibus igneis, & partibus terreis adustis, est autem resolutiuus, subtiliatiuus, aperitiuus oppilationum, & orificiorum venarum; abstersiuus, extenuatiuus, exiccatiuus, & solutiuus. Excoriat, & aperit orificia venarum, quare generat tortiones faciens cum solutione angustiam, & est tarda operationis.* & tandem ait, *& scito, quod solutio ex eo, quando superflua est educit sanguinem.* & Arnald. l. de Venenis. *Elaterium effundit in sanguinem.*

Solutio.

Costęus cum Mesue sentit, & nos cum eo dicemus solui contradictionem asserendo id calidum, & siccum in fine secundi cum Galeno, & in principio tertij cum Mesue. Et fatendum est vehementissimum esse medicamentum. Vnde Cardanus lib. de Dent. *Est e septem principalibus purgantibus, Titanum[q]. est supremus, & omnia purgat.* Petrus de Ebano lib. de Venen. Rasis 20. contin. c. 2. Albucasis 2. part. Azarauij. tract. 2. Auic. lib. 4. fen. 6. Santes Ardoinus. & alij inter Venena reposuere.

Hippocrates.

Tamen Hippocrates sæpe eo vsus fuit ad deploratos morbos abigendos. vt de Int. aff. nu. 40. ad Morbum regium. & prius nu. 19. dederat ad morbum magnum venarum cauarum à pituita, & bile. & 3. de morb. nu. 11. in Paracinanche, & nu. 16. in Peripneumonia. Tandem de loc. in hom. nu. 35. in Tabe ex fluxione retrorsum. *Medicamentum potandum*, inquit, *prebe elaterium deorsum purgans. & inferne aluum lacte infuso eluito.* (Mitto Fœsium. qui vocem ἐλατήριον, aliquando apud Hippocr. cum Erotiano, & Galen. sumi censet pro agitatorio quocumque medicamento, seu deorsum purgante) dico, quod hic, vel est erratum in textu, vt velit dicere *Elaterium sursum purgans*. nam sursum purgat Elleboro ipsam Tabem. 2. de morb. nu. 46. & 47. de int. aff. n. 11. & alibi. vel si, reuera Hipp. intelligit Elaterio deorsum purgare, hoc debebit esse vetus, ne Vomitum excitet: sed ne eius acrimonia noceat intestinis, lac infundi dicemus.

Rubinus.

Quid agendum.

Ergo Elaterio Vomitorio vtemur ad euacuandam bilem crassam, pituitam, & serosos humores. aliquando melancholiam, sed hi postremi commodius deorsum educũtur.

Et conferet Hydropicis, doloribus iuncturarum

rarum, podagræ, doloribus melancholicis, torturæ oris, & infrigidationi pedum, & manuum. suspiriosis, & ad phthiriasim, ictericis, & obstructioni Hepatis, ac lienis. Hipp. dedit in Paracynache, Peripneumonia, & Tabe incipiente.

Quantũ. Circa Dosim. Dioscorides, & Plinius. *à dimidio Obolo ad solidum*. i. à granis sex. ad 12. *pueris chalci duo*. i. grana tria. *copiosius est periculosum*. Mesue *à granis decem ad scrupulum vnum*. idest obolos duos. Paulus ascendit ad scrupulum vnum, & semis, idest obolos iij. lib. 7. c. 4. sed deinde c. x. dat obolum tantum ad Vomitum ciendum; ego dicerem recentis Elaterij, quod Vomitum prouocat dandũ obolum vnum. vetustioris autẽ delectorij obolos iij. nos in Antidotario nostro dosim summã definiuimus à g. x. ad scrupulum j. cum Mesue. sed Fallopius ait communem dosim apud nos nunc esse, à granis quinq: vsq: ad x. vel à granis 6. vsq: ad 12. Cardanus censuit danda grana viij. dumtaxat. pueris ♠ pro ratione, & Marcell. Empiricus. c. 30. ait. *Plus autem eius, quam Victoriati tertiam partẽ non oportet dari*. idest scrup. ÷

Quomodo. Dabat Dioscorides Hydropicis. *radicis selibra in Vino præsertim lybici hæmina. conteritur, danturq: ex eo terni cyathi triduo, dum tumor abunde deprimi cernatur.* Succi verò ipsius dabat Fallopius granum vnum, vel duo cum Pillularum Elephanginarum scrupulo vno, & pillulam formabat. & iam Mesues docuerat corrigi, ne aperiat orificia venarum, nec excoriet, vel generet torsiones admisto Bdellio, & Tragacantho. aut super potato lacte dulci, aut Aqua Mulsa. non consulo, vt solo Elaterio vtamur, sed cum pillulis conferentibus ei morbo, cuius gratia exhibetur. vt pilulis Elephanginis, Arteticis. de lapide Lazuli, cocchijs, aggregatiuis, &c.

Quando. Quia medicamentum est valide purgans sursum, vel deorsum, si volumus vomitum parare miscemus cum aliquo Vomitorio, & recens eligemus, in morbis scilicet, in quibus Vomitus indicatur.

Aduertendum autem, quod ab assumpto Elaterio fit quandoque superpurgatio, vel sursum, vel deorsum vt tandem sanguis effundatur. Vnde si Vomitus fuerit superfluus dicit Mesues, *Expellit nocumentum eius à corpore aqua Hordei mellea, & similiter Vinum, & Oleum*. sed didicit à Dioscoride scribente. *Porro his, qui eximie euacuantur, continue Vinum, & Oleum dare conuenit, etenim vomendo restituuntur. Quod si vomitiones non finiantur, aqua frigida, poleuta, posca, poma, & quæ stomachum deusando corroborant, offerenda sunt*. Ecce quod Dioscorides docet nos remedia ad superfluum Vomitum, quæ in alijs etiam casibus vtilia esse possunt. Alij Auctores, qui Elaterium inter Venena reponunt. vt Mattiolus in lib. 6. Dioscoridis scribit. *Elaterio opem fert Andromachi Teriaca ex baccarum lauri decocto, aut melle pota, senum scrupulorum pondere, verum proprium eius remedium est Menta succus*, quod prius docuerat Petrus de Abano libro de Ven. & Santes Ardoinus. Sed Rasis 20. Continentis. cap. 2. auctoritate filij Patriarchæ *laudat lac recenter mulsum, & Butyrum*, nos dabimus ad superfluum Vomitum panem cum succo Granatorum, Oleum Mentæ destillatum, cum vncijs tribus succi Acrestæ.

Correctio

De Euonimo. Cap. LXXXVI.

EVonimus arbor est, cuius mentionem fecit Theoph. lib. 3. de Hist. plant. ex prauo autem odore, videtur esse praua planta. Theophrastus perniciosam animalibus cẽsuit. Sed Dodoneus *fertur*, inquit, *hic fructus homini exhibitus, & per superna, ac per inferna purgationem moliri, si terni, aut quaterni fructus dentur*. Castor Durantes. *Capras, & alia animalia assumpta enecat, sed duo, vel tres fructus ab homine deuorati, sursum, ac deorsum purgare dicuntur.* Clusius obseruauit in Pannonia Capras innocue Euonimo pasci. Nihil aliud reperio de Euonimo, vnde quia fœtidi est odoris, nec eius vis experimento cognita, non est, vt nos eã proponamus; sed expertis vtemur. *Quid agendum.*

De Frangula. Cap. LXXXVII.

QVam Arborem Mattiolus vocat Frangulam. alij Alnum nigram. & Alnum bacciferam vocant, de ea Mattiolus scribit, *soluit aluum sine vllo incommodo*. & eius corticem proponit ad aluum infra soluendam, non autem ad Vomitum protitandum. vnde videtur, inter Vomitoria fortiora non esse ponendam frangulam.

Tamen fatendum vim vomitiuã illi inesse, nam Mattiolus nos docuit, *Extimo cortici facultas est astringens, intimo autem exoluens. Vterque simul ab arbore delibrari debet in ipso statim Veris principio, ac deinde in vmbra siccari. Siquidem viridis nullus debet esse vsus: quod vomitiones moueat. Decoctum, quod hinc paratur, quiescat prius oportet antequam propinetur duobus, aut tribus diebus, quousq: flauus color in nigrum vertatur, aliàs vomitiones mouere, quandoque solet*. Ecce vis vomitoria illi recenti, & viridi inest, quæ perit in inueterato. quia si quis vti voluerit aliorum medicamentorum defectu recenti decocto, & viridi cortice vti poterit. *Nam Rabarbari modo (inquit Mattiolus) aluum deijcit, & viscera roborat. idem bilem, & pituitam expurgat, quin etiam Hydropicorum aquas ducit*. *Quid agendum.*

Decoquitur Cortex cum Eupatorio cõmuni, Pontico Absinthio, Agrimonia, Cuscuta, Lupulo, Cinnamomo, Fœniculi, *Quomodo.*

Apij,

Apij, & vtriusq: intubi radicibus ad Hydropem, malum corporis habitum, & ictericiam. & si hoc decoctum ex radice siccata, & tertia die à decoctione, resoluta facultate Vomitoria detur deorsum tantũ purgat. demonstrata autẽ est nobis via. quod quando Vomitum exoptamus, e viridi radicis cortice, & recenter parato decocto vtamur.

Dosis. *Datur* (pergit Mattiolus) *potandus ita affectis quinq: vnciarum pondere.*

De Genista, & Sparto. Cap. LXXXVIII.

GEnistæ iungemus Spartum, non quia ambo ad plantarum ligamenta in vsu sint, non quod aliquam habeant similitudinem, & sub eodem genere esse videantur. vt Botanici quidam ea non distinguunt, cum tamen Genista sit foliata, Spartum vero aphillon. sed quia Temperamentum, & vires esse eadem videntur. ergo, quod de Genista dicemus, aptabitur, & Sparto. quæ cum sint vulgaris notitiæ, circa eorũ formam, & alias facultates, & vsus ad nos non pertinentes, inuestigandas tempus non teremus; sed solummodo horum vim Vomitoriam inuestigabimus.

Vis purgans. Dioscorides de Sparto. *Purgant*, inquit, *per superna vehementer ellebori vice, citra pediculum flores, & semina. Semina autem deiectionem mouent*, & de Genista Plinius lib. 24. c. 9. *semen*, ait, *in folliculis phaseolorum modo nascens purgat ellebori vice*, & Mesue de Genista. *Per Vomitum, & per Ventrem educit phlegma cum fortitudine vehementi, & materias, quæ sunt in iuncturis, & mundificat renes ab omnibus superfluitatibus, & quando flores contriti propinantur cum melle rosato, aut cum ouo, resoluunt scrofulas. & Oximel ex eis, aut ex seminibus ipsius resoluũt apostemata splenis. Et si frequentetur eius Vomitus, confert ischiaticæ, & podagræ, & dolori renum.* Galenus vero 8. de simp. med. fac. & cum eo Aetius serm. 1. & Orib. lib. 15. collect. hæc tantum scripta reliquit. *Sparti tum fructus, tum virgarum succus, non instrenue trahentis est facultatis.* Dioscoridem sequuntur Paulus lib. 7. *Flos, & semen Genistæ*, ait, *cum mulsa instar quinque obolorum pota, per superiora purgant Veratri albi modo sine periculo.* Nicol. cap. de scrofulis, *flos Genistæ*, scripsit, *cum melle confectus, vel eius puluis cum modico piperis, mediocre est Vomitiuum.* Præter hos Fernelius. *Spartum maius*, inquit, *quod stipite est quadrangulo calidum, siccum ordine secundo. incidit, & attenuat, vomitione pituitam, aliosque humores trahit, tum flore, tum semine, atq: licet sapore non iniucundo sit, Ventriculum tamen conturbat, & aliquando offendit. Quocirca permiscendum ei fæniculi semen cum cinnamomo, & sacchara.* Cardanus vero libro de Dent. scriptum reliquit. *Spartum, & Genista facultate, & forma similes ferme: sed Genista inferior viribus. Educunt pituitam crassam, & sunt tertij generis.* Marquardus. *Semen genistæ*, scribit, *bis, aut ter sumptum multos præseruauit à podagra, qui aliàs diris cruciatibus sæpissime affligebantur.* Sic etiam Alpinus de Med. Meth. lib. 3. c. 10. Pandettarius, Castor durantes. & multi alij inter Vomitoria reposuere.

Sed dubitatur, an flores sint Vomitorij. primo quia scripsit Plinius. & cum eo Mattiolus, Durantes, & alij. Floribus his delectari Apes, proinde aluearijs circumseri. quod si ex his floribus conficiunt Mel non vomitiuum, videntur neq. flores esse vomitorij. *Dubitatio*

Secundo. Tantum abest, quod flores Genistæ stomachum conturbent, Vomitum excitent. vt potius ipsum confirment, astringant, & appetitum excitent. si quidem Dodoneus ita testatur. *Rudimenta florum adhuc virentia prius videlicet, quam lutea fiant, decerpta, muria, aut sale condiuntur, quæ postea elota, & decoctæ Capparorũ in obsonijs loco habentur, nec minore cum suauitate manduntur.* paulo post subdit. *Flores exigui muria conditi, & pro obsonio mansi, languentem excitant appetentiam, & hepatis, ac lienis infarctus expediunt.* Sciui etiam ego in Italia à multis hosce flores aceto fuisse conditos, & ori gratos fuisse.

Ex Aduerso, quia Dioscorides, Plinius, Mattiolus, Durantes, Mesues, Paulus, Nicolus, Fernelius, Cardanus, Pandettarius, *Sententia* Prospet Alpinus, & multi alij, flores esse vomitorios, asserunt, statuendum vomitoriam vim à natura illis inesse. adde Fumanellum clare scribentem. *Genistæ florum aqua decoctum potu sursum pituitam excutit, fortius est additis raparum, atriplicis, & rapistri seminibus.*

Vnde ad primum respondemus. facultatem vomitoriam in floribus Genistæ non esse superficiariam. *Respõsio* quæ possit communicari Rori floribus insidenti. vt accidit Rosmarino, Timo, & simil. vel etiam Aconito. vt alias. proinde Apibus gratam Genistam, alijs animalibus nocuam, præter tenera cacumina.

Ad Secundum. Respondeo præparatione ex Muria, & Aceto. reddi flores contrariæ facultatis, vt accidit radicibus Ari, Yucæ, nucibus recentibus, oliuis, & lupino amaro. quæ aqua macerata, salita, amaritudinem deponunt. ita Genistæ flosculi muria conditi facultatem vomitoriam amittũt, & priori contrariam adipiscuntur.

Dubitabitis etiam. an semina vim habeant *Dubitatio* Vomitoriam, cũ videantur tantummodo deorsũ purgare. quia Dioscorides ex Ruellio clare dixit, *Semẽ deiectionẽ mouet.* & supra dixerat flores esse Vomitorios. sed Marcellus vertit. *solũ semen.* & Hermolaus. *Semen ipsum*, auget difficultatem Mesue scribens. *Et in flore eius, & stipitibus ipsius est humiditas superflua cum virtute incisiua, quare multiplicat Vomitum.* & non loquitur de semine. sed de solis floribus, & stipitibus. Ergo semen per inferiora

tantum

tantum purgat. Poſſet tamen quis dicere ex Dioſcoride flores, & ſemina ſimul ſumpta purgare ſurſum, & deorſum. ſola autem ſemina deorſum tantum. ita etiam Manardus cenſuit deorſum tantum ſemina purgare.

Sententia Equidem ſentio ſemina matura, & à ſuis folliculis ſeparata, quia ſuperfluam humiditatem amiſerunt, & ſunt in ſuo eſſe perfecta, concocta, & ſiccata, minime eſſe vomitoria; ſed tantummodo deiectoria, vt clare ex Dioſcoride colligitur. quando autem ſemina ſunt parua, viridia, & in ſuis ſiliquis contenta ob ſuperfluam humiditatem, & incôcoctionem, ſeu immaturitatem ſurſum petunt, & flatuoſa ſunt; vnde etiam Vomitus excitant. hanc meam opinionem firmat Plinius lib. 24. c. 9. ſcribens. *Semen Geniſtæ in folliculis, phaſeolorum modo naſcens, purgat Ellebori vice*; vbi clarè dicit, *ſemen in folliculis*. quod erit immaturum, & viride. immo Dioſcorides. Paulus lib. 7. Alpinus de Med. Meth. lib. 3. c. 10. & alij ſcribunt. *Geniſtæ flores, & ſemina contuncta ſimul purgare ſurſum, vt Elleborum*. ſemina autem ſola ſeparata deorſum educere,

Temperamentum Reſtat definiendum temperamentum. Meſues citat Dioſcoridem, (ſed excuſandus, quia non habuit legitimum textum) ſcribentem *flores eſſe calidæ, & ſiccæ complexionis in ſecundo; & ſemen calidius*, quod confirmant tamen. Fernelius. Durantes. Dodoneus.

His, & alijs auctorum ſcriptis conſideratis, ſtatuemus floribus, tum recentibus, tum ſiccatis, nec non ſeminibus viridibus, & adhuc ſuis lobis inuolutis ineſſe uim vomitoriam, quam nos quæſiuimus, non autem ſeminibus exiccatis; proinde Vomitum ex his vtilem fore. vnde in poſterum loquemur tantum de vi Vomitiua Sparti, & Geniſtæ, reſidente in floribus, & tecis viridibus ſemine repletis.

Quid agendum Exhibenda igitur erit Geniſta, vel Spartum pro vomitu exigendo, quando purgare volumus pituitam craſſam, & viſcidam, vti eam purgare ſolet Elleborus albus.

Et huiuſmodi euacuatio per Vomitum præſeruabit, & curabit multos morbos, vti ſunt Iſchias, podagra, renum dolor. namque mundificat iuncturas, & renes expurgat. confert Anginoſis ſcrophuloſis, Hidropicis. refert enim Cardanus lib. de dent. c. 41. Auguſtinum quendam Hydropicum ... n, ſanatum fuiſſe decocto huius radicum bis in die ſumpto, per tres horas ante cibum. & eo dilutum vinum cum cibo bibendo.

Quantum. Seminum ſimul cum floribus doſim aſſumendam p... Dioſcorides, dicens, *cum p... r ſemina quinis obolis in ...* Paulus, ſic Plinius, *... dracma, & dimidia pota ... quatuor ieiunis*. Meſues ait. *Doſis florum eſt à dracmis duabus vſq; ad quinque*. Alpinus de Med. Aegypt. ad dracmam exhibet, ad ſemunciam, aut vnciam florum in decocto. Cardanus. *Succi florum*, inquit, *dracmæ duæ ad purgandum ſufficiunt, pulueris erunt tres. vel ſi ex floribus in Acetario vncia vna ſumatur*. fortaſſe voluit ſcribere *dracma vna*.

Quomodo.

Angela 40. annorum menſe Iunio 1623. habitu craſſo, infra purgata ex Ricino multum fuerat. patiebatur autem gonorrhæam, & aliquando venter inflabatur, nauſeabat, & vomere nequibat. Sumpſit iuris vituli vncias ſex in quo decoxit florum Geniſtæ recentium pugillum vnum, & colaturæ addidit Oxunelitis ſimplicis vncias duas, poſt horam digito immiſſo vomuit multa viſcida, veſperi melius ſe habere dicebat, poſtea conualuit.

Aduertendum tamen, quod Meſues dixit. *Nocet ſtomacho, & eorat*, & Dioſcorides, *purgat vt lun Elleborus, & ſtrigmenta eliett cruenta*. iure ergo Fallopius ſcripſit. *Geniſta non eſt in vſu ad purgandum, licet eius flos, & ſolum faciant vomitum: ſed nulli ipſorum vtimur, & conſulo etiam vobis, vt fugiatis ea omnia, quæ tota ſua ſubſtantia faciunt vomitum*. *Oppoſitio.*

Contra tamen dicemus nos Geniſtam cuius tot Antiqui fecere experimenta, non eſſe ab vſu Medico extirpandam. neque. vt Vomitorium, neque vt deiectorium, neque etiam vt reſoluens medicamentum, quia ſi nocet ſtomacho, Philagnus, & Meſue occurrunt propinando *cum melle roſato*. vel *cum roſis, & maſtiche*. ita etiam proderunt ſemina aniſi, fœniculi, dauci, cinnamonum, & ſimilia. ſtrigmenta autem ab inteſtinis detrahit, quia ex Dioſcoride fit decoctio Geniſtæ ex aqua Marina ſalſa, & inde Clyſtere. vnde tum ſalſedo, tum acrimonia humoris attracti erodunt inteſtina. *Differetia.*

De Gilbenec. Cap. LXXXIX.

DE Gilbenec non habemus niſi Auicennæ verba, & quia dicitur eſſe medicamentum vomitorium, non eſt à nobis hoc libro ſilentio prætereundum. ſcripſit ergo Auic. *Gilbenec quid eſt: eius operatio eſt proxima operationi ellebori quidam autem dixerunt, eſt ſemen Turbit nigri, & cortex radicis eius eſt Turbit citrinum, & oritur in Said, veruntamen, quod ex eo bonum eſt, eſt indum, & eſt ſimile Papiro* Inſtrumenta iuncturarum. *Quidam iam dederunt ex eo in potu paralytico vſq; ad pondus Dragmæ, & vomuit, & ſanatus eſt*. Membra nutrimenti. *Eſt Vomitorium, & quandoque eſt mortificatiuum propter fortitudinem vomitus*. Membra expulſionis. *Soluit, & potio ex ipſo eſt medietas dracmæ; ſed dracma eſt umoroſa*. Venena. *In ipſo eſt virtus venenoſa*.

Ex his Auicennæ verbis colligo Gilbenec eſſe quoddam ſemen Indum vim habens veneno-

nenosam, & Vomitiuam fontem. Pandectarius secundum quosdam dicit esse semen Turbit, secundum alios, quod sit Nux Vomica, Anguillara semen Gratiolæ credit esse Gilbenech Arabum, sed Fran. Alex. respondet, nullā adesse coniecturam ex Auic. verbis, dubito an sit semen Tapsiæ. nobis, *Quid agẽdum.* quia quid sit apud nos, docere, non possumus, hæc tantum retulisse, satis erit.

De Gladiolo. Cap. LXXXX.

NOn videntur Gladioli radices inter medicamenta vomitoria esse reponenda, si quidem Dioscorides *superiorem* (quia duplicem radicem bulbaceā habet) *radicem ex vino potam Venerem stimulare, inferiorem vero sumptam sterilem facere tradunt*, proinde non poterit esse medicamentum vomitorium, immo neque etiam quia subdit. *Superiorem quoq; vtiliter infantium enterocelis, cum aqua potui dari præcipiunt.* nanque ad hoc conferentia debent potius esse adstringentia. ita etiam Castor Durantes. Radices hasce esitatas Castanearum modo strumas dissoluere, nec quicquam de vi vomitiua.

Contra tamen Io. Bapt. Zappata mire extollit Gladioli radices ad sanandas scrofulas, scribens, ab his assumptis nonnullos, ob nimiam pituitæ copiam à capite in ventriculum defluxam, & ibi collectam, post horam, præcipue pueros, & eò magis si citius cibum assumpserint, in vomitum prorumpere, & postea aluo copiose deijcere pituitam crassam. Ergo non erit proprium, & inseparabile Accidens iste Vomitus, sed casualis, & alterius causâ.

Quid agẽdum. Si quis igitur hoc remedio vti voluerit ad strumas sanandas Zappatæ experimēto credens, vti poterit Gladioli radicibus recentibus castaneæ modo deuoratis; sed præcedentibus prius solitis euacuationibus, & præparationibus vniuersalibus. *Quomodo.*

Dosis erit prima die Viro decem, vel duodecim radices maiores. puero quinque, vel sex minores cum suis paruis radiculis instar cicerum, eas bene mandendo, vt earum vis caput petat, & facilius à capite, & partibus vicinis pituitam trahat. secunda vero die si multa fuerit euacuatio, minorabitur dosis; si pauca augebitur. *Quantum.* *Quoties.*

Hoc vtendū remedio per 30. vel 40. dies. & si morbus fuerit inueteratus, & contumax etiam per 50. vel 60.

De Gratiola. Cap. LXXXXI.

EST Gratiola, seu Gratia Dei, nunc dicta herba, antiquis ignota, licet enim Antiquorum Papauer spumeum Anguillara suspicauerit, vel Polemonium palustre amarum Hippocratis veterinarij Gesnerus cēsuerit, vel Epatorium Mesue, voluerit Cordus, vel Persicariam minorem Syluatici, & eius semen forte Gilbenec Auicennæ Anguillara, vel aliud quid. Verum quia nihil certi affirmari potest, nos vulgato nomine contenti erimus, Gratiolæ autem figuram, & descriptionem, qui voluerit, apud Mattiolum, Dodoneum, Lugdunenses, & alios aspicere poterit. licet Dessenius eam ignorans insurgat in Manlium eam leuiter describentem, & in Emplastro Gratia Dei Anguillaræ interpretetur Geranium. Nobis satis erit eius vires indagare.

De Temperamento primum statuendum esse Gratiolę folia calido, & sicco, vti Castor Durantes, Dodoneus, Simon Paullus, & alij credidere; nam Mattiolus, Cæsalpinus, cæterique scriptores amarissimam esse monumentis suis reliquerunt. addit Mattiolus *quadantenus adstringens sentitur*.

Sed dubitabitis, an sit medicamentum vomitorium; quia Mattiolus scripsit tantum. *Alvum vehementer purgat, tam recens, quam sicca sumpta, bilem, pituitamque trahit.* si ergo ex Mattiolo Gratiola, quæ adstrictionem gustu habet, ob quam ventriculū roborare poterit, & aluum purgat, non erit Vomitum excitans. sic Florauātus lib. 1. Physicæ. c. 32. *Temperamentum.*

Dicendum tamen inter Vomitoria Gratiolam esse reponendam multorum auctoritate, Nam Dodoneus, Castor, Alpinus de Med. Meth. lib. 1. c. 10. Diomedes Amicus de Morbis sporad. c. 91. Simon Paullus, Zephiriel Thomas Bouius, & alij communiter à Gratiola Vomitum excitari fatentur. Anguillara ait, in Sorya, vocari semen Vomitorium in assumentibus, & folia mirabiliter purgant pituitam. *Solutio.*

Euacuare autem videtur bilem crassam atq; pituitam lentam: immo aquas in hydropicis educit. Et prodest aduersus diutinos coxendicis dolores, & aduersus inueteratas febres, siue tertianas, siue erroneas, iecur, & lienem expurgat, ab obstructionibus liberat, ventris lumbricos pellit, putredinib. aduersatur, vt Dodoneus, Castor, & alij testātur. Bouius dedit Quartanarijs, & mire extollit hanc herbam. Quid igitur à nobis agendum?

Robustis corporibus, (cum rusticorum Medicina dicatur à Castore, & à Diomede amico,) erit exhibenda Gratiola ad purgandam bilem crassam, pituitam viscidam, & etiam aquas Hydropicis per Vomitum, & *Quid agẽdum.*

per secessum. etiam Demonio obsessis quidam exhibent eodem Diomede teste. inueteratis ergo morbis prodest, qui à crassis humoribus pendent, quales sunt inueteratæ febres, siue tertianæ, siue erraticæ, obstructiones Hepatis, & Lienis, diuturni coxendicis dolores; ob amaritiem ventris etiã lumbricos enecat, & educit: & omni putredini obstat. Florauantus commendauit ad strumas, Alopeciam, & Scabiem. Thomas Bouius exhibuit Quartanario: Tertianæ dupliici, & extollit ad omnes febres excepta Ethica. immo refert in suo flagello, se Morbo Arietis laborantem assumpsisse Gratiolam, & fuisse sanatum, inquit Bouius in flagello: p. 57. *anno præterito cum accessit Morbus Arietis; ego, & mea familia, qui eramus vij. fuimus primi vexati, sumpsimus omnes Gratiolam, & omnes conualuimus*, & p. 66. *sentiebam eo morbo affectus rem ascendentem ad os ventriculi, & Gratiola per vomitum eduxit bilem vitellinam crassam, amarissimam, qua educta, sanatus fui*. & in Melanpigo pag. 99. laborãs feb. continua lẽta, sumpsit decoctum Gratiolę cum pauco Tartaro crudo in iure Caponis pinguis 4. die, & eduxit infra, & 7. iterum assumpsit; conualuit.

Quantũ. Huius dosim non præscripsit Matthiolus. sed Castor, Morellus, Heurnius, Sennertus, ad drac. j. Diomedes Amicus drac. ÷ ad dra. j. Prosper Alpinus ad drac. j. Dodoneus à dra. j. ad drac. ij. & paulo amplius, sed decoctum intelligit, & decoct. Sennertus ab vnc. ÷ ad vnc. j. Bouius pulueris. dra. ÷ decocti dra. j. [illegible]

Valet Gratiola tum recens, tum sicca Vino exhibita ex Alpino nocet stomacho, ideo eam corrigere auctores conantur.

Quomodo. Florauantus lib. 1. Physicæ. c. 32. ℞. Gratiolæ vnc. j. cinnamomi. drac. j. Gariophillor. scrup. j. farinæ tritici lib. j. cucurbitæ saccharo conditæ. vnc. iij. corticum Arantiorum condit. vnc. j. misce cum melle, & fiat panis bene coctus in furno, & huius panis vnciam j. dabis puero strumoso, scabioso, alopecia vexato. Franciscus Alexandri. *Sola non citra noxam aluum vehementer deijcere facit, stomachum vellicat, & vomitum magno cum impetu lacessit, & crebro vna cacantes vomituriũt (licet Matt. sine noxa, purgare asserat) quo circa rusticis etsi obuia, ob eius molestiam derelinqui cœpit. Nos illam Mastiche præparamus, & ex ea Antidotũ, vt nullo incõmodo ad multa salubrior fiat.*

Castor, quia nocet stomacho dat Gratiolę pulueris scrup. j. cinnamomi, anisorum, liquiritiæ rasæ, & sacchari parum; cum iure cicerum q. s. vel ℞. foliorum Gratiolæ. vnc.

Correctio. semis. Soldanellæ, anisorum. an. drac. iij passularum enucleatarum. vnc. ÷ Vini q. s. bulliant, donec remaneant vnc. vj. colatura tepida in aurora propinetur. Rustici x. folia nebula inuoluta assumunt. Bouius exhibet decoctum cum Tartaro vini. semel, & bis pro minoratiuo. sed in iure ad vnc. iij. decoctam Gratiolam ad drac. ij. & Cinnamomi sc Tartari. an. dra. semis.

De Hydrargiro. Cap. LXXXXII.

Ex Hydrargiro, seu Argento viuo, à Chimicis Mercurio appellato varia medicamenta Vomitoria spagiricorum industria præparantur, nos agemus hic tantum de Sublimato, præcipitato, Turbit minerali, & Mercurio vitæ. sed prius determinandum videtur, an venenosum, ac vomitorium sit per se, vel à præparatione, nempé, an impræparatum sit tale. & quo sit Argentum viuum temperamento præditum.

Dioscorides, *potum*, ait, *vim pernicialem habet, suo enim pondere interna excẽ, remedio est lac multum, &c.* sed pace tanti Militis, nimis erasse loquitur. & male probat esse venenum. Quæro igitur quam vim pernicialem habet? Respondebit suo pondere exedendi intestina. at ò Dioscorides, lac non conuenit. nec opponitur ponderi; sed acrimoniæ. si lac confert, erit obtundendo acrimoniam exedentem, non autem alleuiando pondus. Quare facultas Hydrargiri Dioscoridi ignota fuisse dicenda erit. Sic Galeno Hydrargirum fuit notum, & ignotum, ignotæ vires, sola facies nota. ait enim 9. de simp. med. fac. *Hydrargirus non est ex sponte nascentibus medicamentis; sed ex iis, quæ præparantur, velut psimitium, ærugo, psoricum, lythargiros* (sed errauit.) *Nullum autem eius feci periculum, neq; quod interimat, si deuoretur, neq; vbi foris admotus sit.* itaq; Galenus fatetur se nescire Hydrargiri naturam, quam nec nouerunt Aegineta, Aetius, Actuarius, Oribasius, Auicenna, Rasis, Serapio.

Nam quod suo pondere exedat interiora, falsum est, vt experimentis nouere inter cæteros B[r]asauolus, Matthiolus, Agricola, Amatus, Thomas Iordanus, Sambarolitanus in Auic. Vuierus, Botallus, Fracastorius, Zappata, Fallopius, Marianus Sanctus, Augenius, Libauius, Platerus, Angelus Sala, Paræus, Baccius, & alij. qui fatentur Argentum viuum crudum ad multas vncias innoxie à plurimis fuisse assumptum; immo vtiliter ad Lumbricos, & ad fæces, ad fœtum extrahendum in Colicis, & alijs, ad fæcem detrudendam suo pondere iuuate.

An Venenum.

Contra Dioscoridem.

Galeni confessio.

Pondere non nocet.

Quod Hydrargirus crudus, & impræparatus sit Vomitorium, nemo vnquam dixit, nec forte (si non insanus) diceret.

Hydrargirũ crudũ.

Verum non ita facile à virulentia erit absoluendus, cum sæpe horrenda, perniciosa, atq; exitialia symptomata afferat, atq; inducat, & quandoq; enecet. siue enim interius datus, siue exterius illitus, vel etiam per fumum approximatus, stuporem, Tremorem, Conuulsionem, Paralisim, Epilepsiã,

Nocumẽta

Apo-

Apoplexiam, Cephaleam, Capillorum defluuium, catarrhos, Oris, ac faucium exulcerationes, Dentium à naturali situ deuulsiones, Gingiuarum laxitatem, & intumescentiam, Linguæ inflammationem, Lypothymiam, aphoniam, Asthma, Tussim, Tormina, ac cruciatus ventris, & similia, parit.

Responsiones. Respondent aliqui non esse verum deleterium, quia omne venenum debet rectà petere Cor, eique nocere: sed Hydrargirus petit potius caput, & alias partes, vltimo Cor. sed hic esset Quæstio de nomine Veneni, cum satis sit, quod enecet quocumque modo.

Respondent alij Omne Venenum deleterium iuxto pondere exhibitum semper lædere, & numquā iuuare. sed Hydrargirus aliquando iuuat. Sed hi neo Ausoniū, nec Plinium legerunt, quod duo Venena data iuuent. erit ergo Venenum secundum quid. quia aliquando nocet.

Dicunt alij, si Argentum viuum Venenum esset, omnia quæ ex ipso constant, talia essent, sic Calybs, & ferrum. omnium chymicorum consensu plurimum spiritus Mercurialis, ac sulphurei continent, nec tamen ab illo Venenata dicūtur. sed obstare quis posset, quia vis Mercurij in ferro est ligata. ob id non nocet.

Alij adducunt Auctores asserentes Hydrargirum non esse Venenatum; sed ideo. nam citant Auicennam scribentem. *plurimos tamen non lædere*. hæc dicens fatetur aliquos lædi. Si Haliabbas, & Rasis scribunt. *ventris dolorem creare, & intestinis negotium facessere, non tamen interimere*. hæc non sunt laudes, sed vitia.

Veritas. Nos fatemur deuoratum esse minus noxium, quam inunctum, vel suffitum, quia hoc modo se colligit in ossium cauitatibus. deuoratum per intestina excernitur.

Temperamentum. Temperamentum autem Hydrargiri definire admodum arduum est. nam ex sapore nil colligi potest. videtur tactu frigidus, & morbos frigidos inducere, nunquā autem febres, ensipelata. inflammationes: & si lingua videtur aliquando inflammata, id erit humoribus acribus ad eam confluentibus tribuendum. non autem temperamento ipsius Hydrargiri, & ad noxias ab vsu Hydrargiro illatas corrigendas non nisi calida medicamenta proponuntur. Auctoritates plurimas congessit Vntzerus in Anat. Mercurij, vt Auicennæ, & Auerrois secundum frigiditatis gradum illi assignantium. præterea Mattioli, Palmarij, Rasis, Fallopij, Forestij, Paræi, Fornelij. P. Aponensis, Plinij, Cæsalpini, Libauij, Iuberti, Costæi, Langij, Amati Lusitani, Oberndorferi, Saxoniæ, Loniceri.

Esse frigidum.

Alij e contra defendere conantur Argentum viuum esse calidum, quia aereum, quia valde mobile, quia exedit metalla, & ossa. Sed debent considerare Acetum, Omphacium succum limonum, berberorum, spiritum Vitrioli, & Sulphuris acida eadem præstare. Sed cōsiderate an carnes humanas calefaciat, vel refrigeret. præterea, quia frigidos tumores dissoluit, & attenuat, potuitam in capite contentam ita impetuose colliquat, vt in fauces delata sputationem, & inflationes oris faciat. Quia deniq; medicamenta ex Mercurio confecta omnia calidissima sunt, eius caliditate interna ad superficiem tracta. sed præparationi multa sunt adscribenda. vti in pulnere pyrio, impetuosa vis non carboni, non sulphuri, non Nitro tribuenda est, sed mixturæ ex carbone, sulphure, & Nitro.

Esse Calidum.

Tandem Auctoritates alias cumulauit Vntzerus sentientium Mercurium esse Calidum. videlicet Galeni, Halyabbatis, Rasis, Isaaci, Plateatij, Fallopij, Cardani, Fracastorij, Baccij, Scheckij, Vidij, Cæsalpini, Rullandi, Turneisseri, Basilij Valentini, ac Paracelsi.

Quid sentiendum. Fatendum certe Hydrargirum (vt multa etiam alia medicam. non solum Mineralia Antimonium, Vitriolum, &c. sed Opium, Rhabarbarum, &c.) diuersis constare substātijs, & ob id diuersis qualitatibus, nec solas primas qualitates fuisse sortitū; sed secundas, tertias, & specificas, vt, & alia substantia sit in superficie, alia in profundo, quæ præparatione in calidam, & frigidam superficiem trahatur, reditu ergo in suam formam iterum occultetur. dicimus igitur in non præparato frigidam qualitatem dominari, in præparato vero calidam, & quia in præparato non vtimur ad Vomitum, ad præparatum accedemus.

De Præcipitato. Cap. LXXXXIII.

De Mercurio Præcipitato quatenus medicamentum vomitorium est, nobis sermo in præsenti est habendus, ex determinato enim parandi modo, determinatum, & quasi proprium nomen assumit. Videamus primo quid sibi assumat præcipitati nomen. Leuinius Lemnius lib. 2. de oculis. c. 35. Præcipitatum dici voluit, eo quod præcipitanter, celerrimeq; opus suum peragat, maximoq; cum corporis periculo, quandoquidem ab aqua stygia vrentem facultatem acquisiuit. Quapropter Chymicorum hostes Præcipitatum vocari dictant, quia præceps in mortem ferat, vel in pecuniæ, ac vitæ dispendium, exitiumq; præcipitet vtentes. sed hæc sunt sophismata inualida. dicitur Præcipitatum, non autem Præcipitans. quare dicetur Præcipitatus, quia in sua præparatione à parte superiori præcipitatur in inferiorem, breui nempe

Nomen.

Quid præcipitatio.

nempe tempore ab alto decidit ad ima. Sed Duncanus Bernetius Scotus in suo Iatrochymico scripsit. Præcipitationem esse *calcinationem per aquas, seu spiritus fortes*. nec longe abest Hartmannus disp. Medico chymica. 7. n. 120. scribens. Præcipitatio est, *quando corpora per aquas corrodentes corrosa, & in aquam soluta, vel aquæ corrodentis abstractione, vel alio encheiremate in aliquam calcem repercutiuntur*, sic Poterius in sua Spagirica dicit esse calcinationem. Equidem non nego esse calcinationem per ignem potentialem, sed quæro cur præcipitatum dicatur nec enim omnis calcinatio est præcipitatio, sed è contra. vnde si Mercurius, vel aliud Metallum aq. forti solutum non præcipitabitur artificio chymico ab alto ad ima latum, non illud vocabo *Præcipitatum*, sed *Calcinatum*, si propriè loqui voluerimus, permitto tamen, vt Idiotæ confundant hæc, & nomine Præcipitati abutantur; sed non videtur philosopho digna esse loquutio impropria.

Clare confirmat meam sententiam Duncanus scribens Præcipitationem esse dictam, quia aqua fortis per quam perficitur, primo dissoluit metallum, quod præcipitandum est in aquam, & sursum in se rapit in tam perfectam liquoris, vel aquæ speciem, vt vbique appareat aqua homogenea, & perspicua, ac si purissima esset aqua absq. vlla commistione, deinde vel pondere grauata metalli, vel in opere dissipatis spiritibus ad fundum vasis cadere metallum permittit; vnde *Præcipitatus* dicitur, & opus præcipitatio, & hoc modo Calcinatus Mercurius, euadit in puluerem album diciturq. Præcipitatus albus, & calx Mercurij.

Vt fit Præcipitatum.

Illud autem, quod vulgus Præcipitatum vocat, fortasse tale nomen potest recipere, quia per exalationem omnis humiditatis tota calx, quæ per aquam erat dispersa, & eleuata, præcipitata remanet, & hic est Præcipitatus rubeus officinarum, puluis Angelicus Nicolai Massæ libro de Morbo Gallico, Hyeronimi Rubei, Parei, & aliorum.

Præcipitatum vulgare.

Variæ præcipitati præparationes afferuntur: à Libauio, à Matthia Vntzero libro de Anat. Mercurij & ab aliis, nunc sat fuerit dixisse Mercuriũ dissolui in menstruo conuenienti. sed primo aduertendum, vt Mercurius non sit quilibet venalis, sed ex minera Auri bene repurgatus, & s.a. prius præparatus, deinde non quælibet aqua fortis conuenit viui interno Medico, tandem vt exacte dulcoretur, vt chimici dicunt; cum autem variæ Hydrargiri præparationes, cũ reddant Emeticum, deiectorium, sudorificum, &c. nos loquimur de Vomitorio; & inter tot præparationes Præcipitati nos ponemus pro Exẽplo vnam, vel alteram.

Qualis Mercurius.

Præcipitatus albus Adami.

Præcipitatus Adami à Bodestein.

℞. Mercurij bene loti. vnc. iij. Spiritus Vitrioli. vnc. iij. Salis Vitrioli, vnc. 1. ÷ misce. Vitrum ponatur ad calorem cinerum continuum, per biduum, vel triduum, Mercurius præcipitabitur in massam albam, quã puluerizatam aqua communi diligẽter elue, donec puluis fiat insipidus. Dosis est Grana quinque in Theriaca, vel Extracto Rhab. scrup. ÷ purgare dicitur per vomitum, & sudores, in quibusdam per aluum aliquando etiam prorsus non purgat. Miræ est efficaciæ in sanandis vlceribus Gallicis.

Præcipitatus rubeus vulgaris.

Præcipitatus rubeus

Fit soluto Mercurio in aqua forti communi, & euaporata aqua lento calore remanet puluis rubicundus.

Præcipitati diligentior præparatio Harthmanni, & aliorum.

℞. Mercurij viui purgati lib. j. dissolue in s. q. Aquæ fortis ex Vitriolo, & Nitro paratæ. Post destilla per Alemb. ex arena Aquã, & spiritus sensim, post quam aliquantulum spiritus desinere incipiunt, auge ignem, vt vitrum parum candeat, sic enim in alẽbico, & ad spondilia cucurbitæ ex Mercurio flores inutiles flaui, & subrubei sese eleuant. Omnibus refrigeratis, exime, & frange cucurbitam, reiectis floribus illis inutilibus, & inuenies rubeum puluerem in fundo, quem tandiu aqua calida in paropside terrea laua, donec nihil acredinis superfuerit. Deinde eidẽ pulueri exiccato adfunde Oleum Tartari ad eminentiam duorum digitorum, abstrahe iterum, ter destillando in arena phlegma; sed tertia vice auge ignem, etiam fundo cucurbitæ paululum ab igne rubescente; atq; hoc modo ascendit Mercurij quædam portio cruda, seu viua, quæ omninò separanda relictam in fundo materiam contere, & aqua dulci calida toties elue, donec nulla salsedo, nullæq; sordes amplius fuerint residuæ, solo sempe puluere rubeo relicto quẽ exiccatum, & in cucurbitam mundam positum imbibe cum aqua ouorum (quæ paratur ex Album. Ouorum, & putaminibus calcinatis per Retortam, igne ad extremum vehementiori, ex Arena destillatis) ac septies eandem ab eodem ex Arena per Alemb. abstrahe. Relictum in fundo aqua calida aliquoties laua affusumq: S. V. septies inde destilla. Tandem exempto pulueri Alcohol vini affunde, vt bene humectetur, quem admoto igne accende, & tandem spathula ferrea moue, donec ardendo consumptus fuerit.

Alius.

Exhibendus hic Præcipitatus mixtus cum Diagridio Gran. iiij. v. vj. pondere in Hydrope, in quo summum existit Arcanum.

Dosis.

Matthias Vntzerus lib. de Anat. Mercurij scribit. Vsum generalem omnium Præcipitatorum rite præparatorum esse expugnare Luem veneream, eiusq: dolores sedare, & vlcera ad sanitatem perducere, item curare lepram, Scabiem, Morphæam, &c. intrò

Vntzerus.

exhi-

exhibitum Hydropicorum aquas educere. Ac Lumbricos, & Vermes intestinorum necare, atq; e corpore eijcere.

Rubeus. Hyeron. Rubeus de Destill. sec. 2. c. 22. *Non desunt etiam aliqui*, inquit, *longe audaciores, qui Luem Veneream inueteratam hoc puluere Angelico præcipitato per os exhibito. sanare tentant, & vt ægros decipiant, inficere ipsum, aut carbonum puluere, aut medicamento quodam, cui angelico nomen est, consueuerunt. quæ catapotia exhibita, catapotiorum enim forma exhibent, molestissime aluum soluunt, atq; etiam vomitum magna perturbatione cient. Huiusq; ita parati pulueris ad grana quinque præbent mixta cum speciebus Diamoschi dulcis, & Diarbodonis Abbatis, & Theriaca magna Andromachi; Datur Coli doloribus affectis, & quartanis febribus, & melancholicis optimo successu, si opportune exhibeatur, admistis etiam, Si ita res ferre videbitur, margaritis, & alijs, quæ stomacho, & Cordi opitulantur.*

Crollius. Crollius in Basilica scripsit. Remedium esse contra infirmitates caufatas ex humorum putredine, & in morbis deploratis vix experiri aliquod præsentius. Educere omnes vitiosos humores, & Cerebri defluxiones. Purificare sanguinem in venis, & medullam in ossibus. In Hydrope esse Remedium appropriatum, habere enim vim expellendi. In Podagra exhiberi cum Pillulis Ruffi, & Oleo Melis. In Pleuriti cum specifico vehiculo. Contra Venena, & Scabiem. In omnibus febribus continuis, & intermittentibus, addendo semper quatuor, vel quinque guttas Olei Vitrioli cum Pillulis Ruffi. Catholicum esse in expurganda lue Venerea, huius enim horrendæ Luis, solum rizothomum dici mereri: radicitus enim tollit, & omnia vlcera Venerea, & similes fluxiones recitata Dosi. In Ictero nil esse præstantius. Dari etiam in peste cum pilulis pestilentialibus Ruffi.

Dosis est à gr. 3. 4. 5. ad 6. in corporibus præsertim robustis. Offertur cum Pilulis appropriatis. In doloribus capitis cum Pilulis Cochijs, in doloribus brachiorum, cum Pill. de Hermodact. vel miscetur extractis purgātibus. In succo Liquiritiæ melius operatur, quam in Theriaca: offertur etiam in conserua Rosarum, aut Saccharo Rosaceo, vel deglutiatur in pane hostiario, superbibendo tantillum vini. Paracelsus in Luis curatione exhibuit cum Electuario de succo Rosarum.

Huserus. Huserus affirmauit Crollio, se ex eius frequentissima exhibitione, nullam vnquam deprehendisse noxam, nisi quod interdum propter biliosas vomitiones, ægrotantes de dolore, aliquando etiam de ardore quodam gutturis, ac oris, conquesti sint, qui statim adhibito leui gargarismo, vel vsu Terræ sigillatæ, si ardor in gutture fuit, sopiebatur.

Poterius. P. Poterius in Pharmacopea Spagirica. Iecori, Lieni, Cordi, & carnosis partibus succurrit. Cerebro non semper tuto adhibetur. Pulmonibus obest, & Renibus, siccis etiam partibus, neruis, membranis, & ossibus, frigore suo, saporeq; pontico non parum aduersatur. falsos humores densat, & laxam cutim, falso sudore conspersam astringit. mirum dictu, quam facile omnem pituitam, vermes, & omnia animalcula fugat, & enecet. blande aluum subducit, & bilem clementer purgat, luem veneream potenter deijcere à multis creditur, & quidem in eam summum habere imperium pluries expertus sum. sed non semper, & in multis sæpe morbum contumaciorem reddidit. Epilepsiæ, Apoplexiæ, Vertigini, Hydropi, & alijs similibus multum confert. alijs deniq; affectis grauissimis morbis medetur, tam intrinsecis, quam extrinsecis. Sed practicū, & exercitatissimū Medicū requirit.

And. Cæsalpinus. And. Cæsalpinus præceptor meus initio artis Medicinalis Præcipitati dosim scribit esse à g. iiij. vsq; ad viij. cum saccharo rosaceo, ad atram bilem vehementer soluendā. & lib. de Veneris. c. 27. Assumitur, inquit, inter purgantia. Insequitur vomitus, & alui deiectio cum labore, si non fuerit optime præparatum. sed tractatu de M. Gallico. ait. Recentiores purgant ex Argento viuo præcipitato granis quatuor cum saccharo rosaceo drachmis duabus. Quidam præcipitatum præparant, ne laboriosam purgationem faciat. lauetur cum aqua pluuia trigesies, post cum aqua rosacea vigesies. Postea siccatum irroretur decies ex succo citoniorum in quo solutum fuerit Gummi arabicum, siccetur, que singulis vicibus. Dosis grana iiij. vel v. pro robustioribus cum masticheS optime triti scrupulo vno, & sacchari rosacei drachma j. fiat bolus, qui deuoretur post assumptum ferculum ex pane decocto in aqua cū butyro, & emulsione amigdalarum dulcium, & saccharo. Confert non solum in morbo Gallico; sed & in qualibet Epidemia.

Floravantus. Leonardus Floravantus lib. 2. suæ Physicæ c. 17. de cura fluxus hepatici antiqui. à morbo Gallico. statim se ei ieiuno dedisse scripsit, præcipitatum cum saccharo rosaceo, mane; sed paulo post ab eo assumpto vomere cæpit, & quinquies, vel septies vomuit, & terdeiecit, & hoc solo remedio melius se habuit, postea adhibuisse alia remedia roborantia. In summa non pauci fuerunt, qui Præcipitatum dederunt ægrotantibus, & aliquando cum conferentia, & tollerantia, sed vt plurimum euacuat eum pauca tollerantia, quia ægrum nimis vexat.

Quid agedum. Euacuat autem per Vomitum, & per secessum vitiosos humores, putridos, viscidos, Melācholicos, & aquosos. purificat sanguinem; trahit à iuncturis, à periostio, & ab omnibus partibus, licet quandoq; cum multo labore. Vnde laudatur in primis ad affectus Gallicos, quos valide extirpat. hinc etiam

Aa 2 pro-

prodesse fertur Quartanis, scabiosis inueteratis, leprosis, & ad Morpheam. ad ictericiam. ad fluxum hepaticum antiquum, ad Hydropem, ad Colicam; & ad lumbricos enecandos, ac expellendos, & ad febres
Quantū. quascunque inueteratas etiam valde commendant. ad Epilepsiam, Apoplexiam, Paralisim, Vertiginem, Incubum.

Dosis est a granis tribus, ad 4. 5. 7. & 8.

Quomodo. Datur correctus cum speciebus cordialibus, Margaritis, Diarrhodon Abbatis, Diamuscho dulci, Theriaca Andromachi, Mitridato, Elect. de succo Rosf. Extracto Rhabarbari, saccharo Rosaceo. sed melius exhibetur cum Pillulis vel cocchijs, vel de Hermodactilis, vel pestilentialibus Rufsi. pro morbi more. & præstat ipsum deuorare, quam masticare, ne os, & fauces vrat.

Quando. Detur Mane.

Cautela. Aduertendum autem, quod exhibitum ijs, qui aliás Mercurio vncti fuere saliuationem incitat, & dentes moueri efficit, & quia calidissimus est, aliquando oris, & faucium ardorem excitat, cui occurremus Gargarismatib. & Alexipharmacis ex Terra sigillata, & similibus. debet autem prius diligenter ablui Præcipitatus, vt omnis falsedo dissoluentis, atq; acrimonia tollatur, licet enim Mercurius per se non sit acris, tamen innctus cū alijs acribus, salsis, mordacibus, ac corrodētibus, eorum vim, & qualitates adeo densat, roborat, ac exaltat, vt supra simplicium componentium vires tale mixtum agat.

Mattiolus lib. de morbo Gallico. Catapotia, inquit, ex Præcipitato sumenda sunt. Verum enim verò, quoniam ex puluere isto plurimæ possent contingere noxæ assumentibus ipsum, nisi prius debita fieret præparatio, ℞. vnc. ij. prædicti pulueris, & ma-
Correctio Mattioli. cerentur per noctem in aqua plantaginis, & Acetosæ, singularum vnc. ij. inde summo mane aquas exhauriens, & nouas superinfundens ad ignem in vase æneo, siue testaceo colloces, ferientes ferrea, vel lignea spatula non cesses agitare, quousq; in puluerem non difficulter omnia redigantur, ex quo poteris, cum libuerit in morbum Gallicum, tam pituitosum, quam melancholicum, Catapotium tale componere. ℞. l lec. Conciliatoris scrup. semis. Margaritarum, Hyacinthorum, ana. g. v. pulueris præcipitati, g. v. pulueris diamarci, diamargaritonis, ana. scrup. semis. & fiant Catapotia quinq; numero, quæ hora ante diluculum sumantur, inde lecto se conteat æger horas quinque; breui, mihi crede, Gallici dolores hoc Catapotio elidentur. Pituita etiam, & atrabilis vomitu, nec non alui deiectione euanescent. Ad hæc sunt plurima morborum genera, quæ curauimus tali puluere: nam non solum saniem, carnemq; putridam deleт asperfus, verum etiam non difficulter vlcera ad cicatricem deducit: pestilenti etiā pauxillo Theriaces addito, succoq; Tunicis herbæ, quam Cardum Benedictum vocant. siue Electuario de gemmis, ante eius confirmationem mirum in modum fugat. Multos etiam lymphaticos, melancholicos uè. quos a cacodemonibus incursari vulgo credebant, eodem curauimus, Quid pluribus immoror? Quartana confectos saccharo buglossato, siue Theriaca, Mundateuè additis facta digestione aliqua, hora ante accessionem, quinq: vel septem granorum pondere, pro ætate, & vi corporis affecti, hoc puluere liberauimus. Quin etiam valet Coli, & aliorum dolorbus adhibitus. Nam quosdam ictericos per os eijcientes sanauimus. Pauli Æginetæ monumentis innixi, qui ait, Aliqui quidem medicorum argentum viuum extinctum dederunt in ileo. & veram Mercurij extinctionem putat Mattiolus esse præcipitationem. sed verba Pauli hæc sunt. *Nonnulli vero concrematum ipsum in cinerem, mixtumq: alys speciebus colicis, & iliosis potioni exhibuerunt.* Pereda in Pascalium Æginete scripsit lib. 1. c. 2. de catapotijs Mattioli. *Abstinere tamen oportet ab his, neq: per os assumenda sunt, eo quod exiccant partes principes, & dissenteriam sæpissime inducunt. Si enim habemus medicamenta, quæ humorè secure purgant, cur purgabimus cum periculo?* sed benigna medicamenta ratò aiant malignum morbum, quia extrema extremis, forti morbo forte medicamentum opponendum ex Hipp.

Bouius in Flagello. p. 43. Franciscus Calceolarius vidit dari Præcipitatum Io. de Vigo, ad iij. vel iiij. grana, morbo gallico affectis cum doloribus, vlceribus, & gummatibus inueteratis, secure; & mirabiliter. Flórauantus. lib. 2. Tesaur. c. j. Duplici Quartanæ exhibuit præcipitati g. x. conseruæ rosf. drac. ß. bilem, & pituitam multam eiecit, & medietas febris ablata, & post sex dies iterum assumpsit, & conualuit, & c. 13. dedit Hispanæ mulieri ieiu. Præcip. g. xij. cum melle rof. vomuit multos humores, & Molam viuam, & liberata est ab affectu ventriculi diuturno, & febre. c. 17. fluxu Hepatico per xj. mēses liberatus ex Præcipitato, & saccharo rosf. Vomitu facto. c. 21. Asthmatico.

De Turbit Minerali. Cap. LXXXXIV.

Vox ista Turbit Mineralis indicat medicamentum mineraie habens virtutem Turbit. vnde Hartman. in Crollium scripsit, esse omne medicamentum, quod fit è Mercurio purgatiuum. alij autem chimici confundunt cum Mercurio præcipitato. ita Crollius Mercurium præcipitatum, seu calcinatum cum oleo sulphuris vocant Turpethum Nomen. minerale, sed vt præcipitatum vulgare fit ex

Mercurio, & Aqua forti; Ita Turbit præcipitatus ex Mercurio, & Oleo Sulphuris, & fit pulvis citrinus. & Vnzerus Vocat præcipitatum purgans. Libauius, & alij etiam præcipitatum vocāt, & Beguinus Turbit nomine aliud intelligit. sic Libauius, vniuersalius sumpsit. nos distinctionis gratia cum Crollio vocabimus Turbit illud, quod ex Oleo sulphuris fuit præcipitatum, vt differt à vulgari præcipitato solo menstruo.

Conficiendi modum docet Crollius. ℞. Mercurij bene purificati lib. semis. Olei sulphuris per campanam facti, & rectificati lib. j. digere per duos dies in arena. Postea per retortam Vitream luto munitam paulatim destilla, ter coobetur, & quarta vice potest addi aliquid de recenti Oleo sulphuris. & circa finem aucto igne inter destillandum ita abstrahatur, vt retorta candescat. sic in ipsa destillatione præcipitatur Mercurius in massam albam. Postea fracta retorta exime illum. & supra marmor tere, & aqua calida pluuiali destillata salsedinem diligenter ablue in vitro oris ampli: agitetur probe, & per horas quatuor semper aqua prius subsideat; antequam effundatur: edulcorationem toties reiterabis, quousq; nullam salsedinem in effusa aqua deprehendes, & Mercurium remanentem videas versum in pul- *Præparatio.* uerem flauissimum, quem postea prius exiccatum phialæ oblongo collo bombyce claudendæ impones, & in ignem Arenæ vehementissimum per octo dies digerendum collocabis, si forte adhuc aliquid de Mercurio non satis præcipitato immixtum esset, illud sponte sublimabit se in Vitri collum, quod postea ferreo circulo candente frangens; & superiorem partem, in qua crudus Mercurius affixus hæret, caute, & leuiter auferes. massam vero in fundo restantem eximas, & ter spiritum Vini desuper incendas, & postea ad suos vsus reponas. Ita secure datur intra corpus, à granis 3. 5. 6. 7. cum conserua Rosarum.

De Turpetho minerali variæ varij loquun- *Vires.* tur. multi ad sydera extollunt, alij verò exulare à Medicina volunt, vti venenatū, & lethale, lis magna inter Medentes apparet. vsus laudandus, abusus vituperandus. Petrus Monauius in Epist. Scolzij auctoritate Sironem cōmendauit Turbit minerale in catarro soffocante, cum natura magnam copiā humoris pituitosi, & leni Vomitu, & deiectione exnirbauerit. alij ad sydera extollunt, & equidem multoties vsus sum hoc Turbit, valde feliciter, et alio precipitato non adhuc. Scio quidem vituperari non à Paucis, interquos est Libauius Sytag. lib. 6. c. 19. &c. sed bene præparatum, & quando conuenit, non aspernabor.

Quid agedum. Vires, & vsus erunt, quæ de Præcipitato diximus. Equidē confeci hoc Turbit Crol- *Quantum.* lij, & vsus fui, cum mirabili effectu in febribus longis, recidiuis, & erraticis. *Quomodo.*

Dedi g. ij. iij. iiij. vel v. cum miua Citoniorum. conserua rosarum, insecutus est Vomitus facilis Bilis, & pituitæ Viscidæ sine vlla molestia.

Hercules
Zeffirielis Thomæ Bouij, seu Præcipitatum Auratum. Cap. LXXXXV.

Bouius in suo Flagello Medi- *Quid sit.* corum proponit suum Herculem, qui nihil aliud est, quam præcipitatus auratus. Parat primo aquam soluentem ex salenitro vsto, & Vitriolo deflegmato æquis portionibus per retortam ponendo in Recipiente aquæ vncias iij pro libra rerū destillandarum, destillando. s. a. hanc aquam destillatam reponit in alia *Præparatio.* retorta bene lutata, & pro libra aquæ miscet salis siccati vnc. iij. & bene clausis iuncturis destillat s. a. aquam, quæ subcitrina apparet.

℞. Auri purissimi, vnc. j.
Aquæ soluentis iam præparatæ, vnc. viij. soluantur.

Item Mercurij purgatissimi. vnc. iiij.
Aq. soluentis. vnc. xvj. & soluantur.

ponit has duas aquas in Retorta, & adiuncto suo Recipiente, & clausis iuncturis destillat aquam, & aucto igne pars ingredientium præcipitatur, & pars sublimatur ad collum retortæ.

Fracto vase, sublimatum, & præcipitatum simul miscentur, & puluerizantur, & addita sua aqua destillata per aliam retortam destillatur; & tertio idem repetendum. & totum erit præcipitatum, quod si totum non fuerit præcipitatum illud tantum assumit, quod in fundo repetietur. id tandem in pul- *Correctio.* uerem redigit, & supra ferrum ignitum, & candens collocat, vt aquæ fortis fumi resoluantur. lauat aquis cordialibus borraginis, Melissæ, & siccat & in vitro bene clauso prope caminum locat, vt igni assuescat per 3. vel 4. menses: postea addit margaritas, & corallia præparata, lignum aloes, crocum, Rubinos, Chrisolitos, Topatios, Hiacintos, Smaragdos omnes in puluerem tenuissimum redactos, muscum, & ambram. q. s. inde cum sacchаro rosaceo efformat pilulas. & exhibet ad pondus duorum, trium. 4. 6. & 8. granorum tritici. secundum vires, & vel in ouo, vel iure, vel conserua, &c. super bibendo parum iuris. & hic est Hercules mirabilis. vermium expulsor, Morbi Gallici frenum, & curator Variolarum, Pestis, Quartanæ, & sexcentorum incurabilium morborum, purgat per superiora, & inferiora blande nimis pituitam crassam, & viscidam, atq; biliosos, ac melancolicos humores.

Possemus huc afferre. Aquilam præci- *Variæ præparationes* pitatam, seu Aurum Vitæ ex manuali Paracelsi,

celsi, quæ est de Genere præcipitati, seu Turbit mineralis, ex Auro, Mercurio, & Vitro Antimonij Aq. Regia solutis, destillatis, & pluries cohobatis: tandem puluere edulcorato. s. a.

Aliud Turpethum paratur cum Oleo Vitrioli, quod parum differt à parato cum oleo sulphuris, sed qui plura volet adeat Crollium, & Beguinum cum notis Harthmanni, Vntzerum, & Libauium, ac Harthmanum, qui de quodam Turpetho Mercurij scripsit. Si quis hoc Turpethum præscribere cupit, ægrum diligenter obseruet, eiusq; curam habeat, morbū enim vehementer aggreditur, & ægrum valde debilitat, qui ea propter singulis binis, vel tribus horis semel est cibandus, tribus nempe, vel quatuor horis bono iusculo, vt eius cor confortetur, & vires conseruentur, hoc enim modo morbum gallicum, & omnes alios affectus ex destillationibus prouenientes perfectè curat.

Bouius. Bouius. Flagelli. p. 12. *Hyeronimo fratri meo moribundo dedi*, inquit, *Herculis. g. iiij. paulo post, ius pulli, mox vomuit, & deiecit multa excrementa.* p. 49. Miles diu febricitans, cum cephalea, dolore iuncturarum, & Gallicæ suspicione per plures menses à Medicis curatus tandem sumpsit Herculem cum ouo sorbili, & intra duas horas vomuit maximā copiam prauorum humorum, & etiam infra deiecit, & cum alijs remedijs conualuit, p. 66. Hercules est medicamentum aliquanto validius, ideo non adeo frequenter eo vtor, nec in omnibus, nec in quolibet anni tempore, nisi quasi necessitate coactus, sed maxime aduerto, in dosi potius peccandum ad minus, quam ad plus. dedi duo, & tria grana puerulis duorum, & triū annorum ob lumbricos, & felicissime operatus fuit.

Et in Fulmine, p. 210. Pellegrino Righetto Squinantico ex Hercule prouocato Vomitu multos humores eduxit, & p. 214. si sumpseritis Herculis vnc. j. sacchari fini vnc. viij. & miscueritis, & per sex menses in ampulla seruaueritis habebitis 9. vncias Herculis, optimi vt erat illa vna vncia, quia Mercurius omnia in vnam naturam vertit, & p. 233. Paulo Lippomani tremore cordis, & vigilia vexato hora 23. exhibuit Herculis. g. vj. in Ouo, paulò post eiecit catarrhum crassum post horam cenauit. nec multo post vomuit multos humores, tertia die Antunonium prebuit; paulo post conualuit.

Quid agēdum, Iraque de Hercule hoc fortissimo, Bouij ipsius sententia, fatendum, esse validissimum medicamentum, & extremum, nec frequēter, nec omnibus dandum, sed summa necessitate cogente, in rebelli morbo gallico, longa febre, Hemicranea, doloribus arthriticis, & similibus contumacibus morbis.

Quantum. Quomodo. Datur a granis iij. iiij. & ad vj. cum Ouo sorbili, mox epoto iure pulli.

De Lapide Philosophico Florauanti, Cap. LXXXXVI.

LEonardus Florauantus Bononiensis Capricciorum Medicinalium lib. 2. c. 2. ponit præcipitati speciem quandam, qua vsus sæpe fuit mirabiliter, & quoniam multi neoterici illo vtuntur, æquum duxi eius hīc mentionem facere. componit primo Aquā dissoluentem, quæ recipit salis nitri, *Aqua fortis,*

Aluminis Roccæ,
Vitrioli Romani. } an lib. ij.

Siccatum prius Vitriolum in olla ad ignem, terit cum supradictis in puluerem: & addit salis gemmæ, vnc. iiij. ponit omnia in bocia vitrea luto sapientiæ munita, & imponit pileum optime claudendo suturas, locat in furno philosophico, in quo ignis lignorum effici possit, & ad suo suo recipiente, optime clauso applicetur ignis. s. a. & cum destillare incepit, continuo lintea aqua madida supra pileum, & recipiens habenda sunt, ne spiritus eleuati pereant, alias aqua destillata inualida esset. initio autem destillationis vasa apparebunt rubra, veluti sanguinea, deinde albescent, quando validè destillabunt, iterum rubricantur, vt prius, & tunc optimi spiritus eleuantur, deinde realbescunt. & quando non amplius rubra apparebunt, finita erit destillatio. Sinantur frigescere vasa, auferatur aqua, & seruetur in vasis vitreis optimæ clausis.

Item Argenti viui. lib. j. *Præparatio Hydrargiri.*
Calcis viuæ. vnc. vj.
Saponis nigri. vnc. iiij.
Cineris communis. vnc. iij.

miscentur in mortario lapideo, & ponantur in retorta ad destillandum, & adhibeatur ignis ualidus, ad hoc ut totum hydrargirum educatur in recipiens, tunc auferas, & seruat is ita depuratum in ampulla uitrea.

Tandem ℞. Aquam, quam destillasti, pone in bociam optime lutatam, ea magnitudine, ut duo tertiæ partes uacuæ remaneant, immitte, *Mistio.*

Hydrargirum, quod defæcasti,
Ferri in Laminulas redacti. vnc. ij.
Calybis in tenues laminas dncti. vnc. j.
Auri in folijs redacti ad pondus duorum aureor.

& statim his impositis impone suum pileum, ac recipiens; nam illico ebullire incipiet, & emittet fumum rubeum, ueluti sanguis. qui colligi debet, sed mox ignis adhibendus est, ut destillet, omnis fumus, & aqua simul. tunc refrigescant uasa, seruetur aqua optime clausa. Botia frāgatur, & inuenietur in fundo lapis philosophicus. qui subtilissime puluerizatus seruetur in nitro bene clauso.

Verum quia in confectione huius Præcipitati, aliquibus ferè medietas auri in fundo *Obseruatio.*

boriæ

botlæ remansit indissoluta, & ad collum botiæ erat magna copia argenti viui cum alijs materijs, & per duos digitos supra collum aderat materia diuersorum colorum, & supra hanc materia alba, & leuis, & talis etiã erat in pileo, quæ soluta est in aquam, & aqua ista erat clara, vti immissa fuerat.

Admonitio. Ideo Florauantus in Tesauro, Epist. ad Thomam Bonauit. scripsit, Aurum per se esse soluendum in aqua forti dicta cum aliquantulo salis Ammoniaci, Ferrum Fundi, & solui per se, sic Mercurium per se.

Istæ aquæ clarificatæ ponantur simul in Retorta, & si aliquid fæcis in fundo apparuerit, proijciatur. Retorta ponatur in furno, & admoueatur ignis lentus, donec exierit tota aqua fortis, & pergat ignis donec in collo retortæ cernantur apparere quidam colores, veluti ferrei. tunc permitte refrigescere, frange retortam, tere materiam, & laua prius cum Aceto destillato, deinde cum aqua rosacea, & serua.

Correctio. Ad corrigendum hunc Præcipitatum auctor composuit Aromaticum Leonardi, Electuarium Angelicum, & Pilulas Aquilonis, aliquoties dedit. xij. grana huius lapidis cũ vncia sacchari rosacei.

Vires. Mirabiliter Auctor commendat hunc suũ Præcipitatum ad omnes morbos, qui purgatione egent sursum, & deorsum.

Deinde lib. 4. sui Thesauri, c. 2. id breuiter repetit, & lauat Aq. rosarum, & addit Muschum, & saccharum, & bene præparatum scribit esse colore leonato claro, nec nauseam, nec dolorem parere. sed Ventriculo esse conueniens ad omnis generis prauos humores educendos, prodesse oculis, & superfluo renum calori, sanare fluxus, tumores, Hemicraneam, cephalalgiam, Gonorrheam, scabiem, &c.

Experimẽta. Lib. 3. Thesauri. Quidam podagricus sumpsit Diaaromaticum hora 22. & hora 24. cenauit, & bibito vno Vini chyato accessit Vomitus, & vomuit non solum quod assumpserat, sed vigeties plus, & per totam noctem vomuit, & deorsum eiecit, & dolores euanuerunt.

Lib. 2. Thesau. c. 30. Morbo Gallico cum magno vlcere cruris, lapidis philos. g. xij. sursum, & deorsum multum eduxit, & melius se habuit. c. 34. in fornicu. c. 35. magnæ tussi, lapidis philoso. g. xij. c. 37. febri continuæ, cum sputo sang. & principio Hecticę. Vomuit & deiecit. c. 38. in Tertiana. dr. ij. Diaaromatici. c. 39. Tertianæ dupl. Lapid. Philos. c. 69. Morbo Gallico. Elect. Angelicum. Vomuit.

Lib. 4. c. 11. fluxibus Diaromatici. dr. ij. Disenteriæ Elect. Angelici. drac. ij.

De Mercurio Vitæ. Cap. LXXXXVII.

NOn loquar de Sublimato dulci, quia pręparatur ea diligentia, vt non moueat Vomitum; sed tãtum infra purget. quare ad Mercurium vitæ accedemus. qui non raro fit Mercurius Mortis. est *Mercurius Antimoniatus*. ex Crollio *flos Butyri Antimonij*. sed *Febrifugium*. *Nomen.* Vocat Penotus, non nulli puluerem Angelicum, Aquilam albam, & *Aquilam præcipitatam*, quia Mercurius est Aquila, præcipitata per descensum.

Spagirici diuersimode præparant. legitur enim Mercurius Vitæ Paracelsi, Crollij, Penoti, Quercetani, Michelij, Eduardi, Iordani, Hartmanni, Zuuingeri, Rullandi, Algurothi, & aliorum in summa nil aliud est, *Essentia.* nisi puluis ex butiro simili substantia, destillatione Antimonij, & Mercurij elicita, variant secundum præparationes, rectificationes, cohobationes, & dulcificationes diuersas, plures, & pauciores. Quercetanus vocauit spumam duorum Draconum. Duncanus Bernettus scotus Mercurium Vitæ parat *Varietas.* ex Auro, & Mercurio. sed sudorificum tantum est. alij parant ex Antimonio, & Mercurio crudis, alij ex Antimonio crudo, & Mercurio sublimato, alij vero, ex Vitro, vel Regulo Antimonij, & Mercurio sublimato, nec defuere, qui Mercurium metallorum requirerent, alij addunt Aurum. nos nec nimis exquisitam, nec nimis imparatam materiam, ac operationem probamus. sic in dosi variant. Nam chimici, quia Mercurij, & Antimonij partes æquales sumunt, vt Crollius, Sala, Zuingerus, Rullandus, Michelius, Eduardus, Iordanus. alij Mercurij *Præparatio.* partes duas Antimonij vnam. vt Beguinus, Quercetanus, Penotus.

Nobis hæc præparatio placuit, ob id ita parauimus. ℞. Antimonij crudi. Mercurij sublimati an. lib. j. terantur seorsim, & tum simul misceantur in Marmore agitando, ponantur in Retortam Vitream in fundo luto munitam, & per arenam fiat destillatio secundum artem, adaptato magno recipiente aqua clara semipleno, & iuncturis bene conglutinatis exhibit, gummosus liquor, Butyri instar, seu cuiusdam glaciei, qui si retortæ collo adhæserit ignito carbone pyragra apprehenso, & approximato liquescet, & deorsum cadet, & in aquam subiectam decidens forma pulueris ima petet. Deniq. applicetur ignis suppressionis (qui fit carbonibus viuis super arenam Retortam tegentem positis) donec liquor totus egrediatur. Tum ammoto recipiente, & alio substituto, ignis intendatur per horam vnam, vel alteram, donec Mercurius ex sublimato, Sulphuri Antimonij iunctus ad collum Retortæ in Cinnabarim sublimetur; quare vase refrigerato

ratio collige (hanc Cinnabarim, si vis, semel, atq; iterum per retortam angustioris colli ex arena sublimando rectifica, inque puluerem reduc, & habebis Cinnabarim Diaphoreticam) Præcipitatum puluerem album per noctem digere in aqua calida cordiali, & sæpius effundendo edulcora, vt omnis salsedo tollatur, & sine acrimonia maneat, tunc sicca, & serua.

Correctio Hartmãni Hartman in disputat. medicochim. xj. scripsit. Vehemens est, atq: hoc nomine multis suspectus. Cicurari tamen potest, si puluis præcipitatus aliquandiu maceretur in aqua Vitæ diambrata, vel aromatica alia, eaq: abstracta exhibeatur in conserua Rosarum, vel Botraginis, quæ cum Oleo Sulphuris multum acida reddita fuerit. Tum enim citra noxam, vel iniuriam corporis ad vomitum, & secessum stimulat naturam. Eximium mehercule medicamen, & planè pro suo nomine quodq: si *iudicetur* repeteris, radicitus omnem luem eluere poterit, quantum vis inueterata sit, & confirmata. Pro delicatioribus, & voluptuarijs, qui vix leuem commotionem sustinere possunt, adhuc magis elaborari potest, ita vt sine vllius molestiæ sensu, quod sui est officij, præstet; si videlicet in Viola per certum tēporis spatium circumrotetur, & coquatur, dum ad rubedinem saturatam peruenerit. id quod fecisse dicitur Algaretus, qui solo huius pulueris vsu toti Europæ innotuit.

Vires. Vsus Mercurij Vitæ docetur à Crollio, Beguino, Sala, Quercetano, Hartmanno, Vntzero, Tentzelio, Paracelso, & ab alijs; namq: dicunt omnium Vomitoriorum, & purgantium medicamētorum esse optimum ad obstructiones, et omnes morbos.

In primis *ad pestem*, proinde ad febres pestilentes commendant Crollius, Sala, Beguinus.

Ad *omnes febres intermittentes* laudant Beguinus. And. Tenizelius in Exagesi, qui testatur plurimos, Quotidiana, et Tertiana vexatos primo statim impetu a se curatos fuisse.

Ad *diuturnas febres*, *& Quartanas*. Crollius, Vntzerus.

Ad *Hydropem*. Crollius, Sala, Beguinus, Hartman, Tentzelius, Vntzerus, et alij iure igitur *Cachexiæ* curandæ præscripsit Crollius.

Ad *Melancholiam*, *insaniam*, *delirium*. Crollius, Vntzerus.

Ad *lepram, scabiem*, *vlcera*, *& similes affectus graues*. Beguinus. Vntzerus.

Ad *Vermiculationes*, *& Sciathicam*, *iuncturarum dolores*. Sala.

Ad *Venena omnis generis* educenda. Sala, Crollius.

Ad *difficulter parientes fœtum*, *& secundas expellendas*. Angelus Sala in Ternar. Bezoart.

Ad *Luem Veneream* extollunt omnes, Crollius, Sala, Beguinus, Quercetanus, Hartman, Vntzerus, & alij.

Ad *Epilepsiam*, & in summa ad *omnes morbos magnos*, commendant. Paracelsus, Iacobus Mosanus, Scheunemannus, Tentzelius, Vntzerus, Crollius, Quercetanus, Beguinus, Zuingerus, Sala, Algaroth, Rullandus, Eduardus, Iordanus, Michelius, Penotus, & alij chimici plures.

Quoad Dosim huius medicamenti ritè præparati, & à morbo indicati, virtute permittente, vt considerare debet optimus Medicus. quia per Vomitum, per aluum, per sudores, & per insensibilem tran̄spirationem noxia copiose expurgat. Crollius dabat à g. 7. 8. & 10. præsertim in robustioribus. Beguinus vero in robustioribus à granis iij. iiij. v. ad summum. in debilioribus ij. Angelus Sala. ab vno ad quatuor, & quinque grana vnica vice, inchoando ab infantibus duorū, triumue annorum vsq: ad robustos, & validos. Vntzerus verò ait. in substantia datur ad iij. vel iiij. granorum pondus. in Infusione autem ad iij. vel v. grana. *Quantum.*

Cum conserua aliqua offert Vntzerus; sed in cocleari vno Vini optimi, vel iusculo carnis calido, vel etiam cum pauxillo sacchari rosati. Angelus Sala. At in forma pillularū, vel in pomo cocto, aut conserua rosarum, vel in aqua destillata per noctem infusum, & colatum exhibet Beguinus. *Quomodo.*

De Iride. Cap. LXXXXVIII.

Quid sit *Iris* videtur superfluū velle docere. cum omnibus sit nota planta, & ab ea Dioscorides suorum librorum initium sumpserit. & licet Theophrastus, Dioscorides, & Plinius duas, vel tres tantum Iridis differentias nouisse appareat, tamen recentiores plures species agnoscunt. illi mentionem faciunt iridis Illiricæ, Macedonicæ, Affricanæ: nostri, vt collegit Bauhinus distinguunt in radice *geniculata*, *tuberosa*, *& bulbosa*, quæ florem iridi similem, non autem radicem gerit. cuius sunt vltra xx. differentiæ. *Differētię.*

Iridis radice geniculata *latifolia* 38. differentiæ repertæ sunt. *Angustifolia* verò 10. addamus Chamæiridis 17. differētias. ita agnoscemus, quam aucta sit apud nostros simplicium scientia. sed his omissis Medici loquūtur in Medicina de Iride latifolia vulgari radice geniculata.

Huius temperamentum esse calidum fatendum est, quia eius sapor ex Mesue est acutus, & mordicatiuus, ex Dioscoride Illirica, Macedonica, & Affricana sapore amaro; immo ex Plinio Affricana omnium amarissima. sed soluit Costæus iuncta esse in hac radice acredinem, & amaritiem. Qua propter Mesues definiuit esse calidam, & siccam ordine tertio. Auic. cal. & siccam in *Temperamentum.*

fine

fine tertij. vt Bellunensis (sedq; flore est albo, calida, & sicca 2.) venit in fine 2. Dodoneus, ait, Iridis radices recētes, & adhuc succo plenæ, impensè calidæ sunt, & ad quartum ferè caliditatis gradum peruenientes, Aridæ in 2. sunt ordine cal. & sicc.

Porro, quia hic Iridem inter Vomitoria numeramus, considerandum erit, quomodo vomitoria sit, an per se, vel per Accidens. & qua parte.

Negatur vis Emetica. Nullo modo videtur Iris habere facultatem vomitiuam, quia Antiqui solutiuam tantum illi tribuisse leguntur. nam Dioscorides. *Bilem*, inquit, *crassamque pituitam ex Hydromelite drachmis septem epota purgant*. & in eius commento Mattiolus addit. *Radicis expressus succus bilem flauam, pituitam, & aquas cutem subeuntes pellit. succus naribus infusus cerebrum à pituita mirifice purgat.* & Mesue scripsit. *Solutione educit phlegma crassum, & coleram permixtam, & educit etiam aquam citrinam cum facilitate.* patiter etiam Auicenna nos ita docuit. *Auicēna.* *Soluendo educit aquam citrinam, & choleram, & phlegma, quando bibitur ex veteri eius confractio, & eius quidem potio debet esse ab vncia semis, ad aureos vij.* immo etiam Serapio ex Galeno refert. *Trincau.* *quando bibitur cum melle, & aqua calida laxat ventrem*. Trincau. c. de Hydrop. Quia non parum turbat ventriculum ideo ex melle rosaceo, vel mulsa pari fere portione exhibent. omnesq; fere mirifice medicamentum laudant. Ego tamen eo quandoq; vsus sum semper tamen parum profuisse animaduerti; fortasse quia nostra iris, quę his in locis oritur, modicam vim habet. Vnde videtur iris subductoria non autem Vomitoria. & soluere etiam cum maxima difficultate. ita *Cardanus.* Cardanus lib. de Dentibus. 4. part. 3. c. 5. dicit iridis succum purgare aquam corruptam *& sæpe plus turbando nocere, quam purgando iuuare. Dixlti tamen eiusmodi succo, præsertim crudo, sunt liberati. Multis contingit, vt alleuiari videantur subducta portione aquæ; tamen pulsus non eleuatur, appetitus cibi non redditur melior, nec vrinæ, quod vitium in iecore, seu scirrhus, seu mala intemperies vehemens, sit confirmatum. Ob hoc videre debes, quos curandos suscipias, ne arti, atque auxilijs, & tibi dedecus paries, nihil proficiens ægro.* Fallopius autem lib. de med. purg. c. 54. *Iridis radix*, inquit, *non est in vsu ad purgandum, quia habemus meliora medicamenta purgantia, & si quando admiscetur cum medicamentis purgantibus, id fit potius, quia calefacit, & detergit, quam vt purget. Excellentissimus Brasauola præceptor meus, & alij etiam exhibent in hydrope: & prebent tres, aut quatuor vncias succi iridis, & educit aquas satis copiosas, sed tanto cum dolore, vt sit mirum, & ideo nolui ego vnquam exhibere, nec consulo vobis, vt exhibeatis.* Hæc Fallopius cui minimè standum censuit Simon Paullus. quia iris multas habet prærogatiuas, & mirificum Hydragogum est. Massaria succo Iridis se vsum fuisse familiariter scriptum voluit. Senertus in instit. Hydropico exhibitum quinquies aluum mouisse obseruauit. itaq; succum ireos, & iridem ipsam nequaquam vomitoria; sed deiectoria tantum esse videtur sentiendum. *Vis Vomitoria.*

Tamen Plinius lib. 21. c. 20. *Vomitiones ciet duobus obolis sumpta*. in libro Galeni spurio de Catharticis *Vomitum facit*, scribitur, *ireos puluis, cū mulsa*. & talem vim habere ex alijs colligi potest. quia Mesue, & cum eo Mattiolus, & alij scribunt. *nocere stomacho*. sed quæ stomacho nocent vomitum sæpe mouent. ita Castor Durantes ait. *purgare* Ventriculum à bile crassa vexatum.

Sentiendum igitur succum radicum iridis esse medicamētum validum expurgans violenter, & moleste, bilem crassam, pituitam, viscidam, & serosos Hydropicorum ichores. *Quid agendum.* cum aliqua ventriculi molestia, turbatione, & dolore. prodesse tamen posse in Hydropicis. in ictericis, Asthmaticis, tussi veteri, & pulmonum vitijs frigidis, ischiadicis, lienosis, obstructioni Hepatis. pro morbis iuncturatum, pro strumis, & similibus tumoribus duris.

Mesues, Rondeletius ponunt eius dosim à dra. ij. ad vnc. j. & ad vnc. ÷. Cesalp. sed Trincauell. à drac. ij. ad drac. vj. Heurnius à dr. j. ad drac. iv. Duncanus, Morellus, Claudinus ab vnc. semis ad vnc. j. Massaria scripsit se vncijs ij. iij. & pluribus esse vsum. & familiariter vti. sed auctores præscripti videntur loqui de succo condensato. qui potest exhiberi ad dracmas. succus verò recens ad vncias. Senertus succi ireos recenter expressi, vnc. j. & semis, cum Mannæ drac. vj. Hydropico exhibuit, & aluum quinquies tātum mouisse deprehendit. *Quantum.*

Porro quia hic succus, ut expertus est Massaria aliquam faucibus facit asperitatem, & Ventriculo ex Mesue nocet, aliqua sunt permiscenda corrigentia. vt Manna, mel rosaceum, Sy. Violaceus, Mesues addebat Serum, Mel, & parum mastichæ. Massaria ita propinabat. *Quomodo.* *Correctio.*

℞. Succi ireos nouiter extracti. vnc. iij.
Mannæ electæ. vnc. j. & semis. misce.

De Lapide Armeno, seu Armatheo. Cap. LXXXXIX.

EX nomine Armeni. seu Armeniaci lapidis statim innotescit, esse lapidis speciem in Armenia nati. non tamen implicat alibi etiam posse. nāq; Chrysocolla de qua Diosc. ante caput de Armenio loquitur. *laudatissima Armeniaca*. inquit, *secundum locum sibi vendicat Macedonica, & proximum Cypria*. sic lapis Gagates in Cilicia ex Diosc. prope amnem Gagatem inuenitur. ex Mattiolo nunc foditur in Flādria, in Germania, propè Ispruch. in Ita- *Nominis ratio.*

in Italia ad Brixiam. lapis Magneticus nomen habuit à Magnesia contermina Macedoniæ: effoditur tamen optimus in India, Aethiopia, in Cantabria Hispaniæ, & in varijs Germaniæ, ac Bohemiæ locis, nec non in Italia ad Insulam Ilbam. *Iris illirica* laudatur, sed Macedonica ei proxima est deinde Africana. *Meon Athamanticum* in Macedonia, & Hispania. *Amomum* præstat Armeniacum, inde Medicum, vltimum Ponticum. *Costus* Arabicus, indicus, Syriacus. *Balsamum* in Arabia, Iudea, Aegypto. *Aethiopis* non solum nascitur in Aetiopia, vnde nomen, sed & in Ida monte Troadis, & in Messenia. ita aliæ plantæ, licet nomen sortitæ sint à Regione, in qua, vel primum repertæ fuerint, vel plurimum vigeant. itaq; non mirum videbitur, si lapis Armenus alibi etiam quam in Armenia reperiatur. Quapropter cum ex Armenia ad nos deferri lapis ille desierit, quærimus merito, an in alijs regionibus eiusdem qualitatis oriatur.

Anselmus Boetius lib. 2. de lapidibus, c. 142. scripsit, *Reperiri in varijs Germaniæ locis, vt in Tyrolensi Comitatu, alijsq; Argenti fodinis. Etiam in Hungaria, & Transyluania.* nec quid repugnat, quin etiam in Hispaniæ, & Italiæ fodinis reperiri possit, dummodo easdem habeat qualitates. Plin. lib. 35. c. 6. *Solebant*, inquit, *libræ Armenij trecenis nummis taxari. Iuuenta per Hispanias harena est, si nilem curam recipiens. Itaq; ad denarios senos vilitas redijt*. ista Hispanica harena uicem gerebat Armeni lapidis. & si coloris usus idem, forte etiā eædem medico uires.

Locus Natalis.

Sed accedamus ad Armeni lapidis notas. Dioscorides. *Armenium* inquit, *præfertur Leue, colore cæruleo per quam aequabile, sincerum, & friabile*. Plinius uerò. *Lapis est hic quoq; Chrysocolla modo infectus Optimumq; est quod maxime vires communicato colore cum Cæruleo candore medico, qui teneriorem hunc efficit colorem*. Hi Auctores ualde inter se distant, alter dicit, *præferri colore cæruleo*, alter uerò *optimum colore viridi*. quomodo ait *dilut à cæruleo candore medico*. an Cæruleum est uiride? Sed dicimus mistos simul esse colores cæruleum, & Viridem, unde Galli, & communiter Pictores puluerem uocant Verdazur, idest uiride Cæruleum, ob mixturam utriusq; coloris. sic Plinius uiridem, & cæruleum esse tacitè innuit, idem Dioscorides, qui cæruleum, sed Chrisocollæ affinem, quæ uiridis est, docuit. Mesues uerò. *Melior est habens colorem viridem, & obscurum, terreum, & Indum*, (indum colorem Cæsalpinus interpretatur cæruleum) *& habet macularum distinctiones, virides, & nigras, & qui non est in lapidis termino, immo est facile dissolubilis, & pulueribilis, & qui est tactus lenis, carens asperitate*. Auicenna autem [illegible] *in lapide Armeno est aliquantulum* [illegible] *non tamen ist in colore azuli, &* [illegible] *ulicitate; sed est in eo arenositas quadam, & quandoq; vtuntur eo pictores loco azuli, & est lenis tactus*. Ex quibus nos colligemus integram descriptionem lapidis Armeni. ut sit Lapis leuis, facile solubilis, non durus, nec asper, ut alij lapides, cuius color est inter viridem, et cæruleum, immo huiusmodi coloratis maculis distinctus, et uidetur esse quid mixtum ex Cæruleo, et Crysocolla, unde Plinius. *Chrysocolla modo infectum*, Dioscorides. eadem præstare, *qua Chrysocolla, sed inefficacius*. iure igitur scripsit Andreas Cæsalpinus alter ex præceptoribus meis, constare hunc lapidem ex Chrysocolla, et cæruleo utriusque uim purgandi habentibus; sed Chrysocollam periculosiorem esse, ut pote, quæ ex ære ortum ducat, et ad æruginē accedat.

Descriptio

Contradictio.

Solutio.

Vera descriptio.

An uerò lapis, qui ad nos affertur ex Germania, cuius puluis à pictoribus dicitur Verdazur, sit lapis Armenus. Affirmant Mattiolus, Anselmus Boetius, Cæsalpinus, Imperatus Pater, et Filius.

An prestet.

Sed negant alij, quia ex Armenia petitum omnimode uolunt, et ex Armenia nunc ad nos non aduehi constat. sic Costæus in Mesuem scripsit. *carere Officinas hoc lapide, & rarissimum esse inuentu. non temere aliqui contendunt; licet enim in Germania aurifodinis eum cæruleo lapide frequenter viridis reperiatur Armenium prorsus referens, longè tamen is ab eo differt, quem Armenia mittit, qualem nos apud Iacobum Antonium Cortusium nobilem Patauinum, & Georgium Mylichium pharmacopæum venetum sæpe vidimus, colore gratissimo, puncticulis, & nigris quibusdam lineis interstinctum, quamuis de auro nihil meminerint alij*.

Verum nos dicemus, optimum, et præstantissimum quidem in Armenia gigni, minus præstans in Germania; sed genere, eundem esse lapidem. quia Germanus est lapis leuis, friabilis, quo à lapide lazulo firmissimo differt, colore uiridi, cæruleo admisto, unde magis, et minus uiridis. uel cæruleus laudantibus pictoribus uiridiorē. Medicis uerò magis cæruleum. immo processu temporis color Armenij subcęruleus, et uiridis, fit totus uiridis, et sic Verdasurum uocant, quia ambos colores mixtos habere uidetur. Ergo si Armeno caremus, nobis Germanico uti licebit.

Germanicum probatur.

Sed accedamus ad eius uires considerandas, primo statuamus temperamentum. Mesues ait. *Calida complexionis est in principio secundi, & sicca in ipso*. qui solus ex antiquis huius lapidis temperamentum determinasse uidetur. calidum, et siccum. cum tamen è contra Alexander, ex quo multa hæc transtulit Mesue, scribit. *Neque enim calorem habet, aut sic cantem admodum, aut aliam quampiam ipsi insidentem amaram, & venenosam qualitatem*. quod etiam aduertit Manardus. sed Syluius uidetur uerba Alexandri uertere ad Armenisi lotū. nos uerò ex facultatibus istis lapidis eius temperamentum inuestigare debemus.

Vires.

Temperamentum.

Gale-

Galenus de fimp. m. fac. *Armeniacum vim habet extergentem cum leuicula acrimonia, & leuissima adstrictione : itaq. sale cum sit, ocularibus miscetur facultatibus, ad augendos palpebrarum pilos.* quod repetunt Aegineta. lib. 7. Oribasius. lib. 15. Aetius serm. 2. c. 47. qui specificat dicens. *Armeniacum, quo pictores vtuntur, &c.* itaq: Græcorum sententia Armenius lapis non erit calidus, et siccus in secundo gradu; sed paulò minus.

Vis solutiua. Videtur autem lapidis Armeni uis solutiua fuisse nota Dioscoridi, quum scribat. *Eadem, quæ Chrysocolla præstat; sed inefficacius.* et nuper de Chrysocolla dixerat. esse inter *Medicamenta vomitoria, & enecantia.* uerum Galenus huiusmodi facultatis nullam mentionem facit. et hanc ignorasse uidetur Plinius lib. 25. c. 6. scribens. *Vsum in Medicina ad pilos tantum radendos habet, maximeq: in palpebris.* nec liber de simpl. ad Paternianum Galeno adscriptus, nec alter de Dinamidijs. qui huius lapidis mentionem faciunt, sunt Galeni genuini.

Auctorum autem, qui Armeni lapidis uim solutiuam nouerunt, et testati sunt. primus Nechepsus apud Aetium ser. 2. c. 57. qui de eo sic tradit. *Armenium, quo Pictores vtuntur, duodecima dracma parte melancholicis, & crassum sanguinem habentibus dato. Datur & pueris pe-* *Ad Epilepticos p. batur.* *lloris morbo infestatis, reuomunt enim. nam vomitorium existit. Datur & morbo sacro obnoxijs, ac furiosis hoc modo. Centaurij fasciculos manipulares tres in aqua marina heminis tribus coquito, donec vna superfit, & eum excolato decocto Armathei lapidis, quem Græci Armenium vocant, tertiam dracma partem terito, ac confidenter exhibeto. Nihil enim periculi est. Itaq: nosse opera pratium est, quod Armenium penitus reuomitur; nihil memorabile sursum efferens; sed & inferne modicum quid paulatim, & in pluribus secessibus effert.* Deinde idem Aetius serm. 3. c. 32. ex propria sententia ait. *Armenium, quo pictores vtuntur. purgat atram bilem, & quicquid crassi, ac viscosi sanguini ammixtum est. Datur Melancholicis, & Elephantiasi laborantibus, ac consimilibus. & in Renum affectionibus, & anhelosis. Dantur ex eo scrupuli plus minus quatuor,* quæ repetit Auctor libri de Dinamidijs, nec non Actuarius lib. 5. Paulus uerò. *Armeniacus,* inquit, *Inferiorem ventrem purgat; sed stomacho nocet.* Sed Alex.

Præstat Veratro. Trallianus lib. 1. cap. de Melanch. hunc maxime commendauit scribens. *Quod si Hiera dicta Melancholiæ imaginationes nihilominus infestare videantur, tunc sine vlla cunctatione lapidem Armeniacum dare festinato. Noui enim ex veteribus antiquiores ad Veratrum album properasse, vbi affectum ab alijs purgationibus nihil pene imminui conspicerent. Verum ego Lapidem Armeniacum Veratro albo præfero: atq: licet vtentem ipso experientia cognoscere, quomodo præterquam efficacter etiam sine molestia, & periculo purget, quorum nihil veratrum album habere nouimus. Si igitur res postulat, non modo infra per aluum; sed etiam per* *vomitus purgationem fieri, lapidem illotum exhibere conuenit; sit autem modus ipsius scrupuli tres, aut quatuor, aut paulo amplius, minusue pro virium simul, & copia humoris noxij ratione. At si æger purgatione per vomitum non admodum indigere videatur; sed per imum ventrem totum vitiosum humorem exire. conducat. tunc lapidem eluere oportet, vsq: ad duodenas vices.* (Vetus legit quinquagenas. Græce est δὶς [illegible]) *Vbi enim sic fecerimus, neque turbationem stomachi, aut compressionem lapis excitare poteft; sed etiam minori cum molestia nigrum, terrestremq. humorem vacuabit, vt paucis præteritis diebus adiumentum ex eo nobis accessisse percipiamus.*

Ex Arabibus Auic. scripsit. *Est malus stomacho, & ille, qui est ablutus non facit nauseam, & non ablutus facit nauseam, & in dispositionibus est malus stomacho. soluendo educit melancholiam fortius, quam lapis lazuli, & iam contenti sunt eo, & dimittunt elleborum nigrum, propter illud, quod inueniunt in eo ad ægritudines melancholicas.* nec apud Serapionem, Auerroem. ac Rasen inuenio huius lapidis mentionem, sed Mesue *Arabes.* pleraq. ex Alexandro assumpsit. hic igitur ait. *Est resolutiuus, abstersiuus, & est ex conturbantibus, & subuertentibus stomachum, & educit per vomitum, & per Ventrem.* nec mirum. quia Cæsalpinus meus scripsit. Constare hunc lapidem ex Chrysocolla, et cæruleo, utrique vim purgandi habentibus; sed Chrysocollam periculosiorem esse, vtpote quæ ex ære ortum ducat, et ad Aerug nem accedat. et subdit Mesue. *Nocet stomacho generans subuersionem, & faciens eum angustia solutionem, & dixit Alexander. Non lotus per vomitum soluit, & per ventrem cum labore. lotus autem soluit per ventrem, & sine molestia.* deinde ait. *Solutione educit choleram nigram, & cum virtute mundificat cerebrum ab ea, & valet ad ægritudines eius melancholicas, sicut est mania, & melancholia, & vertigo, & dolor capitis. & epilepsia, & ad ægritudines timoris, & suspicionis, & ad lepram, & ad ægritudines splenis, & ad Cancrum, & ad Morpheam nigram, & melancholicas febres.* Quoniã autem Dioscorides scripsit ea præstare. quæ Chrysocolla, sed imbecillius, et Plinius testatur, dari Chrisocollam in Angina, et his, qui non nisi recta ceruice spirare possunt, videtur dandus hic lapis huiusmodi etiam morbis.

Scio equidem Fallopium lib. de Med. purg. scriptum voluisse. lapidem Armenum non esse in vsu ad purgandum. licet Trallianus vteretur in affectu melancholico. nec ipsum eo vti: Massaria adeo fuit timidus in *Timor Massariæ.* vsu huius lapidis, vt non modo purum non audeat exhibere, immo neq: etiam in formam pillularum redditum, ac correctum, sed admisceat pilulas Alephanginas, vt lapidis vis magis remittatur. At doctissimus, et expertissimus Alexander non ita timuit, quia non solum lotum inuenit benignum, uerum etiam illotum. quidam infantibus epilepti-

cis propinant cum aq. graminis. Nos autem qui vomitorium quærimus, illotum proponemus.

Quid agēdum. Quibus positis dicemus lapidis Armeni puluerem per Vomitum, et per aluum educere valenter humorem melancholicum, atrum, et terrestrem, primum à capite, quod exacte mundificat, proinde confert morbis capitis melancholicis, quales sunt, dolor capitis, Vertigo, Ephialtes, insania, fatuitas.

Mania, Melancholia, Timor, Mæstitia, Epilepsia.

Expurgat Pectus, vnde Asthmati confert, et recta ceruice spirantib. mundificat Hepar, et lienem, proinde confert ad cancrum, ad lepram, ad morpheam nigram, ad morbos lienis. ad febres melancholicas. ad Anginā.

Et adeo benignū prædicauit Nechepsus, ut etiam pueris præbuerit ad uomitum excitandum; ergo illotum.

Quantū. Circa huius lapidis quantitatem exhibendam variant auctores, non modo, quia alij loquuntur de loto, et alij de illoto, et aduertendum, quod si quis voluerit vomitum excitare, et illotum lapidem præbere, non debet assumere colorē dictum Verdazurrū, quia hoc (vt docet Anselmus Boetius lib. de lapidibus. 2. c. 144.) præparatur in purum colorem multis liquationibus, et lotionibus in aqua. sed assumat lapidē ipsum, & cōterat.

Non loti lapidis, sed bene contriti tantū, exhibent à dracma semis ad dracmam vnam. Gentilis, Montagnana, Mattiolus, Duncanus, Morellus, Claudinus, Horstius, Sennertus. Mesues à dracma semis, ad vnam, & semis. Alexander à scrupulis tribus ad quatuor plus, & minus pro viribus. ita etiā Auctor libri de Dinamidijs. Sed Aetius videtur ex Nechepso dare duodecimam dracmæ partem ex versione Iani Cornarij, unde Anselmus Boetius dicit ipsum præbuisse ad grana v. & in textu greco Aldino lego. λαβὼν ὁλκῆς τὸ δωδέκατον sed vel tunc loquitur Nechepsus de Dosi pro pueris, uel erratum est in textu, quia mox mox præscribens modum assumendi dat scrupulum j. seu tertiam dracmæ partem. & dicit assumi sine periculo. deinde vero lib. 3. exhibet Armenij scrupulos iiij. vti etiam Actuarius. Ergo in pueris ad grana v. in adultioribus à scrup. j. ad scrup. iiij. & ultra exhiberi poterit.

Lapidis Armeni loti, qui uomitorius nō est, exhibent à dracma una ad unam, & semissem, Morellus, Senertus. ad drac. ij. Mesue, Gentilis, Montagnana, Mattiolus, Duncanus, Sennertus, Curtius, Claudinus; sed Alexander Tral. à scrupulis v. ad vj. & Iulius Alexandrinus in consiliis à Scholzio editis, n. 175. inquit. *Testari de lapide Armeno vere licebit, exhibitum aliquibus fuisse sine noxa ad dracmam vsq: vel scrupulos 4. etiam, lauisse autem oportet quinquagies, lapis est viridis omnino coloris mineralis.*

Quomodo. Circa modum exhibendi hunc lapidem apud Aetium habemus hanc mixturam Nichepsi.

℞. Centaurij minoris manip. iij.
Aquæ marinæ heminas iij.

misce, coquantur, donec vna supersit decocto excolato adde Lapidis Armeni triti. scrupulum vnum, & confidenter exhibeto Guamerius tractat de Melancholia. c. 6. scribit. *Et ego in bono Alexandro confisus, qui eum tantum commendat, sæpissime eo vsus sum, & diuersimode quidem, & Deo duce in eius exhibitione nunquam fraudatus extiti*. quare.

℞. Lapidis Armeni. scrup. ij.
Croci. scrupulum semis.
Macis. scrupulum vnum.

misce cum aqua saccharata, & fac pilulas pro dosi vna.

Vel sic ℞. Lapidis Armeni pręparati. drac. semis.
Senæ.
Epithimi.
Zinziberis.
Croci.
Macis. an. drac. semis.
Tartari. drac. ij.

misce fiat puluis, & cū aq. saccharata dabis.

Alexāder Trallianus ita parabat. vel enim dabat scrupulos v. vel vj. ex aqua tepida. uel in catapotia redactum, vel Hieræ picræ mixtum, hoc modo.

℞. Hieræ picræ. vnc. semis.
Epithymi. vnc. semis.
Agarici. scrup. iiij.
Lapidis Armeniaci. scrup. iiij.
Gariophillorum. grana. xx.

Contusa excipiantur Reodomelo, aut succo Citri, aut Rhodomelite. dentur drac. ij. plurimum iiij. uocantur pillulæ de lapide Armeno. sed Actuarius aliam descriptionē affert, aliam Mesue cuius exemplaria etiam uariant. Antidotarium Romanum assumpsit descriptionem à Mesue. sed quia hæ pilulæ conficiuntur ex lapide Armeno loto, & proinde non uomitorio, de his agere nunc ad nos non spectabit.

Quoties. Reiterari potest Armeni lapidis assumptio pluries, & usque ad morbi depulsionem vt consuluit Alex.

De Lapide Lazuli. Cap. C.

LApis Lazuli. Cæruleus, κυάνεος, & lapis stellaris Mesuæ, eadum res est. Sed magnum labirinthum ingreditur, qui Plinium de Cyaneo tractantem explicare aggreditur. Nāque Saphirum gemmam, Lapidem cæruleum, & terram seu Arenam cæruleam confundere videtur. Vnde plurimum laborauere Hermolaus Barbarus, Agricola, Mattiolus, Franciscus Alexandri, Franciscus *Difficultas in Plinio.*

Rueus

Ruens lib. 2. de gemmis. c. 21. & alij, vt Plinij eruant mentem. Epiphanius inter Saphiri species numeranit, tandem statuit Rueus diuersa esse, & distincte a Plinio descripta lapidem cæruleum, & terram cæruleam. Sed Mesuē magis confusum quis cum Manardo censere posset, scribentem. *Lapis stellatus est de genere marmorum, habens maculas ex auro, & est alius albus, & dicitur Marchasita, alius viridis, clarus, cælestis, & vocatur lapis Lazuli, & quandoque minera fert vtrumque simul.* Censet Manardus, Mesuem valde confusum esse. & per stellatum lapidem voluisse Asteteni terræ samiæ speciem, per marchasitam, Græcorum Pyritem, & per Lazulum, Cyaneum, quæ sunt tria valde diuersa, nec sub vno genere contenta. Sed breuiter dicam interpretum erratum fuisse. Quia in Cæruleo lapide aureæ stellæ micare uidentur. & aurum ipsum cæruleo colori mixtum esse. simul etiam in eodem lapide portio apparet lapidis albo marmorei, portio marchasitæ, alia Chrysocollæ, alia Armeni lapidis, alia denique cærulei, seu Lazuli. ita ut in eadem massa, multiplex inspiciatur mixtura. Verum, quod Mesue non fecerit marchasitam lapidis stellati speciem, ut uoluit Manar. patet, quia paulo post ipse Mes. subiungit. *Mistus cum Marchasita est non bonus.* vnde constat de marchasita loquutum, ut mixta, non ut specie.

Explicatur Mesue.

Mixtura minerali.

Testantur autem plurimi Auctores simul connata, & admixta reperiri, Lapidem Lazuli, lapidem armenum, lapidem marmoreum, marchasitam, chrysocollam, & scintillas auri. uti Mattiolus. Franc. Alex. Fallopius, & alij. sic Io. Kethmanus se habuisse refert, lapidem cæruleum natiuum Goldbergense cum Chrysocolla in uena ferri repertum in lapide candido. Alium natiuum Saebergensem, & Chrysocolla pura de silice candido distincte adhærente. alium Natiuum Gishubelianum in pyrite ex quo argētum excoquitur, is mixtus erat cum succo viridi concreto, & zonarum instar, interdum dispositus, ex quo extra venam, etiam cum iucunditate efflorescit. & Agricola lib. 3. de Nat. foss. ait. Chrysocolla adeo gaudet cæruleo, ut hi duo succi concreti frequentissime simul nati vni eidemq; glebæ metallicæ adhæreant. videaturq; alter prope appositus, alterum inclusum sepire, atq; complecti, & modo plus cærulei concreuisse. quod Theophrastus vidit; modo Chrysocollæ plus. quod æque, ac alterum ipse vidit Agricola. certe Theoph. lib. de Lap. κυανὸς, inquit, ἀντοφυὴς, ἔχων ἐν ἑαυτῷ χρυσοκόλλαν. idest, *cæruleum natiuum habens in se Chrysocollam.* statuēdum igitur non reperiri purum lapidem cæruleum; sed mixtum alijs rebus metallicis.

Cæruleus, & viridis mistus.

Quare textum Mesue ita vertendum censeo. *Lapis stellatus est de genere marmorum habens maculas ex auro, & alias albas, alias ex Marchasita, & alias virides, qui est clarus, & cælestis vocatur Lazuli, & minera fert vtrumque simul.* ita autem esse legendum patet. quia idem Mes. statim subdit, *bonum esse viridem in colore Lazuli, habentem maculas aureas, & sine maculis non bonum, sicut Marchasitæ mixtum, non bonum.* ita legentes irridebiis Manardum, fran. Alex. Fuchsium, & alios Arabum detractores.

Mesues correctio.

Est autem lapis valde durus, vt poliri, & insculpi possit; sed opacus, & ab hoc separatur aurum, arena cærulea, marmor, marchasita, lapis armenus, ac chrysocolla diuersis artificijs. Et aurum quidem ex Anselmo separatur, si lapidi contrito Mercurius misceatur. Chrysocolla verò lotura. cætera verò, vt Armenus, marchasita, marmor, vstione, lotura, & pastillo separantur. ita ut color Lazuleus purus habeatur.

Qualis sit.

Duplex porro est apud nos lapis iste cæruleus, vel enim Cyprius est, & optimus, ac igni resistens, vel Germanicus uilis, quod igni eius color non resistat, sed denigretur, taceo differentias à Kethmanno, & Calceolario sec. 3. positas. Quare, & nos quoq; in Medicina optimum eligemus, & Cypriū, valde coloratum, & purum, minimum habentem alienæ mixturæ. qui quoniam hoc æuo omnibus notus est, de eius forma nil amplius, sed ad vires considerandas descendam.

Varietas.

Notandum autem Serapionem, ni mauis eius interpretem, nomina commutasse, quod etiam aduerterunt, Manardus, Matthiolus, Cæsalpinus, & alij, & pro Armeno posuisse Lazulum. ita etiam fortasse Auerroes 5. colig. c. 43. nam eadem refert de Lazuli, quæ de Armeno Diosc. & Galenus scripserant.

Animaduersio.

Quo ad Temperamentum huius lapidis, Auicenna, & Mesue statuerunt calidum in secundo, & siccum in tertio; sed Humain posuit calidum, & siccum in tertio. Dioscorides autem scribit. *vim habet reprimentem, & modice erodentem, crustas gignit, & exulcerat,* sed aduertatis, (vt postea clarius ostendam) sermonem esse de lapide vsto. quia clare loquitur Dioscorides. *Vritur, vt Chalcitis, lauatur, vt Cadmia. Vim habet, &c.* Et Gal. 9. de simpl. med. fac. scriptum reliquit. *Cyanos Medicamentum acris facultatis est, tum detrahendi, quam καθαιρετικὴν vocant, tum aegerendi potentiore, quam Cinabari; inest quoque ei nonnulla adstrictio.* Quæ verba parum considerans Mattiolus ait. *Hæc Galeni verba, vel non legisse, vel non animaduertisse Manardus ex eo deprehenditur, quod cæruleo Græcos nullam vim detectoriam tribuisse scriptum reliquerint.* & supra scripserat idem Mattiolus. *Etsi Galenus non explicauerit, cæruleum atrabilarios humores ducere; tamen scripsit deycientem habere facultatem:* sed deceptus fuit Mattiolus, et iure irridetur a Francisco Alexandri. quia Galenus non dixit *Catharticam;* sed *Cathæretica.* et ipsemet 5. de sim. med. fac. c. 8. docuit. *Quadam facultas dicta est ab indu-*

Tēperies.

Matthioli erratum.

cen-

cenda cicatrice Epuloticá, à glutinando Colletica, à purgatione Cathartica, ab excrescentia carnis detrahenda Cathæretica, &c. unde loquitur Galenus de puluere Cyanei usti, pro vlceribus. non pro potu. Auicenna autem loquens de generali facultate lapidis Cyanei, ita habet. *Inest ei virtus eradicatiua, putrefactiua, & abstersio eius cum acuitate, & stipticitate pauca, & in ipso est adustio, & exulceratio.* at Mesue. *Et est in ipso acuitas non vacuata stipticitate aliqua, & est in parte acuitatis eius adustiuus, vlceratiuus, putrefactiuus, absteriuus, & incisiuus. Et in non loto est proprietas radendi pilos. Lotus autem conseruat, & prolongat eos, & generat pilos in palpebris.* Quæ facultates non bene ab aliquibus interpretatæ ansam dedere quibusdam vituperandi lapidem lazuli, & inuentores ipsius facultatum, à græcis non inuestigatarum.

Auicena. *Mesue.*

Obiectiones Fuchsij. Fuchsius enim lib. 1. Paradox. c. 12. scripsit. *Si Cyaneus vim putrefacientem, & exulcerantem habet, quemadmodum vno ore tam Græci, quam Arabes fatentur, quo pacto ab exitiali sese rursus errore tuebuntur Arabes, qui ad purgandam atram bilem hunc lapidem deuorandum esse docent.*)

2. *Nullius certe veterum auctoritate sese tueri possunt, quando nemo ex Græcis auctoribus lapidem Cyaneum bilis atræ purgandæ gratia deuorari docuit.*

3. *Neque Arabum ea in re sufficere potest auctoritas, quando, sole clarius sit hos duorum inter se lapidum proprietates miscuisse.*

4. *Sed nec rationem illis suffragantem habent, cũ euidentissimum sit. medicamenta putrefacientem, & exulcerantem vim habentia, qualem cyaneus lapis habet, sine magno nocumento deuorari non posse.* quæ omnia ex Fuchsio transcripta in Musæo Calceolariano ad verbum leguntur cuius auctor cum eo sentit, sect. 4. pag. 468.

Responsio. Sed facilis est responsio. ad primum enim dicimus multa alia esse à Dioscoride inter deleteria posita, quæ tamen ad purgandum in vsu sunt, vt Elleb. Tinmalli, Tapsia, Mãdragora, Chrysocolla, quæ ex Aere, quæ ex Hydrargiro, quæ ex antimonio conficiũtur, & multa alia. Psilli j ex Mesue, substantia *medullaris est vlceratiua, & excoriatiua.* Colocynthis *excoriat vias.* & de Scylla. *Vlcerat, vrit.* Sal ex Dioscoride *crustas inducit.* Euphorbium. dicitur *adurens, & rubificans.* & de Mezereo *est in eo virtus acuta, ignea, & acrimonia vehemens. & est excoriatiuum, vlceratiuum, & est consumptiuum, & dissolutiuum virtutis. est proxima veneno.* itaq. si multa alia medicamenta sunt in vsu, q. vlceratiua dicuntur. non adeo errabunt Arabes.

Ad secundum ab auctoritate Veterum dicemus, eandem etiam desiderare syrupum rosaceum, Rhabarbarum, Mannam, Cassiam, Tamarindos, Mirobalanos, Mecioacan, quia ignota antiquis, non tamen a nobis omittenda.

Ad tertium si valet Arabum auctoritas, in mox dictis medicamentis, cur non in Lazulo? ac dicit, quia confunderunt lapidem Armenum, & Lazulum. At amice non physicus es, quia si natura sæpe eos miscet, & simul generat, cur Arabes non possunt simul miscere, cum easdem fere habeant vires?

Ad quartum. ratio est irrationalis, quia vt alia medicamenta simili facultate prædita corriguntur ab arte, ita etiã poterit Cyaneus.

Si dixerimus. Cyaneum non lotum erosione non vacare, quod si tamen bene abluatur multum iuuare, & vel nihil, vel parum lædere.

Nobis iterum obtrudit Fuchsius. fieri vix posse, vt per ablutionem vniuersa malitia remoueatur. Galeno enim lib. 2. de sim. m. fac. c. 15. teste. Si quę lapidosa, & dura ablluas, mordacitatis expertia tantum euadent. Quum verò putrefacientem simul vim cyaneus lapis obtineat, non est quod illam crebra lotione abigere queas. Perinde enim, vt Coruum sæpius abluendo nunquam candidum reddes, ita nec cyaneo, etiam si bene abluatur, putrefaciendi vim eximes. Proinde consultius erit si atrę bili expurgandæ Armenium potius lapidem adhibueris. nam is sine omni molestia per inferna illam purgare potest, teste Alexandro.

Alia obiectio.

Respondemus Fuchsio. non veridice, sed maligne loqui, quia fundatur in verbo Mesue *vlceratiuus, & putrefactiuus.* & non considerauit, an vox *putrefactiuus* posita fuerit à Græcis, quibus tantum credit. nec an idem significet apud Mesuem, ac apud Græcos. nec item an cæruleus lapis sit vere putrefactiuus: sed ab Arabe vno concessum sumit. & nos dicimus Credendum Galeno 3. de comp. m. per g. c. 2. *Calor citra humiditatem putrefacere nihil habet.* sed Cyaneus est calidus, & siccus in tertio, & citra humiditatem. ergo putrefacere nihil habet. sed debebat dicere ex Galeno 5. de sim. fac. c. 15. duplex esse Putrefacienuum, seu septicorum genus, proprie dicta Putrefacientia, & vere septica, humectant simul, & calefaciunt. alia vero crustam non faciunt, & vocantur septica, hoc est putrefacientia haud quidem appellatione propria, veruntamen symptomatis similitudo, vt sic appellemus efficit, ut pote cum ab vtrisque nullo doloris sensu fiat corruptio. ex quibus Galeni verbis primo constat, calida, & sicca improprie dici putrefacientia, ex quo elicitur Cyaneum calidum, & siccum non nisi improprie dici posse putrefactiuum.

Solutio.

Qui sit esse putrefactiuum.

Secundo constat Cyaneum nullo modo dici posse putrefactiuum, quia ex Dioscoride. *Crustas gignit, & exulcerat.* sed putrefacientia ex Galeno *Crustas non faciunt.* ergo Cyaneus non erit putrefactiuus. sed Mesue impropriissime, & inscitia interpretis vocauit putrefactiuum, quoniam ex Græcis carnem *modice erodit.* & manifestam doctrinam habeo ex Galeno 7. de simp. fac. de Cedrea, quæ

Cyaneus nõ est putrefactiuus

quæ quartum etiam ordinem videtur attingere, admodum calida simul, & tenuium partium. Mollem itaq; carnem prompte, citraq; dolorem putrefacit, sicut alia omnia, quæ eum eiusdem in calfaciendo ordinis, adiunctam etiam habent substantiæ tenuitatem: at in duris, plusculo tempore, & vix effectũ potest consequi. Porro talia omnia medicamenta septica vocantur: sed inter sese maioris minorisque ratione dissident. Est autem in hoc genere medicamentorum ex primo, & infirmissimo ordine Cedrea: pleraq; enim eorum admodum sunt efficacia. Talia itaque & mortuorum corporum carnes corrumpunt: at Cedrea exiccat, simulque à corruptione tuetur corpora demortua, vt pote humiditates eorum superfluas depascens, cæterum solida corpora haud attingens. At in viuentibus calor ipse, qui in corporibus est Cedreæ vires adaugens, causa efficitur, vt tenera ab ea carnes deurantur. Ecce, ò Fuchsi, quia etiam Cyaneus teneras carnes deurit, diceretur putrefactiuus, & ipse quoque in primo ordine, quia minorem caliditatem possidet, quam Cedrea, & idem erit, ac cathereticus. verum paulo post ostendemus, an crudus sit talis.

Fuchsij malum consiliũ. Amplius cõsulit Fuchius, vt armenio vtamur: sed quam inepte, patet, quia Mesue scribit. *Lapis Armenus virtuosior Lapide Lazuli.* ergo si concedit fortiorem, inepte vituperat, vt nocuum, illum, qui minus validus est. Deinde ex Dioscoride. *Lapis Armenus eadem, quæ Chrysocolla præstat, sed inefficacius.* at Chrysocolla ex Diosc. *Excrescentem carnem coercet, modice corpus mordendo exest. Inter medicamina intelligitur, quæ vomitiones concitant, & necem inferre possunt.* Ergo, Fuchsi, armenus necem inferre, vt chrysocolla, potest. & tu eum laudas, & accusas Lazulum debiliorem?

Lotura corrigit. Quod dicat Fuchsius lotura non posse corrigi malitiam Lazuli, falsum erit. quia Lazulus, & armenus parum admodum inuicem differunt, ita vt, quia simul connascũtur, pleriq; auctores censeant Lazulum esse armenum perfectius excoctum, & a natura elaboratum; vnde easdem habere vires crediderunt Serapio, Auerroes, & simul ambas confunderunt. Mesue distinxit quidem, sed tandem de Lazulo ait. *Sunt in eo nocumẽta, quæ diximus in lapide Armeno, & expedit tollere ea similiter cum ablutione, sicut diximus superius.* Quare, & nos dicemus si armenus corrigi potest lotura, ut Fuchsius, Alexandro credit, etiam Lazulum lotura corrigi posse, Mesuæ esse credendum.

Quid sit L. Lazuli. Restat, ut consideremus essentiam Lapidis Lazuli, & quomodo habeat vim Cathereticam, & excaroticam. Statuendum igitur lapidem, qui circumfertur, esse quid mixtum naturale Heterogeneum ex arena cerulea Viridi, auri scintillis, marchasita, chrysocolla, & multa portione lapidis marmorei, silicei, vel alterius generis. quod qui negat, vel cæcus est, vel mineram lapidis integram nunquam vidit, sed credat Anselmo Boetio, Fallopio de fossilibus, Agricolæ, Cæsalpino, & alijs. qui viderunt, & examinarunt lapidem, vt & nos.

Error Mesue. Sed quia Dioscorides vrit, & lauat Cyaneum, non vrit Mesue. aduertendus est error diligentis Arabis. qui scripsit. *Est ex parte eius acuitatis adustiuus, vlceratiuus, putrefactiuus, abstersiuus, & incisiuus. Et in non loto est proprietas radendi pilos, lotus autem conseruat, & prolongat eos, & generat pilos in palpebris.* quæ facultates lapidi vsto non autem crudo conueniunt, ut alias probaui Epistolarum mearũ X. Decadis primæ, & in Antidotario Romano com. Conf. alchermes. quia scripsit Dioscorides. *Vritur vt Chalcitis lauatur, vt Cadmia vim habet reprimentem, & modice erodentem, crustas gignit, & exulcerat.* & quia primo ponit vstionem, deinde vires, constat loqui de vsto, non autem de crudo. quod non aduertens Mesue, transcripsit verba Dioscoridis. ac si de crudo lapide loqueretur. Et Galenus etiam de vsto loquutus fuit, quum ait. *acri facultate est, tum detrahendi, tum digerendi, potentiore, quam Cinnabaris. Inest quoque ei nonnulla adstrictio.* quæ vis acris, non ab ipso cæruleo prouenit, sed à Calce lapidis marmorei adusti, quo massa abundare solet. Vnde Dioscorides, *Vis*, inquit, *omni Calci communi ignea, mordens, adurens, & crustas inducens*, & ideo quando Mesue scribit. *adustiuus, vlceratiuus, putrefactiuus, abstersiuus, & incisiuus. Et in non loto est proprietas radendi pilos*, clarum est, loqui de lapide vsto, & in Calcem redacto, qua etiam vtuntur nostri barbitonsores, in Hypocaustis ad pilos auferendos, quo constat Mesuem Dioscoridis verba transcribentem non aduertisse, eum loqui de Cyaneo vsto. Sed mirum quantum decipiantur, qui aliena fide incedunt, & inexperti loquuntur, superioribus annis medici itali, multum, diuq; inter se ipsos certarunt, an Lapis lazuli pro Confectione Alchermes esset adurendus, lauandus, nemo ad experientiam confugit. At ego ne cum alijs cecutirem, omnino experiri aliquod conatus fui.

Mesue loquitur de vsto.

Acredo à quo proueniat.

Dioscorides de vsto.

Experientia. Vnde puluerem crudi Lazuli nudæ carni brachij, & crurum imposuimus, et triduo illigatum gestauimus, & mutato lapidis puluere, id ter experiri voluimus, modo imponentes eius puluerem siccum, modo madefactum aqua, modo Vino, & nihil penitus cutem læsisse percepimus, nec exulcerando, nec rubificando. immo neque etiam vlceri impositum quicquam ex dictis induxisse, nec inflammationem, nec dolorem. Deinde experti sumus vstum lapidem cyaneum, & eum, qui marmoreæ partis plus, coloris verò minus habebat, & validiorem in rubificanda cute sensimus, vt pote, qui maiorẽ calcis portionem erat sortitus, quo constat, quam vanum sit loqui sine experientia.

Lapis ustus.

Probatur ratione. Et ratio nobis adstipulatur. Cyanus siquidem lapis constat partim ex colore ab igne immu-

immutabili; partim ex marchasita, partim vero ex lapide calcinabili, & de genere marmorum, ex auri scintillis, & chrysocolla; sed nec cærulea arena sine sapore, acredine, vel salsedine (vt patet cum pura pro pictoribus seligitur) nec marchasita minime acris, & vlcerans, nec aurum, nec crudus marmoreus lapis vrere, ac exulcerare apta videtur. Chrysocolla potest aliquid efficere; sed in pauca copia est. & forte ob Chrysocollam hic lapis vomitorius est, & licet Minderetus lib. de Chalcantho. c. 1. Vitriolatum censeat, atq; Aeratum hunc lapidem, non assentior, quia crudus æris saporem haberet. *Resolutio.*

Hinc factum fuit, ut crudi cyanei pulvis nihil læserit. sed in lapide recenter vsto, vis marmoris in calcem versi, sentitur acris, mordax, exulcerans. *Acredo Cyanei à Calce.*

Itaque concludemus vim acrem, exedentem, septicam, exulcerantem, quam Cyaneo tribuunt Græci esse referendam in calcem, seu lapidem ustum. non autem in crudum, ita dicimus Arabes ex Græcis Lazuli vires transcripsisse, nec aduertisse eos de vsto fuisse loquutos. *Error Arabum.*

Amplius dicam Mesuem nunquam vsisse lapidem Armenum; nec item Cæruleum, sed ambos lauisse tantum. vnde toto cælo aberrant illi Medici, & Pharmacopœi qui digladiatur, an Mesue velit Lazulum vstum, & lotum in conf. Alchermes, an vero vstum non lotum. *Error Recentiorũ.*

Et quod Mesue crudum assumpserit, patet, quia nusquam vstionis meminit, nec cap. de Cyaneo, nec de conf. Alchermes, nec in canone. *Explicatur Mesue.*

Quia Cyaneus ex Mesue habet eadem nocumenta, quæ Armenus, & similiter cum ablutione debēt tolli. sic si Cyaneus deberet vri, vtique etiam esset vrendus Armenus; sed nec Mesue, nec Alexāder Armenum vrunt, ergo neque Cærulæum.

Mesues in Canonibus de correctione purgantium loquens proponit 4. tantum, Coctionem, Lotionem, infusionem, & trituram non posuit vstionem, & lauandum tantum Cyaneum docet, scribens. *Lapis Cyaneus, & armenus moleste vomitoria, & deiectoria per lotionem multam, vomitoria esse desinunt, tantum clementer fiunt deiectoria.*

At dices Mesue scribit. Lapidis Cyanei loti, & præparati, ergo, præparatio erit vstio, sic in conf. alchermes vstum, & lotum requirunt, Rondeletius, Iubertus, Bouderon, Renodeus, Bertaldus, Vecchering, Quercetanus, Saladinus, Bergomenses, Vecolus, Monspolienses, Catalanus, Strobelbergerus, Heurnius, Costæus, Melichius, & alij. *Obiectio.*

Respondendum, hos non intellexisse Mesuem scribentem, *loti, & præparati*, nec dixit *vsti, & loti*, neque *præparati, & loti*, & per præparatione Mesue intellexit secundam lotionē ex aqua rosarum, vel buglossæ. lauat enim primo aqua dulci trigesies, vel plus, ut Alexander. ad hoc, vt nocumenta, & vis vomitoria tollantur. deinde præparat, vt acquirat mirabilem proprietatem, lotura aquę cordialis. *Solutio.*

Sed si quæras quid hac simplici lotione præparari possit? *Quæsitum.*

Respondeo. Chrysocollam admistam esse, quæ vomitoria est, hæc à lapide armeno, hæc à Cyaneo lotione separari potest, & si quis fuerit diligens colligendo omnem aquam, & eam igne resoluendo, in fundo colliget chrysocollam. *Responsio.*

Sed hic insurgit Laurentius Catalanus Pharmacopęus lib. de Conf. Alchermes. & Strobelbergerus è Mõtepessulano medicus, qui lapidē Cyaneum aureis scintillis micātē optimum censens scribit. *Omnes lapides Cyanei, qui micis aureis destituuntur malignitatem habere credantur, ac in medicina suspecti esse debent. Metallicam enim, ait Cæsalpinus lib. 2. c. 40. naturam participant, præcipue æris; unde vires aliqua ex parte malefica.* *Opinio Catalani.*

Penitus autem lapis Lazuli Artificialis, quem vulgo Lazur vltramarino *nuncupant, cuius apud Pictores hodie tanta est æstimatio, ab vsibus medicis exulet, ob venenatam vim, quam eundem adhibentes, ac intra corpus sumentes in vitæ periculum præcipitaret: quoniam hic non ex lapide Lazuli, qui micis aureis fulget; & ad vsus medicos approbatur; sed è reliquis Lazuli speciebus malignis parari solet, in quibus vim maleficam inesse à viris doctis comprobatum est.* sed bonus pharmacopęus nimis sibi assumit. innititur verbis Fallopij, quæ nō bene intellecta in alienum sensum trahit. *Refellitur*

Falsum enim est. Solum Cyaneum aureis scintillis micantē à medicis esse sumendum. quia Mesue dixit. *Melior habet maculas aureas.* & verbum *melior* non indicat alios omnes excludendos tanquam venena, sunt enim minus boni. Et quando Mesue scribit *mistus cum Marchasita est non bonus, & non macultus est non bonus*. male transcribit Magister Catalanus. *non est bonus, & non maculatus est prauus.* quia si logicæ studuisset, sciuisset aliud esse dicere *est non bonus*, aliud vero *non est bonus*. sed obseruate Mesue loquendi modum. de Manna ait. & *Melior est, quæ est sicut semen album, & est dulcis, & est recens*. & subdit. *Fusca vero, & canosa, & antiqua est non bona.* & de Sena, *Meliora folia sunt viridia, subalbida vero, & tenuia non bona*. per *non bona*. intellexit inualida. non antē venenata. sic ergo cyaneus non bonus, erit minus bonus, minus validus. Ratio autem propter quam melior stellatus, est quia plus obtinet coloris cærulei, & minus marmoris, minus Chrysocollæ, minus marchasitæ, & è contra, qui plurimum habet marmoris, vel marchasitæ, minus habet cærulei coloris, & ideo pro colore extrahendo ille magis, hic minus eligendus, nec tamen est abijciendus, tamquā vene- *cur melior stellatus.*

Explicatur Cæsalpinus. venenam. quia nec marmor, nec marchasita admixta dicuntur Venena. Nec Cæsalpinus scripsit Cyaneum sine maculis aureis esse maleficum. Sed omnem lapidem *cæruleum cum Armeno multum conuenire, quemadmodum Smaragdum cum Chrysocolla metallicā enim naturam participant* (idest hæc quatuor) *præcipue æris: vnde vires aliqua ex parte* (non omnino) *malefica*. Et tamen ipse Cæsalpinus supra c. 24. laudat Smaragdum *ad Venena lethalia, & ictus venenatos in potu pondere viij. granorū hordei, liberat enim à morte si cito sumatur, &c.* & Mesue pro Elect. de Gemmis, & alij pro Confect. Hyacintina Smaragdum sumunt. ergo non est maleficus, proinde dubitandum de alijs tribus,

Contrariū probatur. Sed è contra Anselmus Boetius. *Illius mater lapis Armenus, qui in fodinis aureis reperitur: interdum est, quin ab eo tantum coctura differre videtur.* Ergo Cyaneus magis excoctus, & perfectior, erit salubrior Armeno. teste etiā Mesue afferente. *Armenum fortiorem Lazulo.* quare si Armenus non est prauus, nullus Cyaneus erit prauus.

Catalanus deceptus. Quod autem vituperat Catalanus colorem extractum pro pictoribus tamquam maximum Venenum, maxime decipitur. (cum è contra hunc maxime commendent Costæus. Melichius, Sanctinus, Stechinus, & alij) & falsam adducit Catalanus rationem à Fallopio desumptam. *quod color non extrahatur ab eo lapide, qui micas aureas habet.* Sed Fallopius id asseruit ob summū lapidis prætium suo tempore, quo Cyprius ad nos non ferebatur. nam pulcherrimus lapis pro gemma integer retinetur, minus purus contunditur, vt color separetur. Et nos Fallopio opponemus Anselmum Boetium Medicum Cæsareum lib. 2. de Gemmis c. 123. scribē-

Anselmus Boetius. tem. *Primum ne quis Oleum, & operam perdat lapidem aureis venis multis ornatum, ac splendentem eligat, is enim optimus, & operi conuenientissimus est.* ecce qualis lapis sit eligendus pro colore abstrahendo. Quare falsum est (quo innititur Catalanus) fundamentum. Verum, & ego quoq; sæpe hunc colorem paraui, & cum semper, qui minus marchasitæ, & marmoris; plus vero cærulei coloris haberet, elegi. eo quod, ex marchasita, non nisi marchasita, ex marmore vsto, non nisi calx haberi potest. sed quando optimum non reperi, deteriorem assumpsi.

Vomitoria vis à Chrysocolla. Dicam autem, si quid malignitatis vomitiuæ habet hic lapis, à Chrysocolla habet, & purgandi vim ab Armenio admisto, virtus autem roboratiua à substantia cæruleo colore insignita procedit. Laudandus ergo maxime pro Corde roborando, & melancholia arcenda colos à vomitorijs, ac deie-

Laus. ctorijs impuritatibus seiunctus. Verum ad deiectiones parandas lapis totus tritus, ac lotus, ad Vomitum vero non lotus erit sumēdus, vti Armenum expertus Alexander vsurpauit, & commendauit.

Irridetur Catalanus Sed irridendus adhuc restat Magister Catalanus, qui damnato lapide marchasitæ admisto, & mire laudato illo aurato. tandem perbelle concludit, vt diligentissimum Pharmacopęum decet. *mihi quidem*, inquiens, *hac in re diligentissimo hactenus impossibile fuit videre, vel portiunculam aliquam istius lapidis, qui scintillas suas aureas dum ignis vim persentiret, non amisisse*, idest Orientalem; (quod modo è Cypro plurimum affertur) nam Germanus, Hispanus, & Italus igni non resistunt. Et tandem suæ Confectioni alchermes eius defectu, Cyanei speciem marchasitæ plurimis scintillis lucentem misceri consulit, *licet enim* subdens, *maligna eius vis suspecta plurimum sit ob marchasita mixturam. compertum tamen est, omnem ipsius noxiam qualitatem per calcinationem quodamodo corrigi.* Sed bone Pharmacopeæ ex vsto, & toties loto, nonnè separabis etiā calcem, & chrysocollam? quid remanebit? nisi color ille pictorum, quem tantum vituperasti? & hunc modo tuæ antidoto cordiali impones? ad quid tantas voces effudisti, cur tantum exclamasti, si marchasitæ noxia qualitas vulgari artificio corrigi potest? sed relinquamus Lapidis Lazuli inexpertos detractores, & cum expertis ipsum consideremus placide.

Auicenna Auicenna *Solutione*, inquit, *educit Melancholiam, & quod sanguini est commixtum, in quo est grossitudo.* & Mesue. *Solutione educit Melan-*

Mesue. *choliam, & humores adustos, & mundificat venas, & sanguinem ab eis, & non lotus educit per Vomitum, & per ventrem humores crassos, & melancholicos.* & euacuare humorem melancholicum fatentur omnes Recentiores Car-

Cardanus. Cęsalpinus Boetiꝰ. Senertus. Trincauellius. danus lib. de Dentibus, Cæsalpinus de Metallis. Anselmus Boetius de Gemmis. Senertus in Instit. & plurimi alij. sic Trincauellius lib. 2. de morb. c. 14. & primo ad Glau. c. de Quart. *Arabes*, inquit, *lapide lazuli vsi sunt, & re vera vim habet hos humores purgandi. Verum nisi sit electus, & optimus, & diligenter paratus, vidi sæpe multam ventriculi angustiam, & molestiam attulisse.*

Lazuli secure exhibetur. Quod autem secure possit ægrotantibus exhiberi sine tanto metu, testatus fuit Ant. Musa Brasauolus in lib. de Med. purgant. *Lapidem lazuli*, inquit, *expertus sum, ac drachmam vnnquam excessi, & semper profuit. neq; tamen tormina induxit, qualia putabam, antequam expertus essem, inducere debere, neque ori ventriculi multum obesse.* & Manard. in Mesuem. *Ego*, inquit, *bis non accesserim, qui non secus, ac perniciosissimum venenum hunc formidant. Experientia enim certa scio, quod si bene abluatur, multum iuuat, & vel nihil, vel parum lædit.* & Costæus. *Is verò adeo castigatur, vt quum plurimum conferat, nihil tamen obsit, id quod frequens experimentum confirmat.* & Ego ipsum experiri volui, & pluries exhibui in melancholicis, in diuturna scabie vexatis, crudum, lotum,

Cc &non

& non lotum, atq; etiam vstum ad vnc. j. & clementissime, ac sine vlla molestia purgasse obseruaui.

Vlterius docet Mesue. *Et confert ad ægritudines cerebri, & cordis, sicut est Epilepsia, & mania, & melancholia, quarum est materia humor melancholicus, & confert iuuamentum sublime ægritudinibus timoris, & tremori cordis, & syncopi, & confortat cor, & aufert nocumenta eius, &* *Mirabiles vires.* *dilatat animam, & mundificat pectus, & pulmonem, & confert Asthmati ab humoribus crassis, & ægritudinibus splenis; & est ex rebus conseruantibus iuuentutem, & beatificantibus vitam, & ipse quidem præseruat à lepra, & datur patientibus febres melancholicas, & curat eas.* & Auic. *Confert Asthmati, & prouocat menstrua sufficienter bibitum, & in matrice suppositum, & confert dolori renum.* Haly abbas. 5. prac. c. 23. ad melancholiam, à colera nigra. non conferente Hiera, confugit ad medicamentum ex petra lazuli. *In peste.* Et Nonius Græcus scripsit, c. 143. ad pestem, & feb. pestilentem. ait. *Mulsam, vel ptisanæ cremorem in potu dare, vel lazuli lapidem, ἢ τὸν λαζοῦριν.* Cardanus lib. de Dentib. *Purgat Melancholiam, & proprie non putridam, purgat pulmones, & difficultati spirandi prodest, & lienis tumoribus, & hæmorroidibus. confert etiam generali ratione, vt omnia, quæ ex venis nigrum humorem educere possunt, pesti etiam nostrorum temporum, quam serpentem vocabimus, & elephantiasi, & indica lui, vt si quid aliud. scioq. cum vino ex cortice, & ligno satis leui plurimos optime curatos. Veruntamen Catapotia, quæ adeo iuuant præter ipsum lapidem recipiunt Agaricum, Polipodium, Epithimum, Elleborum, atq. Scammonium.* Fallopius scripsit. *Errat Fuchsius, quando ait, quod non est exhibendum per os, quia antiqui non exhibuere, nos autem habemus in officinis Pilulas de lapide Lazuli, & optimum sunt medicamentum.* Commendatur etiam à Cęsalpino, ab Anselmo Boetio, & ab alijs.

Quid agendum. His sic consideratis statuimus lapidem lazuli non vstum; vel fuerit lotus, vel non lotus, vt experimento multiplici agnoui, esse medicamentum blandum, benignum, & securum, sine vlla venenositate, vomitum, vel deiectionem sine vllo fastidio excitans. quod Vomitu pituitam crassam, viscidam, per inferiora melancholiam crassam, atramque, & fęculentum excrementum educat. proinde omnibus morbis melãcholicis prodest, nec non à crassa, viscidaq. pituita procedentibus.

Cuiusmodi sunt longa Cephalea, Vertigo, Mania, melancholia, Epilepsia, Incubus, Asthma, tremor Cordis, timor, lienis morbi, Hæmorrhoides, menstruorum retentio, Elephantiasis, scabies, lues Gallica, dolor Renum, Morphea, quam hoc sanatam vidi. præterea confert Quartanæ, & febribus melancholicis. immo etiam febribus pestilentialibus, & Pesti. *Floravantus.* Leonardus Floravantus suæ Chirurg. lib. 2. c. 127. *Vidi,* inquit, *Lapidem lazuli vomitum excitare, & sanare quartanam. Calcinaui in fornace Laterum, deinde aqua vitæ solui calcinatum, & solutione dicta multos morbos, & febres malignas curaui.*

Proponemus modo Dosim assumendam. *Quantum.* Mesue scripsit. eius dosim esse à drac. j. ad drac. ij. & semis. & Auic. a iiij. Karmet vsq: ad drac. ij. & semis. Brasauolus. *Dracmam, inquit, nunquam excessi, & semper profuit.*

Neoterici non loti dosim proponunt à drac. semis ad drac. j. vti Duncanus, Senertus, Brasauola. Gentilis, Morellus, Claudinus.

Ad scrup. iiij. Montagnana. ad drac. semis. Cardanus.

Loti autem à scrup. semis ad g. xv. Heurnius, Horstius. à drac. j. ad ij. Duncanus, Curtius, Gentilis, Claudinus, Cæsalpinus.

Ad drac. ij. & semis. Rondeletius, Morellus. sed qui non fuere experti, magis timidi fuere in præscribenda dosi.

Assumendi modum non videtur docere *Quomodo.* Mesues, sed solummodo ad roborandum cor in conf. alchermes. ad deijciendum autem aluum videtur excogitasse pilulas de Lapide Lazuli. sicut fecit pilulas de lapide Armeno, sed hæ pilulæ sunt in vsu, & maxime laudatæ, At recipiunt alia valida purgantia, & non sunt vomitoria; ideo ad nos nunc non spectant. qui vomitum machinamur. Cardanus. *Scio,* inquit, *cum vino ex cortice, & ligno satis leui plurimos optime curatos.* scilicet à gallica lue. & Brasauolus. *Præbui itaq. in pillulas conformatum in hunc modum. ℞. Lapidis lazuli præparati drac. j. camphoræ, anisi, cinnamomi, zinziberis, masticha. ana grana vj. misce, & cũ succo Saluiæ, vel Diacatholicone f. pilulæ quinque. Hæ enim exquisite eduxerunt, cum aliquibus dracmam j. exhibuerim, alijs scrup. ij. vt conuenire videbatur. Exhibui etiam alijs modis in puluerem redactum cum ijsdem corroborãtibus, in iure, quandoq. in aqua Borraginis; sed opus est, vt in tenuissimum puluerem redactus sit, ne ob sui grauitatem in patera fundum descendat. Posui quandoque prædictos pulueres in vuctam vnam conseruæ Borraginis, & deglutiendos præbui, vt Eclegmata deglutiuntur. Nonnunquam cuidam puellæ in ientaculi forma scrupulum vnum præbui, nonnunquam in placentula ex pasta, sed qui masticabant, semper dentibus puluerem habere arbitrabantur. Tamen si probe supra porphyrium lapidem, porphyrino pistillo contractetur, non persentitur, in Vino etiam odorato bibendum iussi, vt in Cretico, aut alio simili. Eisdem modis vsus sum lapide Armeno, & mirum in modum atram bilem educere percepi,* sed quia lotum vim vomitoriam amittit, quam nunc quærimus ideo nos ad vomitum excitandum non loto vtemur, neque vtemus, vt qui Mesuem non intelligunt, faciunt.

De Lathyride. Cap. CI.

PLanta à Græcis dicta *Lathyris*, differt à Lathyro, quæ cicercula à latinis dicitur. est autem Lathyris de genere Tithymallorum, & herba vndique lac profluens. quamobrem à multis Tithymallum dici, testantur Dioscorides, Galenus, Paulus. nunc à nostris dicitur Cataputia minor, insubres dicunt Catapozza teste Matthiolo, Siculi Cacapozzolo. Mesues vocauit Albemesuch idest granum Regium minus. vulgaris notitiæ est planta, a Dioscoride, Mattiolo, & ab alijs clarissime descripta.

Nomen.

Temperamentum. Eius Temperamentum non declarauit Galenus; sed dicens Tithymalorum facultates habere. quos valde calidos, & acres esse docuit. dicemus nos quoq; lathyridis temperamentum esse valde calidum; sed cum in eadem planta occurrant lac, folia, & semen, non licet dicere hæc tria esse eiusdem temperamenti, & Titymalorum quidem lac calidum in quarto posuit Galenus, & nos in eodem gradu lathyridis lac ponemus; sed folia priuata lacteo succo minoris esse caliditatis censeo, cum Galeno scribente, *secundum locum obtinent semina, & folia.* Auic. in lib. 2. ad 3. ponit gradum. Mesues confundens vno capite Ricinum, & Lathyridem, doctrinam confusam videtur nobis reliquisse, & egisse tantum de Ricino, (quem vocat *Granum Regium maius*, & *keruam*) ab ipso electo pro meliore. quem calidum, & siccum in tertio, & ex Hamech in principio tertij statuit. Auerroes 5. collig. c. 42. videtur appellasse *Magdeenam*. Serapio. c. 354. *Mendanam*, & inter cal. & sicca in 4. numerat. & Auic. c. 480. *Mebenbothene*, & calidam, & siccam in 3. statuit. sed errauit Platearius ponens. calid. in 3. & hum. in primo.

Gradum.

Differētię Dubitatur de speciebus Lathyridis, an vnica sit, quia Dios. Plinius, Galenus, vnicam tantum speciem docuerunt. plures tamen esse videntur; quia Auic. ait. *sumantur x. grana ex suis granis magnis, & xx. grana ex suis granis paruis*, & apud Serapionem ait Abugerig. *Mendena sunt duæ species, quæ habent folia longa, sicut digitus, laxant sicut lacticinia, & semen eius sicut semina eorum similiter.* ex Græcis Actuarius. *dantur grana eius maiora 15. minora vero 20.* Id repetit Gal. adscriptus libellus de Dinamidijs. vnde videtur esse lathyris maior, & minor. immo Tabernamõtanus, & Gerardus exibēt duas figuras Cataputiæ latifoliæ, & angustifoliæ, seu maioris, & minoris.

Vnum genus. His non obstantibus dico vnum tantum esse lathyridis genus, quod pro soli varietate, pinguedine terræ, & aquæ copia producit latiora, & maiora folia, & semina in terra verò siccioré adeunt folia, & semina minora: ita auctores citati iubent plus sumi de seminibus paruis. sed Cæsalpinus diligentissimus præceptor meus obseruauit aliud genus pusillum in asperis natum, quod etiam ego in cartis reseruatum habeo, nec speciem diuersam censeo, sed plantam ob terræ, & aquæ defectum tabefactam, chamelathyridem appello. Delecãpij lathyridem alteram non recipio pro vera specie.

Facultas. Quo ad Vires. ex Dioscoride, *semina trahunt bilem, pituitam, & aquas.* ex spurio Galeni libro ad Paternianum *Choleram rubram, & phlegma deponunt*, & alter Spurius Galeni liber de Catharticis habet. *lathyris purgatoria est phlegmatici humoris.* idem Auctor lib. de Dinamid. *purgat lathyris phlegma.* sic Mesue. *facit vomitum, solutionem laboriosam, & educit phlegma vehementer, & aliquando, choleram, & aquam citrinam.* sed Paulus lib. 7. c. 4. *lathyrides bilem purgant.* idem Plinius lib. 27. c. 11. idem Auerroes. sed Abix apud Serapionem, *laxat phlegma, & vtramque choleram, ac humores grossos*, & Rasis. *laxat, & prouocat Vomitum, & laxat choleram, & aquam citrinam.* Auic. *educit choleram, & phlegma.*

Amatus Lusitanus. *potentissime pituitam purgant, & illis rustici pro subducenda aluo frequentissime in Hispania, & Italia vtuntur.* Schuuenckfelt. *aluum purgant, bilem, pituitam, & mixtos humores.* Cæsalpinus, purgant per superiora, & inferiora, bilem flauam, & pituitam. qui abhorrent medicamenta sumunt. 9. grana à cortice mundata, bibuntq: ex aqua frigida: alij duo folia ex oleo, & aceto parata deuorant.

Purgatrix Multi auctores, ut Dios. Gal. Paulus, Aetius, Auerr. in vniuersum tantum de Lathyride loquuntur, quod sursum, & deorsum purget Pituitam crassam, bilem, & aquas. ac si fuerit medicamentum vniuersale ad omnes morbos à dictis humoribus pendentes. sed Plinius lib. 27. c. 11. in specie scripsit. *Hydropicos* sanare, & Alexander lib. 9. c. 1. *Anasarcam* scripsit, pulcre purgare lathyridem. Mesue, & Auic. *Sua solutione confert doloribus iuncturarum, & podagra, & sciaticæ. confert hydropisi, & colicæ.* Rasis. ad ictericiam, & ad Podagram. Abix apud Serapionem vtitur folijs decoctis ad ictericiam.

Galenus. Gal. 2. de Antid. c. vltimo. ad aquarum formidinem. *Lathyridis vnc. j. castorei. drac. tres, misce, & da drac. j. bibendam ex hemina Vini rosacei, vel Castorei drac. j. semis. lathyridis g. xx. misce, & da.* & Arnaldus. *Confert sanis pro conseruatione sanitatis, & datur etiam ægris ad ægritudinem remouendam, contra febrem quotidianam de phlegmate salso, ex quo generatur scabies.* & præ-

Claretum. scribit Claretum hoc. ex Lathyride, seu Cataputia contrita cum cinnamomo, galanga, & vino, ac melle, parum decoquit, & per sacculum destillat s. a. & exhibet delicatis patientibus feb. quotidianam, & subdit laxando expellere lumbricos. quod effecisse testatur Bouius, & testor ego de Verme, mira-

mirabilis longitudinis, ex quo longus capitis dolor aderat, & cur à Verme? non dicam modo. Bouius narrat in suo melampigo. se febre continua lenta febricitatem, & melancholia assumpsisse xv. grana lathyridis, ex v. coriandrorum saccaratorũ, & parum molestè supra, & infra fuisse euacuatum, & syrupis, ac Gratiola assumptis breui conualuisse. scribit autem se sanasse multos habentes apostemata in Ventriculo, & ex Lathyride, vel Gratiola, pus sursum, & deorsum eduxisse materiam peccantem. & in Fulmine dicit se exhibuisse in catarrho descendẽte ad pectus cum difficultate respirandi, & euacuato phlegmate viscido bene habuisse, & 4. die iterum dedisse, & sanasse. Mesue licet misceat Ricinum cum Lathyride, ambobus tamen videtur tribuere, vt conferant Colicæ, doloribus iuncturarum podagræ, sciaticæ, hydropisi; Mattiolus. *ijs vtiliter propinantur, qui philtra deuorarunt, aut alia veneficia, si quidem hæc efficaciter expellunt.* Schuuenckfelt. Paganorum, qui philtra, aut alia veneficia deuorarunt medicina, Verum Ventriculum valde lædit, & corpus debilitat. Pandectarius confudit cum Ricino, & de minori catapotia videtur velle, quod conferat Arteticæ, Paralisi, ad Quotidianam de flegmate salso, ad scabiem, ad Quotidianam de flegmate vitreo. & ad Itiacam. eadem verba leguntur in Platea no de simpl. med. c. 16. Ego autem dicam Lathyridem esse medicamentorum Vomitoriorum Regem, & omnibus, quæ hoc libro tradidi (secundum meam experientiam 60. annorum, quibus medicinam exerceo, & secundum experientiam Patris mei) esse præferendum: quia medicamentum expertus sum, verum, minime fallax, benignum, & facile paratu, ac tutissimum vsu ad omnes fere morbos, qui euacuatione sursum, & deorsum egent. Profectò Ioannes Lubera de Auila medicus inuictissimi Imperatoris Caroli V. libro de quatuor Morbis Curialium. scribit se didicisse vsum lathyridis à quodam Pharmacopœo Mediolanense, quod habebat pro secreto, & frequentissime vsum, tanta fœlicitate, vt Medici essent, qui pro eo secreto ipsi tribuere voluissent quatuor millia aureorum, nec ipsum vnquam aperire voluisse, tandem sensim id propalasse ad posterorum vtilitatẽ. Et ego id ipsum habui pro secreto à meo Patre, qui habuit à quodam Medico Hispano, qui eo multa miracula faciebat, millies lathyridem propinauit pater meus, & millies ego meis ægrotantibus. Sumpsit Pater meus, & curatus fuit ab Hemicranea, & Vertigine diuturna; Sumpsi ego decies, & meæ familiæ nullum aliud medicamentum exhibere soleo, in omnibus morbis. & si vellem mirabiles operationes per lathyridem factas à me, enarrare, magnum librum conficerem, sed nolo esse circulator, qui hisce meis verbis fidem non præstat, nec alijs credet. sanaut arteticos, Hydropicos, febres longas, Quartanas, affectus renum, obstructiones, Hemicranias, Paralisim, ictericiam, & multos alios morbos. dum eram iuuenis occurrit Anus Hepiala febricitans exteriora calidissima ipsa contremiscebat frigore interno: dedi lathyridem vomuit multam pituitam vitream. Vesperi sanata. aliàs vidi mulierẽ Seximenstri spatio in lecto decumbentem emaciatam, & languentem, dicebat se habere lapidem in ventriculo; vnde edere non poterat, & quod edebat, euomebat. desperatam à Medicis, vt mortuam recipi. exibui lathyridem, vomuit viscidissima, vt manibus trahi nequirent. præ labore iacebat, vt mortua, dormiuit, & expergefacta, dixit se esse liberatam ab eo lapide in Ventriculo, comedit, noctu dormiuit, nec vomuit, die sequenti bene se habebat, bene cibata fuit, tertia nocte expergefacta sensit in vtero pueri motum, & se prægnantem 6. mense cognouit, tempore debito puerum peperit. ita patet prægnantibus Vomitum non esse nocuum, neque etiam à Medicamento valido excitatum.

Sententia n. stra.

Ioannes Lubera.

Experimẽta.

Aliud.

His prænotatis. Dicemus nos Lathyridem esse medicamentum vomitorium validum quidem; sed tutum, si fuerit præparatum meo modo. Vnde Auctores, qui dicunt eius vsum non esse valde tutum, vt Fernelius, Cardanus, Fallopius, Tagautius in Mes. & alij intelligunt de male præparato. nec audiendi, qui lathyridem venenatam plantam prædicant, vt Arduinus, &c. quia nullum venenum, sed salutaris inest ei facultas. in summa dicimus vituperantes lathyridem esse inexpertos, eam non agnoscere, & cæcos non iudicare de colore. mihi credendum Medico rationali, atq; etiam quandoq; Empiricis Bouio, & Florauanti. ex omnibus his, quæ tradidi vomitorijs, Ego nulli magis fido, quam lathyridi.

Ergo lathyris medicamentum est euacnãs pituitam, bilem, & serosos humores, quandoq; etiam crassos, immo etiam lumbricos educens. omnibus morbis prodest. quibus purgatio sursum, & deorsum conuenit. dedimus morbis capitis, vt Cephaleæ, Hemicraneæ, Vertigini, Incubo, Apoplexiæ, Epilepsiæ, Paralisi, Comati, Ophthalmiæ, Surditati, Asthmati, Pleuriticis, Ventriculi repletioni, colicæ, Obstructioni Hepatis, lienis, renum, Vteri, Hydropicis, Artriticis, febribus pituitosis, Hepialæ, Tertianis, Quartanis, &c. morbo Gallico, & alijs morbis cutaneis.

Quo ad Dosim hic magna lis est. Dioscorides exhibet 7. vel 8. grana Galeni spurius de simpl. ad Patern. 7. vel 9. grana. Fernelius à 7. ad 11. Paulus lib. 7. c. 4. & cum eo Mes. à 7. ad 15. Auerroes. à x. ad xv. Mattiolus. à x. ad xij. Bouius xv. Plinius. xx.

Quantum.

Sed

Sed Aetius, Actuarius, & Gal. de Dinamidijs. grana maiora xv. minora xx. & Paulus lib. 3. c. 48. de Hydrope. ait, *Visus comprobauit lathyridis grana xx. aut xxx.* & Abix apud Serapionem dat seminum dracmas duas. nescio quo errore.

Contra Abengefit apud Serapionem inquit. *Secundum antiquos datur à granis septem ad quindecim, & est error, quia non debet dari de eo, nisi ab vno grano vsque ad duo, et secundum Modernos grana quinque.* Et Io. Tagautius in Mes. scripsit. Multis abunde grana tria, vel quatuor ventrem deijciunt, vt quotidiana Rusticorum experientia discitur. Quod si hæc vera sunt, subit admirari, quomodo Lathyridis, grana vicena in aqua pura, aut mulsa semel pota, hydropicos sanare quidam memoriæ prodiderunt, nimis enim excellere mihi hæc dosis videtur. sed falluntur cum hoc alij, vt mesperti: fortasse quia confundūt Cataputiam maiorem cum minore, Ricinum cum Lathyride, quia Ricini g. j. vel ij. sufficiunt, lathyridis xj. xv. xx. & xxx. quandoque dedi cum conferentia, & tollerantia. sed cum Aetio, Seligo grana maiora, & minora; & quidem minora debēt esse plura numero, vt æquent eandem quantitatem. sic considero an semini recentia, vel antiquiora, & plus exhibeo inueteratorum seminum. Cæsalp. ait cum Diosc. scribit. *grana 6. aut 7. exhiberi.* significat totidem fructus quibus singulis terna semina continentur. & Gal. 2. de Antid. c. vlt. mo. dat scru. ij alias g. ix.

Dubium.

Aliqui folia exhibent, & vulgus credit, quod folia auulsa sursum trahendo Vomitum prouocent, at deorsum trahendo, infra educant. aliqui decoquunt 2. vel tria folia cum Oleribus.

Folia.

Alij lac in ficubus excipiunt, & seruant, ego vsus sum semine. Quo ad præparandi modum. Dioscorides, *in Catapotio, aut cum ficis, aut palmulis deuorata; sed aqua frigida postea sorbenda.* Matthiolus, *tusa, et in ouo sorbili deuorata.* Plinius. *in aqua pura, aut mulsa sumuntur cum pisce, vel iure Gallinaceo, ne stomachum lædant.* Bonus dabat cum cinnamomo. vel decorticata semina, uel condita saccharo, uel contusa cum saccharo rosaceo, uel cum Coriandris semi coopertis. Galenus de simpl. ad Paternianum. aq. frigida superbibita. & 2. de Antid. c. ultimo. *Lathyridis vnc. j. Castorei drac. iij. misce, et da drac. j. bibendam ex hemina vini rosacei. vel Castorei drac. j. et semis, Lathyridis grana ix. misce, et da.*

Quomodo.

Platearius. Ad Quotidianam ex flegmate salso, & scabiem, inquit. *Conteratur Cataputia in magna quantitate, et postea folijs Caulium inuoluta sub cinere ponatur diu, vt bene coquatur: deinde extrahatur, et exprimatur, Oleum, quod effluit reseruetur, et cum necesse fuerit, ponatur in cibis patientis, vel aliquo alio modo, sic possunt multum decipi.*

Platearius

Ad idem fiat claretum hoc modo. *Cataputia contrita bene cum melle decoquantur, et cum tali Melle, et vino fiat Claretum. et nota, quod in xx. lib. Vini sufficit lib. 1. Cataputia, et ex vnc. semis Cataputia potest fieri Modiolum Clareti.*

In iure etiam P. [illegible], vel carnium, vel aliorum ciborum possunt poni Cataputiæ contrita. Commeste etiam valent multum, et sanis, et ægris prædictis modis data.

Herbarius uulgaris. ad idem. ℞. Cataputiæ contusæ cum speciebus i. Cinnamomo, Galanga) &c. coquantur cum Vino, & Melle, colentur s. a. & detur delicatis quotidianarijs. ita etiam datur Artriticis.

Item doloribus iliacis, ac Colicis detur Vinum decocta Cataputia. Confert etiam Paraliticis, & doloribus iuncturarum decocta Cataputia cum radicibus Esulæ, & herba Primula veris, ac melle despumato.

Puluis Cataputiæ cum Cinnamomo in Ouo sorbili. uel cum iure purgat humores pituitosos sine molestia.

Item ad educendam pituitam grana xv. lathyridis decorticata, misce cum Aloe Hepatico, & mastiche confice pilulas, educit per Vomitum bilem & serositates.

Platearius, & Pandectarius. Contra Quotidianam ex flegmate salso. Semina Amplicis, Rapæ radices lauentur in aqua feruenti *addita tertia parte vnciæ* (i. 8. scrup. quæ nimia dosis est melius tertia parte dracmæ, i. scrup. j. & est dosis conueniens) *Cataputia, et detur cum syrupo acetoso.*

Pandectarius.

Contra Quotidianam de flegmate Vitreo, Platearius, & Pandect. *Bulliat drac. j. in Vino fortissimo, et addatur tertia pars vnciæ.* (ego pono dracmæ) *Cataputiarum mundatarum à cortice, et postea coletur, colatura cum Oximelle detur.* quia multa est dosis Cataputiæ, oportet, ut etiam plures sint doses talis Vini. & fortasse erunt 8. 10. & 12. doses.

Iidem Auctores scribunt contra iliacam passionem. *bulliant in aqua radices fæniculi, et cassia lignea, et in illa aqua addatur tertia pars vnciæ,* (i. drac. ij. scrup. ij.) *Cataputia, et iniiciatur per clystere; præcedente clysteri tamen aliquo mollificatiuo.*

Item. Contra Arteticam, & Paralisim. *Dosis Benedicta simplicis cum vino hoc modo dactilato, et tertia parte vnius vnciæ cataputiæ detur.* & hic etiam concedo tertiam partē dracmæ.

Ad præseruationem sanitatis fructus Cataputiæ viridis si potest haberi, bene mundati, & contriti, cum ouo mixti in tussello ponantur sine molestia purgant. Vel Cataputiæ bene mundatæ cum Esula ponatur in vino, & dentur, addito Cinnamomo, et alijs speciebus odoriferis.

Ad Vomitum prouocandum, si materia fuerit frigida in ore stomachi, & in sanis, & ægris cataputiæ bene contritæ cum Oleo Sicionio conficiantur, et super os stomachi ponantur, uomitum prouocant.

De folijs. Fernelius ait. Vulgus tria, quatuorue

Foliorum Vsus. tuorue folia ex pingui iure cum oleribus coquit, sed prius Diosc. scripserat. *Cum Gallinaceo, aut Oleribus folia decoquunt, ad eosdem affectus.*

Cardanus lib. de Dentib. Deuorata pauca folia huius herbæ mortem, aut noxam insanabilem iecori cum malo habitu perpetuo inferunt. Sed Deus huic periculo succurrit; nam coctione uenena mitigantur, si cũ mitioribus iunguntur.

Succus. De succo Dioscorides. Tithymali modo exceptus eundem effectum præbet.

Herbarius vulgaris. Ad febrem quotidianam à pituita salsa, ad scabiem, lepram, lumbricos. ℞. Cataputiæ, scabiosæ, fumariæ, an. m. j. rad. Esulæ minor. Polipodij. an. vnc. semis. Cuscutæ, foliorum Senæ, an. drac. ij. bulliant in aqua, & colentur. adde parum mellis despumati fiat Sy. & erit digestiuus, & laxatiuus.

An purgent semina integra plus quam contusa. Restat definiendum, an hæc semina efficacius purgent integra deglutita, an contrita. Paulus lib. 7. c. 4. Galenus de Dinamidijs, & Actuarius vnanimiter scribunt. *ijs, qui efficacius purgari cupiunt mandenda præcipito; ijs vero, qui deiectionem non desiderant copiosam iubendum est, vt integra deuorent, præsertim si qui sumit, malo fuerit stomacho;* ita etiam Auerroes. *Qui habent,* inquit, *ventrem fortem masticent ista grana, & qui habent debilem degluti ant integra.*

Contradictio. Contra Plinius ait. *Qui vehementius purgari volunt cum folliculis ipsis sumunt ea.*

Certum autem est semina integra deuorata difficillime concoqui, & reagere posse, ob durissimum corticem, unde parum, uel nihil corpus mouebitur. Vidimus feles deuorantes semina Melonum, nec coxisse, sed excreta germinasse, ut ossa Persicorum à Canibus, & semina Visci à Turdis. vnde minime credo ijs, qui integra semina cum corticibus duris assumenda censent. sed Paulum censeo uelle semina decorticata, & integra deuoranda sine cortice tamen exteriore griseo. sciendum autem quod masticatione, uis uomitoria citius, & fortius reducitur ad actum, lingua. & Oesophagus illiniuntur ea, & uomitus per os Ventriculi, & Oesophagum actuatur. integra autem immissa ad fundum ventriculi, potius secessum, quam Vomitum proritant. sic, qui habent debile os ventriculi à leui causa nauseant, & uomunt; ideo integra, & minus efficacia deuorēt, qui uero habent fortem uentriculum, qui non leui causa uomat, debent semina mandere, ut uis expulsiua excitetur.

Plinius explicatus. Plinius uero loquitur de seminibus cum folliculis duris, qui folliculi, & ipsi habent uim emeticam, ut cæteræ plantæ partes. sic uoluit quod semina cum folliculis mansa sint ualidiora, ob folliculos, quod si integra cum folliculis deuorarentur, ut supra dixi, nil penitus in corpore efficerent.

Bouij præparatio. Sed referamus Bouij præparationem, quã refert Flagel. pag. 715. *Quando floret, uro, & exprimo, ad umbram sicco. dosis à scrup. semis ad drac. semis in iure quotidie pro Syrupo ad morbum Gallicum.* deinde refert sic. Accidit Amico meo. ut furnum calefaceret hac herba sicca, & etiam eius fasciculo furnum à cineribus purgaret. & panis in furno coctus aluum purgauit omnibus, qui eo pane usi fuere.

Et hactenus audiuistis, quæ scripserint alij, modo debetis me audire experta per tot annos scribētem. & magnum meum hucusque secretum: quod Pater meus nulli reuelare volebat.

Præparatio nostra secreta. Lathyridis semina decortico 9. 11. 13. 15. 17. 21. & si semina sunt maiora, & adulta, panciora, si parua, & male educata, aut uetera plura sumo, & quando matura semina à planta colligo, remanent uegetiora, & pinguiora, quando autem in planta siccantur, reperiuntur minora, & macra. considerandæ autem erunt Aetas. complexio, assuetudo, ac facilitas ad Vomitum, morbi essentia, locus affectus, materiæ copia, & qualitas, ut alibi scripsi. rarissime autem ad 30. ascendi.

Decorticata semina bene tero in Mortariolo ex stanno optimo, & pistillo uitreo. ne ex Aere, aut alio metallo aliquam uenenositatem sibi asciscat, & pater meus dicebat stamnum esse eius correctiuum, & in nullo alio mortariolo hanc medicinã esse terendã. *Cautio.*

Tusis seminibus addo cinnamomi contusi tantundem, & bene misceo. hoc medicamentum non debet diutius seruari præparatum. nec vltra hebdomadam, ne semina oleosa contusa rancida fiant. ut solet fieri in Amigdalis. pineis, auellanis, et nucibus contusis, et relentatis. quia semina rancida possent acquirere uenenositatem. ut refert ea inter Venena a. Auic. lib. 4. fen. 6. tract. 1. c. 30. interim.

Coquo Ouum recens, ut fiat sorbile paucissimo calore : ut ouum sudore incipiat, frango corticem separo albumen, et in oui uitello impono medicamentum deglutito medicamento, propino Aquæ frigidæ vnc. ij. vel iij. post horam nausea excitatur, inde Vomitus, prius pituitosorum, deinde biliosorum. cum incipit aluus deijcere cessat uomitus. aliquando solus succedit uomitus, aliquando sola alui deiectio, aliquãdo, & sæpius, utrumq; Si superfluit uomitus, ego exhibeo deuorandum panis frustulum igne torrefactum, et uino optimo madefactum, ita roborato uentriculo sistitur uomitus. itaque in mea uoluntate semper fuit uomitus, ut sisterem, quando uellem. et hic est uerus modus exhibendi grana lathyridis sine ullo periculo hucusque mihi pro secreto seruatus.

Irrisio aliorum. Quod autem multi inter uenena Cataputiam minorem reponant, et Medici eam timeant, accidit ex pauco usu, et inexperientia lathyridis, uel non debita præparatione,

nec

nec omnibus requisitis ad conuenientem purgationem, licet enim optimum fuerit medicamentum, & optime præparatum, non sufficit, nisi adfuerit indicans, & permittens. Rasis 20. continentis c. 2. auctoritate Masferinei. ait, *Catapucia minor interficit propter multum fluxum*, (ego dico esse falsum) *Et cura eius est lac, butyrum, & iura vnctuosa*, & hic quoque decipitur, quia si ob multum fluxum interficeret, ille fluxus fieret à relaxatione intestinorum, & pinguia magis relaxant, conuenirent autem, si adesset medicamentum acre, salsum, corrosiuum. sed ex Gal. lathyridis semina sunt dulcia, & fallitur Arduinus lib. 3. de Ven. c. 19. dicens adesse caliditatem, & siccitatem mordicatiuam, & vlceratiuam, quia hæc nunquam ego obseruaui. Albucasis 2. particula Azarauij. tr. 2. c. de Catapuria minore. Curatio eius excessus est, quod decidatur cum ijs, quæ diximus in reliquis laxatiuis. sic Petrus de Abano tract. de Ven. ille, qui comedent Catapuriam patietur accidentia, quæ paritur, qui biberit girasolem. Et cura eius, & Bezoat sunt similia. sed isti scribunt de re, quã non sunt experti, & tanquam Cæci ab alijs Cæcis ducuntur, & nos dicemus si Cæcus Cæcum ducit, & ambo cadunt in foueam.

Erratũ Scriptorũ.

Lehibach. Cap. CII.

AVic. lib. 2. c. 432. loquitur de Lehibach. & Bellunensis scribit Lahaic, quid autem sit, neque apud Pandectarium, neque apud alios Arabes expositores inuenire potui, sed quia Auic. inter virtute vomitoria ponit, cogimur eius verba hic transcribere. ait igitur. *Lehibacb quid est? Est arbor rara habens Rosas boni odoris, quam Apes pascuntur, & videtur quod sit arbor, quæ nominatur Farara. quamuis illud non vere scio. Et eius quidem virtus est proportionalis prassio, veruntamen est debilior ipso, & est lacticinium. Natura est calida, & sicca in secundo, & dicitur, quod est calida, & sicca vsq; ad quartum. Operationes; & proprietates. Quum proijcitur ex lacte eius in gurgite piscium aliquid super aquam, eleuat eos. Membra nutrimenti. Facit virtuose vomere, Membra expulsionis. Soluendo educit aquam.* difficile erit nobis hanc plantam cognoscere, quia Auic. fatetur se non vere scire, quomodo appelletur. erit ergo, vel planta Antiquis scriptoribus nota, vel ignota. si nota, erit aliqua lac generans, & species Tithymali, sed nullum horum genus producit Rosas, seu flores odoratos, quibus Apes vescantur, & occidat pisces eius lac.

Obscuritas.

Planta incognita.

De Libanotide. Cap. CIII.

LIbanotidem interpretes vertunt Rosmarinum, quæ planta multiplex est, apud Dioscoridem quidem triplex. alterum coronarium, alterum vero dictum fæcũdum, quod fert semen, vel rotundum, vel latum, & tertium sterile, sed nullum ex his habet facultatem purgandi. Quarta vero Libanotidis species purgatiua dicitur, quę Dioscondi ignota fuisse videtur, namque citat Theophrastum scribentem de ea. *Rosmarinum cum Erica nasci, folijs lactuca siluestris amaræ asperioribus, candidioribusq; radice breui. Theophrastus auctor est: potuq; id ipsum alterutra parte purgare.* certe Theophrastus duplex Libanotidis genus fecit, fæcundum, & sterile, vti postea Dioscorides. sed in descriptione sterilis à Theophrasto dissentit Dios. tamen voluit Theophrast. descriptionem afferre. qui lib. 9. de Hist. Plant. c. x. ait. *Rosmarinum, tam infernus, quam superius extrahere posse, seu Elaterium nequaquam absonum dixeris*, & cap. 12. ait. *Sterile illud folio lactuca amaræ constat, sed, scabriori, candidiorique, radice breui. Nascitur id quoque prædicto sole vberrime* (f. solo squallido, & saxoso) *Radix partim superius, partim inferius purgat. quod enim germen versus consistit, superius purgat. quod terram versus, inferius.* si Dioscorides ignorauit libanotidem sterilem Theophrasti, & aliam descripsit minime purgantem. & nos quoq; ignorabimus, certe libanotis sterilis Dioscoridis, neq; caulem, neq; semen, neq; florem profert. & talis etiam erit libanotis sterilis Theoph. sed Libanotis Dios. est similis Libanotidi fæcundæ, quæ habet folia fœniculi crassiora, & laxiora, in rotæ speciem humi sparsa. At Teophrasti libanotis est foliolactucæ amaræ, sed scabriori, & candidiori. Tabernamontanus, pro libanotide sterili Theophrasti plantam videtur proponere, quam Columna Sonchum montanũ purpureum, & Bauhinus lactucam montanam purpureo cæruleam maiorem vocat. nobis sat sit sciuisse, quæ Theoph. scripsit. Errauit autem Cardanus lib. 3. de Dentibus parte 3. c. 14. dicens Rosmarini radicis partem superiorem esse Vomitoriam, esse odoratam, & dari ad drac. ij. quia confundit Rosmarinũ coronariũ, cum libanotide, seu Rosmarino Theoph. nec habet auctorem, qui eius dosim descri- bat.

Libanotis purgans.

Dioscorides nõ conuenit cum Theoph.

Libanotis recẽtiorũ.

De

De Magnete Lapide. Cap. CIV.

Nomen. Lapis Magnes, dicitur, Heracleus, & Herculeus, ac Syderitis, nunc vulgus Calamitam vocat. Quinque genera Plinius recensuit Aethiopicum, Magnesiacum, Boeti- *Natale.* cum, Alexandrinum, et Asiaticum, nunc etiam reperitur in Hispania, in Germania, & in Italia prope Viterbium, & in Ilua insula.

Haud equidem hoc loco tempus teram in describendis optimi Magnetis qualitatibus, & mirabilibus eius facultatibus, legantur Andreas Cæsalpinus, Agricola, Anselmus Boetius, & alij.

An sit Emeticus. Quærendum à me est, an lapis Magnes deuoratus habeat vim vomitoriam.

Videtur negandum, quia Galenus eius mentionem non fecit, immo contrarium asseruit. 9. de simpl. med. fac scribens. Magnes *adsimilem hæmatitæ vim obtinet*. sed Hæmatites omnium consensu adstringit. ergo, & Magnes astringet, non autem expultricem irritabit. Respondere quis posset. Magnetē vstum adsimilem Hæmatitæ vim obtinere. quia iam teste Dioscoride Magnes vstus pro Hæmatite vendebatur.

Secundo. Plinius ad ocularia medicamēta vsui esse scribit, nec retulit ad purgandum assumi.

Tertio. Petrus de Abano, & Ardoinus Magnetem inter venena reponunt, nec ab eius assumptione Vomitum, vel alui deiectionem succedere scribunt. sed contra ad eius venenum expellendum præscribūt Vomitum, Clysteres, & medicamenta solutiua. sed Respōdendum hos scripsisse potius, quæ somniabant, quam quæ experta erant. quia nec Græci, nec Auic. Magnetem inter Venena connumerarunt, immo Auic. ad limaturam ferri assumptam, præbet Magnetem *Ardoinus falsus.* pro Bezoartico. & Ardoinus falso citat Mesarugie apud Serapionem, quod dixerit Magnetem esse valde sicc. ū. ideo Venenum, quia loquitur de valde calcinato. & de crudo ait. *Est bonus illi, qui tran glutiuit acum, aut ferrum aliquod, & ei qui habet fluxum ventris, eo quod sumpsit scoriam ferri.* deinde subdit, *& quando aliquis vulneratur cum ferro venenato, & teritur iste lapis, & miscetur cum aliquibus vnguentis, & datur de puluere eius vulnerato in potu, facit ab eo* *Magnes deijcit.* *venenum, vel toxicum egredi per secessum, & si puluerizetur supra vulnus venenatum curat ipsum.*

Garcias ab horto ait lib. Aromatū. c. 55. Magnes deleterius non est, quod nonnulli voluerunt. Nam tradunt huius regionis incolæ, Magnetem, pauca quantitate sumptum adolescentiam conseruare. Qua de re fertur senior Rex Zeilam patinas ex Magnete iussisse confici in quibus cibus eius coquatur.

Sed Magnetem habere vim deiectoriam habemus ex Dioscoride. *Datur cum aqua mulsa trium obolorum pondere, vt crassos humores eliciat.* idem refert Auicenna scribens, *educit solutione humorem grossum malum.* addit Boetius, *humores melancholicos.* & nonnullos cum mulsa exhibitum Hydropicos sanare, retulisse. scilicet Euax, & Albertus tales fuere.

Contra vanum esse dicendum, quod retulit Anselmus Boetius inquiens. *Nonnulli ore detentum lunaticos, & melancholicos homines efficere tradunt, ac puluerem ipsius sex granorum cū sepo serpentis, et succo vrticæ alicui in potu oblatum, eum ita dementare, vt ex patria sua, vel habitatione fugere cogatur*, vanum, itaque est, quia non sex grana: sed triginta dabat Dioscorides ad purgandos humores crassos. nisi dicere voluerimus, cum demone aliquod esse pactum, vt talis simmetria, talem dementiam pariat. Sed alios auctores legi, vim Vomitoriā Magneti tribuentes. Statuendum à nobis est, Magnetem vim habere vomitoriam, & deiectoriam, & educere crassos humores pituitosos, & melancholicos cum maxima difficultate, & esse medicamentum à paucis *Quid agendum.* vsitatum; vnde eo derelicto alijs vtemur vomitorijs securioribus, licet Hydropicis vtile dicatur. & vulneratis. Eius Dosim scribit *Quantum* Dioscorides fuisse trium obolorum. seu scrup. j. & semis.

Dabat cum aqua Mulsa. Dioscorides. *Quomodo.*

De Mandragora. Cap. CV.

Mandragoræ nomen notissimum, eius duæ species à Diosc. Mattiolo, & alijs descriptæ: item etiam notissimæ sunt, vt nostra descriptione non egeant. 3. species a Dioscoride allata adhuc incognita est. hæ tamē tres mandragoræ caulem non proferunt. sed alia est Theophrasti Mandragora, nam 6. de *Differētię.* Hist. plant. c. 2. Mandragoræ caulē assignauit. ac in Cicuta elleboro, albuco. & subdit. *Fructus Mandragoræ peculiaris, quiniger racematus vinosusq: suo sapore sentitur.* Profecto Admirabilis Peruuiana. quam Doctissimus Andreas Cæsalpinus Præceptor meus censuit Mandragoram Theophrasti, non habet fructus racematos, nec vinoso sapore; sed singulares. & duros, vt ex ipsis contusis nullus succus extrahi possit, mandragora autem habere debet baccas. Hermolaus corrigit Theodo- *Difficultas* rum, & non racematum; sed effigie oui legendum. quare dissentio à præceptore, nec assentior Dominico Vignæ lectori Pisano. cum Cæsalpino semisentiente. nec tamen adhæreo Anguillaræ, Guillandino, Dodoneoque sentientibus solanum maius Matti. bacca nigra, vinosa, esse Theoph. Mandragorā. quia non est planta somnifera; sed deliria, & vigilias faciens.

Sed quicquid sit de alijs Mandragoris, quæ-

quæramus nos vires Mandragoræ vulgaris maris, & fœminæ dictæ.

Primo Dioscorides Mandragoram ab aliquibus Circeam vocari, *quoniam videatur radix ad amatoria conducere*, & Theophrastus 9. Hist. Pl. c. x. scripsit dari ad amores. Verum non sine aliqua superstitione, quia Circes, superstitiosis vtebatur artibus ad amores inducendos. ita hanc radicem non sine superstitione colligendam antiqui retulerunt; vnde Theph. lib. 9. de Hist. Plant. c. 9. *Mandragoram quoque ense ter circumscribere iubent. & alterum secidere ad occasum spectando. Alterum circumsaltare, plurimaque de re venerea dicere.* Plin. lib. 25. c. 13. ait. *Cauent effossuri contrarium ventum, & tribus circulis ante gladio circumscribunt, postea fodiunt ad occasum spectantes.* Ego pluries effodi Mãdragoras, vt in meum Hortum transferrem, aliás ex vna parte Horti, vt in aliam collocarem, nullum attulit nocumentum, nec planta emortua est, forte hæ ceremoniæ, & aliæ requiruntur, vt Mandragora ad Veneficia amatoria conferat; audiuit Matthiolus, & censuit occasionem fuisse sumptam à Flauio Iosepho de bello Iudaico, de Radice Baraas, quam superstitione effodi scripsit, vt circumfossæ radici corda aliqua religant canem, qui abire volens radicem euellit, & moritur. sed Ego aliam Historiam de Radice Mandragoræ referam, mihi iuramento narratam ab Archiepiscopo Græco Peloponensi. qui habebat Monachum magno prætio Mandragoræ radices vendentem. Accidit autem, vt noctu duo Turcarum cadauera in Græcorum Cæmeterium ascensis muris fuissent imposita. Archiepiscopus id cernens oportebat, vt Turcarum Duci referret. is autem aditurus Turcam timens de sua vita (vt mihi referebat) peccatorũ confessione, & Sanctissimæ Eucharistiæ assumptione se præparauerat, sed Monachus occurrens obtulit illi Mandragoræ radicem. qua dicebat ipsum forè tutum, & omnem gratiam à Turca esse accepturum. assumpsit bonus Archiepiscopus præ metu, & miscuit sacra profanis. accessit ad Turcam, & amantissime ab eo receptus fuit, ac domum reuersus omnem gratiam Mandragoræ referebat. ita volebat cum Monacho Montẽ adire ad colligendas Mandragoras, tandem cum Monacho, & quodam Turcha amico Archiepiscopus Montem adiuit. tunc Monachus attulerat secum canem nigrum, & confecerat cordam ex pilis caudæ Mulæ, vt circumfossa radice, & corda alligata radici, & cani, succederat eius superstitiosa euulsio. Interim psalmos inuersos perlegere incipiente Aer obnubilatus fuit grandines, Ventus, tonitrua, fulgura plurima adfuere, & maxima tempestas oborta fuit, Archiepiscopus, & Turca hoc videntes, timore magno perciti aufugerunt, & domum reuersi fuere, post duas horas reuersus fuit Monachus ilaris ob multas Mandragoras erutas, tunc Archiepiscopus conuocans omnibus Monachis ipsum Monachum Madragorantem publice excommunicauit, tanquam superstitiosum Veneficum, & peruersum. tunc Monachus atrocem excommunicationem pertimescens coram omnibus Monachis plurima peccata sua confessus veniam petiuit suorum peccatorum, cuius misertus Archiepiscopus, absoluit eũ, & Mãdragoræ crematæ fuerũt; maximo edito strepitu: itaque Mandragora per se non habet, vt eam gerentibus gratiam cum omnibus, etiam alias inimicis, conciliet. sed à pacto cum Dæmone, mediantibus superstitiosis quibusdam verbis, ac cæremonijs.

Collectio. *Irrisio.* *Historia.* *Coniuratio.*

2. Creditur Mandragora vim habere efficiendi, vt Mulieres steriles concipiant. Hinc Rasis lib. 24. contin. c. 835. *Et vidi Mulierem,* inquit, *radicem eius bibere ad impregnandum, & effici exinde in dispositione illius, qui ingreditur balneum, aut bibat vinum abundans in rubedine, & inflatione faciei.* igitur eiu Mandragoræ non fuit fæcunda facta Mulier, sed facies fuit inflata, inflammata, & rubefacta, veluti ac si multum Vinum bibisset, uel calens balneũ ingressa fuisset. certe vulgi opinio est talem vim fortitam esse Mandragoram: vnde Leuinius Lemnius lib. de Herbis Bibliæ cap. 2. *Caterum,* inquit, *an Mandragora fæcundandi vim mulieribus conferat, atq; vtero retinendi seminis efficaciam conciliet, in dubium vocari posset.*

An Mandragora ad sterilitatem.

Et contra primo est, quod cum soporifero effectu prædita sit, & impense frigida, hæc qualitas ad tale quid præstandum prorsus inefficax censeri solet, & inidonea.

Negatur.

Sed hac ratione Leuinius lemnius in Herbarum Bibliæ explicatione c. 2. dixit posse censet. *Vt in frigidis humidisque regionibus. atq. in vtero humecto, & algido tale quiddam perficere nequeat; sed in torrido, æstuantique, & exusto. Sic in Aphrica, Hispania, Iudæa, Mauritania, Numidia, Aegypto; in quibus ferè regionibus, mulieres adustos arentesq; habent vteros, ac feruidos, tum squallidos, ac frigosos; non incommode hoc pomum adhiberi posse crediderim. Si quidem eius esu corpus ad temperiem reduci posse existimo, cum post amplexum, & congressum maritalem soluto in somnum corpore, vterus retinendi vim seminis asciscat, nec id in fumos, ac fuliginem euanescat, vt in calido, atq: æstuante vtero assolet in quo vtriusq; fœmina minus coalescunt, aut vniuntur sublata omni posteritatis spe. Quod multis vsu venisse obseruatu etiam in Belgica, quæ ob plus satis calidam vteri intemperiem effœta exuiterunt, tametsi mariti sedulo illis suam operam præstarent; suoq: officio alacriter fungerentur; quia & viri ex frequenti illorum concubitu aliquando pudendarum partium vitia contrabunt à salsuginosa atq: acri mordacique vligine, quæ genitali virus infert, ac contagione inficit. Huiusmodi mulieribus, quæ ferè sunt indomita libidinis ob ignitos, vrentesque locos, poma Mandragora inoffensè, immo magno commodo exhiberi possunt* cum

Lemnij solutio.

De Magnete Lapide, Cap. CIV.

Nomen. LApis Magnes, dicitur, Heracleus, & Herculeus, ac Syderitis, nunc vulgus Calamitam vocat. Quinque genera Plinius recensuit Aethiopicum, Magnesiacum, Boeticum, Alexandrinum, et Asiaticum, nunc *Natale.* etiam reperitur in Hispania, in Germania, & in Italia prope Viterbium, & in Ilua insula.

Haud equidem hoc loco tempus teram in describendis optimi Magnetis qualitatibus, & mirabilibus eius facultatibus, legantur Andreas Cæsalpinus, Agricola, Anselmus Boetius, & alij.

An sit Emeticus. Quærendum à me est, an lapis Magnes deuoratus habeat vim vomitoriam.

Videtur negandum, quia Galenus eius mentionem non fecit, immo contrarium asseruit. 9. de simpl. med. fac scribens. Magnes *adsimilem hæmatitæ vim obtinet*. sed Hæmatites omnium consensu adstringit, ergo, & Magnes astringet, non autem expultricem irritabit. Respondere quis posset. Magnetē vstum adsimilem Hæmatitæ vim obtinere. quia iam teste Dioscoride Magnes vstus pro Hæmatite vendebatur.

Secundo. Plinius ad ocularia medicamēta vsui esse scribit, nec retulit ad purgandum assumi.

Tertio, Petrus de Abano, & Ardoinus Magnetem inter venena reponunt, nec ab eius assumptione Vomitum, vel alui deiectionem succedere scribunt. sed contra ad eius venenum expellendum præscribūt Vomitum, Clysteres, & medicamenta solutiua. sed Respōdendum hos scripsisse potius, quæ somniabant, quam quæ experti erant. quia nec Græci, nec Auic. Magnetem inter Venena connumerarunt, immo Auic. ad limaturam ferri assumptam, præbet Magnetem *Arduinus falsus.* pro Bezoartico. & Arduinus falso citat Mesarugie apud Serapionem, quod dixerit Magnetem esse valde siccū. ideo Venenum, quia loquitur de valde calcinato. & de crudo ait. *Est bonus illi, qui transglutiuit acum, aut ferrum aliquod, & ei qui habet fluxum ventris, eo quod sumpsit scoriam ferri*. deinde subdit, *& quando aliquis vulneratur cum ferro venenato, & teritur iste lapis, & miscetur cum aliquibus unguentis, & datur de puluere eius vulnerato in potu, facit ab eo* *Magnes deijcit.* *venenum, vel toxicum egredi per secessum, & si pulverizetur supra vulnus venenatum curat ipsum.*

Garcias ab horto ait lib. Aromatū. c. 55. Magnes deleterius non est, quod nonnulli voluerunt. Nam tradunt huius regionis incolæ, Magnetem, pauca quantitate sumptum adolescentiam conseruare. Qua de re fertur senior Rex Zeilam patinas ex Magnete iussisse confici in quibus cibus eius coqueretur.

Sed Magnetem habere vim deiectoriam habemus ex Dioscoride. *Datur cum aqua mulsa trium obolorum pondere, vt crassos humores eliciat.* idem refert Auicenna scribens, *educit solutione humorem grossum malum.* addit Boetius, *humores melancholicos*, & nonnullos cum mulsa exhibitum Hydropicos sanare, retulisse. scilicet Euax, & Albertus tales fuere.

Contra vanum esse dicendum, quod retulit Anselmus Boetius inquiens. *Nonnulli ore detentum lunaticos, & melancholicos homines efficere tradunt, ac puluerem ipsius sex granorum cū sepo serpentis, et succo urticæ alicui in potu oblatum, eum ita dementare, vt ex patria sua, vel habitatione fugere cogatur.* vanum, itaque est, quia non sex grana: sed triginta dabat Dioscorides ad purgandos humores crassos. nisi dicere voluerimus, cum demone aliquod esse pactum, vt talis simmetria, talem dementiam pariat, Sed alios auctores legi, uim Vomitoriā Magneti tribuentes. Statuendum à nobis est, Magnetem uim habere vomitoriam, & deiectoriam, & educere crassos humores pituitosos, & melancholicos cum maxima *Quid agēdum.* difficultate, & esse medicamentum à paucis vsitatum; vnde eo derelicto alijs vtemur vomitorijs securioribus, licet Hydropicis vtile dicatur. & vulneratis. Eius Dosim scribit *Quantum* Dioscorides fuisse trium obolorum, seu scrup. j. & semis.

Dabat cum aqua Mulsa. Dioscorides. *Quomodo.*

De Mandragora. Cap. CV.

MAndragoræ nomen notissimum, eius duæ species à Diosc. Mattiolo, & alijs descriptæ: item etiam notissimæ sunt, vt nostra descriptione non egeant. 3. species a Dioscoride allata adhuc incognita est. hæ tamē tres mandragoræ caulem non proferunt. sed alia est Theophrasti Mandragora, nam 6. de *Differētię.* Hist. plant. c. 2. Mandragoræ caulē assignauit, ac in Cicuta elleboro, albuco, & subdit: *Fructus Mandragoræ peculiaris, quiniger racematus vinosusq: suo sapore sentitur.* Profecto Admirabilis Peruuiana, quam Doctissimus Andreas Cæsalpinus Præceptor meus censuit Mandragoram Theophrasti, non habet fructus racematos, nec vinoso sapore; sed singulares, & duros, vt ex ipsis contusis nullus succus extrahi possit, mandragora autem habere debet baccas. Hermolaus corrigit Theodo- *Difficultas* rum, & non racematum; sed effigie oui legendum. quare dissentio a præceptore, nec assentior Dominico Vignæ lectori Pisano. cum Cæsalpino semisentiente. nec tamen adhæreo Anguillaræ, Guillandino, Dodonęoque sentientibus solanum maius Matti. bacca nigra, vinosa, esse Theoph. Mandragorā. quia non est planta somnifera; sed deliria, & vigilias faciens.

Sed quicquid sit de alijs Mandragoris,

quæ-

quæramus nos vires Mandragoræ vulgaris maris, & fœminæ dictæ.

Primo Dioscorides Mandragoram ab aliquibus Circeam vocari, *quoniam videatur radix ad amatoria conducere*, & Theophrastus 9. *Collectio.* Hist. Pl. c. x. scripsit dari ad amores. Verum non sine aliqua superstitione, quia Circes, superstitiosis vtebatur artibus ad amores inducendos. ita hanc radicem non sine superstitione colligendam antiqui retulerunt; vnde Theph. lib. 9. de Hist. Plant. c. 9. *Mandragoram quoque ense ter circumscribere iubent. & alterum succidere ad occasum spectando. Alterum circumsaltare, plurimaque de re venerea dicere.* Plin. lib. 25. c. 12. ait. *Cauent effossuri contrarium ventum, & tribus circulis ante gladio circumscribunt, postea fodiunt ad occasum spectantes.* Ego *Irrisio.* pluries effodi Mādragoras, vt in meum Hortum transferem, aliàs ex vna parte Horti, vt in aliam collocarem, nullum attulit nocumentum, nec planta emortua est, forte hæ ceremoniæ, & aliæ requiruntur, vt Mandragora ad Veneficia amatoria conferat; audiuit Mattiolus, & censuit occasionem fuisse sumptam à Flauio Iosepho de bello Iudaico, de Radice Baraas, quam superstitione effodi scripsit, vt circumfossæ radici corda aliqua religant canem, qui abire volens radicem euellit, & moritur. sed Ego aliam Historiam de Radice Mandragoræ referam, *Historia.* mihi iuramento narratam ab Archiepiscopo Græco Peloponensi. qui habebat Monachum magno prætio Mandragoræ radices vendentem. Accidit autem, vt noctu duo Turcarum cadauera in Græcorum Cæmeterium ascensis muris fuissent imposita. Archiepiscopus id cernens oportebat, vt Turcarum Duci referret. is autem aditurus Turcam timens de sua vita (vt mihi referebat) peccatorū confessione, & Sanctissimæ Eucharistiæ assumptione se præparauerat, sed Monachus occurrens obtulit illi Mandragoræ radicem, qua dicebat ipsum forè tutum, & omnem gratiam à Turca esse accepturum. assumpsit bonus Archiepiscopus præ metu, & miscuit sacra profanis: accessit ad Turcam, & amantissime ab eo receptus fuit, ac domum reuersus omnem gratiam Mandragoræ referebat. ita volebat cum Mo- *Coniuratio.* nacho Montē adire ad colligendas Mandragoras, tandem cum Monacho, & quodam Turcha amico Archiepiscopus Montem adiuit. tunc Monachus attulerat secum canem nigrum, & confecerat cordam ex pilis caudæ Mulæ, vt circumfossa radice, & corda alligata radici, & cani, succederat eius superstitiosa euulsio. Interim psalmos inuersos perlegere incipiente Aer obnubilatus fuit grandines, Ventus, tonitrua, fulgura plurima adfuere, & maxima tempestas oborta fuit, Archiepiscopus, & Turca hoc videntes, timore magno perciti aufugerunt, & domum reuersi fuere, post duas horas reuersus fuit Monachus ilaris ob multas Mandragoras erutas, tunc Archiepiscopus conuocatis omnibus Monachis ipsum Monachum Madragorantem publice excommunicauit, tanquam superstitiosum Veneficum, & peruersum. tunc Monachus atrocem excommunicationem pertimescens coram omnibus Monachis plurima peccata sua confessus veniam petiuit suorum peccatorum, cuius misertus Archiepiscopus, absoluit eū, & Mādragoræ crematæ fuerūt; maximo edito strepitu: itaque Mandragora per se non habet, vt eam gerentibus gratiam cum omnibus, etiam alias inimicis, conciliet. sed à pacto cum Dæmone, mediantibus superstitiosis quibusdam verbis, ac cæremonijs.

2. Creditur Mandragora vim habere efficiendi, vt Mulieres steriles concipiant. Hinc *An Mandragora ad sterilitatem.* Rasis lib. 24. contin. c. 835. *Et vidi Mulierem*, inquit, *radicem eius bibere ad impreguandum, & effici exinde in dispositione illius, qui ingreditur balneum, aut bibat vinum abundans in rubedine, & inflatione faciei*, igitur esu Mandragoræ non fuit fæcunda facta Mulier, sed facies fuit inflata, inflammata, & rubefacta, veluti ac si multum Vinum bibisset, uel calens balneū ingressa fuisset. certe vulgi opinio est talem vim sortitam esse Mandragoram: vnde Leuinius Lemnius lib. de Herbis Bibliæ cap. 2. *Cæterum*, inquit, *an Mandragora fæcundi vim mulieribus conferat, atq: vtero retinendi seminis efficaciam concilier, in dubium vocari posset.*

Et contra primo est, quod cum soporifero effectu prædita sit, & impense frigida, hæc *Negatur.* qualitas ad tale quid præstandum prorsus inefficax censeri solet, & idonea.

Sed hac ratione Leuinius lemnius in Herbarum Bibliæ explicatione c. 2. diluì posse censet. *Vt in frigidis humidisque regionibus. atq.* *Lemnij solutio.* *in vtero humecto, & algido tale quiddam perficere nequeat; sed in torrido, æstuantique, & exusto. Sic in Apbrica, Hispania, Iudæa, Mauritania, Numidia, Aegipto; in quibus ferè regionibus, mulieres adustos arentesq: habent vteros, ac feruidos, tum squallidos, ac strigosos; non incommode hoc pomum adhiberi posse crediderim. Si quidem eius esu corpus ad temperiem reduci posse existimo, cum post amplexum, & congressum maritalem soluto in somnum corpore, vterus retinendi vim seminis asciscat, nec id in fumos, ac fuliginem euanescat, vt in calido, atq: æstuante vtero assolet in quo vtriusq: semina minus coalescunt, aut vriuntur sublata omni posteritatis spe. Quod multis vsu venisse obseruauì etiam in Belgica, quæ ob plus satis calidam vteri intemperiem effœtæ extiterunt, tametsi mariti sedulo illis suam operam præstarent: suoq: officio alacriter fungerentur; quia & viri ex frequenti illarum concubitu aliquando pudendarum partium vitia contrahunt à salsuginosa atq: acri mordacique vligine, quæ genitali virus infert, ac contagione inficit. Huiusmodi mulieribus, quæ ferè sunt indomitæ libidinis ob ignitos, vrentesque locos, poma Mandragoræ inoffensè, immo magno commodo exhiberi possunt*

eum pepones, cucumeres, cucurbita, melones, portulaca, lactuca, solanum, aliaq; refrigerantia, quibus intensus ille feruor, ac vitiosa vteri qualitas retunditur, & quo minus concubenti deleteria sit, cohibetur,

Cōtra Lemnium. Et hæc est Lemnij ab aliquibus etiam probata responsio, ingeniosa quidem; sed non probabilis,

Primo quia supponere videtur Rachel habuisse vterum calidissimum, & exustum, vnde quæreret remedium refrigerans vterum, immo etiam Lia esset vtero exusto, cum mādragoras sorori dare nollet, sed sibi retinere. nec tamen Lia erat sterilis: sed fœcunda. cur egebat Mandragoris? sed notandum textū dicere Mandragoras, non autem poma Mandragoræ, quia etiam radix vsui est. sed si edenda sunt videtur potius de Pomis interpretandum, ita in Cantica. c. 7. scribitur. *Mandragoræ dederunt odorem*, idest fructus, qui sunt odorati, & Plinius ait, *Quamquam mala in aliquibus terris mandantur, nimio tamen odore obmutescunt ignari. Potu quidem largiore etiam moriuntur*. ecce Plinius reiicit in aliquibus regionibus mandi Mandragoræ poma, & Diosc. *Quorum pomorum cibo aliquātum opiliones soporantur*. at contra Canticam Salomonis videtur docere. *Odor grauis eius, sed radicis, & mali grauior*. Plinij oppositio. fortasse Temperamentum illius aeris, & qualitas soli mutant Mandragoræ fructuum qualitates, vt ibi poma Mandragoræ sint suauiori odore, & esui magis apta, vt de Persea Arbore in Persia, non in Aegypto venenata scripsit Gal. 2. de Alim. facult. & de Iuca nos libro de Plantis Horti Farnesiani, Sed Dioscorides obiectionem diluit scribens. *Incunde cum grauitate quadam olentia*,

Lēnio respondetur. Improbatur Lemnij responsio, quia vnica pomorum Mandragoræ deuoratio non potest calidissimam Vteri temperiem ad temperatā reducere, nullum enim aliud medicamentum vnica assumptione potest alicuius partis temperamentum immutare. & Mandragoræ pomis caute est utendum; quia, vt docuit Hipp. adest dosis, quæ somnum inducat; maior, quæ insaniam; adhuc maior, quæ mortem. Quod si pomorum Mandragoræ plurium esu corpus ad temperiem reduci posse concesserimus, non tamē cito Vterus exustus ad temperamentum reduci poterit; quia longa est uia à Ventriculo ad Vterum, oportet vt Ventriculus sit redditus frigidissimus, antequā Vterus calidissimus, & exustus, (vt ipse ponit) sit tepefactus.

Non facile refrigeratur vterus. Sic etiam si refrigerandus est Vterus per Edulia. etiam lactuca, Cucurbita, Citruli, Cucumeres, & Melones, Solanum, & Pertulaca, valerent vt Mandragora, ipso annuente ad fæcundas reddendas Mulieres cū Vtero calido, sed fortasse fæcundas per se, redderent ista steriles, imbecillitando semen, & Venerem sopiendo,

At sentire videtur ratione somni post Coitum semen in Vtero retineri, & roborari Vterum. Sic omnia opiata & soporifera hoc modo facerent fæcundas mulieres; sed Rachelem credo ante somnum cum Marito rem habuisse, & noctu dormiuisse, nec tamen impraegnabatur.

Quid sentiendum. Ego sentio Mandragoram nullam habere facultatem reddendi mulieres fæcundas, quæ per se sunt steriles, nec Theoph. nec Diosc. nec Plinius, nec Hipp. nec Galenus, vel alter Græcorum, immo neq. Medici Hebrei, & Arabes, qui hanc Rachel, & Liæ controuersiam legerunt; hāc facultatem Mandragoræ retulerunt, nec vllum latinorum Medicorum: quare fabulam puto, ortam fortasse ex praua interpretatione verborum Genesis, nullo enim modo possum ego suspicari, quod Rachel voluerit poma Mandragoræ ad fæcunditatem sibi comparandam.

Genesis textus. Consideremus igitur caput 30. Genesis. *Cernens autem Rachel quod infœcunda &c.* quid egit? duo. *inuidit sorori suæ*. alterum, & ait, *Marito suo, &c.* quid acquisiuit? *iratus respondit Iacob, &c.* & illa tertium egit. supposuit Ancillam suo viro, & habuit ex ea duos filios, & Deo gratias egit. Tunc Lia parere desiēs Ancillam suam etiam marito supposuit, & ex ea duos filios habuit, & ita videtur controuersia seda. a. sed altera statim adfuit.

Egressus autem Ruben tempore messis triticeæ in agrum reperit. Mandragoras. egressus autem fuit non ad perquirendas Mandragoras, sed tempore messis triticeæ, ad triticum nempe colligendum, *reperit* idest casu, non autem conquisiuit, *Quas Matri Liæ detulit*, vt munusculum. vel vt sibi coq ueret, & præpararet, vel vt odoraretur. *Dixitq; Rachel da mihi partem de Mandragoris filij tui*, cur quæsiuit Rachel? cur dixit filij tui, non autem tuas? an vt remedium sterilitatis, an verò ad oblectamentum gustus. Non ad remedium sterilitatis. quia Lia nunquam id illi concessisset, ne sibi esset æqualis. ergo ad oblectamentum gustus, & dulcius censuit illa nocte dormire cum marito, quam edere poma Mandragoræ, & vti Rachel vt poma ederet, paruifecit ea nocte maritum, sic Eua vt pomum ederet, priuata fuit paradiso. Sic etiam Esau Genesis 35. pro lentis edulio Primo genituram renunciauit. est ergo Gulositas magnum vitium. *filij tui*. et Lia ait. *Mandragoras filij mei*. pertinent igitur Mandragoræ ad filium, non ad Matrem, non ad fœminas. hic pugnatur de Mandragoris auferendis à filio, at quid opus sunt filio, nisi vt eas manducet? ergo etiam Rachel ijs vesci optabat, non pro Medicamento; sed pro gustus oblectamento. Concessit autem Lia Mandragoras, non me hercule pro medicamento sterilitatis, sed pro oblectamento gustus. quod patet, quia irridebat sororem. quæ, et concessit. et dixerat, *vt dormiat tecum hac nocte pro Mandragoris* Gulositas Rachel.

goris

goris filij tui. ita subridens *redeunti ad Vesperam Iacob de agro egressa est in occursum eius Lia; & ad me; inquit, intrabis, quia mercede conduxi te pro Mandragoris filij mei*; & sine esu Mandragorarum *Dormiuit cum ea nocte illa. Et exaudiuit Deus præces eius concepitq: & peperit filium quintum*. Issachar. deinde Zabulon; denique filiam Dinam: sed sine Mādragorarum esu: solummodo quia Deus exaudiuit præces eius. nec tamen interim Rachel saturata Mandragoris concipiebat, sed post tres annos, seu post tres alios filios à Lia editos tandem, *Recordatus quoque Dominus Rachelis exaudiuit eam, & aperuit vuluam eius, quæ concepit, & peperit filiū.* ecce quod Dominus exaudiuit, Dominus aperuit vuluam eius: non autem Mandragora: quare falsum est, quod maxime Rachel desiderauerit mandragoras, vt fæcunda fieret, quia nec id ab eis obtinuit, nec ad id valere auctores medici asserunt. frustra igitur laborant Lēnius, & eius asseclæ, vt ostendant medicamenta frigida in vteris exustis fæcunditatem inducere posse.

cur Rachel grauida.

Lemnius deceptus.

Nunc à nobis quærendum, quæ sit facultas soporifera in Mandragora. Theoph. 9. de Hist. plant. c. 10. *ad morbos podragricos, & ad somnum, atque amores datur in vino, aut aceto.* & 6. de Causis P. c. 4. *Alij sapores*, inquit, *dulces somnum conciliant, & si copiosius dentur mortem afferunt, ceu Mandragora.* & videtur magis de pomis loqui. sed Radix, cortex radicis, folia, & poma, nec non semen soporifera sunt, item decoctum eius ex aqua, infusio in vino. lacteusque succus ex radice incisa, & succus ex radice, vel pomis expressus. vnde tota planta soporifera est. clare id docuit Dios. *Aliqui radices in vino ad tertias coquunt, & defæcatum ius seruant, cyathoque vno vtuntur in peruigilijs, & doloribus, & ante sectiones vstionesque, ne sentiantur.* & paulo post subdit. *Succus subditus sedi pro balano, somnificus est.* deinde ait. *Fit citra coctionem vinum è cortice radicis, ad hunc modum. Ternæ minæ in vini dulcis metretam conijciuntur. Dantur ex eo terni cyathi, ijs, qui secari, aut amburi debent, vt ante dictum est; si quidem nullo tunc afficiuntur dolore, sed veterno quodam pressi sopescunt. Mala soporem afferunt olfactu, & etiam si mandantur: item expressus ex eis succus, nimio tamen odore percussi, obmutescunt.* Eadem verba reperio apud Plinium, quo constat ab eodem scriptore ambos sumpsisse eandem doctrinam. an fuerit Crateuas? *Grauedinem afferunt etiam olfactu, nimio tamen odore obmutescunt ignari. potu quidem largiore etiam moriuntur. Vis somnifica pro viribus bibentium Media potio Cyathi vnius, bibitur, & ante sectiones punctionesque ne sentiantur. Ob hæc satis est aliquibus somnum odore quæsiuisse.*

Vis somnifera.

Dioscorides.

Plinius.

Profecto soporifera vis in Mandragora est euidens, cuius causa aliquibus morbis prodest. quæ facultas (vt de Opio diximus in Antidotario Romano com. in Philoniū, & in Pill. de Cynoglosso non est à qualitate frigida; sed ab alia magnetica. quæ quietem sanguini inducit, vt Remora piscis Nauim sistit, Torpedo piscatorum manus hebetat; Medicamentum purgans determinatum humorem expellit: quod si refrigeratur inde corpus, est per accidens, nempe quia quiescunt humores, & cessante motu, cessat calor augeri, foueri.

Qualis sit facultas Narcotica.

Vis igitur Narcotica stupefacit, immobiles, & quietos reddit humores omnes, vnde sanguis non mouetur, non mouentur alij humores, & fluxiones omnes sistuntur, immo facultas expulsiua irritata à medicamento valido, per Narcotica quiescit, & alui purgatio sistitur.

Sistit motus humorum.

Cū autem Dioscorides scribebat Mandragoram conferre *doloribus, & articulorum cruciatus tollere.* Theoph. 9. de Hist. c. 10. scripsit. *Ad morbos podagricos dari in vino, aut aceto.* non profecto alia ratione, nisi quia narcotica vi, fluxiones sistit, & indolentiam parit.

Sistere quidem *fluxiones* dicitur, eandem ob causam. ita Hipp. 2. de Morb. mul. n. 76. *Si fluxus sanguinolentus, aut albus, aut qualiscumque fuerit. Sulfur, & Mandragoram in vino meraco terito, & lana excepta apponito.* hic sulphur exiccat, mandragora quietem fluxionibus inducit, vinum ad penetrationem confert.

Sistit fluxiones.

Confert Maniacis, & delirantibus, vt somnificum, vt quietem sanguini, & spiritibus animalibus cōmotis inducens. ita Hippocr. *Tristes, anxios, & ægrotos, ac se strangulare volentes Mandragoræ radice mane in potu data, minore pondere, quam quod insanire facit, curabis.* quæ quidem radix in moderata copia somnum inducendo spiritus commotos sistet, & humoribus immobilibus redditis sedabit deliria, ac coctiones in corpore iuuabit, & ex somno humectabitur cerebrum siccatum. Plinius. *bibitur, & contra Serpentes.* ergo Theriacalis est non Venefica. Diosc. lib. 2. de facile parab. ad Vteri strangulatum. *Mandragoræ radicis Oboli duo cum vino.*

Maniacis.

Confert etiam *conuulsis* ab inanitione scilicet, & neruorum siccitate, quia somnum inducendo humectabit corpus; vnde Hipp. de locis in hom. n. 47. nuper citato. ait. *Conuulsioni sic mederi oportet. Ignis ab vtraque lecti parte succēdatur, & mandragoræ radix in potu præbeatur minore pondere, quam quod insaniam facit.*

Conuulsis.

Ad *Quartanam* specificum docuit Hipp. 2. de Morb. n. 39. *Seminis Hyosciami Milij magnitudinem, & Mandragoræ tantundem, & succi Silphij trium fabarum magnitudinem, & trifolij tantundem in vino meraco bibat.* certe Hyosciamus, & Mandragora Hipnotica sunt. & humorum motus sistunt. at Silphium, & trifolium sunt concoctiua, & resolutiua humoris peccantis. sed quia hæc Hipp. verba non clare dosim determināt, confugiēdum erit ad Hippocratis textum. πίσον τῶ καρποῦ τῶ ὑοσκυάμου, ἴσον κέγχρῳ. καὶ μανδραγόρου ἴσον. καὶ ὀπῶ σιλφίου κυάμους, καὶ τριφύλλου ἴσον ἐν οἴνῳ ἀκρήτῳ. quæ

Quartanæ.

Hippocratis consideratio.

Beſinus vertit, *Semen Hyoſcyami milij magnitudine, mandragoram pari portione, Laſeris ſuccum trium fabarum quantitate, & trifolij parem modum ex vino meraco bibendum exhibeto.* Et à Cornaro ſentio verborum non diſcrepat. ſed Caluus multo aliter interpretatur. ſcribens. *Milium Hyoſcyami ſeminis, mandragoræ parem modum, Laſeris ſucci, opijue tres fabas, trifolij parem modum, ſimul terito, meritoq; vino propinato.* verum ego ſequi debeo textum Græcum. & videtur dicere eſſe ſumendum ſemen Hyoſcyami ad magnitudinem Milij. quæ doſis. eſt nimis parua, & Martiano non placuit, ideo cenſuit deſcribi quantitatem, ſeu formam ſeminum Hyoſcyami, non autem doſim. ita vt dicatur ſemen Hyoſcyami, eſſe ſimile milio, & æqualiter cum Mandragora eſſe ſumendum, non determinans doſim Mandragoræ, vt etiam fecit alias, dicens ſumendam minori pondere, quam quod inſanire facit. ego autem dicam. apud Græcos ſemẽ dici ſperma, fructum vero carpon. hic autem Hipp. ſcripſit. τὸ καρπὸ, ideſt fructus. quos Dioſcorides citinos vocat: ſenſus igitur Hippocratis erit, vt accipiatur Hyoſcyami fructus continens ſemina miliacea, ideſt quantũ Milium, & tantũdem Mandragoræ. quæ erit conueniens potio, & ponderabit obolum. ita Dioſcorides oboli pondere exibet ſemina Hyoſcyami cum papaueris ſeminibus, & poſſemus cum Caluo dicere, *poterur fructus Hyoſcyami, tãtundẽ Milij, κέγχρον, & Mandragoræ ſimiliter*, & quãdo ſubdit Hipp. καὶ ὀπὸ. interpretantur alij per antonomaliã *laſeris ſuccum*. ſed ego veterem Mandragorę liquorem à Dioſcoride etiam dictum nomine τὸ ὀπὸ. vnde ſi Mandragoræ radix fundit tale Opon, cur ad Opon Cyrenaicum referemus? forte dices. ſupra in febre tertiana exhibuit, τρίφυλλον καὶ ὀπὸν σιλφίου. i. *Trifoliũ, & ſuccum laſeris.* mox in quartana idem intelliget ambo ponens. vt etiam in ſequenti cum elleboro hęc duo miſcens. Reſpondeo in Tertiana ſpecificaſſe Hipp. ſe velle ſuccũ Laſeris. ſed in quartana debet poni ſuccus mandragoræ. quia mandragora magis confert Melancholicis, & maniacis, quam biloſis. quare cenſeo Hipp. ſpecificare de mandragora ſumendam eſſe radicem in ea doſi, qua eſt fructus Hyoſcyami. eius autẽ ſuccum ad trium fabarum quantitatem. ita verba dicta Hippocratis ſic erunt vertenda, *Fructum Hyoſcyami, cum ſeminibus Milij forma, Mandragoram pari portione, & ὀπὸν*, (i. eius ſuccum) *trium fabarum quantitate, & Trifolij tantundem*. & hic aduertendum primo ſemina milij eſſe albida, non nigra, ergo ſemina Hyoſcyami erunt ſumenda talia, ergo ex Hyoſcyamo albo.

Explicatio noſtra.

Quid Opos

Obiectio.

Reſponſio.

Noua Hippocr. interpretatio.

ſuccus mãdragoræ.

Aduertendum ſecundo Mandragoræ ſuccum dari liquidum, vel ſiccatum, & Dioſcorides ad vomitiones excitandas præbet ad duos Obolos. Sed Marcellus Empiricus nõ audet excedere Obolum vnum, forte quia de ſiccato intelligit, at faba ægyptia, vt Galenus interpretatur, pendet ſemi obolum: vnde grana xviij. facient pondus trium fabarũ Aegyptiarum, ſeu obolũ vnum, & ſemis. ſed Martianus conſiderando hunc Hipp. locum tandem ſtatuit, ſi ipſi aliqua neceſſitate vrgente hoc medicamento vtẽdum eſſet, ſe vtriuſque ſemi obolum accepturum. ſed ipſe id ſuo modo inueſtigauit, ego autem alio,

Modo accedamus, ad conſiderandam vim purgatricem mandragoræ, & primo videtur impoſſibile, quod mandragora Medicamentum in extremo gradu Narcoticorum, & ſomnificorum, quæ vim habeat omnes fluxiones ſedandi, & quietem ſanguini, & omnibus humoribus in corpore viuente inducendi, poſſit purgationem aliquam efficere, cum ex Galeni doctrina conſter Theriacam recentem, ob aliquam opij portionem admixtam; adeo fluxiones ſedare; ita quietem humoribus inducere, vt data ei, qui medicamentum purgans aſſumpſerit etiam in media purgatione, ipſam ſtatim ſiſtat, quod dicunt eſſe experimentum ad cognoſcendum optimam Antidotum.

Oppoſitio.

Deinde eſt Hipp. 2. de Morb. Mul. n. 76. *Si fluxus ſanguinolentus, aut albus, aut qualiſcumque fuerit, Sulfur, & Mandragoram in vino meraco terito, & lana excepta apponito.* ex quo videtur deſumpſiſſe Dioſcorides cum ſcripſit. *Semen appoſitum cum Sulphure ignem non experto rubra fœminarum profluuia ſiſtit.* & Galenus, etiã lib. de facile parab. c. 83. *Subdita cum lana fluxiones ſiſtunt, Mandragoræ ſemen tritum cum Sulphure vino, &c.*

His tamen non obſtantibus videtur omnino cõcedendum Mandragorã ſortitam eſſe vim purgatricem, quia Hipp. primo de Morb. Mul. n. 119. *Collutio pituitam trahens, Granum Cnidium, & Mandragoræ liquamen* (ſeu decoctum) *terito cum aqua. nam purgatio multa, & omnis generis ex hac collutione contingit*, & n. 100. ſcripſerat. *Subdititium efficax. Succum Mandragoræ & Colocyntidis cum lacte Mulicbri apponito.* at dices hic miſceri Granum Cnidiũ, vel colocyntidem, quibus tribuitur vis purgandi. non autem Narcoticæ mandragoræ. ſed cum paulo poſt ſubdit Hipp. *citius detrahit, & mandragoræ radix, cantharis, ſerpillum, Lauri fructus, Vnguentum irinum, Laurinum.* & hic Hipp. vel ſingula ad id Valere dicit, vel mixta. ſi primum iam conſtabit ex Hipp. mandragoram habere vim ab vtero detrahẽdi, ſi mixtim ſolam cantharidem dicemus trahere. At Dioſcorides expreſſe ſcripſit. *Semioboli pondere ſuccus inditus per ſe menſes, & partus expellit*, mox ſubdit. *ſemen malorum potum vuluas purgat.*

Mãdragora purgat.

Obiectio.

Solutio.

Sed quam hic nos quærimus vim vomitoriam Mandragoræ Patefecit Dioſcorides.

vis Vomitoria.

Suc-

Succus duobus obolis ex mulso potus vt Veratrum, per vomitiones bilem atram, pituitamque extrahit: verum potu largiore vita adimitur, confirmauit id Plinius scribens, *Bibitur, & pro Elleboro duobus obolis in mulso, efficacius elleborum ad Vomitiones, & ad bilem nigram extrahendam.* & ait. *potu quidem largiore etiam moriuntur.* & Marcellus Empiricus c. 20. *Compositio potionis ad dolorem stomachi, siue ad nauseam reprimendam, sic. Herba mandragoræ, quæ nascitur in locis montanis succus expressus ad ponderis scrupulum dimidium, potatusq; ex aqua calida, vel ex mulsa nauseam expellit, abundantiam phlegmatis expurgat, sedatque dolorem stomachi, & fastidium discutit; vltra autem hoc pondus ne dederis; quia nullius stomachus vim eius poterit sustinere.* est igitur periculosum medicamentum, verũ potius quantitate, quam natura. ob id inter venena reposuisse dicendi sunt Dioscorides lib. 6. Auicenna, Petrus de Abano, Ardoinus, & alij.

Cur inter venena!

His sic stantibus cum habeamus Vomitoria præstantiora, magis vsitata, & minus periculosa, temerarium mihi videtur ad Mandragoram confugere. si tamen ea vti quis fuerit coactus, sciat esse plantam, quam Galenus refrigerare 3. ordine censuit, radicis corticem siccare, & poma humectare.

Quid agendum.

Vim habet succus è radice expressus educendi per Vomitum Pituitam, & atram bilem, veluti Elleborus albus. proinde cõferet morbis ab his humoribus genitis. nempe, Maniacis, Melancholicis, & se strangulare volentibus. Quartanarijs, anxiosis, demorsis à serpentibus, conuulsis, ad Vteri strangulatum, ad nauseam, fastidium, & dolorem stomachi. Succi expressi, qui ad Vomitum commendatur dosis erit, ab obolo ad scrupulum.

Quantum.

Ex aqua calida, vel Mulso dabant antiqui Theophrast. ex vino, vel aceto.

Quomodo.

Sed nunc subit in mentẽ, quando Theoph. 9. de Hist. Plant. c. 10. scripsit. *ad Morbos podagricos, & ad somnum, atque amores datur in vino, aut aceto.* cui concedo sistendo fluxiones conferre podagricis. sed quomodo datur in vino ad amores! non quidem vt vir amet aliquam fęminam, ergo vt amare desinat, namque nimis amantes, vigilant primum immodice, tunc delirãt, & insaniunt, & ad hoc delirium somnus confert, & sic cum Hipp. 2. Aph. dicemus *vbi somnus delirium sedat bonum.* sic memini me Neapoli curasse iuuenem amantem adeo delirantem, vt ligari opus esset, solis soporiferis multo somno excitato, ideo Mandragora dabitur ad amores.

ad Amores.

De Mezereo. Cap. CVI.

DIfficillimum erit, quid sit Mezereon à Mesue propositum, inuestigare: siquidem, vt alias ipsemet confundit vno capite vires, & vsum *Centarij magni, & parui; Ellebori albi, & nigri; Been magni, & parui, Sparti, & Genistæ*, vti etiam eodem capite simul tractat de *Lupulo*, & planta *Scammonij* sub nomine *Volubilis*. item de *Ricino*, & *Lathyride* sub nomine *Albemesuch*. item de *Aro*, & *Dragontea* sub nomine *Luf*. atque etiam de *Apio*, & *Tytiusa* sub nomine *Alsebran*. nec non de *Brionia*, & *Vite nigra*. sub nomine *Alsescera*. ita quoque sub nomine *Almezereon* plures plantas coaceruauit. vnde expositores in diuersas abiere sententias. Alij album, & nigrum Theophrasti Cneorum voluisse censuerũt, alij Cameleam, Timeleam, & Daphnoidem, vnde fatendum est, Mesuem nobis non claram; sed confusam tradidisse doctrinam.

Confusio Mesuæ.

Verum licet Mesue plures sui Mezerei species afferat, vnam tamen tantum speciem probare videtur, quæ habet magna folia, tenuia, & viridia, & supra dixerat, Oliuæ similia, & fructus nigros myrto similes, ita non erit Timelea ex qua Coccum Cnidium colligunt, nec Chamælea Tricoccon, nec Mezereon Germanicum flore Persici, nec Cneorum Mattioli, suspicari, quis posset voluisse Daphnoidem Dioscoridis, seu vulgi laureolam. Porrò Mesue scribit. *Est Plãta lacticiniorum maior*. sed nec Laureola, nec Timelea, nec Chamælea reddunt lac. ergo Mezereon Mesue erit planta Arabica nobis adhuc ignota.

Dices citantur à Mesue Dioscorides, Ruffus, Galenus, Alexander, ergo de planta Græcis nota verba facit.

Obiectio.

℞. Hos à Mesue falso citari, quæ n. ipsis tribuit nec Manardus, nec ego inuenimus in Diosc. Galeno. quare dimissa hac controuersia, & Auicennam de Camelea, & Timelea loquentem simul dimittemus, At Serapio initio capitis de Męzereo apparet cum Dioscoride loqui de Camelea; sed postea cum Habix faciens duas Mezerei species, videtur confundere Cameleam, cum Timelea. in tanta autem diuersarum plantarum confusione à Mesue facta. nos, qui distincte docere cupimus. hasce plantas seorsim locabimus, & vt de Daphnoide iam supra c. 84. egimus, ita nunc de Camelea agemus, deinde suo loco de Timelea.

Solutio.

Quid sit Camelea apud Dioscoridem, & Matthiolum constat, describitur autem. *Frutex surculosus, ramis dodrantalibus, folijs Oleæ tenuioribus amaris, quæ gustatu linguam mordent, & arteriam deradunt.* Plinius. lib. 15. c. 7. loquẽs de Oleo fictitio. postquam loquutus esset de Oleo ex baccis Oleastri, quod est amarum, & tenue.

Camelea.

& tenue. subdit. *Simillimum huic est ex Chamelaa fruticе saxoso, non altiore palmo, folijs oleastri, baccisq.* & lib. 24. c. 15. *Chamelæa, similitudinem foliorum Oleæ habet; sunt autem amara, odorata, in petrosis palmum altitudine non excedente. Aluum purgat. Detrahit pituitam bilemque folijs in duabus Absintij partibus decoctis, succoque eo cum melle poto.* itaque Plinij tempore Chamaleæ Planta erat valde nota, vt potè ex qua etiam Oleum conficeretur. nostro autem hoc æuo valde ignota videtur,

Ex Bauhino, Siquidem Bauhinus in suo Theatro Botanico videtur sensisse cæteros omnes Botanicos Chameleam tricoccon dictam veram chameleam statuisse. verum multo aliter res se habere videtur. nec solum hanc non esse omnium consensu veram Dioscoridis Chameleam, sed nonnullorum tantum, alijs aliam plantam proponentibus; immo

Contra, nec Tricoccon dictum vllo modo posse dici chameleam.

Etenim Chamelea antiquorum non folia solum Oliuæ proferre debet: sed etiam Baccas, quæ in Tricocco desiderantur. testem habeo Plinium, qui Chameleæ Historiam hausisse videtur ab eodem auctore à quo Dioscorides eam transcripsit. siue fuerit Crateuas, siue Andreas, siue Diodotus. quos Plinius se in suam Historiam adhibuisse fatetur in Elenco, seu lib. 1. ad conficiendum eius operis lib. 24. quos etiam auctores in

Refellitur Camelæa tricoccon. præfatione sui operis citat ipse Dioscorides. vbi etiam asserit Petronium Nigrum, qui inter egregios rei herbariæ scriptores habebatur, falso scripsisse: *Euphorbium nascentis in India chameleæ succum esse.* Quare qui Chameleam quærunt, aduertant illa Plinij verba. *folijs Oleastri baccisq:* & etiã quod ex ijs oleum amarum effici docet. ostendant modo mihi in Chamelæa dicta tricoccon Bauhinus, Dodoneus, & alij. baccas Oleastri. & illis credam. nec a Dioscoride, dissimulandum erat fructum chameleę esse tricoccon, & Lathiridi similem.

Anguillara. Matthiolus, Franc. Alexandri, Cæsalpinus, & alij aliam Chamelæam proponunt vnum sub vnica bacca ferentem semen, quæ verior erit Chamelea. licet, vt verum fatear, Matthioli Chameleam adhuc vidisse mihi non contigerit, cum tamen, & Romæ in Horto Henrici Coruini Botanici præclarissimi, & affinis mei, & in Horto meo Messanensi, Chamelea Tricoccon sit admodum copiosa.

Itaq: Anguillara scripsit. *in summitate suorum surculorum flores albos, & coacervatos producit. fructus in quo semen est, magnitudine fructus Berberis; sed figura Myrti, colore rubeo, baccasq. semen continentes nigra, interna medulla alba, folia, flos, & fructus adeo amara, & acria, vt fauces mordeant.* Matthiolus autẽ de Chamelæa, & Thymelea simul scribit. *vtraque (licet hoc in chamelaa prætereerit Diosc.) fructum ferunt Myrti baccis similem, quamuis Chamelea quadantenus longior sit, & Oliua formam representet. Vtrique fructus initio sui exortus virescit, mox per maturitatem rubescit deniq: exsiccatus niger conspicitur.* Franciscus Alexandri in Apolline, & And. Cæsalpinus, Clusius, in Chamelæa italica, & alij vnicum semen, non autem ternum proponunt.

Quare his stantibus non recipio Chameleam tricoccon pro Chamelea Dioscoridis. nec Chamelæam Alpinam Lobelij, neque Chamelæam Germanicam. sed potius eam, quam Matthiolus, Anguillara, & Cæsalpinum bacciferum describunt.

Quoad Vires. Chamelæa Antiquorum deiectorias vires habere videtur, eo quod scribat Dioscorides. *Detrahit pituitam bilemq: folijs præsertim in Catapotio deuoratis. namque dua Absintij partes adiecta Chamelaę vna Hydromelite excipiuntur, & in catapotijs coguntur. ea autem in Ventre non liquescunt: siquidem quot quot fuere deuorata, regeruntur.* vnde non vomitoriam vim: sed deiectoriam tantum habere apparet, quia Catapotia integra deorsum egeruntur. *Facultas.* sed Clarus Plinius *aluum purgat. detrahit pituitam, bilemque,* & Alex. Trallianus. lib. 9. c. 2. ad Hydropem commendat. *Chameleæ foliorum, vnde granum Cnidium colligitur, &c.* ad purgandas deorsum aquas. sed tribuit granum Cnidium Chamelææ, quod esse falsum docuit Dioscorides. cum sit Tymaleæ fructus. & Mesue *solutione educit aquam citrinam cum fortitudine vehementi.* educit etiam Melancholiam, phlegma, & aquam aggregatam in Ventre. interficit, & educit Vermes. ex Ioãnitio valet ad Quartanam. sed eius maius iuuamentum est ad hydropisim. Similiter Aetius serm. 3. cap. 55. *Aquosa magis purgat. Purgat etiam pituitam, & bilem,* Nemo autem vim Vomitoriã Chamelææ tribuere videtur. *Purgatrix*

Ex altera parte Auicenna lib. 2. scribit. *Interficit eum turbatione, vomitu, & solutione:* & lib. 4. de Venenis c. de Almezerion, & Chamelæa. *& accidunt ex eo vomitus, & solutio ventris superflua, & Nigrum, quod nominatur Chamelaa, est interficiens plus; & accidunt ex eo, commotio, singultus, deinde Vomitus phlegmaticus, & spumosus, deinde, educit ad conuulsionem.* ita etiam Vomitum fieri docet Arduinus propter ipsius proprietatem stomachi conturbatiuam. Guilelmus Placentinus, & alij Arabum sectatores, quorum alter ab altero trãscribit, nihil ipse expertus, & ignorans rem de qua loquitur, nobis sat sit scire, Chameleam Vomitum excitare. *vis Vomitoria.*

Sed quæretis an nobis liceat, quærere Chamelæam, vt ea vti possimus ad Vomitum excitandum. *Quid agẽdum.*

Respondeo, si Vomitoriorũ esset penuria, aliquid foret periclitandum. sed in tanta eorum copia temerarium esset, periculosa, & Venena habita proponere. iam constat adeo confuse Mesuem de Chamelæa agere,

adeo

adeo concise Veteres Græcos egisse, vt iure possimus à Chameleæ vsu abstinere ad Vomitum excitandum, cum enim noscam Veteres in moderata copia exhibuisse Chameleam ad aluum exonerandam. & Arabes asserere Vomitum ciere in maiori copia. atq; Visceribus adeo esse nocuam. neq; ad prouitandam aluum in pauca copia ego vterer. quare ad aliud transibo,

De Flore Mirica, Cap. CVII.

D E hoc nihil habeo, quod dicam, nisi quod Mes. in canone. tex. 15. inter clementia vi nulla, aut minima naturæ molestia vomitum cientia numerat Myricæ, seu Tamarisci flores. non mirum igitur si quidam Oua barbi vomitum ciere crediderunt, putantes, quod pisces Maio flores Tamarici in ripis fluminis Tiberis enatos, edant.

De Narcisso, Cap. CVIII.

I Nfinita reperiuntur hoc æuo apud florilegos Narcissorum genera, & Matthiolus sub ipsis comprehendit etiam Tulipas, Ornithogalum maius, Leucoion bulbosum; alij distinguunt Narcissum. primo secundum folia in latifolium, & angustifolium. 2. penes magnitudinem in maiorem, & minorem. 3. penes colorem in totum album, totum luteum, *Differētię.* totum sulfureum, purpureum. vel in album calice croceo, rubro, herbaceo. 4. secundũ calicem maiorem, minorem, oblongum, & veluti Tubam. 5. in pleno flore, duplici, triplici, vel simplici, 6. in magis, & minus gratum odore. 7. secundum tempus florendo vernale, æstiuum, autumnale. 8. penes Regionem in Montanum, Marinum, Indicũ, Constantinopolitanum, Hispanicum, & secundum alias differentias, ita vt Bauhinus in suo Pinace centum Narcissorum differētias enumerauerit. non comprehensis Tulipanis, Ornithogalis, nec Leucoijs bulbosis, Porro eandem vim omnium horum radices habere non est probabile. quare illos tantum Narcissos quæremus, quos Antiqui tradiderunt.

Dioscorides duas tantum Narcissi differentias proposuit. alteram cui *flos albus, intus croceus*. alteram vero cui *intus purpureus*. imo alio etiam modo distinxit. *Descriptio* *Probatissimum nascitur in montibus, suaui odore. cæteri in campis, & fabulosis porrum imitantur, atque herbaceum virus olent.* & Ouidius,

Nusq; corp' erat croceũ pro corpore florē.
Inueniunt, folijs mediũ cingentibus albis.

At Plinius, lib. 21. c. 5. *Huius alterum genus*, inquit, *flore candido, calyce purpureo*, alteri, *calyx herbaceus*, deinde c. 19. scribit. *Narcissi duo genera in vsu Medici recipiunt. Vnum purpureo flore. & alterum herbaceum.* sed Theophrastus vnum tantum genus videtur descripsisse. in cuius textu obscuritas magna legenti apparet. Versio enim Gazæ. ab Heinsio etiam correcta. ita habet lib. 6. c. 6. de Hist. Pl. *Habet caulem sine folio herbaceum, florem suo ferentem cacumine in membrana veluti vasculo inclusum, large amplum, coloreq; nigrum, figura oblongum. Hic decidens sponte germinat. Cæterum, & qui legunt desigere eum solent. Quin, & radicem ferunt, quæ carnosa rotunda, amplaque est*, ex quibus verbis videtur Theoph. velle florem ferre in membrana inclusum. ita etiam florem nigrum, & figura oblongum. præterea florem decidentem sponte germinare. cum tamen Theoph. non de flore; sed de semine loquatur. scribens. τὸν δὲ καυλὸν ἄφυλλον μὲν ποώδη δὲ, καὶ ἐξ ἄκρου τὸ ἄνθος καὶ ἐν ὑμένι τινὶ, καθάπερ ἐν ἀγγείῳ καρπὸν μέγαν ἐν μάλα καὶ μέλανα τῇ χροιᾷ. σχήματι δὲ προμήκη. οὗτος &c. quæ vertenda sunt. *Semen nigrum.* *Habet autem caulem sine folio, herbaceum quidem, & in cacumine florem. Et in membrana veluti vasculo inclusum semen large, amplum, nigrumq; colore. figura oblongum. Hic, &c.* vt semen sit nigrum, non autem flos. ita Hermolaus in Corollario transcripsit. *Semen velut in membrana nigrum, prælongum.* & Dioscorides scripserat forte ex Theophrasto. καρπὸς δὲ ἐν ὑμένι, μέλας, προμήκης. *semen in membrana nigrum, oblongum.* vnde miror Io. Ruellium lib. de Natura stirpium scripsisse, *Flos membrana inclusus ceu vasculo, amplusculus, nigricans, oblongus, qui defluens sponte germinet, &c.* & tamen verterat Dioscoridis verba citata. Dodoneus. Theophrasti locum emendare censet, sed ipsum *Dodoneus citat.* non intellexit scribens. *Exemplaria Theophrasti pene omnia μέλανα τῇ χροιᾷ habent, quod Hermolao, & Marcello occasionem dedit, ut Narcissi florem nigrum esse existimauerint. Sed pro μέλανα reponendum est μήλινα. Est autem melinus color, idem qui Ocra, siue luteus.* Cæsalpinus cum Dodoneo sentit. Verum doctissimi viri ci- *Textus* tati debebant accedere ad textum Græcum *Græcus cō* Theophrasti, vbi inuenissent vocem καρπὸν, *sulendus.* quæ clare indicat de semine ipsum loqui. & quo modo consentiebant Narcissi florem decidentem nasci? cum tamen de semine verum sit, quod statim atq; humi ceciderit, debet obrui, vt nascatur aliàs siccatum non nascitur, sic obseruaui in Soldanellæ semine, quod siccatum nigricat, & terræ commissum non germinat. sed oportet viride ex suo folliculo sumere, & reperietur germinare, ita ex eo terræ commisso alui plantas, aliàs ex semine, vel viui radice nunquam. sed redeamus ad Narcissum.

Videntur Antiqui loqui de Narcisso medio croceo simplici, vel de medio purpureo, quem *Collo de Camelo* nunc vocant. quod Narcissi nomen habuit à narce, inquit Pli- *Nomen.* nius

nius, non à fabuloso puero. quod scilicet, vim stupefaciendi habeat. vnde Plutarchus in Symposio. quasi neruos hebetans, & torpidas grauitates efficiens vocatur. inter spuria nomina Narcissi, in textu Dioscoridis, & Apulei dicitur. *Bolbus emeticus, & à latinis bulbus* vomitorius.

Vis Vomitoria. Quoad facultatem Vomitoriam. Dioscorides. *Radix cocta siue estur, siue bibitur, Vomitoria est*. Plinius lib. 21. c. 19. *Hunc stomacho inutilem, & ideo vomitorium, aluosque soluentem, neruis inimicum, caput grauantem*. Aetius serm. 3. c. 119. *Qui vero fortioribus uti volunt, Narcissi bulbum in aqua coquunt, & cum decocto quidem temperant Vinum, ipsum autem bulbum edunt coctum cum oleo, & modico sale*. sic Paulus lib. 1. c. 42. *At qui valentioribus uti volunt. Narcissi bulbo aqua incocto Vinum temperant*. & lib. 7. c. 10. *Narcissi autem elixi sursum per Vomitum purgant*. itaque Narcissi radix est inter valenter vomitoria, & adeo. vt Auic. scripserit. 13. 3. tract. 5. c. 13. *& non multum sumant de cape Narsissi, quoniam facit accidere spasmum*. est igitur in conuenienti dose sumenda. vnde Auicenna loquens de cura Vomitus, ait. *Et ille, qui inuenit subuersionem inseparabilem in vere, & fuerit consuetus vomere proprie in eiusmodi tempore, comedat cum pane parua quantitatis, 3. iij. cæpæ Narcissi, deinde sumat aquam calidam, & syrupum acetosum*. idem lib. 2. scripserat de Narcisso. *Radix eius quando comeditur sicut est, excitat vomitum, & similiter decoctio eius. Confert doloribus Matricis, & Vesicæ, & quando bibuntur ex eo 4. drac. cum aqua mellis, eycit fætus viuos, & mortuos*. Et Oribasius 8. Collect. c. 20. *Cui autem à Cæna vomitum sine molestia cieri volumus Narcissi bulbos vna cum aliquo eorum, quibus ille vescatur, propinantes, eum ita afficiemus, vt facile vomat. Narcissi enim bulbus, quem caput vocant, medicamentum est ad Vomitum efficax*. sed cap. sequenti 21. *Qui volunt*, inquit, *vehementer euomere. ij Narcissi bulbum aqua decoquunt, eaq. vinum temperant*. *Hippocratis.* Tandem Hippocratis auctoritate vtendum erit. qui 2. Epid. in fine. ad febrem Ephimeram ex lassitudine ad vomitum prouocandum ne in putridam transeat, exhibuit. *Si hominem*, inquit, *calor corripiat, non à bile, neque à pituita; sed aut à crassitudine, aut aliàs febriat, aquam multam calefacito: deinde ea superinfusa caput rigato, donec pedes sudarint, & farinam crassissimam coquito. Postquam autem pedes sudarint, farinam plurimã, & calidissimam edens, ac vinum meracum insuper bibens vestimentis contectus facile quiescat. Aut Narcissi duo, aut tria capita in cæna edat*. *Difficultates.* in qua curatione restãt nõnullę difficultates à Mercuriali in com. non solutæ. primo circa Dosim. nam Hipp. ad duo, vel tria capita ascẽdit. Oribasius, & Aetius videntur vnum bulbum proponere, & Auicenna non audet excedere 3. vel 4. dracmas, ne ex nimio vomitu succedat conuulsio. ego dicerem à cæna, quia vltimo sumitur, & primo Vomitur, vnde in Ventriculo parum residet, posse assumi duos, uel tres bulbos, at decocti, & ieiuno uentre etiam in pauca dosi debent assumi. secunda difficultas est, quia Oribasius sibi contradicit. primo enim asserit Narcissi bulbos in cæna assumptos facilem præstare vomitum. deinde uero Narcissi bulbum decoctum, & cum uino eius decocto assumpto, esse ualidum uomitorium. *Contradictio Oribasij.* unde est ex Oribasio, facilis, & ualidus. & ualidus unus bulbus, imbecilles plures bulbi.

Responsio Mercurialis. Respondet Mercurialis. *ad Vomitum ciendum posse adhiberi bulbos Narcissi varijs modis, vel cum vino, vel sine vino; si cum vino assumantur, validissime prouocant vomitum, & de hoc Paul. Aeg. & Oribasius loquuntur: sed si sine vino, quem admodum vsurpat Hipp. à cæna sine molestia est Vomitus*.

Responsio nostra. Respondeo ego, quod bene diceret, si uinum magis laxaret uentriculum, quam aqua: penetrare quidem vinum facit medicamẽti vim; unde uinum meracum à Dioscoride dicitur Veneni Cicutæ alexipharmacum. tamen Vinum Cicutæ succo mixtum irremediabile Venenum reddit, ob faciliorẽ ad viscera penetrationem. ut Antiqui referunt, & cum his Hermolaus Barbarus, &c. unde potius plures bulbi post cęnam facilius uomere faciũt. unus autem coctus cum suo decocto, & uino in ieiuno est ualidum, & difficile Vomitiuum.

Apulei explicatio. Scripsit Apuleus Platonicus lib. de Medicam. Herbarum. c. 55. *Herbam ad phthisicos, & Colicos. Narcissum tusam, & potui datam colicis, vel tussientibus prodesse dicimus*. licet scribat *Herbam*, sentio tamen uelle bulbum, & fortasse prodesse ui uomitoria. quia colicis uomitus confert. & aliquãdo etiã phthisicis.

Quid agendum. Ex his colligemus Antiquis fuisse in usu ad uomitum excitandum bulbos Narcissi nostri pratensis, & simplici flore albo, medio calice croceo. in febre Ephimera ex lassitudine. in doloribus matricis. et Vesicæ præterea colicis, phthisicis, & tussiculosis. nos eo uti poterimus, quando aliorum uomitoriorum magis consuetorum fuerit defectus. *Quomodo.* Aliqui dedere bulbum crudum. cæteri uero exhibent bulbum elixatum, ut mãducetur cum oleo, & sale. alij iubent cum pane modico, alij cum solitis cibis. & eius decoctum cum uino mixtum potandũ exhibent in Cæna.

Quantum. Eius dosis est incerta. alij exhibẽt unum bulbum. Hipp. duos, uel tres. Auic. non audet excedere tres, uel quatuor dracmas. *Quando.* Si fuerit in cæna assumptus cum alijs cibis, facilis succedet Vomitus, quia suam uim non ualde in uentriculum imprimet; si uero bulbus elixus, & contusus fuerit assumptus à ieiuno, & eius decoctum cum [illegible] mixtum fuerit potatum ualidum [illegible] bit Vomitum, quem timet Au[illegible]

De Nardo Celtico. Cap. C I X.

Nomen.

NArdum Celticum à regione in qua nascitur cognomen habuit, nardi vero nomen ab odore, & facultatibus Nardi Indici, & Syriaci. nascitur Nardum Celticum ex Dioscoride in Liguriæ alpibus, prouenitque in Istria. sed Matthiolus id reperit etiam in Stiria,& Carinthia. apud Aromatarios nunc passim siccatum inuenitur. Nardum Gallicum Aegineta vocauit. Radices, atq; cauliculi abiectis folijs in vsu sunt ob odoris suauitatem.

Natale.

Hic mirabitur non nemo, quod inter valida Vomitoria connumerare Nardum Celticum ausus fuerim; siquidem Dioscorides scriptum reliquit. *ad eadem, quæ Syriacum pollet: sed vehementius vrinam cit,& stomacho vtilius est.* & de Nardo Indico, & Syriaco scripserat. *Aluum potu sistunt. Nauseæ ex aqua frigida auxiliantur, & stomachi rosionibus*; & Galenus 8. de sim. med, fac. *Nardi spica composita est ex adstringente sufficienter substantia, & acri calida non multa.* & de Celtica Nardo ait. *iam dictis Nardis similis quadantenus in genere facultatis est. Ceterum ad omnia imbecillior, præterquam ad prouocandum vrinam, si quidem calidior illis est; sed minus adstringit*; tantum igitur abest, vt Nardus Celtica vomitū promoueat; vt potius Nauseam compescat, & alui fluxiones sistat.

Paradoxū

Contra tamen non paruæ auctoritatis scriptores adsunt. nempe Paulus Aegineta lib. 7. c. 10. nos docuit, *Nardi Gallicæ radicum dracmæ septem ex mulsa potæ sursum valenter purgant.* quod pariter visum fuit Aetio serm. 3. cap. 119. *Celticæ radix trita septem dracmarum pondere in aqua mulsa, ac pota, fortiter sursum purgat, vt aliquando etiam excessus purgationis consequatur.*

vis vomitoria.

Quare dicendum, quod dracmæ septem efficiunt Vomitum cum aqua mulsa potæ. quia natura à copia irritetur ad vomitum, à pauca dosi roboretur, vt Crocus in pauca dosi est medicamentum cordiale, in multa venenum, Verum quia præter dictos nullū aliū legi auctorē Nardi Celticæ vsum pro Vomitu excitando, ego quoq[illegible] obsoleta relinquam.

Quid agēdum.

Sat sit scire pond[illegible] debere esse.

Quantum.

Et potandum [illegible]

Quomodo.

De Nicotiana. Cap. C X.

MVltitudine nominum hęc plāta diues est; Nam à Prouincia vbi primum reperta *Tabacum* ab Hispanis dicta, licet Peruani *Petum* vocent, vel *Picielt* ex Monardo. Hæc primū in Lusitania dicta fuit *Herba Legati*. quod Io. Nicotius Legatus tunc temporis Regis Galliæ in Lusitaniam in suo Horto coleret, à quo transmissa in Galliam vocata fuit Nicotiana & ibi culta à Regina Catharina Medicea, & à magno Priore, nomen obtinuit *Herbæ Reginæ*. & *Herba magni Prioris*. delata in Aetruriam ab Alphonso Tornabono, dicta fuit à Cæsalpino Tornabona. Romæ allata à Cardinali Sanctæ Crucis dicitur etiam *Herba Sanctæ Crucis*. alij vocant *Herbam Sanctam*. alij. *Sanam sanctam*. alia vero Indica nomina sicut Belgica, Germanicaq; silentio obuoluam. Recentiores Botanici aliquando conati hanc includere sub antiquorum notitiam. sed aliquando videntur delirasse. ita Guillandinus in suis synonimis plantarum. hanc censuit *Onosma Pauli*. cum tamen Paulus non differat à Dioscoride, qui de Onosmate scripsit, habere folia in terra iacentia sine caule, sine flore, sine semine. Lugdunenses dixere *Buglossum Antarticum*. sed nec folia aspera, nec quatuor semina sub vno flore producit. qui *Pipermam* vocant ad placitum suum loquuntur. *Hiosciamum Peruianum* dixere Gesnerus, Dodoneus, Camerarius. quod nec placuit Io. Neandro in Tabacologia, nec Delecampio. quoniam huius folia sint acria, & calida, Hyosciami vero frigida. sed hoc vim non facit. nam seminis productio similis has plantas congeneres facit. immo vis tabacci, & Hiosciami conturbandi spiritus Animales similis est.

Nomina.

Hiosciamus Peruianus.

Quoad huius plantæ differentias folia Tabacci maris, & fæminæ dictæ parum distant; immo sæpe commutantur, maris enim dicūtur latiora, fæminæ angustiora; sed temporis processu mutāt formā ob soli pinguedinē, vel [illegible]itatē, vt sæpe obseruaui in meo Horto.

Differētia.

[illegible]ca temperamentum. Aliqui frigidum [illegible]nsent, & eiusdem cum Hyosciamo [illegible]tis, ob quamdam plantæ formam & [illegible]ntis alienationem, ac soporem. Sed [illegible]iuntur, quia calida facultas ei inest. C[illegible] [illegible]ius calidum in primo, & siccum in te[illegible] [illegible]o gradu fecit. Lobelius ordine secun[illegible] [illegible]ntenso posuit. Edoardus Done Anglus [illegible]dum, & siccum in tertio. sed nos dum[illegible] [illegible]mus cum Renealmo, & Neandro, vt [illegible]a viridia sint calida, & sicca in secundo [illegible]essu, siccata verò in sine tertij. [illegible] [illegible]m enim acria & calefacientia percipiuntur. Circa facultatem [illegible] [illegible] ei non [illegible] [illegible] Io. Neander in Tabacologia [illegible]

Temperamentum.

uit, scribens pag. 48, *Idem suffumigium vehementer in nauseam, ac vomitum ventriculum concitat (vt cottidiana experientia monstrat) villis nimirum internis adhærendo, ac ita succos peculiares in ventriculo, ac mesenterio contentos offendendo, operationes eius consuetas demolitur.*

Et pag. 93. *Succus pondere duarum vnciarum interpolatus vicibus sumptus, vehementer supra, atq; infra aquam, atq; pituitam purgat: ideoq; Epilepticos sanat: si malum antiquatū non fuerit. quod experiētia nobis in pluribus compertum attestamur*, & pag. 102. ex eius succo confectum syrupum supra, & infra purgare docet, pag. 147. Vino dracmæ duæ succi exhibitæ horarum decem spacio vim conciliant per superiora purgandi, & inferiora, & id circo in pestifera lue multum conferunt talia.

Historia. Nos testamur puellam, cui ob vlcera capitis mater caput succo Tabacci multum confricauerat, valde vomuisse. vnde patet mirabilis eius vis, vt etiam capiti apposito multo succo vomitus promittetur, & multos noui, qui manè manso mediocri Nicotianæ folio multam viscidam pituitam euomebāt.

Quid agendum. Ergo mansum Tabacci viride folium, syrupus ex eius succo, vel succus quocumq; modo deuoratus, immo etiam copiosus fumus vomitum excitare solent mitem, quo

Quoties. copiosa pituita viscida educatur. & conferet talis euacuatio sæpe repetita. vt quolibet manè ad auertendas fluxiones ad articulos, ad Epilepsiam, Paralisiā, Colicam, Dodoneus ita scripsit. *Succo verò huius epoto quatuor, aut quinque vnciarum pondere, aluum vehementer supra infraq; purgatum, longum deinde, & profun-*

Quantum. *dum subsequutum somnum, ab amico obseruatum accepimus; fuit autem is, qui assumpsit rusticus, homo fortis media ætatis, Hydrope laborans, qui ex somno expergefactus, cibum, potumque postulauit, ac deinceps bene habuit. Atque hinc expurgandi quoque facultatem hunc habere cognoscere licet.*

De Nuce Henden, Cap. CXI.

Nomen. Proponit nobis Serapio rem nomine *Nucis benden*, seu *banden*, & in Barbaria dicitur *Nux Columbarum*, & describens ex Rasi dicit esse *Tuber*, Adeps terræ, & *petra terræ*. & ex Isaac, esse *Tubera granata sicut cicera alba, cuius color trabit ad glancedinem*. Ex Salomone dicit, quod *facit Vomere*, & ex libro Talsameth. *Quando proijcitur ex eo vnum cange in lib. x. Mellis, & in lib. t. minus testia aqua calida, & agitatur bene, & cooperiatur os Vasis fit Vinum statim, & Barbari vtuntur eo*. Auic. lib. 2. cap. 503. est terra granola, & sicut cicer, alba declinans ad citrinitatem, quæ expectatur.

Equidem quid sit hæc nux diuinare nequeo. primo enim videtur velle Tubera nostra, dicens, quod sit Pinguedo terræ, petra terræ, & Tuber. nec non quod sit calida, & humida augens sperma, & corroborans libidinem. ad quæ sunt in vsu nostra Tubera.

Ex altera parte, quia scribit ex tali nuce cum melle, & aqua calida effici Vinū. idest, potū, quo Barbari vtantur. erit veluti Caphe dictum, & quid simile. sed quia dicit afferri de Barca, & de Corosceu. possumus dicere esse Medicamentum Indicum, quod neque in terra Serapionis oriebatur; sed aliunde afferebatur. At citat Paulum, & Galenū. crederem alium Paulum, & alium Galenum legisse. an Auellana purgatrix Monardi, & aliorum?

Quoniam autem Serapio scripsit, quod *facit Vomere*, coactus sunt eius hic meminisse, licet Auic. nihil de Vomitu: sed potius contrarium asserat, inquiens. *Abscindere fluxum sanguinis*.

De Nuce Vomica. Cap. CVII.

Nomen. Serapio describens Nucem Vomicam, duorum tantum auctorum dicta refert. Habix, & Abraam, & quia vomitoriam nominat, & talem dicit esse, de ea à nobis hic est habendus sermo. Guilielmus Quacelbenus apud Mattiolum, Epist. lib. 3. scripsit Constantinopoli vocari Nuces Farfalach. cui respondit Mattiolus. se eas Venetijs emisse. selectas, & allatas inter Nuces Mosc. Igitur *Nux vomica* videtur dicta quod Vomitoria sit. *Castaneola* à forma. Sed quid sit primo erit inuestigandum, quam quidem non debemus ex Græcis perquirere; sed ex Arabi-

Quid sit. bus. Ergo Serapio ex Abraam. *Est nux (scribit) cuius color est inter glaucedinem, & albedinem maior auellana parum, & sunt in ea nodi*, Auic. lib. 2. de hac non loquitur. sed solum c. 508. de Nuce Metel ait, esse similem Nuci vomicæ.

Apud nos in officinis Nucis Vomicæ nomine quidem fructus prostant, quos pro genuinis recipiunt Cordus, Castor Durantes, Lugdunenses, Tabernamontanus.

Negant alij plurimi, vt Anguillara, Lacuna, Cæsalpinus, Lonicerus, Guilland. Fuchsius. Mattiolus *Caninam* appellare mauult non autem *Vomicam*, quod Canes deuorata pauca temporis mora interimat. At officinarum Nucem Vomicam esse Nucem Metel censent Lonicerus, Lacuna, Cæsalpinus, Anguillara, &c.

Difficultas Itaque non leuis dubitatio primo occurrit, an cognoscatur, & an apud nos reperiatur vera nux Vomica tum, quia notæ traditæ sunt leues, & fallaces; tum etiam quia facultates non correspondent promissis.

Notæ non videntur correspondere. vnde Anguillara vulgarem Vomicam esse legitimam negauit.

Nec

Nec correſpondent facultates, quia Vomitoria ab Arabibus perhibetur. Homini noxiam dicit Matriolus, innoxiam Melichius, & Renodæus. pomones ſumniferas ex his ſeparaſſe Braſauolus ſcribit, referente Bauhino. Anguillara refert, ſe ex amico ſuo in re herbaria peritiſſimo certiorē eſſe factum, quod vulgaris nux vomica, ſit radix herbæ folijs rotundis humi ſerpentibus, quod ſi uerum eſt, non dici poteſt fructus, ſed nux. Sed quicquid ſit, vera Nux Vomica Arabum Vomitoria eſt res: ita ſi quidem apud Serapionem Habix retulit. *Facit vomere fortiter ſola, aut cum alijs medicinis, quando teritur, & miſcetur cum pauco ſalis, eo quod ſal iuuat ad vomitum, & mouet humores, & facit eos egredi facilius per vomitum.* & ex ſententia Habix. *Mouet vomitum, & expellit ſuperfluitates cholericas, & phlegmaticas, & laxat inferius etiam ſecundum virtutem, & ſecundum naturam ſuperfluitatum.* Meſue Canonum lib. 1. Theor. 1. tex. 15. inter Mediocria Vomitoria numerat nucem Vomicam. Auic. ſupponit pro Struthio.

Emetica.

Quantum. Eius doſis ex Habix ſunt dracmæ duæ. ſed eius Corticis Abraam exhibet dracmam vnam.

Quomodo. Habix ait. *Et bulliant folia, vel ſummitates foliorum Anethi ſicci in pondere dracmarum viginti: in libra vna aquæ, uſque ad conſumptionem medietatis eius, deinde apponatur parum mellis, & medicina conficiatur cum melle, & poſtea admiſceatur cum aqua illa decocta; & bibatur, quoniam facit euomere vomitu facili, & fortaſſis ſoluit ventrem. Et tali modo præparatur cum Dee, & ſemine Atriplicis.* & ex Abraam ſcribit. *Et quando accipitur de cortico eius, & teritur, & cribratur, & accipitur de ipſo dracma vna, cum duobus aureis Aneti triti, aut ſemine fœniculi, & conficitur cum melle ſufficienti, & bibitur cum aqua calida.*

Quid agendum. Equidem vtor Vomitorijs cognitis, & expertis. nam Arnaldus de Venenis ſcribit. *Venenum eſt ex Auic.* deinde ſubdit. Nux Indica, uel Vomica. drac. ſemis. Caſtaneolę prouocat Vomitum etiam cum timore, & tremore.

De Nerio. Cap. CXII.

Nomen. NErion, Rhododendron, Rhododaphne, Roſa Apulei, Laurus roſea, Roſa arborea, Oleandrum. ſunt nomina ſynonima eiuſdem plantæ. vulgaris notitiæ, cum flore rubro, tum albo, ut prope radices Montis Aetnæ circa flumina copioſiſſime nobis ſpectare licuit, menſe Auguſto.

Temperamentum. Tota planta eſt facultate valde calefaciēte, unde Auic. repoſuit inter calida tertio exceſſu, & ſicca ſecundo. Galenus 8. de ſimp. m. fac. *Initio autem*, inquit, *in corpus aſſumptus pernicioſus, ac venenoſus non tantum hominibus eſt, ſed pleriſque etiam pecudibus.* Dioſcorides autem ſcriptum reliquit. *Flores, & folia Mulis, Canibus, Aſinis, & quadrupedum plurimis venena ſunt. Imbecilla etiam animantes, vt pecus, & capræ, ſi aquam bibant, in qua folia ea maduerint, moriuntur.* confirmauit id Plinius iiſdem penè verbis. tum lib. 16. cap. 20. tum etiam lib. 24. c. 11. quibus addendum quod refert lib. 21. c. 13. ſcribens. *Aliud genus in eodem Ponto gente Sannorum mellis, quod ab inſania, quam gignit, Mænomenon vocant. Id exiſtimatur contrahi flore Rhododendri, quo ſcatent ſiluæ. Genſq. ea cum ceram in tributa Romanis præſtet, mel (quoniam exitiale eſt) non vendit.* præterea Ioan. Liebautius Comen. de Venenis apud Scolzium: teſtatur ſic. *Quidam è ligno Oleandri Veru fecerunt, & carnes eo aſſarunt, & mortui ſunt, qui ex eis comederant.* Ergo dubio procul venenatum eſt Nerion. *Deleteriū.*

Tamen ſcribit Plinius lib. 24. citato. *Mirum folia eius quadrupedum venenum eſſe, homini vero contra ſerpentes præſidium Ruta addita è vino pota.* quod ſupra etiam lib. 16. notauerat. ſentiens cum Dioſcoride docente eadem. Paradoxum hoc viſum fuit Auicennæ, qui ſcripſit. *Eſt Venenum, & quandoq: miſcetur cum Vino, & Ruta, & potatur, & liberat à venenis vermium venenoſorum, & ipſa, & eius flos ſunt venenum hominibus, & beſtijs, & canibus: veruntamen confert, cum bibitur cum vino decocta cum Ruta ſecundum quod dicitur.* Ecce quod Auic. refert, *ſecundum quod dicitur*. ſed parum credit. *Paradoxū*

Porro eſſe Venenum, & eſſe contra Venena ſūt oppoſita proinde ne Dioſcoridis & Plinij auctoritas refrangatur. dicemus hominibus ſanis eſſe Venenum. demorſis autē à ſerpentibus auxilium. non ne duo venena data iuuant ex Auſonio? & plurima his ſimilia. *Cōciliatio.*

Sed diceris, quorſum hæc, quid ad Vomitoria? cum nec Ardoinus lib. de Venenis 3. c. 21. de Oleandro. Vomitum ponat inter Accidentia ab aſſumpto Oleandro. immo omnes auctores pro remedio ab eo aſſumpto proponunt Vomitum.

His nō obſtantibus Reperio Leonardum Florauantum Empiricum Doctorem lib. 1. ſuæ Phiſicæ c. 41. ſcribentem. *Oleandrum eſt planta notiſſima, quoniam, & Domi, & in Hortis ad ornatum alitur, hoc corpus ſoluit, & valide vomitum prouocat: ſed non valet in febribus ardentibus, quæ maximopere inflammant, ſed vbicumq: morbi à cauſa frigida adſunt, in his maxime prodeſt, & valide ſoluit.* *vis Vomitoria.*

Ego, vt verum fatear, vt ſæpe vtor Vnguento ex folijs Oleandri ad ſcabiem, ita è contra nunquam utar ad uomitum excitandum, neque etiam in letargo, Apoplexia quotidiana, uel quocumque alio morbo frigidiſſimo, quia non timeo primas qualitates; ſed Venenum, itaque nulli conſulam, ut Nerio utatur pro Vomitorio. id tamen proponere fui coactus, quia Auctorem legi. ipſum inter Vomitoria reponentem. *Quid agēdum.*

De Ouis Piscium. Cap. CXIII.

HIc reponemus etiam Oua Piscium inter Medicamenta Vomitoria, de quo fortasse non nemo mirabitur, quia Auium oua summe commẽdantur, probantur etiam *Mirabile.* Testudinum Oua. Sed et Piscium Oua in vsu plurimo sunt, siquidem *Oua Tunni* salita innoxie comeduntur Oua Halicum (dicta *Arenghe*) ventriculum firmant. Ex Ouis Stirionis salitis paratur conditum, quod *Cauiale* vocatur. *Oua Tarica* (nos *Botarghe*) dicuntur Oua Cephali sale condita. ita etiam multorum piscium recentium Oua iucunde, & innocue sumuntur.

Oua vomitiua. Contra tamen noxia, & Vomitoria perhibentur Oua Piscis Barbi, Lucij, Squalli, Astaci, Cicadæ, & fortasse aliorum multorũ.

Oua Barbi *Barbulorum Oua*, inquit Platina, *mense præsertim Maio perniciosa habentur*. Matthiolus verò scripsit. *Nec minus euitare oportet Oua Barbi piscis, nam adeo venenata sunt, vt si largius sumãtur, eos qui hauseriat in magnum periculum adducent*, eadem refert Schuuenchfelt, lib. de Animalibus Silesiæ. Scappius Coquus dicit esse Oua pessima. Paulus Zacchias lib. de Victu Quadrag. scripsit. interiora Barbi esse quasi venenata, præcipue vero in aliquibus anni temporibus, licet semper dolores colicos, & aliquot alios his multo peiores cum vomitu, & sexcentis alijs prauis accidentibus caussare soleant. Cardanus. lib. 3. de san. tuen. c. 69. & repetit de Aere, Aq. & loc. tom. 2. lect. 6. scribens. *Oua piscis fluuialis, quem vocant Barbum, credo quia barbatus est, præsertim tempore Maij, cum flores Populearum arborum, quæ ripis fluuiorum insidere solent, ederint. Mouent choleram affectum non sine vitæ discrimine, vt elleborus albus, aluum etiam vehementer irritãt, vt aliquando, non nisi magno negotio sisti possit.* Rondeletius autem in Hist. Piscium. scriptum reliquit. *Oua Venenata esse vulgo dicuntur. quod vim turbandæ alui, & ventriculi subuertendi habeant. Hoc ideo fit, quia bilem mouent, & excitant: ijs enim qui affatim oua ista deuorarunt, & vomitu, & alui deiectione, & magno oris ventriculi morsu, & molestia corpus euacuatur. Hanc vim ouis istis inesse nonnulli existimant eo maxime tempore quo Salicum (quæ ad fluuiorum ripas sunt) floribus in aquam decidentibus vescuntur. Sed cum eadem neque Salicum floribus, neque alijs ipsorum Barborum partibus, quæ ex ijsdem aluntur, insit, id Idiosyncrasiæ potius tribuerim, quam manifestæ cuipiam qualitati.* Et Ant. Gazius apud Gesnerum Hist. Aquat. p. 154. *Cum de Ouis*, ait, *Barbuli piscis cocti duos tantum bolos comedissem, experiũdi gratia, nihil inde aliquot horis postea nausea percepi demum sub horam cœnæ plurimam in ore ventriculi sensi inflationem, quam vt dissoluerem, Anisum sumpsi, sed frustra. Post horam facies mea apparuit tanquam in syncope, ita vt astantes, & admirari, & de mea salute timere inciperent. Ego interim magnam non solum in stomacho, & ventre, sed omnibus membris externis alterationem, & inæqualem quandam intemperiem in vnaquaq; carnis parte sentiebam. Tum superuenit passio cholerica, donec supra, infraq; simul pluries Oua purgarentur, magna cum anxietate, & virium prostratione, & maximo vitæ periculo.* Gesnerus autem lib. de Aquat. pag. 145. suis monumentis reliquit. *Ego autem quosdam his ouis degustatis similiter ferè affectos noui. Et quendam intra duas horas ab eis assumptis supra infraque magna cum anxietate vehementer inanitum. quamobrem Oua cum piscis exenteratur, statim eximi debeat, nec vna eam pisce coqui.*

At modo vt referam, quæ de Ouis Piscis Barbi obseruaui. inter multos, quos curaui huius recordor. dũ Romæ eram anno 1616. vocatus fui ad visitandas duas sorores Neapolitanas meretrices. quæ ob esum ouorum piscis Barbi multum supra infraque euacuatæ erant, quarum altera Angela nomine vomuit tantum, sed die sequenti ab vlcusculis *Historia.* ex humore salso circa pudenda ad partem sinistram in pectine, quibus per tres menses laborauerat, cum maxima molestia, & ab ijs maximopere optauerat curari. sanata apparuit. Altera vero soror Angelica vocata, quæ sana videbatur, & nulla egere purgatione, ab hisce Ouis assumptis sursum, & deorsum vehementer purgata fuit. & per x. dies inferna purgatio perdurauit, vt etiam vltimo in Tenesmũ deueniret, mucosa, ac sanguinolenta deijciens. Tandem cum maximo uentris rugitu multam liquidam materiam deiecit, & conualuit. Altera igitur ex tali euacuatione sana existens læsa fuit, altera uero chacochima, egens purgatione, mirè curata.

Sed Leonardus Florauantus lib. 1. suæ Physicæ. c. 79. *Hic piscis*, inquit, *Mense Maij fert Oua, quæ quocumq: deuorata modo aluum soluunt, & multis vomitum prouocant, & mirabiliter purgant, Quicumque autem eo tempore taliter purgatur, securus erit. se eo anno non ægrotaturum, purgatio autem est iucundissima, quia humores non commouentur, vt ab alijs medicamentis assumptis. Quamobrem, capto pisce statim oua sunt extrahenda, & industriè ad Solem siccanda, & miscenda cum Sena, & alijs correctiuis.* itaque usus Ouorum Barbi. quandoq. confert.

Oua Lucij Nec sola Barbi Oua; sed etiam Lucij Vomitoria sunt. Quoniam Gesnerus in Histor. Aquar. de Lucio. refert. *Quidam ex Ouis Lucij quoque similiter cholericam passionem excitari aiunt. Etenim oua Luciorum piscatores circa Argentinam tanquam medicata abijciunt: videntur enim æque noxia, vt Barbi Oua, similiterque cholericam affectionem inducere. sunt qui arida trita purgandi aluum causa exhibeant.* ita etiam Schuuenchfelt, *Lucij piscis*, inquit, *Oua abijciuntur, vt inutilia cum nauseam, & diarrhæam commoueant instar Barborum.*

Squali

Oua Squali. Squali piscis oua emetica etiam sunt. Romæ anno 1623. de his comederunt Reuerendissimus D. Coccinus Decanus Auditorum Rotæ, Hyeronimus Magister Domus, & D. Io. Bassus Capellanus. Hi multum supra, infraque eiecere. Reuerendissimus autem ipse non vomuit, sed per triduum aluum liquidam habuit.

Oua Cicadæ piscis. Cicada piscis Crustatus est, congener Locustis, squalis, Oua plurima initio æstatis sub cauda gerit, quæ cocta coralliorum colorem referunt. Messanæ primo Iulij. 1639. huius oua comesta fuere à Baronissa, Vxore Don Philippi Bonaiuti tunc Iudicis Messanæ, à Don Andrea huius fratre, ab ipsius Coquo, & à Rhedario, omnibus molestus vomitus supervenit, cũ multa anxietate, & alui etiã fluxu ab hora 18. ad 24. Doctissimus Medicus, & cæteri adstantes de Veneno exhibito timebant, & multis in vanum adhibitis remedijs, tandem ego conuocatus, qui Romæ plurimos ob oua Barbi deuoratã curaueram, ipsorum timorem irrisi, & cuiq; exhibitis vncijs quatuor succi Agrestæ vomitum, quasi per incantamentum sedaui.

An ouorũ pisciũ vsus sit salubris. Ex quibus constat non Barborum tãtum oua; sed aliorum quoque piscium esse aliquando Vomitoria, & quæreres an à Medico adhiberi possint, & cur Vomitoria sint.

Respondeo. licet cognouerim experimẽto Angelam illam à me supra allatam ex Vomitu ab esu huiusmodi Barbi ouorum, ob multam euacuationem ab ijs affectibus sanatam, & ad multa laudet Florauantus, ac Gesnerus dicat, & ab alijs hæc Oua siccata ad purgãdum Exhiberi. tamen quia nec quantum, nec quando sint exhibenda tradiderunt; ego ea relinquerem.

Quid agẽdum.

Sed cur hæc Oua aliquando sint vomitiua inuestigare fas erit. Alij dixere Barbos id habere ob esum florum salicum, alij Popułearum Arborum; sed decepti sunt, quia non Oua, sed piscium caro debebat Ventriculum subuertere. Adde quod nec Populos, nec Salix per se Vomitiua sunt, nec ipsorum flores. Doctissimus Paulus Zacchias lib. cit. de Squam. *licet*, inquit, *omnes fere pisces his similes quibusdam temporibus oua habeãt talis extraneæ naturæ; vt facile accidentia prædicta generent, verum hoc alijs piscibus per accidens euenit; quod à Vere quando earum maxima capitur copia; quædam praua edant, à quibus hæc edentes offendendo vitium adipiscantur. sed in Barbo interiora semper sunt praua, prædictis autem temporibus fiunt pessima.* Sed equidem amico, & docto viro concedam facile quibusdam temporibus oua Barbi esse pessima. sed cur sint pessima quero. nec ob edulia concedã; quare dicam sententiam meam. Oua Gallinarum recentia optima ab omnibus censentur. sed inueterata, & à Gallina incubata, & seminata, & cum pullo incluso, & pessima; & abominanda, & Vomitoria sunt, ita

Cur Oua sint Vomitoria.

Rationes aliorum.

Ratio nostra. quando Pisces vere habent oua, è quibus genitus pisciculus mox mox est exiturus nõ amplius oua dicenda sunt. sed pisciculi humidissimi, cum excrementis corruptis ex piscium generatione, vnde materia pessima. ergo, dũ Oua cũ oui forma permanent erunt optima, dũ vero corrũpuntur, & in piscem, vel pullum commutantur sunt pessima. non mirum, ergo. si vere piscium oua Mala, & Ventriculo subuersoria euadunt.

Ex Aristotile autem discemus lib. 6. de Hist. Anim. cap. 17. qui pisces pariant Vere, qui Autumno, vel alio tempore, & tunc sciemus, quod oua quum sint prope partum erunt alterata, ob id inepta ad edendum, vt Volucrium oua. quare dicemus Barbos, Lucios, Squalos, Cicadas Maio parere. quibus addere licet alios pisces eodem tempore parientes. vt Mugilẽ, Salpã, Sacrũ, Auratã, Lupũ, & alios, quos initio æstatis parere scripsit maximus Auctor Stagirita. addamus ex eodem Aristotele, quod in parituris piscibus inuolucrum ouorum putrescat, & hinc vermiculi oriantur, qui partum ouorum accelerant, cuius hæc sunt verba loco citato. *Exitus pariendi piscium compluribus est, vbi vermiculi nati in ventre fuerint. innascuntur enim minuta quædam animalia vermiculi specie, quæ partum expellunt*, qui Vermiculi corrodentes interiora piscium, efficiunt, vt *laborent omnes per id tempus, quo gerunt vterum, vnde fit, vt tunc potissimũ ruant in terram, atque excidant. feruntur porro grani stimulo agitati in terram, atq; omnino id temporis motu perpetuo incitantur, donec pariant: sed omnium maxime Mugilem ita sollicitari certum est. requiescunt à partu continuo.* & ex his constat vera causa, cur Oua aliquorum Piscium determinato tempore sint Vomitiua, &c.

De Palma Christi. Cap. CXIV.

Descriptio Cardani. Planta ab Herbarijs dicta Palma Christi non bene nota fuit Doctissimo Cardano, siquidem male eam descripsit libro suo de Dentibus. & clare apparet ipsum non ex propria experientia: sed ex aliorum relatione loqui. Nam *Palma Christi*, inquit, *similis est Ephemero, radice bulbosa in modum digitorum manus, quadrifida, aut quinque in digitos diuisa: vnde etiam Hermodactilus dictus, cuius duæ sunt species, Maior folio lactucæ leui, flore purpureo, ac candido in speciem quasi iridis, & odorato, caule etiam leui, ac rotundo: Minori Crocisolium caulis pene similis, flos olens Moschum, & Ambram, ideoque iucundissimi odoris, ac suauissimi, purpureus, ac violaceus, sed vt Amaranthi in conum quasi desinens, leuis.* in qua descriptione multum aberrauit, itaut plantam valde notam, fere incognitam reddat. nam quid Palma Christi cũ Ephemero? radix non est bulbosa, sed tuberosa. nec folio est lactucæ, nec in speciem Iridis.

Matthiol. Iridis. exactius descripsit Matthiolus scribēs: *Palma Christi duo in Anania vallis montibus habentur genera. Vnum maius, quod folia Allio latiora nigris resperfa maculis, caulem rotundum, latiorem; florem spicatum; varium, in purpura albicantem, odore non ingrato; radices duas, quæ (and testiculos caninos referunt, nisi ramis quibusdam quasi digitis, humanam manum exprimere viderentur. Alterum minus, quod folijs constat Croci; caule dodrantali, iunceo, leuiq. in cuius cacumine flos emicat purpureus, Amarinthi æmulus, qui recens odorem quam suauissimum reddit.* Nicolaus Nicolus in Curatione Quartanæ. sermone 2. pag. 170. dicit esse vnam de speciebus Satirionis. & Satirium Basilicum vocat Dodonoeus. alij Orchidem Serapiam. Bauhinus Orchidē palmatā, & species eius XXI. enumerat. Nostri diuidunt in duas species Concordiam, & Discordiam; altera n. videtur habere manuum volas concordes, altera vero ad extra conuersas, ob id discordes, & ijs, quibusdam superstitionibus additis mulierculæ vtuntur, ad concordiam, vel discordiā inter homines, & mulieres excitandas.

Vires autem Palma Christi videtur habere adstringentes; quia hæc est de genere Orchidum. & easdem debet habere vires. sed Orchis adstringit, siquidem Dioscorides testatur. *Aluum sistere è vino potas radices.* Et Matthiolus de Palma Christi. *Huius exiccati puluis ex aqua ignitum Calyben experta, epotus (vt perhibent ij, qui ita esse experimento comprobarunt) dysentericis maxime prodest. Idem aquam præstare aiunt, quæ per vitrea Organa ex ijs elicitur.*

Contra tamen Vomitum, & aluum ciere scripsit Nicolaus Florentinus, & eum sequuti Mattiolus, Cardanus, Castor, Dodoneus. sed solo Nicoli experimento freti. ait autem Nicolus de Curatione Quartanæ. se curasse Biliotum Quartana affectum, qui fuerat vsus pluribus remedijs præterquam vomitu. *Postquam autem peruenit ad 44. accessionem virtus erat æqualiter resumpta, vnde exhibui ei per horam ante accessionem 45. de radice Palma Christi, quæ est vna de speciebus Satirionis ad quantitatem longitudinis pollicis bene pistatam, & distemperatam cum optimo vino albo, & ea recepta euomuit materias diuersas in magna quantitate, citrinas, virides, & nigras. Et post istum vomitum accessio venit minor. In sequenti accessione non dedi sibi de dicta radice, sed in tertia sic, & similiter processi vsque ad tertiam dationem, & in omni vice euomebat de dictis materijs quantitatem magnam. Et post tertiam sumptionem remansit sine febre XV. diebus, &c.* & addit. *Et scias, quod prædicta radix aliquando mouet ventrem, & aliquando per vomitum, & per ventrem. Et ego vidi eam mirabilem in depellendo quartanas in qua non est fallacia cum datur in processu post plures purgationes.* Mattiolus. *Radices crassa corporis excrementa pellunt, faciemque detergunt, Dantur Maniacis magno iuuamento, quia & in neruorum affectibus Seminis puluis dracma pondere ex vino potus. Comitialibus subuenit. item radicis decoctum, vino diutius commistum, quod bibendum paratur, tam in prandio, quam in cæna.* Castor Durantes ita cecinit.

vis Vomitoria.

Quartana affectis hæc Christi palma medetur.
Calfacit, & siccat pituitam eademq. per aluum
Deijcit, & bilem maculasq. emendat, & ipsa,
Maniacis confert eadem, Morbisque caducis
Et Dysentericis medicina est; sicca venenis
Viribus hæc tandem magnis, pestisque resistit.

& addit quod aqua ex eius radicibus mense Maio destillata, ac mane vesperiq; pota ad vncias tres Ventriculum roborat, vrinam ciet, & ictericis prodest. Cardanus autem lib. de Dentibus. *Vomitu,* inquit, *Melancholiam, & crudos humores educit. Vnde Quartanam curat, vt testatur Nicolus. per aluum etiam purgari crassos humores, atq. ab articulis præcipue; Seminis etiam maioris grana singula trita cum vino per nouem dies sumpta Comitiales liberare crēduntur, quod ratione non vacat. siquidem vtrumque humorem purgare cum compertum sit ex quo talis morbus generari solet.* Cæsalpinus aliorum relatione ad Comitiales, Quartanam, & Hydropem conferre scripsit. Dodoneus non nisi Nicoli experimentum adducit.

Multi autem censent apud Auicennam appellari digitos Citrinos, sed obstat Dodoneus, & vere quidem incerta est assertio.

Quid agendum. Credendum ergo. Radices Palmæ Christi Vomitu, alui deiectione expurgare crassos, pituitosos, biliosos, & melancholicos humores, proinde morbis ab horum copia ortis conferre, quales sunt Quartana, Mania, melancholia, Apoplexia, Epilepsia.

Quantum. Cardanus drac. j. Castor ad drac. ij.

Quomodo. Nicolus, Matthiolus, Castor, & alij cum Vino. Cardanus cum Aromatibus.

Quando. Ad quartanam paulo ante Accessionem dant Nicolus, &c.

De Papauere Spumeo. Cap. CXV.

Hic nō loquor de Peplio: quod Gal. & alij appellant Papauer Spumeum, Mecona aphrode. sed de planta sic proprie dicta. quæ herba Ignota fuit Matthiolo, & plurimis Botanicis, alij eam indicantes aberrarunt manifeste. nec mihi (vt verum fateor) veteri Botanico adhuc se obtulit. describitur à Dioscoride. Herbula alba, & spumea tota, radice tenui in summo cespite, caule dodrātali, folijs admodum paruis, radiculæ similibus, fructu inter ea candido. Plinius lib. 20. cap. 19. inquit. *folijs (si procul intuearis) speciem passerum præ sententibus, radice in summa terra cute. Semine spumeo. Ex hoc lina splendorem trahunt æstate.* sed errauit Plinius, vt bene notauit Matthiolus, quia Theophrastus ex quo trastulit Plinius, scripserat lib. 9. c. 10. de Hist. plant. *Papauer Herculanum nuncupatum folio constat Struthi, quo splendorem linteis tribuūt, radi-*

Planta ignota.

Error Plinij.

radice in summa terra exeunte, fructu albo. errauit ergo Plinius ob verbum *στρόθιον*, quod tum Passerem auiculam, tum lanariam herbam indicat. quæ ipsa est, quæ lintea dealbat, nō autem, papauer. est autem hoc Papauer folio herbæ Struthij. & Gal. 7. de sim. med. fac. *Papauer spumeum vocatur eo, quod totum sit candidum, & spumosum, exile est.* & ex Dioscoride struthion herba est nonsima, ob id non descripsit; sed Plinius. lib. 19. c. 3. posuit folio oleæ, spinosū, & caule lanuginoso, quare concludendum papauer spumeum debere habere folia alba oleæ emula. sed quam cum Papaueribus habebit similitudinem? Dioscorides, & Plinius, ac Theophrastus non sine ratione simul ponunt. sed respondet ipse Theophrastus id prænoscens. *Hæc igitur veluti æquinoca quadam subiungere placuit.* Ergo papauer spumeum nomen habet equiuocum cum alijs papaueribus, ob id paucissimam similitudinem, *(Descriptio)* *(Æquinocatio.)*

Porrò plan'è à quibusdam Neotericis pro Papauere spumeo propositæ antiquorum descriptioni non quadrant. nec enim *Gratiola* est tota alba, & spumea. quare relinquendus Anguillara. nec *Behe argentea* à Cæsalpino proposita est herbula spumosa tota. nec *Cyanus siluestris* à Columna laudatus est recipiendus. nec *Esula exigua* Gesnero concedenda. ita *Ben album.* non bene à Lobellio commendatur. concludendum adhuc ignotam nobis esse Legitimi Papaueris spumei affigiem. *(vis Vomitoria.)*

Sed interim nobis sat erit eius vires vomitorias perpendere. Theophrastus *radicem superius purgare* scripsit. sed hæc dicitur exilis. at Dioscorides, Plinius, & Galenus semine vtuntur, quia Gal. scribit, *Semen habet pituitam expurgans.* Plinius *Vomitiones facit,* & Dioscorides. *vomitione expurgat.* in comitialibus morbis Theoph. Dioscorides, & Plinius ipsum exhibent. *(Quid agitum.)*

(Quantum.) Plin. tunditur in pila acetabuli mensura, ita etiam Diosc.

(Quomodo.) Dat Diosc. *in aqua mulsa*, Plinius, *in Vino albo.* & Theophrastus *in vino mulso.*

De Peplio. Cap. CXVI.

(Nomen.) Dioscorides *Peplis πεπλὶς*, inquit, *aliqui siluestrem portulacam vocant, Hippocrates Peplion, in maritimis maxime nascitur, lato opaco fruitice, candidi succi pleno: folijs satiuæ portulacæ rotundis, inferne rubentibus, semine sub folijs rotundo, vti in Peplo, fruente gustu: radice singulari, superuacua, tenui. Colligi, & reponi, ac dari vti Peplos, & sale condiri solet. Easdem habet Vires.*

(Descriptio) In arenoso Maris litore copiosa Peplis nascitur humi late serpens, vel ramulis rubentibus, vel albicantibus. Galenus etiam 8. de simp. med. fac. huius semen scribit purgare, vt semen Pepli. sed Pepli semen non fertur vomitum excitare, sed aluum purgare, ergo etiam Peplium,

(Hippocr.) Addamus Hippocratem 2. Acut. scripsisse. In dolore pleuritico infestante partes sub septo transuerso, ventrem, vel nigro Veratro, vel Peplio mollire. & Galenus in com. Etiā eum de purgatione inferna loqui censet. & de Int. aff. n. 8. ad Erisipelas Pulmonis, post septimam potionem *ad subpurgationem ipsi dato ex Peplio, & Meconide, siue Peplo, & grano Cnidio,* & clarius, adhuc n. 11. in Tabe scribens. *Et primum quidem Veratrum bibendum dare, infra autem subpurgare Epithymo, aut Peplio, aut grano Cnidio, aut Tithimalide.* Præterea Aetius tum ser. 1. tum 3. c. 26. & cum ipso auctor de Dinamidijs non referunt vim habere vomitoriam.

(vis Vomitoria.) Ex altera parte videtur fatendum Peplium habere facultatem vomitoriam, quia ex Galeno purgat eius succus veluti. Tythymali succus. sed hic vomitum excitat. ergo. & ostenditur auctoritate H.pp. qui primo de mor. mul. n. 31. *Quibus vero, inquit, sexta, aut septima die à viro immissa prodeunt putrefactibus verisimile est, ab vtrisque fieri, & bilis, & fuliginis influxu. Curare autem sic oportet, per Veratrum, aut Scammonium, aut Peplium: hæc enim sursum, ac deorsum pituitam, & bilem purgant, & flatus educunt.* vt etiam hic com. suo 2. tex. 15. explicat Cordæus, & clarius ipse Hipp. 8. in 6. Epid. tex. 35. Valesij. *Adamantus Melancholicus à Peplijs pluribus, vomuit aliquando nigra, quandoque à capis,*

(Nulla Hippocr. contradictio.) Annè diceris Hippocratem his textibus sibi contradicere? sed sciatis Peplion non semper excitare vomitum: sed aliquando, nec solum in corporibus ad vomitum non assuetis, & difficilibus ob ventriculi dispositionem; sed etiam ob præparationem, si enim Peplio miscuerimus aliquid ventriculum corroborans, & flatum discutiens, non excitabitur vomitus. sic Hipp. daturus Peplion ad subpurgandum ventrem, hoc medicamētum præparat admixtione silphij succi, quod mirè discutit flatus, qui possunt subuertere ventriculum. hinc medicamentum redditur tantum subductorium.

(Vires.) De Viribus Peplij Hippocrates comparatiue loquitur. cum Elleboro nigro. 2. Acut. scribens, *Si sub septo transuerso fuerit dolor, ad claniculam autem de se significationem non præbeat: aluum mollire oportet, aut Veratro nigro, aut Peplio ita ut Veratro quidem Daucum, aut Seseli, aut Cuminum, aut Anisum, aut aliud quid ex odoratis amisceas, Peplio vero Silphij succum. sed hæc inter se si misceantur, consimilis modi existunt, Ducit autem nigrum Veratrum melius, & ad indicationem commodius, quam Peplium. Peplium verò flatus magis erumpere facit. Ambo autem hæc dolorem sedant. Sedant item alia multa aluum subducentia medicamenta. Verum hæc inter ea, quæ ego noui optima sunt,*

Adda-

& tenue. subdit. *Simillimum huic est ex Chamelaea fruttice saxoso, non altiore palmo, folijs oleastri, baccisq.* & lib. 24. c. 15. *Chamelaea similitudinem foliorum Oleæ habet, sunt autem amara, odorata, in petrosis palmum altitudine non exedente. Aluum purgat. Detrahit pituitam bilemque folijs in duabus Absintij partibus decoctis, succoque eo cum melle poto*. itaque Plinij tempore Chamaleæ Planta erat valde nota, vt potè ex qua etiam Oleum conficeretur. nostro autem hoc æuo valde ignota videtur,

Ex Bauhino, Siquidem Bauhinus in suo Theatro Botanico videtur sensisse cæteros omnes Botanicos Chameleam tricoccon dictam veram chameleam statuisse. verum multo aliter res se habere videtur. nec solum hanc non esse omnium consensu veram Dioscoridis Chameleam, sed nonnullorum tantum, alijs aliam plantam proponentibus; immo nec Tricoccon dictum vllo modo posse dici chameleam.

Contra,

Etenim Chamelea antiquorum non folia solum Oliuæ proferre debet: sed etiam Baccas, quæ in Tricocco desiderantur. testem habeo Plinium, qui Chameleæ Historiam hausisse videtur ab eodem auctore à quo Dioscorides eam transcripsit. siue fuerit Crateuas, siue Andreas, siue Diodorus. quos Plinius se in suam Historiam adhibuisse fatetur in Elenco, seu lib. 1. ad conficiendum eius operis lib. 24. quos etiam auctores in præfatione sui operis citat ipse Dioscorides. vbi etiam asserit Petronium Nigrum, qui inter egregios rei herbariæ scriptores habebatur, falso scripsisse. *Euphorbium nascentis in Italia chameleæ succum esse*. Quare qui Chameleam quærunt, aduertant illa Plinij verba. *folijs Oleastri baccisq:* & etiã quod ex ijs oleum amarum effici docedit. ostendant modo mihi in Chamelaea dicta tricoccon Bauhinus, Dodoneus, & alij. baccas Oleastri. & illis credam. nec a Dioscoride, dissimulandum erat fructum chameleę esse tricoccon, & Lathiridi similem.

Refellitur Camelæa tricoccon.

Anguillara. Matthiolus, Franc. Alexandri, Cæsalpinus, & alij aliam Chamelæam proponunt vnum sub vnica bacca ferentem semen, quæ verior erit Chamelea. licet, vt verum fatear, Matthioli Chameleam adhuc vidisse mihi non contigerit, cum tamen, & Romæ in Horto Henrici Coruini Botanici præclarissimi, & affinis mei, & in Horto meo Messanensi, Chamelea Tricoccon sit admodum copiosa.

Itaq: Anguillara scripsit. *in summitate suorum surculorum flores albos, & coacernatos producit. fructus in quo semen est, magnitudine fructus Berberis; sed figura Myrti, colore rubeo, baccida semen continentes nigræ, interna medulla alba, folia, flos, & fructus adeo amara, & acria, vt fauces mordeant.* Matthiolus autẽ de Chamelæa, & Thymelea simul scribit: *vtraque (licet hoc in chamelaa prætererit Diosc.) fructum fetunt Myrti baccis similem, quamuis Chamelea quadantenus longior sit, & Oliuæ formam representet. Vtrique fructus initio sui exortus virescit, mox per maturitatem rubescit deniq: exiccatus niger conspicitur.* Franciscus Alexandri in Apolline, & And. Cæsalpinus, Clusius, in Chamelæa italica, & alij vnicum semen, non autem ternum proponunt.

Quare his stantibus non recipio Chameleam tricoccon pro Chamelea Dioscoridis. nec Chamelæam Alpinam Lobelij, neque Chamelæam Germanicam. sed potius eam, quam Matthiolus, Anguillara, & Cæsalpinum bacciferum describunt.

Facultas.

Quoad Vires. Chamelæa Antiquorum deiectorias vires habere videtur, eo quod scribat Dioscorides. *Detrabit pituitam bilemq: folijs præsertim in Catapotio deuoratis. namque duæ Absintij partes adiecta Chamelaę vna Hydromelite excipiuntur, & in catapotijs coguntur. ea autem in Ventre non liquescunt: siquidem quot quot fuere deuorata, regeruntur*. vnde non vomitoriam vim: sed deiectoriam tantum habere apparet, quia Catapotia integra deorsum egeruntur. sed Clarius Plinius *aluum purgat. detrabit pituitam, bilemque*, & Alex. Trallianus. lib. 9. c. 2. ad Hydropem commendat. *Chameleæ foliorum, vnde granum Cnidium colligitur, &c.* ad purgandas deorsum aquas. sed tribuit granum Cnidium Chamelææ, quod esse falsum docuit Dioscorides. cum sit Tymaleæ fructus. & Mesue *solutione educit aquam citrinam cum fortitudine vehementi.* educit etiam Melancholiam, phlegma, & aquam aggregatam in Ventre. interficit, & educit Vermes. ex Ioãnitio valet ad Quartanam. sed eius maius iuuamentum est ad hydropisim. Similiter Aetius serm. 3. cap. 55. *Aquosa magis purgat. Purgat etiam pituitam, & bilem*, Nemo autem vim Vomitoriã Chamelææ tribuere videtur.

Purgatrix

Ex altera parte Auicenna lib. 2. scribit. *Interficit cum turbatione, vomitu, & solutione*, & lib. 4. de Venenis c. de Almezerion, & Chamelæa. *& accidunt ex eo vomitus, & solutio ventris superflua, & Nigrum, quod nominatur Chamelaa, est interficiens plus; & accidunt ex eo, commotio, singultus, deinde Vomitus phlegmaticus, & spumosus, deinde, educit ad conuulsionem*. ita etiam Vomitum fieri docẽt Arduinus propter ipsius proprietatem stomachi conturbatiuam. Guilelmus Placentinus, & alij Arabum sectatores, quorum alter ab altero trãscribit, nihil ipse expertus, & ignorans rem de qua loquitur, nobis sat sit scire, Chameleam Vomitum excitare.

vis Vomitoria,

Sed quæretis an nobis liceat, quærere Chamelæam, vt ea vti possimus ad Vomitum excitandum.

Quid agẽdum.

Respondeo, si Vomitoriorũ esset penuria, aliquid foret periclitandum. sed in tanta eorum copia temerarium esset, periculosa, & Venena habita proponere. iam constat adeo confuse Meluem de Chamelæa agere,

adeo

adeo concise Veteres Græcos egisse, vt inte possimus à Chamelęæ vsu abstinere ad Vomitum excitandum, cum enim noscam Veteres in moderata copia exhibuisse Chamelæam ad aluum exonerandam. & Arabes asserere Vomitum ciere in maiori copia. atq; Visceribus adeo esse nocuam. neq; ad prouitandam alnum in pauca copia ego vterer. quare ad aliud transibo.

De Flore Mirica. Cap. CVII.

DE hoc nihil habeo, quod dicam, nisi quod Mes. in canone. tex. 15. inter clementia vi nulla, aut minima naturæ molestia vomitum cientia numerat M.ricæ, seu Tamarisci flores. non mirum igitur si quidam Oua barbi vomitum ciere crediderunt, putãtes, quod pisces Maio flores Tamarisci in ripis fluminis Tiberis enatos, edant.

De Narcisso. Cap. CVIII.

INfinita reperiuntur hoc æno apud florilegos Narcissorum genera, & Matthiolus sub ipsis comprehendit etiam Tulipas, Ornithogalum maius, Leucoion bulbosum; alij distinguunt Narcissum. primo secundum folia in latifolium,& angustifolium. 2. penes magnitudinem in maiorem, & minorem. 3. penes colorem in totum album,totum luteum, totum sulfureum, purpureum. vel in album calice croceo, rubro, herbaceo. 4. secundũ calicem maiorem, minorem, oblongum, & veluti Tubam. 5. in pleno flore, duplici, triplici, vel simplici, 6. in magis, & minus gratum odore. 7. secundum tempus florendo vernale, æstiuum, autumnale. 8. penes Regionem in Montanum,Marinum,Indicũ, Constantinopolitanum, Hispanicum, & secundum alias differentias, ita vt Bauhinus in suo Pinace centum Narcissorum differẽtias enumerauerit. non comprehensis Tulipanis, Ornithogalis, nec Leucoijs bulbosis. *Differẽtię.* Porro eandem vim omnium horum radices habere non est probabile. quare illos tantum Narcissos quæremus, quos Antiqui tradiderunt.

Dioscorides duas tantum Narcissi differentias proposuit. alteram cui *flos albus, intus croceus*. alteram vero cui *intus purpureus*. imo alio etiam modo distinxit. *Probatissimum nascitur in montibus, suaui odore. cæteri in campis, & sabulosis porrum imitantur, atque herbaceum virus olent.* & Ouidius, *Descriptio*

Nusq; corp⁹ erat croceũ pro corpore florẽ.
Inueniunt, folijs mediũ cingentibus albis.

At Plinius, lib. 21. c. 5. *Huius alterum genus,* inquit, *flore candido, calyce purpureo*. alteri, *calyx herbaceus*, deinde c. 19. scribit. *Narcissi duo genera in vsu Medici recipiunt. Vnum purpureo flore. & alterum herbaceum.* sed Theophrastus vnum tantum genus videtur descripsisse. in cuius textu obscuritas magna legenti apparet. Versio enim Gazæ. ab Heinsio etiam correcta. ita habet lib. 6. c. 6. de Hist. Pl. *Habet caulem sine folio herbaceum, florem suo ferentem cacumine in membrana veluti vasculo inclusum, large amplum, coloreq; nigrum, figura oblongum. Hic decidens sponte germinat. Cæterum, & qui legunt defigere eum solent. Quin, & radicem ferunt, quæ carnosa rotunda, amplaque est*, ex quibus verbis videtur Theoph. velle florem ferre in membrana inclusum. ita etiam florem nigrum, & figura oblongum. præterea florem decidentem sponte germinare. cum tamen Theoph. non de flore; sed de semine loquatur. scribens. τὸν δὲ καυλὸν ἄφυλλον μὲν ποώδη δὲ, καὶ ἐξ ἄκρου τὸ ἄνθος καὶ ἐν ὑμένι τινὶ, καθάπερ ἐν ἀγγείῳ καρπὸν μέγαν ἐν μάλα καὶ μέλανα τῇ χροιᾷ. σχήματι δὲ προμήκη. ὅτε &c. quæ vertenda sunt. *Habet autem caulem sine folio, herbaceum quidem, & in cacumine florem. Et in membrana veluti vasculo inclusum semen large, amplum, nigrumq; colore. figura oblongum. Hic, &c.* vt semen sit nigrum, non autem flos. ita Hermolaus in Corollario transcripsit. *Semen velut in membrana nigrum, prælongum*. & Dioscorides scripserat forte ex Theophrasto. καρπὸς δὲ ἐν ὑμένι. μέλας, προμήκης. *semen in membrana nigrum, oblongum*. *Semen nigrum.* vnde miror Io. Ruellium lib. de Natura stirpium scripsisse, *Flos membrana inclusus ceu vasculo, amplusculus, nigricans, oblongus, qui defluens sponte germinet, &c.* & tamen verterat Dioscoridis verba citata. Dodoneus. Theophrasti locum emendare censet, sed ipsum non intellexit scribens. *Exemplaria Theophrasti pene omnia μέλανα τῇ χροιᾷ habent, quod Hermolao, & Marcello occasionem dedit, ut Narcissi florem nigrum esse existimauerint. Sed pro μέλανα reponendum est μήλινα. Est autem melinus color, idem qui Ocra, siue luteus.* *Dodoneus citat.* Cæsalpinus cum Dodoneo sentit. Verum doctissimi viri citati debebant accedere ad textum Græcum Theophrasti, vbi inuenissent vocem καρπὸν, quæ clare indicat de semine ipsum loqui. & quo modo consentiebant Narcissi florem decidentem nasci? cum tamen de semine verum sit, quod statim atq; humi ceciderit, debet obrui, vt nascatur aliàs siccatum non nascitur, sic obseruaui in Soldanellæ semine. quod siccatum nigricat, & terræ commissum non germinat. sed oportet viride ex suo folliculo sumere, & reperietur germinare, ita ex eo terræ commisso alui plantas, aliàs ex semine, vel viui radice nunquam. sed redeamus ad Narcissum. *Textus Græcus cõsulendus.*

Videntur Antiqui loqui de Narcisso medio croceo simplici, vel de medio purpureo, quem *Collo de Camelo* nunc vocant. quod Narcissi nomen habuit à narce, inquit Plinius *Nomen.*

nius, non à fabuloso puero. quod scilicet, vim stupefaciendi habeat. vnde Plutarchus in Symposio. quasi neruos hebetans, & torpidas grauitates efficiens vocatur. inter spuria nomina Narcissi, in textu Dioscoridis, & Apulei dicitur. *Bolbus emeticus, & à latinis bulbus* vomitorius.

vis Vomitoria. Quoad facultatem Vomitoriam. Dioscorides. *Radix cocta siue estur, siue bibitur, Vomitoria est.* Plinius lib. 21. c. 19. *Hunc stomacho inutilem, & ideo vomitorium, aluosque soluentem, neruis inimicum, caput grauantem*. Aetius serm. 3. c. 119. *Qui vero fortioribus uti volunt, Narcissi bulbum in aqua coquunt, & cum decocto quidem temperant Vinum, ipsum autem bulbum eunt cocum cum oleo, & modico sale*. sic Paulus lib. 1. c. 42. *At qui valentioribus vti volunt. Narcissi bulbo aqua incocto Vinum temperant.* & lib. 7. c. 10. *Narcissi autem elixi sursum per Vomitum purgant*. itaque Narcissi radix est inter valenter vomitoria, & adeo. vt Auic. scripserit. 13. 3. tract. 5. c. 13. *& non multum sumant de cæpe Narsissi, quoniam facit accidere ipsa mum*. est igitur in conuenienti dose sumenda. vnde Auicenna loquens de cura Vomitus, ait. *Et ille, qui inuenit subuersionem inseparabilem in vere, & fuerit consuetus vomere proprie in huiusmodi tempore, comedat cum pane parua quantitatis, 3. iij. capæ Narcissi, deinde sumat aquam calidam, & syrupum acetosum*. idem lib. 2. scripserat de Narcisso. *Radix eius quando comeditur sicut est, excitat vomitum, & similiter decoctio eius. Confert doloribus Matricis, & Vesicæ, & quando bibuntur ex eo 4. drac. cum aqua mellis, eijcit fœtus viuos, & mortuos*. Et Oribasius 8. Collect. c. 20. *Cui autem à Cœna vomitum sine molestia citi volumus Narcissi bulbos vna cum aliquo eorum, quibus ille vescatur, propinantes, eum ita afficiemus, vt facile vomat. Narcissi enim bulbus, quem caput vocant, medicamentum est ad Vomitum efficax*. sed cap. sequenti 21. *Qui volunt*, inquit, *vehementer euomere. ij Narcissi bulbum aqua decoquunt. eaq. vinum temperant*. Tandem Hippocratis auctoritate vtendum erit. qui 2. Epid. in fine. ad febrem Ephimeram ex lassitudine ad vomitum prouocandum ne in putridam transiret, exhibuit. *Si hominem*, inquit, *calor corripiat, non à bile, neque à pituita; sed aut à crassitudine, aut aliàs febrint, nquam multam calefacito: deinde ea superinfusa caput rigato, donec pedes sudarint, & farinam crassissimam coquito. Postquam autem pedes sudarint, farinam plurimã, & calidissimam edens, ac vinum meracum insuper bibens vestimentis contectus facile quiescet. Aut Narcissi duo, aut tria capita in cœna edat*. in qua curatione restãt nõnullę difficultates à Mercuriali in com. non solutæ. primo circa Dosim. nam Hipp. ad duo, vel tria capita ascẽdit. Oribasius, & Aetius videntur vnum bulbum proponere, & Auicenna non audet excedere 3. vel 4. dracmas, ne ex nimio vomitu succedat conuulsio. ego dicerem à cæna, quia vltimo sumitur, & primo Vomitur, vnde in Ventriculo parum residet, posse assumi duos, uel tres bulbos, at decocti, & ieiuno uentre etiam in pauca dosi debent assumi. secunda difficultas est, quia Oribasius sibi contradicit. primo enim asserit Narcissi bulbos in cæna assumptos facilem præstare vomitum. deinde uero Narcissi bulbum decoctum, & cum uino eius decocto assumpto, esse ualidum uomitorium. unde est ex Oribasio, facilis, & ualidus. & ualidus unus bubus, imbecilles plures bulbi.

Hippocratis.

Difficultates.

Contradictio Oribasij.

Responsio Mercurialis. Respondet Mercurialis. *ad Vomitum ciendum posse adhiberi bulbos Narcissi varijs modis, vel cum vino, vel sine vino; si cum vino assumantur, validissime prouocant vomitum, & de hoc Paul. Aeg. & Oribasius loquuntur: sed si sine vino, quem adm dum vsurpat Hipp. à cæna sine molestia est Vomitus*.

Responsio nostra. Respondeo ego, quod bene diceret, si uinum magis laxaret uentriculum, quam aqua: penetrare quidem vinum facit medicamẽti vim; unde uinum meracum a Dioscoride dicitur Veneni Cicutæ alexipharmacum. tamen Vinum Cicutæ succo mixtum irremediabile Venenum reddit, ob faciliorẽad viscera penetrationem. ut Antiqui referunt, & cum his Hermolaus Barbarus, &c. unde potius plures bulbi post cœnam facilius uomere faciũt. unus autem coctus cum suo decocto, & uino in ieiuno est ualidum, & difficile Vomitiuum.

Apulei explicatio Scripsit Apuleius Platonicus lib. de Medicam. Herbarum. c. 55. *Herbam ad phthisicos, & Colicos. Narcissum tusam, & potui datam colicis, vel tussientibus prodesse dicimus*. licet scribat *Herbam*, sentio tamen uelle bulbum, & fortasse prodesse ut uomitoria. quia colicis uomitus confert, & aliquãdo etiã phthisicis.

Quid agendum. Ex his colligemus Antiquis fuisse in usu ad uomitum excitandum bulbos Narcissi nostri pratensis, & simplici flore albo, medio calice croceo. in febre Ephimera ex lassitudine. in doloribus matricis. et Vesicæ præterea colicis, phthisicis, & tussiculosis. nos eo uti poterimus, quando aliorum uomitoriorum magis consuerorum fuerit defectus. *Quomodo.* Aliqui dedere bulbum crudum. cæteri uero exhibent bulbum elixatum, ut mãducetur cum oleo, & sale. alij iubent cum pane modico, alij cum solitis cibis. & eius decoctum cum uino mixtum potandũ exhibent in Cæna.

Quantum. Eius dosis est incerta. alij exhibẽt unum bulbum. Hipp. duos, uel tres. Auic. non audet excedere tres, uel quatuor dracmas. *Quando.* Si fuerit in cæna assumptus cum alijs cibis, facilis succedet Vomitus, quia suam uim non ualde in uentriculum imprimet. si uero bulbus elixus, & contusus fuerit assumptus à ieiuno, & eius decoctum cum uino mixtum fuerit potatum ualidum prouocabit Vomitum, quem timet Auicenna.

De Nardo Celtico. Cap. CIX.

Nomen. NArdum Celticum à regione in qua nafcitur cognomen habuit, nardi vero nomen ab odore, & facultatibus Nardi Indici, & Syriaci. nafcitur Nardum Celticum ex Diofcoride in Liguriæ alpibus, prouenitque in Iftria. fed Matthiolus id reperit etiam in
Natale. Stiria,& Carinthia. apud Aromatarios nunc paffim ficcatum inuenitur. Nardum Gallicum Aegineta vocauit. Radices, atq; cauliculi abiectis folijs in vfu funt ob odoris fuauitatem.

Hic mirabitur non nemo,quod inter valida Vomitoria connumerare Nardum Celticum aufus fuerim: fiquidem Diofcorides fcriptum reliquit. *ad eadem, quæ Syriacum pollet: fed vehementius vrinam cit,& ftomacho vtilius*
Paradoxũ *eft.* & de Nardo Indico, & Syriaco fcripferat. *Aluum potu fiftunt. Naufeæ ex aqua frigida auxiliantur, & ftomachi rofionibus*: & Galenus 8. de fim. med, fac. *Nardi fpica compofita eft ex adftringente fufficienter fubftantia,& acri calida non multa.* & de Celtica Nardo ait. *iam dictis Nardis fimilis quadantenus in genere facultatis eft. Cæterum ad omnia imbecillior, præterquam ad prouocandum vrinam, fi quidem calidior illis eft: fed minus adftringit.* tantum igitur abeft, vt Nardus Celtica vomitũ promoueat; vt potius Naufeam compefcat, & alui fluxiones fiftat.

vis vomitoria. Contra tamen non paruæ anctoritatis fcriptores adfunt. nempe Paulus Aegineta lib. 7. c. 10. nos docuit, *Nardi Gallicæ radicum dracmæ feptem ex mulfa potæ furfum valenter purgant.* quod pariter vifum fuit Aetio ferm. 3. cap. 119. *Celticæ radix trita feptem dracmarum pondere in aqua mulfa, ac pota, fortiter furfum purgat, vt aliquando etiam exceffus purgationis confequatur.*

Quid agẽdum. Quare dicendum, quod dracmæ feptem efficiunt Vomitum cum aqua mulfa potæ. quia natura à copia irritetur ad vomitum, à pauca dofi roboretur, vt Crocus in pauca dofi eft medicamentum cordiale, in multa venenum, Verum quia præter dictos nullũ aliũm legi anctorẽ Nardi Celticæ vfum pro Vomitu excitando, ego quoque inter obfoleta relinquam.

Quantum. Sat fit fcire pondus feptem dracmarum debere effe.

Quomodo. Et potandum cum aqua mulfa.

De Nicotiana. Cap. CX.

MVltitudine nominum hęc plãta diues eft: Nam à Prouincia vbi primum reperta *Tabacum* ab Hifpanis dicta, licet Peruani *Petum* vocent, vel *Picieli* ex Monardo. Hæc primũ in Lufitania dicta fuit *Herba Legati*. quod Io. Nicotius Legatus tunc temporis Regis Galliæ in Lufitaniam in fuo Horto coleret, à quo tranfmiffa in Galliam vocata fuit Nicotiana & ibi culta à Regina Catharina Medicea, & à magno Priore, nomen obtinuit *Herba Regina*. & *Herba magni Prioris*. delata in Aetruriam ab Alphonfo Tornabono, dicta fuit à Cæfalpino Tornabona. Romæ allata à Cardinali Sanctæ Crucis dicitur etiam *Herba Sancta Crucis*. alij vocant *Herbam Sanctam*. alij. *Sanam fanctam*. alia vero Indica nomina ficut Belgica, Germanicaq; filentio obuoluam. Recentiores Botanici aliquando conati hanc includere fub antiquorum notitiam. fed aliquando videntur delirafse. ita Guillandinus in fuis fynonimis plantarum. hanc cenfuit *Onofma Pauli*. cum tamen Paulus non differat à Diofcoride, qui de Onofmate fcripfit, habere folia in terra iacentia fine caule,fine flore,fine femine. Lugdunenfes dixere *Bugloffum Antarticum*. fed nec folia afpera, nec quatuor femina fub vno flore producit. qui *Piperinam* vocant ad placitum fuum loquuntur. *Hiofciamum Peruianum* dixere Gefnerus, Dodoneus, Camerarius. quod nec placuit Io. Neandro in Tabacologia, nec Delecampio. quoniam huius folia fint acria, & calida, Hyofciami vero frigida. fed hoc vim non facit. nam feminis productio fimilis has plantas congeneres facit. immo vis tabacci, & Hiofciami conturbandi fpiritus Animales fimilis eft. *Nomina.* *Hiofcianus Peruianus.*

Differẽtia. Quoad huius plantæ differentias folia Tabacci maris, & fæminæ dictæ parum diftant; immo fæpe commutantur, maris enim dicũtur latiora, fæminæ anguftiora; fed temporis proceffu mutãt formã ob foli pinguedinẽ, vel fterilitatẽ, vt fæpe obferuaui in meo Horto.

Temperamentum. Circa temperamentum. Aliqui frigidum effe cenfent, & eiufdem cum Hyofciamo facultatis, ob quamdam plantæ formam, & ob mentis alienationem, ac foporem. Sed decipiuntur, quia calida facultas ei ineft, Cæfalpinus calidum in primo, & ficcum in fecundo gradu fecit, Lobellius ordine fecundo intenfo pofuit. Edoardus Donc Anglus calidum, & ficcum in tertio. fed nos diftinguemus cum Renealmo, & Neandro. vt folia viridia fint calida, & ficca in fecundo exceffu, ficcata verò in fine tertij. admodum enim acria,& calefacientia percipiũtur.

vis Vomitoria. Circa facultatem vomitoriam, Monardus hanc ei non adfcripfit, nec alij plurimi. tamẽ Io. Neander in Tabacologia eam agno-

pit, scribens pag. 48, *Idem suffumigium vehementer in nauseam, ac vomitum ventriculum concitat (vt cottidiana experientia monstrat) villis nimirum internis adhærendo, ac ita succos peculiares in ventriculo, ac mesenterio contentos offendendo, operationes eius consuetas demolitur.*

Et pag. 93. *Succus pondere duarum vnciarum interpolatis vicibus sumptus, vehementer supra, atq: infra aquam, atq: pituitam purgat: ideoq: Epilepticos sanat: si malum antiquatũ non fuerit. quod experiẽtia nobis in pluribus compertum attestamur*, & pag. 102. ex eius succo confectum syrupum supra, & infra purgare docet, pag. 147. Vino dracmæ duæ succi exhibitæ horarum decem spacio vim conciliant per superiora purgandi, & inferiora, & id circo in pestifera lue multum conferunt talia.

Historia. Nos testamur puellam, cui ob vlcera capitis mater caput succo Tabacci multum confricauerat, valde vomuisse. vnde patet mirabilis eius vis, vt etiam capiti apposito multo succo vomitus prorritetur, & multos noui, qui mane manso mediocri Niçotianæ folio multam viscidam pituitam euomebât.

Quid agendum. Ergo mansum Tabacci viride folium, syrupus ex eius succo, vel succus quocumq: modo deuoratus, immo etiam copiosus fumus vomitum excitare solent mitem, quo *Quoties.* copiosa pituita viscida educatur. & conferet talis euacuatio sæpe repetita. vt quolibet mane ad auertendas fluxiones ad articulos. ad Epilepsiam, Paralisiã, Colicam, Dodoneus ita scripsit. *Succo verò huius epoto quatuor, aut quinque vnciarum pondere, aluum vehementer su-* *Quantum.* *pra infraq: purgatum, longum deinde, & profundum subsequutum somnum, ab amico obseruatum accepimus; fuit autem is, qui assumpsit rusticus, homo fortis mediæ ætatis, Hydrope laborans, qui ex somno expergefactus, cibum, potumque postulauit, ac deinceps bene habuit. Atque hinc expurgandi quoque facultatem hunc habere cognoscere licet.*

De Nuce Henden, Cap. CXI.

Nomen. PRoponit nobis Serapio rem nomine *Nucis benden*, seu *banden*, & in Barbaria dicitur *Nux Columbarum*, & describens ex Rasi dicit esse *Tuber, Adeps terræ, & petra terræ.* & ex Isaac, esse *Tubera granosa sicut cicera alba, cuius color trahit ad glancedinem.* Ex Salomone dicit, quod *facit Vomere*, & ex libro Talsameth. *Quando proijcitur ex eo vnum cauge in lib. x. Mellis, & in lib. 1. minus testia aqua calida, & agitatur bene, & cooperiatur os Vasis fit Vinum statim, & Barbari vtuntur eo.* Auic. lib. 2. cap. 503. est terra granosa, & sicut cicer, alba declinans ad citrinitatem, quæ expectatur.

Equidem quid sit hæc nux diuinare nequeo. primo enim videtur velle Tubera nostra, dicens, quod sit Pinguedo terræ, petra terræ, & Tuber. nec non quod sit calida, & humida augens sperma, & corroborans libidinem. ad quæ sunt in vsu nostra Tubera.

Ex altera parte, quia scribit ex tali nuce cum melle, & aqua calida effici Vinũ. idest, potũ, quo Barbari vtantur. erit veluti Caphe dictum, & aliquid simile. sed quia dicit afferri de Baica, & de Corosçen. possumus dicere esse Medicamentum Indicum, quod neque in terra Serapionis oriebatur; sed aliunde afferebatur. At citat Paulum, & Galenũ. crederem alium Paulum, & alium Galenum legisse. an Auellana purgatrix Monardi, & aliorum?

Quoniam autem Serapio scripsit, quod *facit Vomere*, coactus fuit eius hic meminisse, licet Auic. nihil de Vomitu: sed potius contrarium asserat, inquiens. *Abscindere fluxum sanguinis.*

De Nuce Vomica. Cap. CVII.

SErapio describens Nucem Vomicam, duorum tantum auctorum dicta refert. Habix, & Abraam, & quia vomitoriam nominat, & talem dicit esse, de ea à nobis hic est habendus sermo. *Nomen.* Guilielmus Quaçelbenus apud Mattiolum, Epist. lib. 3. scripsit Constantinopoli vocari Nuces Farfalach. cui respondit Mattiolus. se eas Venetijs emisse. selectas, & allatas inter Nuces Mosc. Igitur *Nux vomica* videtur dicta quod Vomitoria sit. *Castaneola* à forma. Sed quid sit primo erit inuestigandum, quam quidem non debemus ex Græcis perquirere; sed ex Arabibus. Ergo Serapio ex Abraam. *Est nux* (scribit) *cuius color est inter glaucedinem, & albedinem maior auellana parum, & sunt in ea nodi.* *Quid sit.* Auic. lib. 2. de hac non loquitur. sed solum c. 508. de Nuce Metel ait, esse similem Nuci vomicæ.

Apud nos in officinis Nucis Vomicæ nomine quidem fructus prostant, quos pro genuinis recipiunt Cordus, Castor. Durantes, Lugdunenses, Tabernamontanus.

Negant alij plurimi, vt Anguillara, Lacuna, Cæsalpinus, Lonicerus, Guilland. Fuchsius. Mattiolus *Caninam* appellare maluit non autem *Vomicam*, quod Canes deuorata pauca temporis mora interimat, At officinarum Nucem Vomicam esse Nucem Metel censent Lonicerus, Lacuna, Cæsalpinus, Anguillara, &c.

Difficultas. Itaque non leuis dubitatio primo occurrit, an cognoscatur, & an apud nos reperiatur vera nux Vomica tum, quia notæ traditæ sunt leues, & fallaces; tum etiam quia facultates non correspondent promissis.

Notæ non videntur correspondere. vnde Anguillara vulgarem Vomicam esse legitimam negauit.

Nec

Nec correſpondent facultates, quia Vomitoria ab Arabibus perhibetur. Homini noxiam dicit Mattiolus, innoxiam Melichius, & Renodæus. potiones ſumniferas ex his ſeparaſſe Braſauolus ſcribit, referente Bauhino. Anguillara refert, ſe ex amico ſuo in re herbaria peritiſſimo certiorẽ eſſe factum, quod vulgaris nux vomica, ſit radix herbæ folijs rotundis humi ſerpentibus, quod ſi uerum eſt, non dici poteſt fructus, ſed nux. Sed quicquid ſit, vera Nux Vomica Arabum Vomitoria eſt res: ita ſi quidem apud Serapionem Habix retulit. *Facit vomere fortiter ſola, aut cum alijs medicinis, quando teritur, & miſcetur cum pauco ſalis, eo quod ſal iuuat ad vomitum, & mouet humores, & facit eos egredi facilius per vomitum.* & ex ſententia Habix. *Mouet vomitum, & expellit ſuperfluitates cholericas, & phlegmaticas, & laxat inferius etiam ſecundum virtutem, & ſecundum naturam ſuperfluitatum.* Meſue Canonum lib. 1. Theor. 1. tex. 15. inter Mediocria Vomitoria numerat nucem Vomicam. Auic. ſupponit pro Struthio.

Emetica.

Quantum. Eius doſis ex Habix ſunt dracmæ duæ. ſed eius Corticis Abraam exhibet dracmam vnam.

Quomodo. Habix ait. *Et bulliant folia, vel ſummitates foliorum Anethi ſicci in pondere dracmarum viginti: in libra vna aquæ, uſque ad conſumptionem medietatis eius, deinde apponatur parum mellis, & medicina conficiatur cum melle, & poſtea admiſceatur cum aqua illa decocta, & bibatur, quoniam facit euomere vomitu facili, & fortaſſis ſoluit ventrem. Et tali modo præparatur cum Des, & ſemine Atriplicis.* & ex Abraam ſcribit. *Et quando accipitur de cortice eius, & teritur, & cribratur, & accipitur de ipſo dracma vna, cum duobus aureis Aneti triti, aut ſemine fœniculi, & conficitur cum melle ſufficienti, & bibitur cum aqua calida.*

Quid agendum. Equidem vtor Vomitorijs cognitis, & expertis. nam Arnaldus de Venenis ſcribit. *Venenum eſt ex Auic.* deinde ſubdit. Nux Indica, uel Vomica. drac. ſemis. Caſtaneolę prouocat Vomitum etiam cum timore, & tremore.

De Nerio. Cap. CXII.

Nomen. NErion, Rhododendron, Rhododaphne, Roſa Apulei, Laurus roſea, Roſa arborea, Oleandrum. ſunt nomina ſynonima eiuſdem plantæ. vulgaris notitiæ, cum flore rubro, tum albo, ut prope radices Montis Aetnæ circa flumina copioſiſſime nobis ſpectare licuit, menſe Auguſto.

Temperamentum. Tota planta eſt facultate valde calefaciẽte, unde Auic. repoſuit inter calida tertio exceſſu, & ſicca ſecundo. Galenus 8. de ſimp. m. fac. *Initio autem*, inquit, *in corpus aſſumptus pernicioſus, ac venenoſus non tantum hominibus eſt, ſed plerіſque etiam pecudibus.* Dioſcorides autem ſcriptum reliquit. *Flores, & folia Mulis, Canibus, Aſinis, & quadrupedum plurimis venena ſunt. Imbecillæ etiam animantes, vt pecus, & capræ, ſi aquam bibant, in qua folia ea madauerint, moriuntur.* confirmauit id Plinius iiſdem penè verbis. tum lib. 16. cap. 20. tum etiam lib. 24. c. 11. quibus addendum quod refert lib. 21. c. 13. ſcribens. *Aliud genus in eodem Ponto gente Sannorum mellis, quod ab inſania, quam gignit, Mænomenon vocant. Id exiſtimatur contrahi flore Rhododendri, quo ſcatent ſiluæ. Genſq. ea cum ceram in tributa Romanis præſtet, mel (quoniam exitiale eſt) non vendit.* præterea Ioan. Liebautius Comen. de Venenis apud Scolzium: teſtatur ſic. *Quidam è ligno Oleandri Veru fecerunt, & carnes eo aſſarunt, & mortui ſunt, qui ex eis comederant.* Ergo dubio procul venenatum eſt Nerion. *Deleteriũ.*

Paradoxũ Tamen ſcribit Plinius lib. 24. citato. *Mirum folia eius quadrupedum venenum eſſe, homini vero contra ſerpentes præſidium Ruta addita è vino pota.* quod ſupra etiam lib. 16. notauerat. ſentiens cum Dioſcoride docente eadem. Paradoxum hoc viſum fuit Auicennæ, qui ſcripſit. *Eſt Venenum, & quandoq: miſcetur cum Vino, & Ruta, & potatur, & liberat à venenis vermium venenoſorum, & ipſa, & eius flos ſunt venenum hominibus, & beſtijs, & canibus: veruntamen confert, quum bibitur cum vino decocta cum Ruta ſecundum quod dicitur.* Ecce quod Auic. refert, *ſecundum quod dicitur*. ſed parum credit.

Cõciliatio. Porro eſſe Venenum, & eſſe contra Venena sũt oppoſita proinde ne Dioſcoridis, & Plinij auctoritas refrangatur. dicemus hominibus ſanis eſſe Venenum. demorſis autẽ à ſerpentibus auxilium. non ne duo venena data iuuant ex Auſonio? & plurima his ſimilia.

Sed dicetis, quorſum hæc, quid ad Vomitoria? cum nec Ardoinus lib. de Venenis 3. c. 21. de Oleandro. Vomitum ponat inter Accidentia ab aſſumpto Oleandro. Immo omnes auctores pro remedio ab eo aſſumpto proponunt Vomitum.

vis Vomitoria. His nõ obſtantibus Reperio Leonardum Florauantum Empiricum Doctorem lib. 1. ſuæ Phiſicæ c. 41. ſcribentem. *Oleandrum eſt planta notiſſima, quoniam, & Domi, & in Hortis ad ornatum alitur, hoc corpus ſoluit, & valide vomitum prouocat: ſed non valet in febribus ardentibus, quæ maximopere inflammant, ſed vbicumq: morbi à cauſa frigida adſunt, in his maxime prodeſt, & valide ſoluit.*

Quid agẽdum. Ego, vt verum fatear, vt ſæpe vtor Vnguento ex folijs Oleandri ad ſcabiem, ita è contra nunquam utar ad uomitum excitandum, neque etiam in letargo, Apoplexia quotidiana, uel quocumque alio morbo frigidiſſimo, quia non timeo primas qualitates; ſed Venenum, itaque nulli conſulam, ut Nerio utatur pro Vomitorio. id tamen proponere fui coactus, quia Auctorem legi. ipſum inter Vomitoria reponentem.

De Ouis Piscium. Cap. CXIII.

Hic reponemus etiam Oua Piscium inter Medicamenta Vomitoria, de quo fortasse non nemo mirabitur, quia Auium oua summe commēdantur, probantur etiam
Mirabile. Testudinum Oua. Sed et Piscium Oua in vsu plurimo sunt, siquidem *Oua Tunni* salita innoxie comeduntur Oua Halicum (dicta *Arenghe*) ventriculum firmant. Ex Ouis Stirionis salitis paratur conditum, quod *Cauiale* vocatur. *Oua Tarica* (nos *Botarghe*) dicuntur Oua Cephali sale condita. ita etiam multorum piscium recentium Oua iucunde, & innocue sumuntur.

Oua vomitiua. Contra tamen noxia, & Vomitoria perhibentur Oua Piscis Barbi, Lucij, Squalli, Astaci, Cicadae, & fortasse aliorum multorū.

Oua Barbi. *Barbulorum Oua*, inquit Platina, *mense praesertim Maio perniciosa habentur*. Matthiolus verò scripsit. *Nec minus euitare oportet Oua Barbi piscis, nam adeo venenata sunt, vt si largius sumātur, eos qui hauserint in magnum periculum adducent.* eadem refert Schuuenchfelt, lib. de Animalibus Silesiae. Scappius Coquus dicit esse Oua pessima. Paulus Zacchias lib. de Victu Quadrag. scripsit. interiora Barbi esse quasi venenata, praecipue vero in aliquibus anni temporibus, licet semper dolores colicos, & aliquot alios his multo peiores cum vomitu, & texcessu alijs prauis accidentibus causare soleant. Cardanus. lib. 3. de san. tuen. c. 69. & repetit de Aere, Aq. & loc. tom. 2. lect. 6. scribens. *Oua piscis fluuialis, quem vocant Balbum, credo quia barbatus est, praesertim tempore Maij, cum flores Populeorum arborum, quae ripis flumorum insidere solent, ederint. Mouent choleram affectum non sine vita discrimine, vt elleborus albus, aluum etiam vehementer irritāt, vt aliquando, non nisi magno negotio sisti possit.* Rondeletius autem in Hist. Piscium. scriptum reliquit. *Oua Venenata esse vulgo dicuntur. quod vim turbandae alui, & ventriculi subuertendi habeant. Hoc ideo fit, quia bilem mouent, & excitant: ijs enim qui affatim oua ista deuorarunt, & vomitu, & alui deiectione, & magno oris ventriculi morsu, & molestia corpus euacuatur. Hanc vim ouis istis inesse nonnulli existimant eo maxime tempore quo Salicum (quae ad fluuiorum ripas sunt) floribus in aquam decidentibus vescuntur. Sed cum eadem neque Salicum floribus, neque alijs ipsorum Barborum partibus, quae ex ijsdem aluntur, insit, id Idiosyncrasiae potius tribuerim, quam manifestae cuipiam qualitati.* Et Ant. Gazius apud Gesnerum Hist. Aquat. p. 154. *Cum de Ouis,* ait, *Barbuli piscis cocti duos tantum bolos comedissem, experiundi gratia, nihil inde aliquot horis postea nauseae percepi demum sub horam caenae plurimam in ore ventriculi sensi inflationem, quam vt dissoluerem, Anisum sumpsi, sed frustra. Post horam facies mea apparuit tanquam in syncope, ita vt astantes, & admirari, & de mea salute timere inciperent. Ego interim magnam non solum in stomacho, & ventre, sed omnibus membris externis alterationem, & inaequalem quandam intemperiem in vnaquaq; carnis parte sentiebam. Tum superuenit passio cholerica, donec supra, infraq; simul pluries Oua purgarentur, magna cum anxietate, & virium prostratione, & maximo vitae periculo.* Gesnerus autem lib. de Aquat. pag. 145. suis monumentis reliquit. *Ego autem quosdam his ouis degustatis similiter ferè affectos noui. Et quendam intra duas horas ab eis assumptis supra infraque magna cum anxietate vehementer inanitum. quamobrem Oua eum piscis exenteratur, statim eximi debent, nec vna cum pisce coqui.*

At modo vt referam, quae de Ouis Piscis Barbi obseruaui. inter multos, quos curaui huius recordor. dū Romae eram anno 1616. vocatus fui ad visitandas duas sorores Neapolitanas meretrices. quae ob esum ouorum piscis Barbi multum supra infraque euacuatae erant. quarum altera Angela nomine vomuit tantum, sed die sequenti ab vlcusculis Historia. ex humore salso circa pudenda ad partem sinistram in pectine, quibus per tres menses laborauerat, cummaxima molestia, & ab ijs maximopere optauerat curari. sanata apparuit. Altera vero soror Angelica vocata, quae sana videbatur, & nulla egere purgatione, ab hisce Ouis assumptis sursum, & deorsum vehementer purgata fuit. & per x. dies inferna purgatio perdurauit, vt etiam vltimo in Tenesmū deueniret, mucosa, ac sanguinolenta deijciens. Tandem cum maximo uentris rugitu multam liquidam materiam deiecit, & conualuit. Altera igitur ex tali euacuatione sana existens laesa fuit, altera uero cacochima, egens purgatione, mirè curata.

Sed Leonardus Flotauantus lib. 1. suae Physicae. c. 79. *Hic piscis*, inquit, *Mense Maij fert Oua, quae quocumq; deuoratu modo aluum soluunt, & multis vomitum prouocant, & mirabiliter purgant, Quicumque autem eo tempore taliter purgatur, securus erit. se eo anno non aegrotaturum, purgatio autem est iucundissima, quia humores non commouentur, vt ab alijs medicamentis assumptis. Quamobrem, capto pisce statim oua sunt extrahenda, & industriè ad Solem siccanda, & miscenda cum Sena, & alijs correctiuis.* itaque usus Ouorum Barbi, quandoq. confert.

Oua Lucij. Nec sola Barbi Oua; sed etiam Lucij Vomitoria sunt. Quoniam Gesnerus in Histor. Aquat. de Lucio. refert. *Quidam ex Ouis Lucij quoque similiter cholericam passionem excitari aiunt. Etenim oua Luciorum piscatores circa Argentinam tanquam medicata abijciunt: videntur enim aeque noxia, vt Barbi Oua, similiterque cholericam affectionem inducere. sunt qui aridu trita purgandi aluum causa exhibeant.* ita etiam Schuuenchfelt. *Lucij piscis*, inquit, *Oua abijciuntur, vt inutilia cum nauseam, & diarrhaeam commoueant instar Barborum.*

Squali

Oua Squali.

Squali piſcis oua emetica etiam ſunt. Romæ anno 1623. de his comederunt Reuerẽdiſſimus D. Coccinus Decanus Auditorum Rotæ, Hyeronimus Magiſter Domus, & D. Io. Baſſus Capellanus. Hi multum ſupra, infraque eiecere. Reuerendiſſimus autem ipſe non vomuit, ſed per triduum aluum liquidam habuit.

Oua Cicadæ piſcis.

Cicada piſcis Cruſtatus eſt, congener Locuſtis, ſqualis. Oua plurima initio æſtatis ſub cauda gerit, quæ cocta coralliorum colorem referunt. Meſſanæ primo Iulij. 1639. huius oua comeſta fuere à Baroniſſa, Vxore Don Philippi Bonaiuti tunc Iudicis Meſſanæ, à Don Andrea huius fratre, ab ipſius Coquo, & à Rhedario, omnibus moleſtus vomitus ſuperuenit, cũ multa anxietate, & alui etiã fluxu ab hora 18. ad 24. Doctiſſimus Medicus, & cæteri adſtantes de Veneno exhibito timebant, & multis in vanum adhibitis remedijs, tandem ego conuocatus, qui Romæ plurimos ob oua Barbi deuorata curaueram, ipſorum timorem irriſi, & cuique exhibitis vncijs quatuor ſucci Agreſtæ vomitum, quaſi per incantamentum ſedaui.

An ouorũ piſciũ vſus ſit ſalubris.

Ex quibus conſtat non Barborum tãtum oua; ſed aliorum quoque piſcium eſſe aliquando Vomitoria, & quæretis an à Medico adhiberi poſſint, & cur Vomitoria ſint.

Quid agẽdum.

Reſpondeo. licet cognouerim experimẽto Angelam illam à me ſupra allatam ex Vomitu ab eſu huiuſmodi Barbi ouorum, ob multam enacuationem ab ijs affectibus ſanatam, & ad multa laudet Florauantus, ac Geſnerus dicat, ab alijs hæc Oua ſiccata ad purgãdum Exhiberi. tamen quia nec quantum, nec quando ſint exhibenda tradiderunt; ego ea relinquerem.

Cur Oua ſint Vomitoria.

Sed cur hæc Oua aliquando ſint vomitiua inueſtigare fas erit. Alij dixere Barbos id habere ob eſum florum ſalicum, alij Popularum Arborum; ſed decepti ſunt, quia non Oua. ſed piſcium caro debebat Ventriculum ſubuertere. Adde quod nec Populus, nec Salix per ſe Vomitiua ſunt, nec ipſorum flores. Doctiſſimus Paulus Zacchias lib. cit. de Squam. *licet*, inquit, *omnes fere piſces his ſimiles quibuſdam temporibus oua habeãt talia extranea natura; vt facile accidentia prædicta generent, verum hoc alijs piſcibus per accidens eueniet; quod à Vere quando eorum maxima capitur copia; quædam praua edant, à quibus hæc edentes*

Rationes aliorum.

offendendo vitium adipiſcantur. ſed in Barbo interiora ſemper ſunt praua, prædictis autem temporibus fiunt peſſima. Sed equidem amico, & docto viro concedam facile quibuſdam temporibus oua Barbi eſſe peſſima. ſed cur ſint peſſima quero. nec ob edulia concedã. quare dicam ſententiam meam. Oua Gallinarum recentia optima ab omnibus cenſentur. ſed inueterata, & à Gallina incubata, & ſeminata, & cum pullo incluſo, & peſſima; & abominanda, & Vomitoria ſunt, ita quando Piſces vere habent oua, è quibus genitus piſciculus mox mox eſt exiturus nõ amplius oua dicenda ſunt. ſed piſciculi humidiſſimi, cum excrementis corruptis ex piſcium generatione, vnde materia peſſima. ergo, dũ Oua cũ oui forma permanent erunt optima, dũ vero corrũpuntur, & in piſcem, vel pullum commutantur ſunt peſſima. non mirum, ergo. ſi vere piſcium oua Mala, & Ventriculo ſubuerſoria euadunt.

Ratio noſtra.

Ex Ariſtotile autem diſcemus lib. 6. de Hiſt. Anim. cap. 17. qui piſces pariant Vere, qui Autumno, vel alio tempore, & tunc ſciemus, quod oua quum ſint prope partum, erunt alterata, ob id inepta ad edendum, vt Volucrium oua. quare dicemus Barbos, Lucios, Squalos, Cicadas Maio parere. quibus addere licet alios piſces eodem tempore parientes. vt Mugilẽ, Salpã, Sarũ, Auratã, Lupũ, & alios, quos initio æſtatis parere ſcripſit maximus Auctor Stagirita. addamus ex eodem Ariſtotele, quod in parituris piſcibus inuolucrum ouorum putreſcat, & hinc vermiculi oriantur, qui partum ouorum accelerant, cuius hæc ſunt verba loco citato. *Exitus pariendi piſcium compluribus eſt, vbi vermiculi nati in ventre fuerint. innaſcuntur enim minuta quædam animalia vermiculi ſpecie, quæ partum expellunt*. qui Vermiculi corrodentes interiora piſcium, efficiunt, vt *laborent omnes per id tempus, quo gerunt vterum, vnde fit, vt tunc potiſſimũ ruant in terram, atque excidant. feruntur porro graui ſtimulo agitati in terram, atq; omnino id temporis motu perpetuo incitantur, donec pariant: ſed omnium maxime Mugilem ita ſollicitari certum eſt. requieſcunt à partu continuo*. & ex his conſtat vera cauſa, cur Oua aliquorum Piſcium determinato tempore ſint Vomitiua, &c.

De Palma Christi. Cap. CXIV.

Deſcriptio Cardani.

PLanta ab Herbarijs dicta Palma Chriſti non bene nota fuit Doctiſſimo Cardano, ſiquidem male eam deſcripſit libro ſuo de Dentibus. & clare apparet ipſum non ex propria experientia: ſed ex aliorum relatione loqui. Nam *Palma Chriſti*, inquit, *ſimilis eſt Ephemero, radice bulboſa in modum digitorum manus, quadrifida, aut quinque in digitos diuiſa: vnde etiam Hermodactilus dictus, cuius duæ ſunt ſpecies, Maior folio lactucæ leui, flore purpureo, ac candido in ſpeciem quaſi iridis, & odorato, caule etiam leui, ac rotundo: Minori Crocifolium caulis pene ſimilis, flos olens Moſchum, & Ambram, ideoque iucundiſſimi odoris, ac ſuauiſſimi, purpureus, ac violaceus, ſed vt Amaranthi in conum quaſi deſinens, leuis*. in qua deſcriptione multum aberrauit, itaut plantam valde notam, fere incognitam reddat. nam quid Palma Chriſti cũ Ephemero? radix non eſt bulboſa, ſed tuberoſa. nec folio eſt lactucæ, nec in ſpeciem

Iridis.

Matthiol. Iridis. exactius descripsit Matthiolus scribēs. *Palma Christi duo in Ananiu vallis montibus habentur genera. Vnum maius, quod folia Allio latiora nigris respersa maculis, caulem rotundum, lenem, florem spicatum, varium, in purpura albicantem, odore non ingrato, radices duas, quæ sanè testiculos caninos referrent, nisi rumis quibusdam quasi digitis, humanam manum exprimere viderentur. Alterum minus, quod folijs constat Croci: caule dodrantali, inneo, leuiq. in cuius cacumine flos exsistit purpureus, Amarinthi æmulus, qui recens odorem quam suauissimum reddit.* Nicolaus Nicolus in Curatione Quartanæ. sermone 2. pag. 170. dicit esse vnam de speciebus Satirionis. & Satirium Basilicum vocat Dodonæus. alij Orchidem Serapiam. Bauhinus Orchidē palmatā, & species eius xxI. enumerat. Nostri diuidunt in duas species Concordiam, & Discordiam; altera n. videtur habere manuum volas concordes, altera vero ad extra conuersas, ob id discordes, & ijs, quibusdam superstitionibus additus mulierculæ vtuntur, ad concordiam, vel discordiā inter homines, & mulieres excitandas.

Vires autem Palma Christi videtur habere adstringentes; quia hæc est de genere Orchidum. & easdem debet habere vires. sed Orchis adstringit, siquidem Dioscorides testatur. *Aluum sistere è vino potas radices.* Et Matthiolus de Palma Christi. *Huius exiccati puluis ex aqua ignitum Calyben experta, epotus (vt perhibent ij, qui ita esse experimento comprobarunt) dysentericis maxime prodest. Idem aquam præstare aiunt, qua per vitrea Organa ex ijs elicitur.*

Contra tamen Vomitum, & aluum ciere scripsit Nicolaus Florentinus, & eum sequuti Mattiolus, Cardanus, Castor, Dodoneus. sed solo Nicoli experimento freti. ait autem Nicolus de Curatione Quartanæ. se curasse Biliotum Quartana affectum, qui fuerat vsus pluribus remedijs præterquam vomitu. *Postquam autem peruenit ad 44. accessionem virtus erat æqualiter resumpta, vnde exhibui ei per horam ante accessionem 45. de radice Palmæ Christi, quæ est vna de speciebus Satirionis ad quantitatem longitudinis pollicis benè pistatam, & distemperatam cum* vis Vomitoria. *optimo vino albo, & eu recepta euomuit materias diuersas in magna quantitate, citrinas, virides, & nigras. Et post istum vomitum accessio venit minor. In sequenti accessione non dedi sibi de dicta radice, sed in tertia sic. & similiter processi vsque ad tertiam dationem, & in omni vice euomebat de dictis materijs quantitatem magnam. Et post tertiam sumptionem remansit sinè febre xv. diebus, &c.* & addit. *Et scias, quod prædicta radix aliquando mouet ventrem, & aliquando per vomitum, & per ventrem. Et ego vidi eam mirabilem in depellendo quartanas in qua non est fallacia cum datur in processu post plures purgationes.* Mattiolus. *Radices crassa corporis excrementa pellunt, faciemque detergunt, Dantur Maniacis magno iuuamento, quia & in* [illegible] *affectibus Seminis puluis dracma pondere ex vino potus Comitialibus subuenit. item radicis decoctum, vino diutius commistum, quod bibendum paratur, iam in prandio, quam in cana.* Castor Durantes ita cecinit.

Quartana affectis hæc Christi palma medetur.
Calfacit, & siccat pituitam eademq. per aluum
Deijcit, & bilem maculasq. emendat, & ipsa,
Maniacis confert eadem, Morbijque caducis
Et Dysentericis medicina est: sicca venenis
Viribus hæc tandem magnis, pestique resistit.

& addit, quod aqua ex eius radicibus mense Maio destillata, ac mane vesperiq; pota ad vncias tres Ventriculum roborat, vrinam ciet, & ictericis prodest. Cardanus autem lib. de Dentibus. *Vomitu,* inquir, *Melancholiam, & crudos humores educit. Vnde Quartanam curat, vt testatur Nicolus. per aluum etiam purgari crassos humores, atq. ab articulis præcipue; Seminis etiam maioris grana singula trita cum vino per nouem dies sumpta Comitiales liberare creduntur, quod ratione non vacat. siquidem vtrumque humorem purgare cum compertum sit ex quo talis morbus generari solet.* Cæsalpinus aliorum relatione ad Comitiales, Quartanam, & Hydropem conferre scripsit. Dodoneus non nisi Nicoli experimentum adducit.

Multi autem censent apud Auicennam appellari digitos Citrinos, sed obstat Dodoneus, & vere quidem incerta est assertio.

Quid agendum. Credendum ergo. Radices Palmæ Christi Vomitu, alui deiectione expurgare crassos, pituitosos, biliosos, & melancholicos humores, proinde morbis ab horum copia ortis conferre, quales sunt Quartana, Mania, melancholia, Apoplexia, Epilepsia.

Quantum. Cardanus drac. j. Castor ad drac. ij.

Quomodo. Nicolus, Matthiolus, Castor, & alij cum Vino. Cardanus cum Aromatibus.

Quando. Ad quartanam paulo ante Accessionem dant Nicolus, &c.

De Papauere Spumeo. Cap. CXV.

HIc nō loquor de Peplio. quod Gal. & alij appellant Papauer Spumeum, Mecona aphrode. sed de planta sic proprie dicta. quæ herba Ignota fuit Matthiolo, & plurimis Botanicis, alij eam indicantes aberrarunt manifeste. nec mihi (vt verum fateor) veteri Botanico adhuc se obtulit. describitur à Dioscoride. Herbula alba, & spumea rota radice tenui in summo cespite, caule dodrā- Planta ignota. tali, folijs admodum paruis, radiculæ similibus, fructu inter ea candido. Plinius lib. 20. cap. 19. inquit. *folijs (si procul intuearis) speciem passerum prætentantibus, radice in summa terra cute, Semine spumeo. Ex hoc linu splendorem trahunt æstate.* sed errauit Plinius, vt bene notauit Mathiolus, quia Theophrastus ex quo trastulit Plinius, scripserat lib. 9. c. 10. de Hist. plant. *Papauer Herculanum nuncupatum* Error Plinij. *folio constat Struthi, quo splendorem linteis tribuūt,*

radi-

radice in summa terra eunte, fructu albo. errauit ergo Plinius ob verbum *στρύθιον*, quod tum Passerem auiculam, tum lanariam herbam indicat. quæ ipsa est, quæ lintea dealbat, nō autem, papauer. est autem hoc Papauer folio herbæ Struthij. & Gal. 7. de sim. med. fac. *Papauer spumeum vocatur eo, quod totum sit candidum, & spumosum, exile est.* & ex Dioscoride (Descriptio) struthion herba est notissima, ob id non descripsit; sed Plinius. lib. 19. c. 3. posuit folio oleæ, spinosā, & caule lanuginoso. quare concludendum papauer spumeum debere habere folia alba oleæ æmula. sed quam cum Papaueribus habebit similitudinem? Dioscorides, & Plinius, ac Theophrastus non sine ratione simul ponunt. sed respondet ipse Theophrastus id prænoscens. *Hac igitur veluti æquinoca quadam subiungere placuit.* (Æquinocatio.) Ergo papauer spumeum nomen habet æquiuocum cum alijs papaueribus, ob id paucissimam similitudinem.

Porrò plan è à quibusdam Neotericis pro Papauere spumeo propositæ antiquorum descriptioni non quadrant. nec enim *Gratiola* est tota alba, & spumea. quare relinquendus Anguillara. nec *Stæbe argentea* à Cæsalpino proposita est herbula spumosa tota. nec *Cyanus siluestris* à Columna laudatus est recipiendus. nec *Esula exigua* Gesnero concedenda. ita *Ben album*. non bene à Lobellio (vis Vomitoria.) commendatur. concludendum adhuc ignotam nobis esse Legitimi Papaueris spumei assigiem:

Sed interim nobis sat erit eius vires vomitorias perpendere. Theophrastus *radicem superius purgare* scribit. sed hæc dicitur exilis. at Dioscorides, Plinius, & Galenus semine (Quid agitandum.) vtuntur. quia Gal. scribit. *Semen habet pituitam expurgans*. Plinius *Vomitiones facit*. & Dioscorides. *vomitione expurgat*. in comitialibus morbis Theoph. Dioscorides, & Plinius ipsum exhibent.

(Quantum.) Plin. tunditur in pila acetabuli mensura, ita etiam Diosc.

(Quomodo.) Dat Diosc. *in aqua mulsa*, Plinius, *in Vino albo*. & Theophrastus *in vino mulso*.

De Peplio, Cap. CXVI.

Dioscorides *Peplis Πεπλὶς*, inquit, *aliqui siluestrem portulacam vocant, Hippocrates Peplion,* (Nomen.) *in maritimis maxime nascitur, læte opaco fruticee, candidi succi pleno: folijs satiuæ portulacæ rotundis, inferne rubentibus, semine sub folijs rotundo, vti in Peplo, fruente gustu: radice singulari, superuacua, tenui. Colligi, & reponi, ac dari vti Peplos, & sale condiri solet. Easdem habet Vires.* (Descriptio) In arenoso Maris litore copiosa Peplis nascitur humi late serpens, vel ramulis rubentibus, vel albicantibus. Galenus etiam 8. de simp. med. fac. huius semen scribit purgare vt semen Pepli. sed Pepli semen non fertur vomitum excitare, seu aluum purgare, ergo etiam Peplium,

Addamus Hippocratem 2. Acut. scripsisse. (Hippocr.) In dolore pleuritico infestante partes sub septo transuerso, ventrem, vel nigro Veratro, vel Peplio mollire. & Galenus in com. Etiā eum de purgatione inferna loqui censet. & de Int. aff. n. 8. ad Erisipelas Pulmonis. post septimam potionem *ad subpurgationem ipsi dato ex Peplio, & Meconide, siue Peplo, & grano Cnidio*, & clarius, adhuc n. 11. in Tabe scribens. *Et primum quidem Veratrum bibendum dare, infra autem subpurgare Epithymo, aut Peplio, aut grano Cnidio, aut Tithimalide.* Præterea Aetius tum ser. 1. tum 3. c. 26. & cum ipso auctor de Dinamidijs non referunt vim habere vomitoriam.

Ex altera parte videtur fatendum Peplium (vis Vomitoria.) habere facultatem vomitoriam, quia ex Galeno purgat eius succus veluti. Tythymali succus. sed hic vomitum excitat. ergo. & ostenditur auctoritate Hipp. qui primo de mor. mul. n. 31. *Quibus vero*, inquit, *sexta, aut septima die à viro immissa prodeunt putrefacta his verisimile est, ab vtrisque fieri, & bilis, & sanguinis influxu. Curare autem sic oportet, per Veratrum, aut Scammonium, aut Peplium: hæc enim sursum, ac deorsum pituitam, & bilem purgant, & flatus educunt.* vt etiam hic com. suo 2. tex. 15. explicat Cordæus, & clarius ipse Hipp. 8. in 6. Epid. tex. 35. Valesij. *Adamantius Melancholicus à Peplijs pluribus, vomuit aliquando nigra, quandoque à capis,*

Annè dicetis Hippocratem his textibus sibi contradicere? sed sciatis Peplion non semper excitare vomitum: sed aliquando, nec (Nulla Hippocr. contradictio.) solum in corporibus ad vomitum non assuetis, & difficilibus ob ventriculi dispositionem; sed etiam ob præparationem, si enim Peplio miscuerimus aliquid ventriculum corroborans, & flatum discutiens, non excitabitur vomitus. sic Hipp. daturus Peplion ad subpurgandum ventrem, hoc medicamentum præparat admixtione silphij succi, quod mirè discutit flatus, qui possunt subuertere ventriculum. hinc medicamentum redditur tantum subductorium.

De Viribus Peplij Hippocrates comparatiue loquitur. cum Elleboro nigro. 2. Acut. scribens. *Si sub septo transuerso fuerit dolor, ad clauiculam autem de se significationem non præbeat:* (Vires.) *aluum mollire oportet, aut Veratro nigro, aut Peplio ita ut Veratro quidem Daucum, aut Seseli, aut Cuminum, aut Anisum, aut aliud quid ex odoratis amisceas, Peplio vero Silphij succum. sed hæc inter se si misceantur, consimilis modi existunt. Ducit autem nigrum Veratrum melius, & ad iudicationem commodius, quam Peplium. Peplium verò flatus magis erumpere facit. Ambo autem hæc dolorem sedant. Sedant item alia multa aluum subducentia medicamenta. Verum hæc inter ea, quæ ego noui optima sunt,*

Adda-

Addamus modo, quæ ex Anthylo transcripsit Aetius serm. 3. c. 26. atq; etiam Auctor de Dinamidijs. *Peplij semen, aliquando vero, & ramulos simul in vmbra siccata, tusa, ac cribrata dato scrupulorum quatuor pondere in aqua mulsa adstillato modico aceto. Nam post flauam bilem, etiam nigram, & pituitam ducit. Et flatus dissipat, quemadmodum etiam Hippocrates alicubi dicit. Maxime igitur conuenit flatuosis affectionibus, quæ sanè atram bilem lacessunt & auspicantur. Conuenit etiã Splenis inflammationibus diuturnis, Vteri item, ac Coli, & laxis abdominis tumoribus.* *Aetius.*

His prælibatis dicemus nos, Peplium dari posse ad vomitum excitandum, & ad aluum subducendam; nam educit bilem, melancholiam, pituitam, & flatus, & licet sit medicamentum calidissimum, tamẽ Hippocratem dedisse Pleuriticis dolore ad Hippocondria tendente. 2. Acut. & dedisse Scopo febre acuta detento ante 7. vt ipse refert. 2. Epid. sec. 3. & Adamantio Melancholico pluries vomitu excitato nigrorum, vt habetur 6. Epid. ex parua tabella. in Erisipelate Pulmonis, & Tabe. mulieribus etiam non concipientibus dandum. & alijs vteri affectibus, intestinorum, & coli passionibus, lienosis, flatuosis, & internis abscessibus. præcipue autem conferre cẽlendum passioni Hypocondriacæ à flatibus melancholicis. *Quid agendum.*

Quantum. Dosis Peplij videtur præscripta ab Aetio scrupulorum quatuor.

Quomodo. Ad subpurgandum dari poterit cum Hippocrate admisto Lasere, seu Silphij succo. sed ad Vomitum ciendum cum Aetio admixto Oximelite diluto.

Quando. Tempus exhibendi ex Hipp. in Pleuritide dicta, est circa principium, alias septimo die, vt retulimus.

Quoties. Pluries Melancholicis exhibuit Hipp.

De Peplo, Cap. CXVII.

EAdem dici possunt de Peplo, (quem Meconidem Hippoc. appellasse mihi videtur. Galenus Papauer spumeum.) quæ de Peplio diximus. sed parum est nobis in usu; at Hipp. plurimum eo vtebatur, potissimum ad aluum subducendam. non autem ad Vomitum excitandum. Verum hæc valida medicamenta, & lac proferentia natura esse Vomitoria, & ventriculum subuertentia, videntur. *Nomen.*

Itaque Galenus de simp. med. fac. scripsit. *Peplus purgat, vt Titymalli*. sed Tithymalli purgant sursum, & deorsum, vt postea suo loco docebimus. & subdit etiam. *Peplum vtile est semen, & flatus discutiens, similiter, vt semen Peplij purgans.* at Peplium esse uomitorium nuper ostendimus. & vicissim Hipp. ambo exhibet. vt de intern. affe. n. 8. ad Erisipelas pulmonis. post septimam potionem. *ad subpurgationem*, inquit, *ipsi dato ex Peplio, & Meconide*. (Cornarus, & Fesius interpretantur Peplum.) *& grano Cnidio.* an vero pro Meconide rectè vertatur Peplum mox discutietur. *Facultas.*

Certè Hipp. 2. Epid. sec. 3. Scopo exhibuit (scribens πέπλον.) febre acuta detento ante septimam. & si voluerimus dicere Hippocratem promiscue vti voce Pepli, & Meconidis pro eadem planta, videtur contra Hippocratis morem, qui synonimis non solet vti. nam etiam lib. de superfœtatione scripsit. ad vteri osculum emolliendum, valere herbam, quæ *Peplos* appellatur. *Synonima Hippocratis.*

Nec valet, quod Galenus in Exagesi. Vocum Hipp. scripserit *πέπλιον, quod, & peplis, & portulaca agrestis, πέπλος idem, & chamæsice, & papauer spumeum, & meconium*. Dioscorides etiam scripsit. dici Sycen, & Papauer spumeum. sed spuria censentur. Erotianus vero scripsit. *Peplos herba species, quam nonnulli πέπλιον appellant, nonnulli verò Symphytum.* omnes errasse dicere audeo; quia ex Dioscoride, & alijs clare patet, esse diuersas herbas Peplum, Peplium, Chamæsyce, Papauer spumeum, Symphitum, & Meconium. Profecto Dioscorides *Peplis*, inquit, *quam aliqui siluestrẽ Portulacam vocant. Hippocrates Peplium*, & de Peplo cum Dioscoride loquitur. At Erotianus scripsit *πέπλος*, & debebat scribere *πέπλις* cum Dioscoride. sed vnum est verũ nomen, cætera falsa. & si quis plantarum diuersa nomina quærit, legat Bauhini Pinacem, & diuersa nomina, ob diuersas opiniones leget. *Cõmunis error.*

Dicendum quod Peplis, & Peplion sit vna planta de qua Hipp. & Dioscorides, ac Gal. 8. de sim. med. fac. distinctè tractarunt, (vt etiam nos supra) a Peplo. Et quod Meconium apud Hipp. sit idem, ac Peplios varij censerunt. primo Galenus in Exagesi scripsit. *Meconium, Peplium vocatum, quem & Meconitidem nominant.* Nizolius, & Eustachius vertunt, *quem succum papaueris nominant*. sed maximo errore, quia Peplum non potest esse succus Papaueris. & quando Hipp. ponit *Meconium*, multi interpretantur Peplium. aliquãdo Peplum sine distinctione. & 4. Acut. in fine Hipp. scripsit *μηκώνιον*. vertit Cornarus. *Pepli Meconis appellati*. Vasseus, *Meconij. idest Peplij rotundi*. Valesius, *Meconium, idest Peplium*. Fœsius. *Peplij rotundi, quod Meconium dicitur*. ita Brasauolus. sed suspicatur voluisse latyridem. Caluus non immutauit verba; sed posuit *Meconium rotundum*, ita Eustachius in Erotianum, Fœsius in Oeconomia, & alij Peplion interpretantur. cum autem Hipp. ponit *μηκώνα*, Cornarus vertit Peplum, cum tamen significet papauer album. & aliud sit *μηκώνιον*. a papauere. *Meconium* *Erratum.* *Hippocr.*

Quod differant Peplium, & Meconis patet, & Hipp. de inter. aff. 1. pulmo ab Erisipelate intumuerit. *τῷ πεπλίῳ καὶ τῆς μηκωνίδος. Ex Peplio, & Meconide, siue Peplo.* addit Cornarus

nantis. apertiſſimo errore. quia aliàs verteiat Peplium, modo Peplum. vnde confundit ambo. & titubat. ex hoc autem textu ego arguo contra omnes prædictos, Peplium non eſſe Meconidem.

Quod autem Meconiũ ſit Peplos potius, videtur colligi ex Vocibus ſpurijs apud Dioſcoridem ſcribentem dici *μήκωνα ἀφρώδη*. ſed non dixit Meconidem.

Ego ſentio Meconidem eſſe lactucam ſilueſtrem dicitur autem *θρίδαξ*. ideſt Meconis, Meconidos à copia lactis, vti papauer. *Lactuca ſilueſtris.* vnde Plinius. lib. 19. c. 8. *Lactuca eſt etiamnum alia diſtinctio atra, quæ Miconis vocatur à copia lactis ſoporiferi.* Et fortaſſe hoc habuit nomen, quia huius lac vires quaſdam ſoporiferas Papaueris Meconio ſimiles, obtineat, vt ex Dioſcoride colligitur. potuit etiam hoc illi nomen eſſe inditum, quia ex hoc lacte ſoporiferum Opium, ſeu Meconium adulteretur, ſcribente Dioſcoride. *Sed Opium glaucio gummi, aut ſilueſtris lactucæ ſucco adulterant.* Et capite de lactuca ſilueſtri ait. *lacteum eius ſuccum aliqui Meconio permiſcuerunt.* Et Marcellus Empiricus Antiquus medicamentorum ſcriptor cap. 30. *Meconidos quoq. herbæ,* (inquit) *ſuccus cyathis duobus datur, detrahit bilem.* Similiter Galenus eandem lactucam ſilueſtrem intellexit (vel atram vt Plinius dixit) quum ſcripſit. 8. de comp. med. ſec. loc. cap. 4. *In cibo ſtomachicis conueniunt ex oleribus cruda Cicorium, Meconides, Eringium, Intubus, Gingidium, ſeris, Lactuca.* Ex his clare patet Meconidem, neque Peplum, neque Peplium eſſe, ſed lactucam ſilueſtrem, cuius lac ventrem purgat. quod primus omnium Theophraſtus 7. de Hiſt. Plant. c. 6. ſcriptum reliquit. *Purgatrix facultas.* *Lactuca,* ſcilicet ſilueſtris, *folium breuius, quam ſatiua eſt, quod conſumatum aculeatur, ſimili modo etiam caulis, lac habet acre, & medicamentoſum. naſcitur in aruis, extrahitur lac per meſſem tritici, & dicitur purgare Hydropem, & caliginem arcere ab oculis, & argemon auferre cum lacte muliebri.* Et Dioſcorides. *Aquam per aluum elicit lac potum in aceto mulſo ad duos obolos.* Plinius verò lib. 20. cap. 7. *Lactuca,* inquit, *ſponte naſcentis primum eſt genus, quam Caprinam vocant, quia piſces in mare deiecta protinus necantur, qui ſunt in proximo, huius lac ſpiſſatum, mox in aceto pondere obolorum duorum adiecto aqua vno cyatho Hydropicis datur.* eadem referunt Serapio, & Auicenna; ſed pro duobus obolis ipſi dracmam ſcribunt. iure igitur Meconion, & Meconidem ſociauit Hipp. Peplo, non tamen Peplis, Peplion, vel Peplus eſt. & condonandum Galeno, & interpretibus, qui eum ſequuti ſunt. quia Galenus, licet doctiſſimus, ſimplicium differentias ex propoſito non inueſtigauit. *Excuſatur Galenus.*

Poſſemus dicere, quod Meconium aliquando ſignificet primũ puerorũ excrementum, Ex Ariſt. 7. de Hiſt. An. 10. Gal. an Al. ſit id quod in Vtero. c. 5. Plinio. lib. 28. c. 4. ſed ad rem Vomitoriam hoc non facit.

Proſper Martianus de Victu Acut. citato. per Meconium fatetur Hipp. non intelligere vocatum Peplum. *ſed potius ſignificari medicamentum purgans ex Tithymalo paralio confectum, quem Mecona appellari teſtantur, & Dioſcorides, & Plinius. Vnde Theoph. lib. 9. de Hiſt. Plant. c. 8. nomen Medicamenti plantæ ex qua conficitur tribuens, Tithymallum vocari etiam Meconium ſcribit.* ſed aliud eſt Mecona, aliud vero Meconium, & Meconitis. Hipp. aliquando vſus fuit Tithymalo. & Paralium Dioſc. inter voces ſpurias poſuit appellari Mecona, ideſt Papaueraceum ob lactis copiam. & purgare vt alij Tithymali: nõ autem ſequitur per Meconium Hipp. intelligere Tithymalum Paralium. ſatis eſt dicere ab auctoribus non proponi Tithymalum Mecona ad Hydropem. ſed lactucã Meconidẽ à Theoph. & Plinio.

His poſitis, & ſtatuto quid ſit verum Peplum, ſtatuemus quid agendum. Peplos rarò Vomitum ciet, ſed infra potius purgat natura ſua, per Vomitum autem ex Accidẽti, vel ob copiam nempe, vel ob Ventriculi plenitudinem, aut retentricis imbecillitatem, & inteſtinorum obſtructionẽ. Verum enim verò cum Peplij Vires habere dicatur. ea, quæ de Peplij exibendi modo. dixi, Peplio adaptari poterunt, *Quid agẽdum.*

De Molemonio. Cap. CXVIV.

SVſpicabar Molemoninm, & Polemonium eandem eſſe plantam. quia de Polemonio tractarunt Dioſcorides, Plinius, Galenus, & omnes herbarij. de Molemonio autem nemo, neq. etiam ipſe Bauhinus in Pinace alias omnium herbarum nominum coaceruator. cenſebam facili lapſu mutatam litteram p. in m. ſed dum vires conſidero diuerſas, etiam diuerſas eſſe plantas cenſere cogor. apud ipſummet Plinium, quia Polemonium ex Dioſ. Plinio, & Galeno ad Dyſenteriã datur. Molemoniũ verò, de quo ſolus Plinius mẽtionem facit lib. 26. c. 7. ſcribẽs inter ea, quæ faciles præſtant vomitiones. *Molemonium denarij pondere.* nec aliud apud Auctores de Molemonio inuenire potui, vnde nec ſcire quid ſit. ſatis mihi erit retuliſſe apud antiquos fuiſſe plantam vomitoriam nomine Molemonij. *Planta ignota.*

De Persici Floribus, Cap. CXX.

Differētię. PErsici, seu Mali Persicæ differentias plures Plinius, Matthiolus, Bauhinus, & alij scriptores attulere, à fructus nempe magnitudine, figura, colore, sapore, tempore maturationis, carnis ab osse separatione, ossis forma, &c. sed à florum differentia, nec ipse diligentissimus Cæsalpinus meus vllam attulit distinctionem. Itaq: vulgares Persici species flores quinq. folijs pruni modo ornatos, *Flores.* sed rubicundos producunt. Nos autem habemus Persicum Romæ dictum *Lucensem*, cuius flosculi foliola admodum parua producunt, adeo vt non foliati videantur, sed multis densis, ac rubicundis staminibus sunt repleti, quibus fructus succedunt, sub virides, ex altera parte aliquando rubescentes, osse oblongo, rubro, & à carne separabili. Nos autem hic loquemur de vulgari flore, foliato, cuius foliola hoc loco proponuntur inuestiganda.

Matthiolus. *Persici flores, inquit, esu aluum deijciunt, itemq: vomitiones cient. Hydropicorum aquam pellunt, si recentes in acetarijs edantur, sed non absque labore:* idem retulit Castor Durātes.

Aluum eius flores: sed non tamen absque labore
Deijciunt, Vomitumque cient.

Dodoneus. *feruntur, & flores sacchoro potissimū conditi ad alui expurgationem quoq: facere.* & ex his, ac alijs clare constat, Persici flores ad Vomitum ciendum conducere, aquas potissimum educere, & Hydropicis conferre, *Quid agēdum.* sed molestam esse purgationem: at equidem non obseruaui adeo molestam purgationē; sed leuem, ex mediocri eius dosi. Renodeus scripsit. Syrupum è floribus persicorum paratum vim habere aquas, & bilem ducendi, vermes enecandi, & infractu mesenterium liberandi. Non solum enim meatus diducit; sed humores incidit, & educit, & ex Andernaco. Acres tenuesque Humores in biliosis febribus, vti Rosarum, trium vnciarum, vel quatuor instar exhibitus, educit.

Quomodo. Recentia florum folia vel cum pane, vel in acetarijs sumuntur. fit conserua cum saccharo, vel infusio, ac syrupus. Andernacus, & ex eo Vecchenis, Bertaldus, & alij. Cardanus de Dentib. scripsit, quod hi cum saccharo conditi non minus purgant, quam Rosæ; immo longe plus, & tenuem tantum humorem, si quidem natura sunt tenuissimi. Mirum est autem cum nulla plātæ illius pars hoc possit. Creditur etiam podagricis plurimum opitulari, scilicet, vbi materia tenuis principaliter infestat.

Andernacus. Multa Antidotaria syrupos parandos docent. Ex Andernaco Vecchierius, Bertaldus, &c. hoc modo.

℞. Florum Persicorum recentium lib. iiij.
Aq. vel Rorismaialis calefacti lib. vij ÷
per horas 8. septies, aut nouies macerentur.
Deinde ℞. huius diluti lib. ij.
Sacchari. lib. j ÷ vel lib. ij.
ad Syrupi spissitudinem incoquantur.

Renodeus. Renodæus alia vtitur proportione, & sumit.

Florum Persicorum. lib. j.
Aquæ tepidæ. lib. iij.
per horas 12. macerat, bullit parum, exprimit. quinquies, vel septies reiterat. tandem
℞. postremæ colaturæ, lib. iij.
Sacchari lib. ij ÷
fiat Syrupus. s. a.

& aduertit quod Sy. est amarus, florum adest penuria, & euulsis floribus fructus non colliguntur.

Verum ad Vomitum prouocandum non confert syrupus, sed aluum purgat. folia autem recentia manducata per se, vel cum pane Vomitum sæpe prouocant.

Quantum. Dosis sunt 6. 7. 9. 11. flores, stomacho ieiuno,

De Ricino, Cap. CXXI.

RIcini plantæ vnum tantum genus nouere Antiqui Dioscorides, Plinius, immo etiam Matthiolus, & cœtr. sed Bauhinus ad 7. species *Nomen.* reduxisse apparet. ad hunc etiam reducendo Coreas Malauarensium, ob similitudinem quandam.

Vulgaris Ricinus ab Antiquis laudatus à Diosc. clare describitur, nobilissimaq: planta est, siue *Ricinum*, siue *Cici*, siue *Croton*, siue *Pentadactilum*, siue *Heliotropium, Mirasolem*, siue *Palmam Christi*, siue *keruam*, siue *Cataputiam maiorem*, *Granum Regium*, *Albemisuch*, vel alio nomine dicere maluerimus. *Differētię.* Verum enim verò in Horto Eystettensi proponitur Ricinus minor. & Clusius posuit Ricinum Americanum pusillum. Nos habemus Messanæ Ricinum siluestrem pro sepibus caule viridi, & folijs albidioribus, alium vocamus Americanum caule, & folijs rubicundioribus. aliud genus descripsimus in Horto Farnesiano. & aliud exoticum semē nigrum Circulatores Romæ vendunt. nos hic loquemur de Italico Ricino, & forte cū Aegyptio conuenit, & Medicorum Ricino.

Temperies De huius seminis temperamēto falsò Dioscoridem citat Mesues. nec etiam Gal. ipsum definiuit. Mesues autem videtur assentiri Hamech ponenti calidum, & siccum in principio tertij gradus, ita etiam Cardanus lib. de Dentibus.

Serapio posuit inter Medicinas cal. & siccas in primo Gradu. Auerr. autem censuit calidum, & siccum in 2. gradu. certe si saporem recentis seminis considerauerimus, dulcem, & blandum, in primo gradu tantum calidum dicemus, sed semina inueterata, rancida, acriaq. fiunt calidissima; ideo indicatur

catur

catur calida in 3. Ergo distinguenda hæc semina secundum ætatem. nam rancida sunt calidissima, exulceratiua, & venenata pro ore ventriculi.

Facultates Vis seminum Ricini ex Gal. 7. de simpl. med. fac. est *vt purget, detergat, & digerat.* Mesues laudat ad *colicum dolorem, iuncturarum, podagra, sciatica, Hydropem.* ratio esse videtur, quia, ex eodem, *educit phlegma vehementer, & aliquando choleram, & materias à iuncturis, & aliquando aquam citrinam.* Serapio ex Bedigora scripsit. *Proprietas Granorum Catapntiæ est, quod dissoluunt, subtiliant, & fortificant membra, & incidunt superfluitates.* ex Damaschar. *katapntia relaxat neruos, & soluit ventrem, mundificat venas, & confert lepræ.* Auic. confert doloribus iūcturarū, podagræ, & sciaticæ, Hydropi.

Purgatrix Circa facultatem expurgandi. Dioscorides scriptum reliquit. *Pituitas, bilem, aquasq; per aluum detrahunt, vomitionesq; mouent, sed iniucunda admodum est, & molesta purgatio, siquidem stomachum vehementer subuertit.* Paulus scripsit, pituitam vacuare. Mesues. *Facit Vomitum*, inquit, *& solutionem laboriosam.* & in Canonibus. Theoremate 1. tex. 15. hunc ponit inter vehementia Vomitoria. Equidem obseruaui rarius vomitum concitare, sed per aluum potius detrahere: ita Romæ circulatores plurimum seminis Ricini Americani vēdunt, sed rarò vomitus excitatur. *Periculū.* Solum leuis, & iucunda purgatio, non tamen semper tuta, quia vidi à seminibus rancidis inflammatum oesophagum, relaxatum, & inappetentia aliquos obijsse, post purgationem mitissimam à grano medio manducato seminis Ricini indici.

Fallopius. lib. de med. purg. c. 67. ait. *Non est in vsu ad purgandum. Pueri si comedunt semina Ricini, concitatur sibi vomitus, & fluxus alui magnus.*

Sed tota difficultas est circa dosim. omniū primus Dioscorides scripsit. *grana triginta numero purgata.* Plinius vicena grana. Paulus *Quantum.* grana. 40. Aetius, & Actuarius, grana 15. sed Mesue. à quinq; ad septem. Card. lib. de Dent. grana septem. Auic. c. 48. de Mehenbethene. *Et quando ex granis eius sumuntur vij. grana, aut vj. & fiunt pilulæ, aut bibuntur, ita quod inde non fiant pilulæ, deinde postea potatur in aqua frigida, solutione educit choleram, & phlegma. Et sæpe quidem sumantur in potu de eis x. grana ex suis granis paruis.* Profectò magna varietas est in dosi, & cum nostro æuo videamus quotidie à Circulatoribus exhiberi medietatem vnius grani, & ad summum vnum granum Cataputiæ, seu Ricini indici, & mire aluum subducere. vel nimis audaces fuisse *Quomodo.* Antiquos, vel erratum esse in codicibus primis suspicandum erit. certe Matthiolus in codice quodam antiquo legisse refert. τρεῖς κόκκοι τὸν ἀριθμόν. i. grana tria numero. & ἴσον γ' κόκκοι. non autem ἴσον κ' κόκκοι ita etiam Costæus in Mesuem legēdum censet. Sic ego experientia edoctus censeo Ricini seminum Dosim esse debere à grano medio ad tria.

Antiqui præbebant Ricini grana decorticata, & trita potanda. Mesue coquebat grana contrita in iure Galli antiqui ad colicam, & dolores iuncturarum. vel infundebat in lac Caprinum, & colabat pro Hydropicis. Auic. decoquebat folia in iure Galli. sed vereor ne errauerit. sicut etiam quando addit. *Quandoque voluntas adest, vt sit eius solutio magis ad summum perueniens sit bona eius masticatio. Et quando est voluntas, vt sit eius solutio lenior, deglutiantur, cum sua dispositione.* *Confusio.* quia Græci hoc dixerunt de Lathyride, vt supra nos retulimus. At Arabes confunderunt plantas Ricini, & lathyridis, plantas valde diuersas.

Marquedi audacia. At nimis audax videtur fuisse Marquardus dum cap. de diff. meiendi scripsit. ℞. sem. Cerasorum g. 32. nucleorum persicorum n. 30. Cheruæ, seu Cataputiæ maioris. n. 5, conterantur subtilissime omnia distemperētur cum vini optimi albi subtilis vnc. iiij. exprimantur per pannum colando, detur stomacho ieiuno. Auic. de cura Colicæ frigidæ. dat in potu Oleum de Kerua ab ereo medio ad septem, &c. legantur eius verba, mihi non satisfaciunt.

De Ruta Agresti. Cap. CXXII.

Differētia. DVplex est apud Dioscoridem Ruta siluestris. altera de qua agit lib. 3. c. 45. cum Ruta Hortensi, vt eiusdem generis esse videantur. de altera agit cap. seq. 46. & vocari etiam Moly, & Harmalam dicit, dubitamus, quæ ex his vomitoria sit. *Dubitatio.* Nam Mesues primo Canonum. tex. 15. Rutam agrestem inter vehementia vomitoria numerat, cum tamen Dioscorides neutram vomitoriam faciat. sed Matthiolus de Ruta Harmel, quam in Horto aluimus, sed non experti sumus. scripsit. *Rutæ huius semen datur*, ad purgandam bilem atram magno auxilio, paraturq; potandum hoc modo. *Conijciuntur in mortarium seminis grana xv. prius clarissima aqua abluti, & deinde ligneo pistillo teruntur, affunduntur que aquæ fontanæ vnciæ quatuor, eodemque pistillo aliquantisper miscentur. Demum linteolo percolatur cremor. cui adduntur mellis optimi vnciæ tres, & olei sesamini, aut amigdalini vnciæ duæ, & id omne propinatur Melancholicis. facit enim copiosas vomitiones. Nec est hoc medicamento aliud valentius ad Comitiales.* *Facultas.* & de hoc satis.

s(s†s)s

De Sambuco. Cap. CXXIII.

SAmbucus natura sua frutex est, verum cultura euadit arbor vnico caudice. cuius vnicam speciem nouisse videntur Antiqui, quæ nempe fructûs nigros producit. sed nos habemus in Horto fructu albo. item variam habemus folijs laciniatis. nec non etiam folio solidiore. quam Sambucum Aquaticam vocamus, alij montanam, racemosam. ad Sambucum reducitur Sambucus rosea, & quorumdam Rosa Gheldrica. nec non etiam Staphilodendron Matthioli, aliqui vocant Sambucum validam, nos de Sambuco vulgari hic loquemur. de Ebulo, quem Sambucum humilem aliqui dicunt, supra loquuti sumus.

Differētię.

Temperamentum.

Sambuci temperamentum. Serapio inter calida, & sicca secundi gradus hanc reponit. cum tamen Galenus non nisi quod desiccet, & modice digerat scripserit. Plateanus cal. 2. sicc. 1. Castor Durantes calidam, & siccam pronunciauit. Dodoneus vero. *Sambuci*, inquit, *cortices, folia, prima germina, flores, ac fructus non modo reficcant; sed & excalefaciunt.* Auic. lib. 2. c. 618. inscribit de Sambuco. alter verò interpres de Sambuco iasmin. & vere quidem Auicenna loquitur de Leucoio albo, purpureo, & citrino. Equidem censeo Sambucum esse refrigerantem, minime vero calefacientem. Dioscorides *folia*, inquit, *si praetenera, ac mollia ex polenta illinantur, inflammationē mitigant, ambustus illita prosunt.* & Plin. lib. 24. c. 10. de eius decocto. *Refrigerat etiam inflammationem, maxime recentis ambusti*. Matthiolus autem. *Aqua è Sambuci floribus fronti, & synicipiti illita capitis dolores mulcet, qui à calido humore prouenerunt*. parat deinde ex mediano Viridi cortice Vnguentum, ad ambusta. & addit. *Fungi, qui ad imam Sambuci caudicis sedem oriuntur in aqua rosacea prius macerati capitis dolores, & inflammationes mulcēt.*

Fungi.

Igitur folia, flores, medius cortex, fungi, & aqua destillata refrigerant, & inflammationibus adhibentur, quomodo calidam dicam?

Profecto Simon Paullus in suo Quadripartito calidam censuit Sambucum, quia Galenus dixit *modice digerere*. vnde omnes eius partes digerere, nequaquam autem repellere censuit, ideo calidam esse, quod si Erisipelati sæpe prodest, id fieri voluit, quia hoc extra veri boquum ex Hipp. extra veritut autem à digerentibus. Sed decipitur; & ex eius verbis colligo sambucum recentem esse frigidam, siccam autem digerentem, quia scriptum reliquit. *Consistit autem legitimus illius vsus in eo, vt nitidum linteum ea madefactum in vmbra probè siccatum, minime madidum erysipelate infestatę parti imponatur*: sed non cōsiderauit etiam lactucam siccam, Hyoscyamum, sempervivum, mandragoram, solatrum, & cicoream, & similia non retinere facultates priores, sed siccas esse potius digerentes, quā repercutientes. experientia tamen quotidiana conuincit sambuci partes recentes esse frigidas; nec implicat, sambucum esse refrigerantem, & digerentem: quia Rhabarbarum, & multa alia euacuant, & adstringunt simul.

Paullus deceptus.

Vires deiectorias Sambucum habere procul dubio est. namque Dioscorides. *aluū detrahens aquam, stomacho inutilis, folia olerum more coquantur ad pituitam, bilemque detrahendam. Caules teneri in patinis cocti eadem efficiunt. Radix in vino decocta, & in cibis data hydropicos adiuuat*, ita Marcellus Empiricus, *Sambuci coliculi teneri decocti cum oleo, et garo manducati, ventrem continuo soluunt.* Alexander Trall. lib. 9. c. 1. Paul. lib. 3. c. 48. & lib. 7. c. 4. E Sambuci radice secundi corticis expressus succus, cū condito, vel vino ad vnc. ij. potus ad Hydropem Anasarcam laudatur.

Vis solutiua.

Floraurantus lib. 1. physicæ. c. 41. *succus corticum radicum optime purgat. prodest febribus ardentibus, refrigerat, sanguinem purificat, intemperiem ventriculi corrigit*. Cardanus lib. de Dentib. scripsit aluum mouere, lenire, & purgare: sed nullum tamen proprium humorem. parum amicum esse iecori, sed ventriculo minus, quia odiosus est, & violentus. nec profecto hi de vi vomitoria Sambuci verba faciunt.

Tamen recentiores scriptores Sambucum excitare vomitum memoriæ prodiderunt. si quidem Matthiolus. *Succus*, inquit, *è radicis cortice expressus Vomitum valentissime commouet, & aquam inter cutem pellit*. Antonius Fumanellus. *Sambuci flores ex melle vomitum cient. Vomitiones etiam leniter ciet succus Sambuci*. Floraurantus Tesauri sui lib. 4. c. 12. ad prouocādum vomitum in affectu calido vtitur succo corticum rad. Sambuci, cum dimidio mellis rosacei. Castor Durantes Matthiolo subscribit. Bouius autem in Fulmine pag. mihi 93. ait. *Inueni in seminibus Sambuci, & Ebuli mirabilem vim. soleo horum seminum ij. vel iij. dracmas exhibere contritorum, & cum saccharo rosaceo, Dianthos, Diamarenato, & simili ad gustum infirmi, & si delicatulus est, vtor horum oleo per expressionem ad drac. j. vel in vino odorato, vel in iure, in hydropicis, & vbi abundat pituita mirabile est medicamentum. Colliguntur matura; sed antequam siccentur, ponuntur, & franguntur in aqua, & lauantur multoties, vt semina pura euadant, tunc siccatur semen, & seruatur primo anno educit per Vomitum, secundo minus, tertio per inferiora tantum pituitam, & aquam.*

vis Vomitoria.

Equidem sentio Sambuci plantam mixtas habere vires calefacientes, & refrigerantes: propter calidas, & tenues discutere; propter frigidas, & crassas refrigerare; & propter specificas qualitates vomitum, & aluum ciere. ad nos autem hic spectabit vires vomitorias

pet-

perpendere. dico igitur plurimis Sambuci particulis vim emeticam inesse. vt pote secundo radicis, & caudicis viridi cortici, cauliculis, floribus, & semini.

Quid agendum. Vtendum ergo erit Sambuco ad educendos serosos humores, & biliosos ichores; proinde Hydropicis confert, ego vtor succo mediani corticis in calidis affectibus, & Matri meæ post obitum infantis, lac retrocessum induxerat febrem calidissimam ex maxima sanguineorum ichorum ebullitione; vnde, facies præcipue reddita, erat mire rubicunda, & inflammata, assumpto huiusmodi succo, & sursum, ac deorsum probe euacuata, post paucas horas corpus refrigeratum, & facies alba apparuit. cessato sanguinis feruore. indicium etiam manifestum huiuscemodi medicamentum vires refrigerantes sortitum esse. quidam seminib. vtuntur in podagra.

Quantum. Succi corticum radicum vnc. ij. exhibebant Antiqui. ita etiam nos dicere poterimus eius dosim esse ab vncia vna ad vncias tres. Seminum ij. vel iij. drac. Bouius dedit seminis recentissimi dra. j. sursum lib. ij. deorsum lib. 3. eduxit.

Quomodo. Exhibebāt antiqui succum vino mixtum. Floraduantus succum è radicum cortice expressum, & colatum decoquebat, & despumabat, tunc ad vncias duas succi addebat vnc. j. Mellis rosacei. Ego ita paraui. Recipe radicum Sambuci. q. s. ablato primo cortice externo, abradatur secundus albicans vsque ad partem lignosam. exprimatur, &

Quando. coletur, huius accipe vncias ij. vel quantum uis, adde tantundem, seu vnc. ij. succi Endiuiæ, facchari rosacei, vnc. 1. m. & mane ieiunus sumat, confert potius æstate, quam hyeme.

Item Recipe summitates teneras Sambuci contunde, & succum exprime, adde parum facchari, dedi vnciam semis puerulis vnius anni, plus autem vegetioribus vomitus, & aluus concitata fuere, & sanati fuere pueri, qui maximam sitim, & inappetentiā habebāt.

De Sambuco Aquatica. Cap. CXXIV.

Sambuci Aquaticæ Historiā legant apud Matthiolum Cæsalpinum, Dodoneum, & alios.

De eius vi Vomitoria pauca sunt dicenda, quia Matthiolus solummodo scripsit eius baccas deuoratas Vomitum ciere, à quo id assumpsere Castor Durantes. Schuuenckfelt de Plantis Silesiæ. Historia Lugdun. & pauci alij.

De Sesamoide Maiore. Cap. CXXV.

Sesamoidis vtraq; planta nomen sortita fuit à semine, quod profert Sesami semini simillimum, & distinguitur à Dioscoride in maius, & minus, licet antiqui quidem eius codices, teste Marcello, in nigrum, & candidum diuisisse videātur, certe Aegineta in maius, & in candidū distinxit, quæ diuisio *De nomine* non valet, vel enim quantitate, vel colore differunt. nec bene dicitur alterum candidum, alterum verò magnum. nec datur in descriptionibus Sesamoidum color albus, & niger; sed minus habet semen fuluum. maius verò similius Sesamo erit; vnde album potius.

Sesamoides magnum in Antycira Elleborum vocari scripsit Dioscorides, & nuper dixerat de Veratri nigri semine in Anticyra, *Nomen.* Sesamoidem vocari; ergo magna nominum apparet commutatio, *Veratri semen vocant Sesamoidem. & Sesamoidem vocant Veratrum,* quod si in Anticyra Veratri semine deiectiones moliuntur, non vtentur radice, sed si nigro Veratro Cnici semen inest, quomodo Sesamoidem vocant? contra Theophrastus lib. 9. de Hist. c. 10. *Elleborum*, inquit, *non solum radice, sed etiam fructu vtile est, siquidem in Anticyra (vt fertur) fructu eius purgantur, quem Sesamaceum fert.* Profecto forma seminis Cnici multum differt à Sesami semine, vnde Theophrastus cum Dioscoride non conuenit. & cap. 11. scripsit, *miscetur in potione, vt Vomitio bene succedat,* ἐλλεβορίνης *Elleborina semen, quæ herbula est.* & hic Sesamoidem appellat elleborinem! Sic Plinius lib. 22. c. 25. scriptum voluit in suis monumentis. *Est etiamnum aliud Sesamoides Anticyræ nascens, quod ideo aliqui Anticyricon vocant.* & lib. 25. c. 5. *in Anticyra insula*, ait, *tutissime sumitur, quoniam Sesamoides admiscent.* At mihi videntur hi scriptores relata *Opinio nostra.* referre, non autem visa. ob id titubasse, & inuicem sibi contradixisse. Equidem censeo Sesamoidem esse sui generis plantam, verum quia eius semen Elleboro miscebatur, Elleborinæ nomen habuisse; Elleborum autem vocabatur Sesamaceum, & sesamoidem, quia cum Sesamoide in Anticyra sumebatur, alibi vero non: quoniam in sola Anticyra Sesamoides maius oriebatur.

Oribas. lib. 7. Collect. c. 26. ex Rufo. scripsit. *per superiores vero partes purgat elleborus albus, Sesamoides magnum, quod etiam Anticyrei Veratrum Anticyreum nominant, proxime autem ad Senecionis herbæ formam accedit,* dicebatur autem Veratrum Anticyreum, tum quod Veratro albo admisceretur, tum quod vt Veratrum operabatur, tum denique, quia in sola Anticyra oriri credebatur. sed capite sequenti 27. ex Dioscoride de Elleboro nigro agens scripsit. *eius autem semen est Cnico simile,*

quod

quod etiam Sesamoides nominatur. in Anticyra, & hic Ruffus, & Dioscorides ellebori semen vocant Sesamoidem. & sesami semen, & supra notaui à Cnici semine multum differre, vnde Cæsalpinus in Dioscoridem mendum esse censuit, & pro Cnico reponendum locum, id est albo simile.

Describens Sesamoidem magnum Dioscorides, inquit. *Simile est Senecioni, aut Rutæ, longofolio, flore candido, radice gracili, ignaua, semine gustu amaro, catera Sesama similis.* Matthiolus fassus fuit, Sesamoidē magnū se ignorare.

Lobellius. Cordus, & Lobellius censuisse videntur Helleborastrum fuisse Sesamum maius antiquorū. fortasse, quia in Antycira Veratri semen sesamoidem vocant. sed varia loquuntur, quia Sesamoidis posita descriptio minime elleborastro aptari potest.

Resedam vulgarem albo flore. pro magno Cæsalpinus Sesamoide proposuisse videtur Cæsalpinus. & *Resedam flore luteo* alterā minoris sesamoidis differentiam statuit. verum cum nulla his emetica vis insit, haud doctissimo Botanico assentiemur.

Salmaticenses (teste Clusio) Sesamoidem magnum vocabant plantam, quæ à Lobellio Muscipula, & Viscaria. à Bauhino Lycnis viscosa dicitur. sed cum ei, neque senecionis folium, neque sesami semen, neque purgatiua vis insit, multum à magno Sesamoide distabit.

Scaliger, & Tabernamontanus, alijq; ex Lugdunensibus, ex Delecampio pro Sesamoide maiore proponunt *Tartonraire* Massiliensium, quæ Thymelea folijs Kali lanuginosis, falsis à Bauhino nuncupatur. à Clusio sanamunda altera, quæ quidem planta magis assimilari Sesamoidi, videtur, quia valide purgat, tamen à descripto Sesamoide maiore folijs, fructu, & semine multū distat.

Interim dum à vigilantibus Botanicis verum Sesamoidem magnum perquiritur, nos breuiter eius vsum doceamus.

Quid agēdum. Datur per se, vel cum Veratro albo. Per se quidem datum. Ventrem detrahit ex Dioscoride, & sic non videtur sesamoides vim

Obiectio. Vomitoriam possidere. at dicens cum Veratro albo faciliores vomitiones reddit. Respōderem admistis duobus medicamentis per

Solutio. diuersa loca trahēribus faciliorē fieri purgati. Medicamentum enim sursum, & deorsum expellens materiam euacuandam, tutius est, quam educens per solum vomitum, quod enim ambiguum est, materiam in ventriculo contentam per vomitum educit, quæ verò ad intestina detrusa est per aluum expellit. at Veratrum album, quia vomitorium tantum est, omnia per vomitum educere conatur, ob id difficilior, & magis molesta succedit operatio; vnde facsiorem. semper vidi purgationem ab assumpta, Latinde, Antimonio, Gutta gummi, & similibus sursum, & deorsum simul expellentibus, quam ab assumpto Veratro, quod sursum tantum educere obseruaui. ideo dici posse videtur quod Sesamoides magnum admiscebatur veratro, ne tota intensio naturæ eiusq; motus esset ad Ventriculum.

Ex altera parte Oribasius, vt supra retuli, ex Rufi sententia scripsit Sesamoides magnū esse Vomitorium validum. Hipp. 4. Acut. n. 66. *Sesamoides sursum purgat*. & Actuarius meth. c. 8. *Sesamoides magnum superne pituitam purgat*. si ita senserimus, debemus quærere cur admisto Sesamoide Veratrum facilius purget. cum sint ambo validissima Vomitoria. Non possum equidem aliam imaginari causam, nisi quod Veratrum crassos tantum, ac tenaces educat humores, propter quod suffocationis imminet periculum, Sesamoides autem educit tenues, & aquosos. Quod si Medicamentum admistum fuerit ita, vt educantur simul tum tenues, tum crassi humores, facilius multo erit purgatio per Vomitum, quam si crassi solummodo mouerentur. — *vis Vomitoria.*

Miscebāt igitur Antiqui in Antycira Elleborum, & Sesamoides. vt facilior succederet purgatio. hinc ex Dioscoride *datur ad bilis, pituitæque deiectionem*. — *Quid agēdum.*

Quantum tribus digitis capitur (ex trito) *addito Veratri albi sesqui obolo, ex aqua mulsa*. Hipp. 4. Acut. *potus eius est drachma dimidia in aceto mulso trita. commiscetur autem Veratri tertia potionis pars, & minus suffocat.* Actuarius cum Dioscoride sentit; sed dat cum Melle. — *Quantum.*

De Sesamoide minore non est, quod agā, quod esse vomitorium haud noui, immo neque quid vere sit. — *Quomodo.*

De Smaragdo. Cap. CXXVI.

Pauca de lapide prętioso Smaragdo dicto proferam, qui de eius forma, differentijs, prætio scire cupit Adeat Anselmum Boetium, Cæsalpinum, Agricolam, & alios, qui de lapidibus prętiosis agunt, meus sermo erit circa vsum smaragdi pro Vomitu excitando. nempe optimæ, & laudatissimæ gemmæ. primo dicemus quod temperamentum Smaragdi, ex Serapione sit frigidum, & siccum. — *Intentio.* — *Temperamentum.*

Mirabiles vires pulueri Smaragdi tribuunt Arabes, raceo usum integri in Amuletis. Serapio scripsit. *quando sumitur in potu, confert venenis mortiferis, & morsibus venenosis, & punctionibus animalium habentium aculeum.* prætérea confert leprosis, & Auerroes. *Valet contra omnium venena & specialiter contra venenum Serpentium. & abscindit fluxum antiquum cuius causa est occulta*. Anselmus Boetius ait. *Smaragdus, vt omnes gemmæ frigida, & sicca est temperaturæ. ob id omnem alui sanguinisque fluxum, & præcipue dysenteriā ehibitus sistit, teste Auenzoare,* — *Facultas.* — *Auerroes.* — *A. Boetius*

nec

nec refert, an à mordaci humore, an à veneno ortum habuerit, Recentiores miræ laudant puluerem smaragdi in febribus putridis, & pestilentibus. Chimici smaragdi tincturam extollunt. Mesues ponit in Elect. de gemmis. Neoterici in Conf. de Hyacintho, & alijs. Ex quibus videtur colligi nullas vires vomitorias Smaragdo inesse; sed potius Vomitui contrarias.

Vis vomitoria. Contra Andreas Cæsalpinus lib. 2. de Metallicis c. 64. de Chrysocolla ita docuit. *Constat lapis armenus ex Chrysocolla, & cæruleo vtrisque vim purgandi habentibus; sed Chrysocolla periculosior est, vt pote quæ ex ære ortum ducat, & ad Æruginem accedat. Sic, & Smaragdi puluis vomitorius est: ab eodem enim principio ortum ducere videtur*. certe Plinius, Agricola, Anselmus, Baccius de Lapidibus. fran. imperatus de fossilibus, & alij in ærarijs fodinis reperiri testantur. Scaliger Exer. 108. *Smaragdi principia ex ære esse. Tum quia ærugo Viridis. tum quod Smaragdus eodem indicio certissimo probatur, si lydio lapidi affricata reddat æris colorem*. & Serapio ex Rasi transcripsit. *Et viriditas coloris nascitur à virtute minerarum æraminis*, fatendum ergo erit Smaragdum habere facultatem vomitoriam. proinde quando Auerroes scribit, *& scias, quod illis, qui biberint in principio, superueniunt multa mala accidentia, non minora accidentibus veneni; sed subito sanabuntur, postea taliter quod in eis non remanebit aliqua debilitas, nec aliqua discrasia*. quæ mala accidentia aliqui non bene interpretantur, nam Anselmus scriptum reliquit. *Eo hausto ex templo æger, ac si venenum sumpserit, cordis anxietates, animique defectus patitur; quæ si exceperit sudor, & somnus liberatur x. horarum spatio*. Equidem censeo Auerroem dicere, superuenire vomitum molestum, qui vomitus potest educere venena, & sursum reuellere materiam disenteriæ, & hunc vomitum cum nausea, & anxietate, quia est effectus medicamenti æruginosi, vocat mala accidentia; sed cessato motu, & euacuata causa venenata subito sanantur, nec aliquid mali remanet. Verum dicit Auer. quod molestiora sunt Accid. ab assumpto Veneno, & vomitus minus molestus in disenteria.

Prauus vomitus.

Quid agendum. Vsus igitur pulueris Smaragdi erit contra venena assumpta, morsus serpentum, & ictus animalium aculeo præditorum. hinc neoterici exhibent ad febres malignas, & pestilentes, quæ veneni naturam sapiunt. confert leprosis, & abscindit alui fluxus antiquos, & dysenteriam, forte reuellendo per Vomitum.

Quantum. Qui dant g. j. vel iß. pulueris Smaragdi, nõ assequuntur finem, nam Serapio pondus granorum octo Hordei exhibet. & Auerroes dat pondus granorum nouem, Auenzoar sex. ergo eius dosis minima erit g. vj. maior. g. ix. ego multoties exhibui 8. & 10. grana cum sy. de gemmis, acredine citri, & similibus quotidie per plures dies ad roborandum cor, spiritus vitales, & in delassatis a multa euacuatione præcedente. cum maxima cõferentia, absq; vomitu, nausea, vel alui deiectione. vnde noui multa aliter dici, quam vere sint.

Quando. Quando exhibendum sit multi ignorant exhibentes cum cibo, paulo ante cibum, &c. sed Auenzoar primo, & 2. Thé. sir cap. de dysenteria ait. illi, qui smaragdum sumit, opus esse, vt septem horarum spatio, vel circiter, postquam eum sumpsit, cibo, potuque abstineat. Serapio autem. *Qui dederit illi, qui sumpsit Venenum, antequam Venenum faciat in eo impressionem, liberat eum à morte, & non cadēt capilli ab eo, neq; excoriabitur, & est euasio sua*.

Quomodo. Ratio sumendi Smaragdum erit ex Auerroe. *tritum super lapidem, & mixtum cum lacte amigdalino, & aqua violarum, & modico Aceto*. Smaragdi tincturã parare docet Anselmus Boetius hoc modo. *In ferreo vase pulverizatur ac per linteum traijcitur, huic superfunditur spiritus Vrinæ, qui aliquid phlegmatis adiunctum habet, vt colorem extrahat, spiritusque iterum distillatione aufertur, vt in fundo remaneat Smaragdi extractum griseum. e quo tandem spiritu Vini color smaragdi extrahitur*. Sed an hæc tinctura sit Vomitoria mihi haud notum est.

Aloisius Mundella Epistola sua prima inuehitur in eos, qui Smaragdi puluere in febribus pestilentibus vtuntur potissimum, eo quod Galenus, Dioscorides, & alij Greci eo vsi non fuerint. sed imbecillis ratiocinatio, nam Galenus nouit lapidem Armenum, Cyaneum, Hydrargirum, immo etiam Rosas, purgare tamen ista, is ignorauit. satis est Arabes vsos fuisse puluere Smaragdi in potu, & vtilem in prædictis affectibus inuenisse.

Cautio. Sed aduertendum, vt verus non autem falsus sit Smaragdus.

De Soldanella, Cap. CXXVII.

Herba, quæ Soldana, & Soldanella vulgo vocatur. si (vt creditur) à Dioscoride Brassica marina fuit appellata, cum nullam habeat Brassicæ similitudinem, neque in folio, neque in caule, flore, semine, vsu, mirandum, quomodo tale nomen sit sortita. Vnde vere dixit Dioscorides. *Marina Brassica à satiua prorsus abhorret*. sed demus nunc Soldanellam esse Brassicam marinam Dioscoridis, quod quidam censeant apud Serapionem vocari Cachille cap. 75. falsum videtur, nec enim potest ei aptari descriptio ab auctore allata.

Nomen.

Genus. Huius plantæ aliquot differentias attulit Bauhinus, sub Smilacis leuis genere reponens, eo quod Belgæ conuoluulum marinũ vocent. sed equidem sub scammonio potius reponerem. inter quæ Soldanella maior ab

eo

eo dicta, ab Imperato conuoluulus marinus. Brassicæ marinæ genus Rauuolfio videtur, quia & lacteo succo scatet, & florem campanulæ forma fert, & vim solutiuam possidet. duæ autem Soldanellæ alpinæ à Clusio, & Dodoneo propositæ ad purgandum non sunt experimento cognitæ. *Differētia.*

Hic loquemur de Vulgari soldanella, quæ in Italia ad Maris littora inter arenas copiosa pullulat, saporis est salsi, subamari. Circa quam notandum neque radicibus in hortis translatam cicurari à nobis potuisse, neque semen maturum, & nigrum satum germinasse; vnde accepimus eius fructum adhuc viridem, & inuenimus intus semina viridia germinasse, & radices emisisse, quæ sata in horto vixere. quod si in suis folliculis semen siccari, & nigrescere permiserimus, quia exiccantur radiculæ, & germen, non amplius satum regerminat, sterilescit, & veluti ambustum nigrescit; quapropter adhuc viride est serendum. siccatum vero est mucagineum, nigrum, durinsculum, angulosum. *Notādum de satu.*

Temperies Hanc Soldanellam in tertio excessu calidam, & siccam collocauit Dodoneus, quia amara, salsuginosa, cum quadam acredine. Antiqui auctores valde acrem pronunciarunt. Hinc Dioscorides *Herba*, inquit, *in totum stomacho inimica, acris, vehementissime aluum ciet, cum cibo cocta. Coquitur propter acrimoniam cum pingui carne*. & Plinius lib. 20. c. 9. *vehementissime ex omnibus aluum ciet, coquitur propter acrimoniam cum pingui carne. stomacho inimicissima*: Aetius, & Oribasius, Ventrem emollire dixere. Matthiolus autem. *præstat*, inquit, *eius decoctum potum cum Rhabarbaro ad ducendas Hydropicorum aquas; idem facit eius puluis, addito Rhabarbaro, & cubebis pluries ex vino potus*, & Dodoneus. *Aluum purgat, cruda, & aquosa detrahit, hydropicis censetur vtilis, aduersatur tamen ventriculo, torsiones, & molestias adfert, plus subinde, quàm iuuisse confert.*

vis Vomitoria. Profecto Auctores citati Vomitoriæ facultatis huius herbæ haudquaquam expresse meminere: sed Fiorauantus potius Empiricus, quam rationalis Medicus experientia ductus, sursum, & deorsum purgare fassus fuit, in sua Physica lib. 1. c. 34. scribens, *Sursum, & deorsum purgat, datur Hidropicis, flatibus, & humiditatibus Ventris, sicca, puluerizata miscetur cum præcipitato, & aromatibus.*

Quod rationi consonum est, namque ex Dioscoride, & Plinio stomacho inimicissimā esse constat. credo equidem, quoniam cum subuerit, nauseam, & vomitum excitat.

Sentiendū Dicemus ergo Soldanellæ puluerem sursum, & deorsum purgare, magis quidem deorsum, sed stomachum magis mouere, & nauseare, quam euacuare. conferre tamen in Hydropicis maxime ad aquas educendas. sed stomachum læsum remanere, Galenus tamen tutum, & blandum med. videtur cōsulere. nam 5. de ... 4. repudiatus pillu- lis ex Aloe pro aluo adstricta in Senibus. *Sat fuerit*, inquit, *Mercurialem herbam, & marinam brassicam, & Cnicum in ptisana, aliaq; quæ modice medicamentorum vim obtinent dedisse.*

Statuemus autem Soldanellā serosos humores vacuare sursum, & deorsum: proinde Hydropicis conferre, verum stomachum labefactat, quapropter alijs Hydragogis misceatur, vt sine violentia aquas ducat, & minus interanea molestet. *Quid agēdum.*

Ex Cardano lib. de Dentibus. *dantur vnciæ duæ, quoniam imbecille est medicamentum, aut libra media iuri galli incoquitur, ex quo sumere oportet libram, aut etiam plus: tutius ex hoc, quam si in aqua lactis; sed bene percolatum sit, Et vt dixi, eo magis necesse est differre cibum, & diutius ambulare, vt tota exeat*, coquit Dioscorides cum pingui carne ad retundendam acrimoniam. Matthiolus. *præstat*, inquit, *eius decoctum potum cum Rhabarbaro, ad ducendas Hydropicorum aquas, idem facit eius puluis addito Rhabarbaro, & Cubebis pluries ex Vino potus*, & Massaria c. de Hydrope. *Soldanellæ vsus*, inquit, *præcipue est duplex: nam vel coquitur, vel redigitur in puluerem, & vtroque modo propinatur, sed re vera tametsi ducit aquam satis facilè, & copiose, quoquomodo tamen nocet ventriculo, quare illi commodissime permiscentur semina odorata, sit exemplum.* *Quantum.* *Quomodo.* *Massaria.*

℞. Brassicæ marinæ vnc. semis,
Sem. Anisorum.
Citri. an. drac. semis,
Spicæ gra. quinque.

fiat decoctum ex aqua, quod exhibeatur ad vnc. sex. cum modico saccharo.

vel ℞. Brassicæ marinæ drac. j. & semis.
Cinnamomi. spicæ. an. g. vj.
Decoctionis agrimoniæ. vnc. iij. misce.

Quoniam autem herba est amarissima bene est illi addere parum mellis, vel sacchari.

Trincauell. lib. 8. de ratione curandi c. 10. de curat. Hydrop. *quidam*, inquit, *floribus, alij, folijs vtuntur, folia tamen valentiora, & efficaciora in soluendo sunt: flores enim ex iure cocti facile, & ferè sine molestia purgant.*

De Staphis agria. Cap. CXXVIII.

QVam Græci σταφὶς ἀγρία vocant. Plinius, *Astaphidem*, siue *Staphidem*. & *Vuam taminean* falso dictam. ab eius autē seminis vsu dicitur *Pedicularia*, à Marcello *Peduncularia*, & à Græcis φθειρόκοκκον, φθειροκτόνον φθείριον. sed quia mansum semen pituitam educit, & saliuam auget. dicitur à quibusdam *Pituitaria*, *Passulamontana*, & *Vua Taminea*. *Nomen.*

Planta est à Dioscoride, Dodoneo, Cæsalpino, Matthiolo, & ab alijs clarissime descripta, ac semen vulgo cognitum, vnde nihil mihi morandum erit circa eius essentiā, formam, & descriptionem.

Temperamentum est calidum, & siccum, immo

immo quaſi adurens. Serapio poſuit inter cal. & ſicca in 2. Sed Auic. Auer. Arduinus, & Alpinus de Med. meth. lib. 3. c. 10. cenſuere eſſe calid. & ſicc. in 3. exceſſu & Matthiolus, cum Auic. & alijs, æquiparat cantarid.bus. extenuare, detergere, & mordicare, ſed quia ex Dioſc. fauces adurit. erit calidius, quam in tertio, nel in fine tertij.

Vis Vomitoria. Ex Dioſcoride huius ſemina *craſſum humorem per vomitum purgant.* ex Auic. *facit vomere chymum viſcoſum.* Raſis *Vomitum prouocat.* ita Paulus lib. 7. c. 10. Actuarius 5. meth. c. 8. cum Dioſc. craſſa euacuare fatentur, vires eius particulares credi poteſt, eſſe ad expurgandam veſicam. quia Auic. ſcripſit. *In bibitione eius eſt timor: ipſa enim vlcerat veſicam; ſed quando fuerit cum rectificantibus, & cum quantitate temperata, mundificat eam.* ergo mundificat Veſicam, ſi fuerit adhibitum hoc ſemen in debita quantitate, & bene correctum. ſic *Particularis.* Auerr. 5. coll. *Electuarium eius,* inquit; *valet ad morbum caducum, & morpheam, & menſtrua educit.* fortaſſe edueendo per Vomitum pituitam craſſam, prædictorum morborum cauſam.

Nocumēta Plinius lib. 23. c. 1. *His nucleis,* inquit, *ad purgationem vti non cenſuerim propter ancipitem ſtrangulationem, nec ad pituitam oris ſiccandam, fauces enim lædunt,* & paulo poſt ſubdit. *ſemen enim abdicauerim propter nimiam vim ardoris.*

Auicenna Auicenna. *In bibitione eius eſt timor, ipſa n. vlcerat veſicam.* Raſis, *ipſam tamen dare timoroſum eſt, fortaſſis enim perniciem infert.* Albucaſis 2. particula Azaranij tract. 2. cap. proprio. Auic. lib. 4. Arduinus, Matthiolus in Dioſc. lib. 6. c. de Ephemero, & alij inter Venena reponunt, curantq; vt Cantharides aſſumptæ. Dioſcorides ait. *Craſſum humorem per vomitum purgant; ſed qui hauſerunt ambulare debent. Prudenter tamen attendere oportet, & aquam mulſam continuo potui dare, quoniam pericula ſtrangulationis inferunt, & fauces adurunt.* cum igitur craſſum ducat Staphis agria humorem, qui faucibus pertinaciter heret. ſtrangulate videtur, quapropter duo ad hoc remedia adhiberi ſolita teſtatur Dioſcorides. Primo motum, de cuius vi alibi egimus; ſecundo Mulſam continuo potui dare? hæc enim pota craſſo illi humori in ventriculo miſcetur, ipſumque deterget, & cum ipſo educta facilior ſuccedit Vomitus; quare ſæpe ſumi debet. quod in Elleboro aſſumpto erit etiam contra ſtrangulationes efficax: præterea quia ſtaphiſagria ſumpta ob ſummam ſuam caliditatem fauces adurit, mulſa erit ſummo auxilio.

Correctio.

Quid agēdum. His præſcitis conſulo, vt pro vomitu excitando dimittatis vſum pharmaci vrentis, & periculoſi. ſed ſi forte fortuna deficientibus melioribus medicamentis ſtaphis agria vti coacti fuerimus, licebit cum præmoditatione hac vti in corporibus ætate, temperamēto, regione, Victu, &c. frigidis, & pituita craſſa refertis. in Epilepſia, Apoplexia, Paraliſi, chacheſia, Morphea, menſtruorum defectu, vrinæ ſuppreſſione à craſſa pituita.

Quantum. Actuarius 5. meth. c. 8. grana decem, aut quinque exhibet. Auic. g. xj. Dioſcorides grana xv. ex quo Serapio. Paulus lib. 7. c. 10. Dodoneus, & alij tranſcriptores. ſed Alpinus de Med. meth. lib. 3. c. 10. ad dracmam.

Quomodo. Dioſcorides, Paulus, Auic. &c. eum mulſa exhibent primo, deinde cum vomunt, cōtinuo Mulſam exhibent ad prohibendam ſtrangulationem; nam pituita craſſa; quæ vomitu educitur adhæret, & ſuffocat; vnde pluri mulſa fauces humectandæ erunt; ſic Hipp. in Elleboro corpora humectar.

Correctio. Quod ſi huius aſſumptio corpus lædere viſa fuerit. erit ad Alexipharmaca confugiendum, & aliquiac ſi Canthandes aſſumpſiſſent, curant, quia lædunt Veſicam. alij propinant decoctum Glycirrizæ cum modico gummi Tragachanthæ, vel decoctum ſebeſten cum ſem. apij, fœniculi, vel ptiſanam cum lacte Amigd. d. & clyſteres erunt vtui.

De Stercore. Cap. CXXIX.

Diligentia antiquorū ANimalium ſtercora quoque in vſum medicum traxere antiqui, & in morbis curandis experti fuere. magis tamen abominandum humanum, quam aliud. Porro Gallinaceum fimum contra fungorum venenum vomitu expellendum maxime laudatur. ſi quidem Dioſcorides lib. 2. cap. de ſtercore ſcripſit. *Gallinaceum priuatim contra venena fungorum, & Coli cruciatus ex aceto, aut vino bibitur.* quod lib. 4. de fungis repetit. *vomitoriū* ſed lib. 3. de Venenatis fungis ait. *aduerſus fungos gallinacea oua cum poſca proficiunt, adiecta Ariſtolochia dracma.* & nihil ſtercoris meminit, vti nec lib. 2. c. de Ouis id poſuit. quod ſuſpicari facit, lib. 6. an pro Ouis ſit reponendus *fimus,* & Plinius lib. 29. c. 5. nos docuit. *Gallinarum fimum Venena fungorum, boletorumq: extinguit, item inflationes, & ſtrangulationes, quod miremur cum, ſi aliud animal guſtauerit id fimum torminibus, & inflationibus afficiatur.* Si *Difficultas* ergo aſtringit, dicetis, non erit Vomitorium: *Reſponſio* ſed reſpondendum erit, non intelligi veram adſtrictionem: nam fungorum venenum non requirit medicamentum adſtringens. ſed vomitorium, & eductiuum. vnde verbum *adſtringit,* ponitur pro conſtringit, ſeu vincit. Sed Fredenandus Pintianus in Obſeruat. Pinianis. vbi hoc loco legitur. *Venena fungorum, boletorumque aſtringit.* legendum *Deprauata lectio.* cenſet, *Contra venena fungorum, boletorumque.* Nam verbum *aſtringit,* ſuperfluum, & Gal. 10. de ſimp. med. fac. *Porro,* inquit, *eum conſpexiſſem illum in Myſia medicum Gallinaceo vtentem ſtercore in eis, qui ab eſu fungorum ſuffocabantur,*

bantur, & ipse quoque sum vsus in quibusdam Vrbem inhabitantibus, qui & ipsi fungos esitant, ipsum videlicet ad lauorem contritum, tribus, quatuorue oxycrati, aut oxymelitis inspergens cyathis, & palam adiuti sunt, idque celeriter. Nam qui præfocabantur, paulo post uomebant pituitosum humorem, omnino crassissimum, & exinde planè liberati sunt symptomate. deinde in lib. de secretis ad Monteum, Galeno attributo. prædicta leguntur, sed diuersa frasi. sic Aetius serm. 2. c. 118. *Columbinum validius est Gallinaceo, quod pituitosum, & crassissimum humorem euomere facit.*

Vis vomitiua.

Aetius.

Kyrandus. Isaac. Rasis.

Kyrandus lib. 3. cap. de Gallo, & de Gallina. Isaac de diætis lib. 2. c. de fungis. laudant stercus Gallinæ. Rasis 20. Continentis. c. 2. *Eius cura est prouocare vomitum cum aur. ij. stercoris gallinæ cum sy. acetoso. ait Thylaretus: melior cura contra fungos est stercus gallinarum cum aqua calida.* Rasis lib. de proprietatib. animalium. c. de Gallina. *Stercus Gallinarum potatum cum oxymelle, vel aceto, valet contra fungos, qui occidunt.* Albucasis 2. part. Azarauij trac. 2. cap. de fungis. *Curatio ipsius est, quod vomat cum drac. iij. aliàs ij. stercoris Gallinæ cum secaniabin mistis, vel cum aceto, & aqua calida.* Auicenna 2. lib. c. de stercore. *stercus Gallinarũ Theriaca est fungis strangulantibus. expertum est, & facit spuere humorem crassum, viscosum.* id etiam proponit Hali abbas lib 4. pract. c. de fungis. & omnes alij Scriptores, qui de Venenis fungorum agunt, vt Greuinus, Arduinus, Ponzetta, Cæsalpinus, &c. nec id reticuit Nicander in Alexipharmacis scribens.

Auicenna.

Nicander.

Siue domesticæ auis lecta excrementa propina.
Insertaq; manu postremi faucibus oris
Absque irritato tristem vomitu eyce mortem.

Quid agendum.

Ex quibus patet Gallinæ stercus probari ad Vomitum excitandum ab assumptis fungis malis. Sed Cardanus lib. de Dentibus, eius vires ampliasse videtur, ac humores corruptos educere, internosque abscessus rumpere, & ex Auenzoar purgare pestilentem humorem fimum columbinum. ex Auicenna Colico dolori frigido dari, licet cum timore, quia ventriculum labefactat, etiamsi crassam pituitã ducat. Et de stercore Gallinę *Referunt*, inquit, *hoc stercus peculiariter disrumpere abscessus morbi lateralis, & sanare, & ob id etiam multo magis abscessibus membrorum naturalium, cum maturi fuerint, conducet. Accipitrinũ vt par est ratione alimenti acrius esse existimandum est, & validius ducere, ac potentius frangere internos abscessus.* nos in fungis deuoratis ad excitandum Vomitum tuto vtemur stercore Gallinæ. sed ad vomitum excitandum, vt rumpãtur interni abscessus, non ita tuto; sed de hac re intra suo loco in ijs vomitu curandis loquemur, deo annuente lib. 6. huius operis.

Quantum.

Exhibenda quantitas erit à dra. j. ad dra. iij.

Quomodo.

Exhibendi modus cum aqua calida. Dioscor. ex Aceto, aut Vino. Galenus cum tribus, aut quatuor cyathis Oxicrati, vel Oximelitis. Arabes cum sy. Acetoso. Plin. cum decocto Hysopi, aut Mulso. Sed cum in Gallinarum stercore duplex substantia appareat. Plinius *dumtaxat candidum* eligit cõtra fungos. lib. 25. c. 5. sed postea. c. 6. *dumtaxat rubrum* lasciosis illinendum. ita etiam ex Philagrio refert Aetius serm. 13. c. 73. de de fungis. *Gallinaceum stercus album, tritum exhibemus ex posca, aut aceto mulso.* & Cardanus. *in ipsis*, inquit, *stercoribus Auium duæ sunt partes, si diligenter animaduertas, candida, & spumosa, magis calida, tenuis, mordax, quam eligere præstat. alia terrea, solida, minus efficax, & amarior, siquidem amarum in terreo repositum est.*

Color.

De Stibio. Cap. CXXX.

Nomen.

MAxima nunc exagitanda est controuersia inter chimicos, & Galenicorum pertinaciũ quosdã de Antimonio, quod Græci Στίμμι, dixere. Plin. lib. 33. c. 5. stimmi, stibium, Alabastrum, Larbason, & ab Hipp. fuisse appellatum tetragonum. Gal. in linguis, & cum eo Fallopp. & alij scripsere. taceo alia nomina Chimicorum. An sit Venenum ab hominum vsu abdicandum, vel salubre medicamentum in deploratis etiam morbis. Quod determinare haudquaquam licebit. nisi prius, quid sit, & quo præditum fuerit temperamento, inuestigauerimus, & quidem de Antimonio hoc plura extant Auctorum monumenta, vt Alexandri à Suchten, Angeli Sala, Arnaldi Kerneri. Baptistæ Codronchij, Ludouici Launey, Iacobi Greuini, Io. Bapt. Cortesij in Miscellan. Lucæ Stenglij, Michaelis Toxites, Thomæ Philologi. præter Libauium, Matthiolum, & alios plures, qui sparsim de hoc tractarunt.

Auctores.

Ego pauca colligam, vt caput, non autem librum de Stibio conficiam, reperio autem stibium, alios lapidem vocasse, quia puluerizari potest, alios vero octauum dici posse metallum cum Franc. Imperato. pag. 95. vel prope accedere ad metalla, & esse metallum imperfectum ad plumbum, vel stannum reductibile. aliqui sui generis esse censent metallum. Nomen autem metalli, vel lato, vel stricto significatu sumi potest. ita mineralia dicuntur maiora, minora, & media. sub maioribus mineralibus includuntur proprie dicta Metalla, quæ ex hydrargiro oriri censentur, Aurum, Argentum, ferrum, æs, plumbum, stannum, quibus vicina sunt Stibium, bismutum. Media mineralia, prope accedunt ad metallicam naturam, & conferunt ad ipsorum transmutationem, aliquãdo dicuntur spiritus quia facile euolant, seu volatilia sunt, vt Argentum viuum, Sulphur, Arsenicum, & Auripigmentum, ac Sal Armoniacum, quæ per se non solum volatilia

Metallum quid.

Media mineralia.

Spiritus.

sunt;

iunt; ſed alia ſecum etiam euolare faciunt. Minora mineralia ſunt. Chalcanthum, alumen, cadmia, magnes, Marchaſita, & ſimilia. Metalla autem proprie dicta vel ſunt perfecta, vt Aurum, Argentum, vel imperfecta ferrum, æs, plumbum, ſtamnum.

Definitio metalli.

nam Metallica natura eſt, vt ſit *corpus minerale in ſubſtantiam fuſilem, vel malleo extenſibilem efformatum.* ſi quidem duplex eſt metallorum diuiſio. alia ſunt liquabilia, vt Aurum, Argentum, Aes, Plumbum, ſtamnum, ferro excepto, niſi violento igne. vnde ferrum eſt ductile Malleo, non autem liquabile, contra ſtamnum liquabile parum verò ductile, cætera quatuor tā liquabilia, quam ductilia. Noſtrum ſtibium eſt liquabile, & eius regulus non eſt ductilis, ut plumbum, ſed frangitur, ut ſtamnum. unde lato modo inter metalla numerari poſſet. ſic Schuuenchfelt pag. 393. *Metallica res eſt*, inquit, *ſeu metallum ſui generis, colore non nihil ſimile plumbario lapidi, ſed magis nitet, & candidus eſt*. eadem refert Franc. Imperatus pag. 95. addens octauum dici poſſe Metallum, & multa coctione in plumbum mutari. Sic Libauius lib. 1. parte 1. com. Alchem. c. 17.

Pſeudo metallum.

Stibium, & Biſmutum, inquit, *ob mercurialem naturam, prope accedunt ad metalla, eiſque non iniuria accenſeri poſſent, ſed cum additamento nothorum, ſeu ſpuriorum, quaſi degener metallorum fœtus forent, vel ſi mauis immatura dicito. quorum congelatio anteuertit, intercepitque motum, & alio diuertit. Non enim ſex Metallis tam pertinaciter inhærendum eſt.* Ego Excrementum metallorum dicerem potius eſſe ſtibium, ad regulum enim conficiendū multum minuitur: uel Marchaſitam quandam plumbeam, uel potius ſtamneam; ni uis abortum metallicum, ex fumis metallicis imperfectis congelatis. Auic. dixit eſſe *ſubſtantiam plumbi mortui*. addit Libau. lib. 6. cit. c. 13. *Stamnum in reductione abit in clarum Antimoniū, ſed plumbum in fuſcum: vnde liquet, quod victuum metallis ſit ſtibium, quod Dioſcorides pridem voluit vſtione in plumbum abire, & hic cognoſcimus tranſmutationem reciprocam. Nec ignotum eſt regulum Antimonij accedere ad plumbum cinereum, cui cum argento eſt cognatio, ita Mercurius ex Antimonio elici poteſt.*

Antimonium Heterogeneū

Profecto Antimonium eſt quid compoſitum. Sulphur uſtibile continere noſcimus ex odore, dum conflagratur, & ex aduſtione cum aduritur, Nitro mixtum. ſpiritus Arſenicales habere, oſtendunt plantæ, quæ ſiccantur ab eius fumo, dum prope calcinatur. Niſi in ſtibio Hydrargirum contineretur, hoc ab eo extrahi, nō poſſet. Sal amoniacum uolatile admiſtum oſtēdit facilis eius ſublimatio. denique quia in regulum uertitur naturæ mediæ inter plumbum, & ſtamnum. plurimum metallicæ imperfectæ Naturæ ſortitum eſſe, fateri eſt neceſſe.

Stibiū ſui generis.

ſed facilioris doctrinæ gratia (quia nunc uomitoria nō mineralia examinamus) dicamus nunc ſui generis eſſe Stibium, erunt certe eius differentiæ conſtituendæ, ut præſtantior eligi poſſit.

Differētię.

Kermannus ſexdecim Stibij differentias collegit, ſecundum Regiones ubi naſcitur, ſecundum ſocietatem aliorum mineralium, ſecundum puritatem, &c. nunc Vulgus duplex diſcrimen agnoſcit, nam mas, & fæmina dicitur. Scabrum, & leue mas eſt, quod uerò friabile, ponderoſum, & nitidius fæmina appellatur, hæc magis manus nigro inficit colore, in igne ſulphur redolet.

Temperamentum.

Temperamentum Stibij, Greuinus, vt hoc uituperet, extollere conatur, & ſcripſit, quia Antimonium uim aſtringentem; ſed nullam tamen manifeſtam in guſtu qualitatem habet, ſequitur illud, non tantum terreum, & ſiccum; ſed frigidum, & aqueum, idq; ad tertium gradum eſſe, quemadmodum omnia id genus adſtringentia; ferè ad quartum gradum accedunt, & in Apologia p. 25. frig. propè. 4. ſiccum in 3. Quæ opinio uidetur eſſe falſa.

Auicenna

Contra enim Auicenna. lib. 2. c. 7. *Eſt frigidum*, inquit, *in primo, ſiccum in ſecundo, & eſt vehementioris deſiccationis, quam atramentum rubeum.* & uidetur ſtandum ex parte Auicennæ, uel potius cum Fallopio ſtatuente frig. & ſiccum in 2. cum Auic. ſentit Codrōchius, quos fortaſſe non legit Greuinus. nam ex Dioſcoride refrigerat, aſtringit, meatus obſtruit, ſanguinem è cerebri membrana profluentem ſiſtit, excreſcentem carnem cohibet, ulcera cicatrizat, oculorum ſordes, ac ulcera expurgat.

Dioſcorides.

ſed loquitur Dioſcorides de Stibio præparato, quod debet uri, & lauari, ut ipſe docet, & hoc patet, quia ſubdit, *& vt in vniuerſum dicatur, vis vſto plumbo ſimilis eſt*. ſed ex eodem uſtum plumbum *eoſdem affectus habet, quos plumbum elotum; ſed multo acriores*. at plumbum elotum *refrigerat, adſtringit, inducit, mollit, explet caua, ſiſtit oculorum fluxiones, & vlcerum excreſcentia, &c.*

Cōtra Greuinum.

Nec diuerſa protulit Galenus, unde male infert Greuinus exceſſum qualitatum. nec poteſt id colligere ex Dioſc. & Galeno, quia loquuntur de uſto, quod habet uires acriores plumbo uſto, unde non ſimpliciter frigidiſſimum; ſed cum aliquibus partibus acribus, & calidis. nec uires aliæ huic ab auctoribus aſſignatæ nobis demonſtrant, extremā frigiditatem, & ſiccitatem ſtibio uſto ineſſe.

Ad ocularia.

Quod ſi de Antimonio crudo loqui uoluerimus, crudum appellamus, quod in officinis uenditur, cum tamen fuſum prima uice fuit, non autem uſtum, ut docuit Dioſcorides. hoc Antiqui *Platyophthalmon* teſte Plinio, ac Dioſcoride uocabant. quoniam in Callibleph aris mulierum dilatet oculos, & fluxiones inhibeat oculorum, &c. Gal. 6. de ſan. tu. c. 12. *Stibio*, inquit, *oculis gratiam conciliant*. *γυναικεῖον*. Gyneceon alij ob id dicebant, quia mulieribus obſeruiat cilia tingentibus, ſemiorbeſq; pingentibus: unde ſcitum

illud Geometriam exercere fæminas in cilio, præsertim in Hispania. Hinc est, quod pro muliebri fuco ea vox aliquãdo in sacris hæbræorum litteris audiatur, cum præcipitur, ne Stibio depinxerit aliquis oculos suos, vt Hieremiæ 4. quod mihi argumẽto est Stibium non adeo intense refrigerare, & exiccare, vt illi imposuit Greuinus. alioquin palpebras depilaret, &c.

Sic constituto stibij crudi temperamento ad vires eidem assignatas perpendendas gradum faciemus, & crudo quidem non videtur vsus Dioscorides; sed vstione præparato. veluti etiam Plinius, atq; Galenus, ni dixeris Diosc. lib. 4. c. de Elaterio. pilulas ex stibio Elaterio, &c. formasse: sed negat Matthiolus. Nicol. Mirep. Antid. 476. ponit Antimoniũ, & hic solus est. Sed defendendus est Matthiolus. nam Cortesius in Miscellaneis decad. 8. t. 3. accusat Matthiolum, quod scripserit ex Diosc. Antimonium habere facultatem deiectoriam, simul accusat Hyeron. Rubeum. c. 23. & Ferdinandum Menam, quod idem senserint. quia Antimonium miscetur solummodo ad Colorandum. Verum fortasse id Matthiolus lenit in suis primis editionibus, sed in meo Matthiolo sanno Contrariũ lego. vbi non modo c. de Antimonio dicit antiquis ignotam fuisse eius vim deiectoriã. sed vocẽ *στίμμεως* in cap. de Elaterio esse defendam pluribus rationibus probat, & reponit *κόμμεως* cum Serapione, Aetio, Andromaco apud Gal. 7. de comp. med. & ipso Diosc. de parata facil. cui assẽtitur Saracenus in annot. in Diosc. sed Ant. Pastnus reponit *κόμμεως*. gummi, quare potius errauit Cortesius. & in externis tantum medicamentis Antimonium adhibuerunt Antiqui.

Error Cortesij.

Porro quia nunc loquimur de facultate vomitoria, & stibium ab Antiquis Dioscoride, Galeno, Plinioq; dicitur refrigerare, adstringere, & sanguinem è cerebro fluentem sistere. contrarias vomitui habebit vires. Quare præparationi id totum erit tribuendũ, cum etiam addant chimici se præparare stibium vomitorium, & deiectorium, alias tantum deiectorium, vel sudorificum, vel diureticum, immo etiam Diaphoreticum, & Ventriculum roborans. Hic nos loquemur de ea præparatione, qua Stibium Emeticum redditur. sed prius disputandum, an Stibium sit Venenum.

vis Vomitoria.

Antimonium, seu Stibium hominibus datum esse Venenum non pauci scriptis asseruerunt, vt Gemma Cyclognomicæ lib. 2. pag. 29. Bern. Dessenius in Defens. Med. Veteris aduersus Paracelsum c. 40. T. Erastus in disput. de occult. pharm. prop. c. 65. Bruno Seidelius de morb. incurab. pag. 49. Septalius de peste. lib. 5. c. 25. Bartholom. Hieronius. Io. Riolanus in Quercetan. Io. Crato. Petrus Monauius apud Scholzium p. 198. Godifredus Practic. lib. 1. c. 11. Georg. Beretinus de Nat. med. c. 14. Cortesius in Miscell. Horat. Augenius adde. Quercet. c. 25. Tetradis, esse Venenum summum ante separationem affirmat Basilius Valentinus pag. 34. 42. 44. 53. 65. 95. 97. 101. &c. sed & Pet. Salius diuersus in Epist. ad Codronchium, non autem post præparat. Inter quos ex professo hoc vituperasse apparet. Greuinus lib. de Antimonio ægre ferens Ludouici Launei nimias Antimonij laudes conatus fuit Antimonium tanquam maximum venenum ab vsu medico eijcere. sed futilia ob id multa protulit. nec enim rectè dicit irridẽdos esse eos, qui Antimonio ad vomitum vtuntur, quia Antiqui eo vsi non fuere; *Quoniam autem eo vsi non sunt. ergo. est Venenum?* falsissime concludit; nam antiqui non vsi sunt infusione rosarum ad purgandum, nec Rabarbaro, nec Manna, nec Cassia, & similibus. ergo Venena? hoc dictum, vel stultitiam, vel malignitatem arguit.

Greuinus itaque primo argumẽtatur. Antimonium statim ac intra corpus fuit assumptum, & supra, & infra hominem fatigat, idq; vt plurimum; sed hoc facit Venenum. ergo. hoc Senertum induxit, vt censeret etiã Venenosum. Responderi facile potest. esse irridendum argumentum (præter quã quod sit in 2. figura ex puris affirmatiuis) quia omne medicamentum purgans sursum ac deorsum hoc efficit, immo fere omnia, quæ hoc libro continentur. & ita essent omnia Venena, & ab vsu medico abijcienda, quod irrationabile. dicemus ergo, Antimonium statim ac intra corpus fuit assumptum, supra, & infra vt plurimum, hominem fatigare, vt materiam morbificam expellat, & sic sanitatem inducat. sed hoc facere Venenum negatur. quod perniciem minatur. nec Antimonium crudum dicta operatur, sed illud tãtum, quod Vomitorium fuit præparatum.

Argumẽtum retorquetur.

Secũdo obijcit Greuinus in diuersis morbis, in omni ætate, sexu, & quouis anni tẽpore, nullo adhibito discrimine, exhibetur, & statim suas exercet vires, & tam in Tabido, quam in Hydropico *serum* educit. tam in sano, quam ægro, & melancholico, vel bilioso, quam pituitoso, & pertinaciter semper huic humori adhæret. ergo. est Venenũ.

Serum educere.

Respondeo debere subintelligi, *quod semper serum educit, est Venenum*, vt esset Argumẽtũ completum. Verum quia minor falsa, negatur consequentia. negatur etiam, quia interim, nil aliud probat, nisi quod Antimoniũ semper purget *serosos humores*. quod item falsum. quia ex Matthioli, & aliorum historijs relatis, & ipsa experientia constat educere humores *pituitosos, melancholicos, & etiam biliosos*, non autem solum serum. immo sequeretur, si Rabarbarum chologogum dandum est, quando bilis peccat, & Agaricum phlegmagogum, quando pituita est expurganda, ita Antimonium dandum esse, quando

Nil probat Vera consequentia.

do

Passam. do ferum fuerit educendum. vnde nullo pacto inferri poteſt. ergo *Antimonium eſt Venenum*. hæc ſi conceſſero, non omnibus morbis, in omni ætate, tempore, &c. eſſe exibendum Antimonium, debet mihi, in aliquibus concedere Greuinus, & ſi quando Antimonium, vt ſeroſitates educens exhibuero, me vtiliter, & Methodice exhibere, non igitur, vt Venenum.

Quid trahit. Tertio Greuinus opponitur. Si Antimonium Medicamentum eſt, quod ſimilitudine ſubſtantiæ humorem trahit, neceſſe eſt, vt, vel vnum tantum morbi genus curet, vel, vt vnus tantum in corpore ſit humor. Vltimum eſt contra Hipp. primum probatur, vel pituitoſum, vel biliosum curat morbum. ergo non omnem, vt Launeus.

Vera conclusio argumenti. Reſpondeo hic Greuinum non probare Antimonium eſſe Venenum. ſed non eſſe dandum in omni morbo. prout Launeus ſcripſerat, nec nos id volumus; ſed tunc tantum, quum indicatur medicamentū ſurſum, & deorſum educens diuerſos humores. nec tot verbis prolatis aliud quid probat Greuinus, vnde ad eius argumentū dico, quod illa neceſſitas eſt falſa, vt falſa eſt illa diuiſio, multos enim morbos vnū medicamentū curare

Ordo exitus humorum. poteſt, & diuerſos educere humores, ſi quidem cholagogum primo educit bilem, ſecundo pituitam, tertio Melancholiam; phlegmagogum, primo phlegma deinde bilem, tertio Melancholiam: Melanogogum primo melancholiam, ſecundo pituitam, tertio bilem, & omnia vltimo ſanguinem. ſic patet, quod Antimonium educens primario, vel ſecundario diuerſos humores, poteſt etiam diuerſos, non autem vnius tantum generis curare morbos. V. G. dato quod Antimo-

Exēplum, nium ſit phlegmagogum, ſi fuerit datum in corpore bilioſo, & morbo bilioſo, quando pituita adeſt pauca, primo educet pituitam paucam ſibi conuenientē, deinde copioſam, quę abſidat bilem. & ſic de alijs humoribus.

Quarto Greuinus, Quod Antimonium natura Venenum ſit, ſic probare nititur.

a Plumbo. Plumbum eſt Venenum: ſed Antimonium affinis eſt Plumbo, & coctione in Plumbum mutatur. ergo. Antimonium eſt Venenum.

Reſpondeo non quod affinis eſt Veneno, eſt Venenum, ideo ex aduerſatio colligo Antimonium non eſſe venenum, ſed affine Veneno, & talia ſunt omnia medicamenta

Varia affinitas. purgantia, immo etiam Bezoartica in nimia quantitate, &c. Imo Corteſius ipſe inualidam eſſe ratiocinationem fatetur. Nec Plūbum vires Antimonij habet, ſiquidem, nec Vomitorium, nec deiectorium, nec ſudoriferum plumbum fit. nec ex Antimonio Ceruſſa, Minium, ſaccharum præparantur,

Antimonium non affine plūbo. & ſi Antimonij regulus formam quandam plumbi fingit, nullas tamen habet ſimules facultates; vnde male dicitur Antimonium affine Plumbo ſecundum Chimicos, quod ſi Antiqui, quia Metallorum naturam ignorarunt, & præcipue Subij, aliquam affinitatem adeſſe cenſuerunt, decepti ſunt. quia Antimonium diuerſum eſt a Plumbo. vt argentum à ſtamno, Luna à Venere, & a Ioue. nec dicat Greuinus in Antimonio plumbum contineri, quia ex eo extrahitur Regulus, qui plumbum eſt: quia in Regulo Antimonij adeſt ſolum quædam forma externa plumbi, vel ſtamni, nullæ autem facultates plumbi. vnde nullo modo plumbum vocari poteſt, immo plumbum humidum, & Antimonium ſiccum faciunt. ſed conceditur chymicis ſtibium in varia Metalla verti poſſe, etiam in plumbum, non ob id erit plumbum. Nec ſi Stibiū plumbizaret, venenum diceretur. quia datur, aliquando globulorum forma ad expediendum Ileon, & corporibus ex ſclopetorum ictu diu ſine noxa hærere obſeruamus, licet plumbi fuſores halitum tunc metuunt, cum eliquatur. *Excusātur antiqui.*

Quinto. Antimonium quum aſſatur, fumum emittit ſulphureum, Arſenicalem, fætidum, pernicioſum, ac Venenoſum propinquis plantis, Animalibus, & hominibus. ergo Venenum. Hoc etiam Senertum angit.

Reſpondet Corteſius nihil probare, ſed ego concedo totum, dum crudum vtitur, dum ſeparatur pars inutilis ab vtili, dum fumus venenatus expellitur. Etenim præparatio partem venenoſam, inutilem, ac moleſtam expellit, vtili remanente. vnde quod remanet à Venenoſitate purgatum, non poteſt eſſe Venenum. Concedimus Antimonium crudum eſſe Heterogeneum. atque partes Mercuriales, ſulphureas, arſenicales, malignas, venenatas, atque etiam Vomitorias, deiectorias, Diaphoreticas, & alias continere, & quum ad artificium Chimicum, quod vtile eſt, pertineat, ab inutili ſeparare, dicemus Antimonium ſegregatum, purificatum, ac præparatum nequaquam eſſe venenum, ſed Medicamentum optimum, Methodicè datum, & hæc ad Greuinum; non ob id cōcedendo ſtibium crudum eſſe Venenum, cum partes malæ componentes non reducūtur ad actum, quia multos noui ſalubriter vſos Antimonio crudo infuſo pro Morbo Gallico.

Sexto. Dicit Greuinus. Antimonium ferè ad quartum gradum accedit frigiditatis, & ſiccitatis, ergo tribus gradibus à natura noſtra recedit, duabus qualitatibus ſuis. ergo. eſt Venenum, & tract. 2. dicit, ſe loqui de Crudo. *a qualitatibus.*

Reſpondeo erraſſe in temperamento Antimonij. ſed prius quero, de quo Antimonio loquatur. An de crudo? vt tract. ſuo 2. ipſe dicit? Sed hoc non vtimur. An de præparato? & qua præparatione? Verum quia ipſe inuehitur in Antimonium Hyacintinum, ſeu Vitrificatum. fortaſſe iſtud etiam facit exceſſiue frigidum, & ſiccum? Equidem ſcio

scio empiticos frustrum magnum integrum Antimonij crudi cum salsa parilla, & alijs quibusdam rebus, atq; copiosa aqua infundere, & vtiliter dare aquam potandam, Gallico morbo affectis. nec Antimonium crudu ab extra temporibus admotum frigiditatem in 4. inducere obseruatum audiui. si dicit plumbi qualitatem habete. nugatur, quia, & id negatur, & plumbum esse in 4. frigidum negatur. Arduinus de Venenis plumbum frigidum in 3. fecit. Auic. c. 12. lib. 2. frig. & humidum in 2. sic Serapio frigidum in secundo. nec alios afferam. certe experientia non mostrat plumbum esse narcoticum, & in summo refrigerans. Fallopius lib. suo de Metallis pluribus ostendere conatur Plumbum esse humidum, non autem siccum. sed hæc non ad nos. satis sit dicere falsum esse temperamentum Antimonio assignatum, proinde falsam etiam esse venenositatem. ex hoc illatam, vt etiam Cortesius eius amicus concedit.

Plumbi qualitas.

Plumbum humidum.

Mihi nullo modo videtur esse dicendum Antimonium crudum esse Venenum deleterium. an verò præparatum reddatur tale in singularibus præparationibus discutiemus.

An præparatum Venenum.

De Vitrificato Stibio. Cap. CXXXI.

ANtimonij vitrum vocatur, eo quod præparatione quadam acquisiuerit formam quandam diaphanam, citrinam, rubeam, &c. translucidam, fragilemque vt Vitrum. primus videtur Matthiolus Antimonium Vitrificatum propalasse, vel Hyacintinum, vel Hepaticum, &c. afferemus ergo primo ab ipso relatam præparationem. *Eligito Stibium optimum, quod (vt Dioscorides tradit) splendidissimũ est, modoque nitedularum emicat, confractu crustosum, friabile, nihil terra, aut sordidi habens* (apud Euonimum sumitur longioribus strijs præditum abiecta parte superiore, ceu spuma) *id primum in puluerem facito; deinde in fictile vas, quod amplum sit, conijcito: tum demum carbonibus succensis ad calcinandum (vt Chimistarum verbo vtar) sub dio exponito, atque interim cocleari ferreo, spatula, ita Myropolis appellata continue moueto. Hoc verò dum fit, fumus exhalat tenuis, sulphur, & auripigmentum redolens, qui si ore attrahatur, crebras interdum excitat vomitiones, quapropter, qui versant ventis terga opponunt. Versare autem assidue expedit: nam si paulisper cesses, vel comburitur Stibium, vel liquefit. Versato itaque diligenter, quousque in globos concrescat, quos cum videris sublato ab igne fictili, quod concreuit, rursus in puluerem redigito, atque eidem fictili impositum carbonibus reddito, assidueque versato. id quod toties repetendum est, quoties coalescentes glebulæ postulauerint. Ita quoque tandiu versare conuenit, quoad corpuscula illa, quæ emicant, splendorem suum amiserint, vapor omnis cessauerit, fœtor obsoleuerit, & Stibium in calcem conuersum subalbicantis cineris colorem contraxerit. perfecti autem operis signum erit, si prunis ardentibus inspergatur nihilq; prorsus fumi emittat. Posthac sumito huiusce calcis exempli gratia, libram mediam, chrysocollæ factitiæ. semunciam. Deinde chrysocollam, & stibium terito in tenuem puluerem. Mox omnia simul misceto, atque in fictili fusorio, quo vtuntur aurifices, igni vehementi admoueto; vas super laterem, aut testaceum aliquod, fictilis ollæ fundum prius collocatum, & fictili operculo contectum, carbonibus accensis circumdato. Veruntamen operæ pretium est in hoc magnam adhibere diligentiam, ne res illæ comburantur, quare tenacula ferrea sublato cooperculo, nonnunquam inspiciendum est, an colliquescat. Nam vbi colliquatum fuerit, illico vas ab igne eximito, & super inuersa pelui ex auricalco fabricata, qua tonsores vtuntur, proijcito: quam primum enim ibi concrescet in laminas, quæ colore: & nitore Chrysopatios, quos Hyacinthos appellant, atque etiam nonnunquam granatos referunt. Vbi autem lapillos paruos, & rotundos parare sit animus guttatim è fusorio vase super eadem pelui fusum antimonium effundito. Cæterum Chrysocollæ vicem feliciori successu mihi præstat sal fossile chrystalli modo pellucidum, sufficitque in tribus Antimonij vncijs semidracmam addere. Verum omnes admonitos velim difficillime à quoquam parari posse Hyacintinũ antimonium etiam peritissimo chymicæ artis magistro, nisi prius ab altero parari diligenter inspexerit, quum non semper ijs etiam succedat pellucidum, qui sæpe, ac sæpius illud parauerunt. Ideoque vbi eius lamina semel proiecta puluerulenta quadam cuticula obducuntur, quæ earum nitorem pelluciditatemque obumbrat, oportet iterum easdem laminas conterere, atque nonnihil antimonij crudi insimul addere, atq; etiam parum salis fossitij, & iterum igni admouere, & fundi permittere, atque inde proijcere.* & hæc Matthiolus.

Nomen.

Præparatio.

Mistio.

Fusio.

Primo notandum plurimos, pro Stibio crudo assumere Regulum Antimonij, & forte Aqua benedicta Rullandi constabat ex cinere reguli Antimonij, vt ex filij verbis collegerunt Libauins tract. de igne nat. c. 32. dicunt ex Regulo Vitrum euadere magis diaphanum, & Hyacinthinum. alij adhuc volunt ipsum stibium præparare. Quidam ex Enonimo, Stibium per dies 10 aut 14. terit in lapide cum aceto, per diem semper, noctu verò semper resiccat; proinde semper rursus terit. Variat etiam Andernacus, & alij.

An crudũ

Secundo. Alij diuersimode comburunt. Stibij puluerem cacabo fictili impositum, alio cacabo contegunt, ac luto muniunt, & siccant. Igni deinde Cacabos superponunt, & post modum contegunt. donec puluetes liquescunt, & confluunt: hanc massam rursus exemptam. tritamq; secundo, & tertio igni mandant, ac sic tertia vice super tabulam marmoream, massam liquidam effundunt, quæ cito consistit, ac instar gemmæ, seu vitri pellucet. Assatur, seu calcinatur binis vicibus, tertia liquatur, & effunditur. Sed more

Vstio

more Matthioli intra 3. vel 4. horas poteſt calcinari, præcipue ſi parum pro vice, et ex. lib. 1. Antimonij habebis lib. ſemis, vel ½ Calcis. ſpatula ſit ferrea in ſummo reflexa, cum longo manubrio, vt eminus verſare poſſis.

Tertio Aduertendum, quod apud Euonimum aliqui Stibium calcinatum fundunt ſine vllo additamento. Matthiolus cum Borace, ſeu Chryſocolla. alias cum Sale foſſitio gemmæ inſtar pellucido. Matthiolus ſumit Antimonij calcinati. lib. j.

Boracis vnc. j.

vel ſalis foſſitij criſtallini. vnc. ij.

Alij ad lib. j. Stibij calcinati addunt drac. iij. Chriſocollæ factitiæ, ſeu Boracis. Ego ad ſtibij calcinati vnc. vj. addidi,

Salis gemmæ. drac. j.

Boracis. ſcrup. ij ½.

& his duobus puluerizatis in mortario adieci ſtibium calcinatū calidum, & ſtatim ſenſi odorem fœtidiſſimum, ac ſi nares approximaſſem cloacæ ſtercoris fœtidiſſimæ. in magno crucibulo materia fuſa manſit per quadrantem horæ, & proieci in vitrum clarum Hepaticum colore.

2. Aliàs *Stibij calcinati* vnc. vj.

Salis gemmæ drac. vj. intra horæ ſpatium habui vitrum lucidum.

3. Aliàs *Stibij præpa.* vnc. vj.

Salis gemmæ. drac. iij. intra duas horas habui Vitrum nigrum.

4. Alias *Stibij præpa.* vnc. vj.

Salis gemmæ. drac. j. per 4. horas manſit fuſum, recepi Vitrum nigrum; ſed paruæ particulæ erant croceæ.

5. Aliàs *Stibij præpa.* vnc. vj.

Boracis. drac. iij. fuſum per tres horas dedit Vitrum nigrum opacum.

6. Aliàs *Stibij præpa.* vnc. vj.

Boracis. ſcrup. j.

Salis gemmæ. ſcrup. ½. fuſa per ij. horas dederunt Vitrum nigrum intus in ſuperficie maculatum virgulis albis.

7. Aliàs Stibij calcinati.

Boracis an. vnc. vj.

Primo Borax eleuabatur; ſed ſpatula deprimebam tandem omnia liquefacta per iiij horas manſerunt. proieci in Vitrum opacum ſubluteum.

Vecherius Antimonij præ. lib. ij.

Salis Ammoniaci. vnc. j.

Matthiolus ſtatim ac materia liquata eſt, eam effundit, & Geſnerus cum modico tempore liquauerit effundit in lapidem leuem, ac frigidum. ſed ſæpius liquat, vt Diaphanum reddatur. aliàs intra ſemihoram, vel horam. dum funditur vas debet eſſe coopertū, ſic color Hyacinthinus magis acquiritur. aliquādo ſtilo ferreo immiſſo, cui antimonium fuſum inhæret, experimur. an ſit vitrificatum. Poppius in peluim parum calefactā effundit. In calcinatione, & fuſione Stibij cauendum eſt à fumo, qui arbores lędit, & ex Euonimo, capitis dolorem inducit, mihi tuſſicula ſicca oboriebatur.

Contra hanc Subij præparationem inſurgit Greuinus ſcribens, ſi Antimonij malignitas admiſtione alterius medicamēti auferatur, id per Boracem fieri oportet, cuius hæc vis eſſe debet: ſed hoc falſum. ergo. *Contra Vitrum.*

Probatur minor. Borax, quem Chryſocollam appellarunt, teſte Dioſc. Venenum eſt, quod vomitionem mouet, & ventriculo per conſequens inimicum, & Corteſius ex Fallopio dicit Chryſocollam eſſe cal. & ſiccam in 4. Quando autem Launeus reſpōdet noſtrum Boracem non eſſe antiquorum Chryſocollam; ſed aliud medicamentum ex Nitro, & alijs compoſitum, ipſe Greuinus probare conatur eſſe veram Chryſocollam. ſed quia clariſſimum eſt, id eſſe falſum, alio modo opponitur, conceſſo enim quod fiat ex Nitro, & Sale gemma, nititur inde ſuadere, Nitrum vſtum, quam proxime ad naturam Aphronitri accedere, quod eſt ſtomacho inimiciſſimum, nec niſi magna ſuadente neceſſitate ſumi debet, vt Galenus ſcripſit. 9. de ſim. med. fac. *Borax Venenum.* *Greuini in coſtantia.*

Reſponderi poſſet, illud Auſonij, quandoque *duo Venena data iuuant*. Borax, Nitrum, & Aphtonitrum, ſunt Vomitum excitantia, & valida, & periculoſa. vt ſupra diximus hoc libro. c. 36. & 79. non tamen ſequitur Vitrum ex Antimonio calcinato, & Borace eſſe perniciosum a medico rationali datum. quia inuicem ſe refrangunt, & vitrificatione omnis maligna qualitas reſoluitur, ſi quis ſpiritus pernicioſus exiſtebat ab igne in auras euolare cogitur. Galenus 6. de comp. med. loc. in fine. *Fiunt*, inquit, *in plurimis affectionibus compoſita medicamenta, & ſæpe etiam ex contrarijs, quale eſt, quod ex Oleo, & chalcitide conflat. Ipſum equidem Oleum per ſe infeliſſimum eſt Aphthæ affectui, velut etiam Chalcitis, quandoquidem alterum quidem humectat, & ſordidum facit, mordet autem vehementer Chalcitis, verum mixtura ipſorum, vbi fuerit moderata, optimum pharmacum efficit; Quemadmodum igitur ex cerato, & ærugine incarnans effici pharmacum oſtēſum eſt, cum tamen ambo incarnationi contraria exiſtant, eadem ratione ex Oleo, & Chalcitide aptum medicamentum efficitur*. Sic dicemus ex Stibio, & Borace fieri optimum medicamentum. immo è contra ex duobus bonis quandoq; fit vnū pharmacum malum. puluis pyrius, facit, quę carbo facere nequit, quæque nequit Sulphur, neque etiam id Nitrum per ſe efficere valet. Verum enim verò in Vitrificatione Antimonij calcinati Borax paucam vim habet. quia in fuſione abit in ſpumam. *Ignis Venena tollit* *Duo cōtraria proſūt.* *In Vitrificatione Antimonij Borax abijt.*

Præterea in Calcinatione Stibij pars Arſenicalis, Mercurialis, Sulphurea, heterogenea, & pernicioſa, conſumitur, & euolat. multa enim metallica ab igne domantur, & fiunt mitiora, ſiquidem Chalcitis, & ærugo ex Gal. *Metallica uſta mitiora.*

Gal. 3. de comp. med. 2. g. c. 3. & lib. 4. c. 3. vsta fiunt minus acria.

Sunt præterea non pauci insignes spagirici, qui dicunt Antimonium vitrificatum nõ esse optime præparatum: sed requiri diligentiorem præparationem, vt Quercetanus, Kernerus, Milius, Poppius, Hartman, Senertus, Reusnerus, & alij, qui tamen Antimonium suum omnes vt extollant, alienum deprimere conantur. nos autem cæteris dimissis loquemur de facultate Antimonij præparati secundum Matthiolum. de cuius temperamento videtur statuendum esse frigidum, & siccum, ratione enim calcinationis resolutę sunt partes calidæ, acres, sulphureæ, arsenicales, relictæ solum terrestres, & salsæ. in quibus residet facultas Vomitoria, atque deiectoria. & quia est recens inuentum experimentis nouiter comprobatum, & reprobatum: ideo Auctorum Testimonia sunt afferenda, & ponderanda.

Temperamentum.

Greuinus.

Porro Iacobus Greuinus in suo secundo discursu attulit sententiã Collegij Medicorum Parisiensium, atq; etiam Ioannis Gorræi, Nicolai Magni, Simonis Petræi, atque Guilielmi Plantij, qui omnes tanquam Venenum Antimonij vitrum vituperant. Gesma scripsit, se nominatim scriptos domi asseruare plures octoginta cum viros, tum fæminas, qui Antimonio perierint. e cõtra scripsit quidam Gesnero se Antimonium plusquam 400. dedisse cum maxima vtilitate, & vulgo apud barbitonsores, circumforaneos passim omnibus exibetur, & si omnes occideret, cognoscerent clare esse Venenum; verum contrarium prædicant. Gesnerus in Euonimo refert varias suorum amicorum sententias de vsu vitri Antimonij, aliâs innocue, clementer operante, nonnumquam moleste, cum fastidio, quæ apud ipsum legi poterunt; sic & apud Matthiolum Historiæ de assumpto Antimonij Vitro perlegendæ erūt, ego referam, quod vidi, & quod notaui. 24. Aprilis 1625. Caterina Vantagia Melancholica Romæ. sumpsit Vitri Antimonij g. xij. cum iure. Vomuit ter tantum sine molestia, nihil deiecit. Deinde 28. Aprilis 1625. supradicta assumpsit. g. xiij. Vomuit vltra lib. iij. humorum viridium.

Gesnerus.

Matthiolus.

Experimēta.

28. Aprilis 1625. Betta Meretrix. 18. annorum. laborans iam per 16. menses vlcere in maiori digito pedis dextri, & tumore. ex g. xij. vomuit bis cum maxima angustia, & labore, deiecit vicesies aquam multam.

8. Decembris. 1624. dedi Vincentio Ridolfino 20. annorum. testiculi dextri hernia laboranti Vitri nigri, obscuri g. xij. in vino infusi medietatem vomuit ter pauca, viscida, amara, tandem semel deiecit. iterum 10. Decembris eiusdem anni. assumpsit aliam Vini medietatē cum Stibij puluere. Vomuit ter viscida subflauea, deiecit semel, vt prima vice.

9. Decembris 1624. Angelica Neapolitana cum vlcere vuluæ gallico. pulueris Vitri Stibij g. 6. in Ouo sorbili assumpsit, vomuit bis, pauca, & cum magna molestia, deiecit semel: iterum 13. Decembris eiusdem ex g. ix. eiusdem Vitri vomuit duodecies sine molestia, ter deiecit.

11. Decembris 1624. Saluator sforzinius, ob febrem diuturnam duorum mensium. bibit Vitri Antimonij. g. xij. in iure per horam post cibum. Vomuit primo cibum, deinde ter materiam viscidam, amaram, deiecit semel, post tres dies iterum sumpsit eiusdem g. ix. ieiunus. Vomuit quater, multa viscida, amara, deiecit septies, & pluribus alijs exhibui, immo etiam Prospero Cecchino chirurgo insigni ob podagram, & omnes placidissime euacuati sunt, cum sola molestia, quæ omnem Vomitum comitatur.

à Plebe.

Tandem dicam Germanos Medicos conqueri, quod Barbitonsores, Monaci, circumforanei, & plebecula passim vtantur Vitro Antimonij, & quod aliquoties sit Vitrum demonij, & monumenti. sed hoc non arguit malignitatem medicamenti, sed ignorantiam exhibentis, qui ignorat essentiam morbi, occasionem medicamentum exhibendi, & vires ægrotantis. sed si classicorum illustrium Medicorum, atque scriptorum sententias considerare voluerimus, reperiemus hos non simpliciter dannare Vitrum Antimonij, sed eius abusum.

à Medicis

Alex. Massaria de Hydrope scripsit. *Alij maxime probant præparatum Antimonium, quod nunc Vomitu, nunc deiectione, sæpe vtroque modo solet purgationem efficere, ac sane si occurrant rustici, vel homines robusti, censeo illud tuto posse administrari ad g. iiij. vel v.* & lib. 9. sui operis de med. purg. c. 30. de Antimonio. *Censeo Antimonium esse valentissimum, & violentissimum medicamentum, quod per vomitum, & per aluum valeat insignem purgationem efficere, verum illud addo, tale medicamentum, si probe fuerit præparatum, & à perito medico opportune, & cum ratione administretur, minimè esse reijciendum: immo verò quod confirmat experientia, illud sæpe numero non solum prodesse; sed etiam non sine multorum admiratione grauissimos quosdam morbos sanare, contra autem si illud ab imperito medico, & temere offeratur, tanquam venenum grauissima pericula, & quãdoque mortem inferre. At ego Antimonio nõnunquã vtor, neque sine fructu, sed summa cautione.*

Massaria.

Baptista Codronchius tract. de Antimonio probat primo non esse venenum, sed medicamentum purgans validum, nec ab vsu medico abdicandum, ea de causa, quia etiam Elleborum, Elaterium, Turpetum, Colocinthis, Scammonium, & cætera eiusdem generis, quibus Antiqui, & Neoterici vtuntur, essent proijcienda. Sed Antimonium cum ratione, & debita quantitate sumptum nõ solum euacuationes excedentes non efficit, verum etiam nec vllum effe-

Codronchius.

ctum

ctum prauum, vel formidosum inducit, prout ex Matthioli 4. historijs, & alijs ab ipso Codronchio relatis patet.

Quæ cautione. Nec in quouis morbo, (vt circulatores faciunt) stibium administrari debere voluit Codronchius: sed duntaxat in ijs, qui sedem suam habent in Ventriculo, intestinis, vel mesenterio, ac primis illis venis, ea propter in melancholia hypocondriaca pro mirabili præsidio comprobatur, & in febribus diuturnis, quæ ex obstructionibus validis, & humoribus crassis, & frigidis multum in partibus illis retentis oriuntur, & in quam plurimis alijs deploratis, & longissimis morbis ex pituita, vel melancholia, vel ex vtraque genitis, illud bis, ter, sæpe, ac sæpius intermissis tamen aliquot diebus exhibendo, alios etiam morbos expellere, alij dixerunt. Rodericus à *Fonseca.* Fonseca lib. 2. de calculi remedijs. Stibium pro excitando vomitu in calculosis proponit, & illius vsu multos hydropicos, lienosos, maniacos, & gallicos fuisse sanatos, scribit. Codronchius tamen Stibium luem gallicam sanare posse non credit. mire tamen in *Zuingerus* pluribus morbis laudatur à Iacobo Zuingero c. 3. Examinis Principiorum Chymicorum, & Andreas Chioccus in quæst. Philos. *Chioccus.* & Med. nec non in Museo Calceolariano sec. 3. Stibium tanquam validum vomitorium medicamentum probauit. ob quam facultatem multa beneficia, & adiumenta præstari in curandis plurimis morbis, existimat; renocantur enim à visceribus, ac neruis ad vêtrem per vomitionis impetum succi præter naturam, & obstruentes humores à locis, vbi pertinaciter hærent obstructi, dimouentur, vt hoc pacto febres diuturnæ, & contumaces Autumni tempore, & Arthritides, quæ nulli remediorum generi cessarunt, expeditissime, & miraculi instar curatæ cōperiuntur. Et addit Chioccus se curasse Monachum artritide generali, eaque acerbissima conflictatum, quæ nullis remedijs tolli poterat: mox infuso sex granorum Stibij alternis diebus quater exhibito, & per vomitum multa eiecta pituita, & bile, è vestigio liberum, & immunem ab omni Artuum dolore redditum esse.

Euonimus In Euonimi Tesauro extant aliquot ad Gesnerum relationes. quidam Egregius antimonij præparator scripsit. se plus quam 400. hominibus cuiuscunq: sexus, & ætatis hoc suum Antimonium exhibuisse, citra omnem non solum noxam, sed fælicissimo quoque successu. Exhibuit Curiæ Rhetorum quinque viris pestilentiali febre correptis, quos sanitati restituit, is asserit præsentaneum esse pestis remedium: quibus vero offertur Antimonium, ijs, neque ante eius assumptionē, neque post vena est secanda. Exhibeo, inquit, hoc Antimonium contra omnes febres, hydropem, icterum, dysenteriam, mulierum melancholiam, cathatros, capitis dolores, morbum gallicum singulariter, aluum adstrictam, pectoris, & ventriculi pituitam, & repletionem, anhelitum fœtentem, venena, insaniam, & alios infinitos morbos.

Sennertus. Contra Sennertus in Institution. de Humor. præp. c. 6. negat in peste Antimonium prodesse posse. eo quod Iul. Palmarius scrip- *Palmarius* serit. Incredibile dictu esse quam multi Stibio perierint in illa pestilentia, quæ in Lugdunenses grassata est, idq: alibi etiam accidisse, alios fuisse testatos.

Gesnerus. Pergit Gesnerus ex litteris cuiusdam sui Amici. *Morbis conuenit primo quidem pestilentiæ, & qui ea sunt infecti, ijs quam primum offeratur: quin etiam præseruationis gratia ad purgandum exhibetur. Est præterea singularis medicina, contra hausta venena. Deinde competit ijs, qui diuturno capitis dolore vexantur. Tertio Catarrhis ad pulmonem descendentibus. Quarto doloribus ventriculi, & eius debilitati. Quinto hydropisi. Sexto Asthmati prodest, & difficultati anhelandi. Septimo paralysi particulari. Octauo Epilepsiæ. Nono febribus quartanis. Decimo melancholicis, & delirantibus, & insanis. Vndecimo, quorum corpora ad elephantiasim inclinant, & scabie mala affecti sunt.* paulo post addit. *Quartanarijs omnino tutò exhiberi testatur quidam Empiricus eiusque iam aliquot propria experimenta refert. Hydropico aliquādo proprio affini idem exhibuit, & magno successu. Tamen neq: hunc quidem periculo caruisse initio, affirmat. Cuius cum causam requireremus, respondit, non satis paratum haberi posse antimonium. In summa tuto antimonium sumitur, inquit quidam, hoc enim medicamenti genus eam habet à natura facultatem, vt nullum benignum, & vtilem in corpore humorem adoriatur; sed noxios tantum expellat.* Præterea subdit. *Mirifice quidam Antimonij vsum extollunt, & superare omnia reliqua remedia, in ijs, qui pestilentia sunt infecti, putant: verum, ego, inquit vir doctissimus in litteris ad D. Gesnerum, qui tam bene præparatum, quam illi habent, habeo, in multis male periculum factum scio. Nam illius vsu cor grauiter affligi, quod præcipue in febribus pestilentibus afficitur, certum est.*

Minderetus. Contra Mindererus lib. de Pestilentia. c. 14. scripsit. *Antimonium illud conturbans, & Vitriolum Paracelsi tantum vomitorium securitatis nomine improbo, quæ tametsi quandoque visa sint profuisse, compluribus tamen obfuisse, vix dubitandum.* cum quo videtur sentire Septalius de *Septalius.* Peste lib. 5. c. 26. scribens. *Vitrum Stibij, quod tantopere aliquibus probatur in peste, nullo modo admitti debet, quod venenata sua qualitate cordi officiat, vehementia autem, & ferocia adeo sursum, & deorsum humores pellat, vt vires omnino deijci ex eius purgatione soleant. In nostra hac pestilentia obseruatum est, eos omnes, qui empiricorum quorundam suasione Antimonium assumpserunt, ad vnum interijsse. & iure quidem merito si & stibij non præparati naturam, & conditionem spectemus, tum, & illius præparandi rationem, & mixturam Boracis, quæ præparari solet. Sed ne in hac re asse-*

renda reijciendo longior sim, illa sufficere debent, quæ, & firmissimis rationibus, & quamplurimis experimentis firmata doctissimi viri aduersus Stibij abusum scripserunt. Grauinus, Gemma, Dessenius, Erastus, Bruno Seidelius, & alij. contra hos tamen Io. Hartmannus in disputat, medico chymicis n. 2. *Concitata expultrice*, ait, *venenum pestilens euacuat Antimonium hyacinthinum, quod tantopere prædicat Matthiolus, & Hantschius*. & paulo post subdit. *Verum hæc non nisi in principio, dum vires non dum exhaustæ sunt, atq; in primis, si impuritatibus corpus refertum sit, aut sursum pergat veneni malitia, vel à victus corruptela pendeat, locum habent*. Petrus Monauius apud Sckolzium epist. 4. ad Dudischium. admirabile experimentum Antimonij refert, Georgius Fabricius cent. 4. Obser. 37. refert, quendam Veneno infectum Antimonio curatū, & Hyeronimus Rubeus lib. de dest. sect. 2, c. 32, subscribit Matthiolo, & laudat Vsum non autē abusum Vitri Antimonij, sic Prosper Alpinus de med. Meth. lib. 3. c. 10. *Stibium, inquit, præparatum, cuius laxatoriam facultatem solummodo notam esse recentioribus, prorsusq; veteribus ignotam, complures voluerunt, pondere quatuor granorum 3. sed felicius vinum aromaticum in quo Stibium per diem manserit maceratum probè percolatum, atque epotum Vinum, purgat per vomitum violenter omnes humores, nonnullis præter Vomitum etiam ventrem mouere solet*. Capiuaccæus de Curat. Melanch. ait. *Notandum materiam melancholicam interdum adeo esse contumacem, vt Medici Antimonio vti cogantur*. deinde de Artritide subdit, *in pertinaci Artritide, & Ischiade Antimonio vti possumus*. & de Lue venerea, inquit, *Antimonium vehementer purgat, per vomitum, & per secessum, sed quantum ego ex experientia colligere potui, rarissime luem superat, itaut mea sententia in Lue ab eius vsu prorsus sit desistendum*. sed ne in aliorum sententijs afferendis nimis prolixus sim, rationes à Cortesio in contrarium adductas, quæ falsæ sunt, redarguam, sequitur enim Riolanum, & Greuini saliuam lambit. vnde dicam cum Godifredo Steeghio. *Plurimi Medici clarissimi eius vsum omnino damnant, nescio, an maiori Paracelsi huius remedij authoris, eiusque assectarum Agyrtarū, plerumque vno hoc remedio paratā facilē omnium morborum curationem vulgò pollicentium Odio: an ob Symptomatum, quibus sumentes affligit magnitudinem*, Antimonium Vitrificatum, quia nota est præparatio, & in frequenti vsu apud vulgū est, damnant Satrapæ Chimici, verum ipsi non nisi Antimonio vtuntur, sed occulte ab ipsis præparato, Rullandus, Quercetanus, &c. Vituperant alienas præparationes, suas ignotas extollunt, apparent Feles edētes, & mutuantur vices.

Scribit Cortesius. Antimonium per calcinationem acquirit siccit. & caliditatem in quarto. sed talia sunt venena, ergo, & maiorem cali[ditatem], & [sic]citatem acquirit, quo magis ad natu[ram] Vitri appropinquat, euaporat quippe omne humidum. vnde fit siccissimum. Vitrum autem est Venenum. & patet si quis assumpserit in puluerem redactum, corroduntur enim Ventriculi, & intestinorum tunicæ.

Respondeo valde nugari, nam cineres rerum vstarum non habent ab igne tantam caliditatem, & siccitatem. sed quam habent, elota in aquam deponunt, vnde calx lota refrigerat, & ex Gal. citra morsum desiccat 4. de simp. med. fac. c. 3. & lib. 9. Cinis elotus ex Gal. est corpus terrenum, infirmum, & morsu carens, calida facultate in lixiuium deposita. hanc chimici *Sal* vocant, & Galenus dixit esse partes tenues, quæ maceratis aqua cineribus, & percolatis, vna asportantur, atque abeunt. Sal igitur in rebus vstis illud est, quod calidum sentitur, non autem reliquum caput mortuum dictum: an vero illud sal empireuma ab aliquibus vocatum, gignatur in ipsa vstione ab ignis qualitatibus, vel præxistens in mixto separetur, & manifestum fiat, in libro meo de Salibus disputaui. & separari tantummodo ostendi etia n in Dodecaporio Chalcanthino dub. 4. Quod autem ignis nil calidi imprimat rebus ignitis, patet in ferro centies ignito, in auro, argento plumbo, & stamno. quæ non mutant, nisi corrupta temperamentum. immo tantum abest, quod omnia vsta fiant calidiora, vt multa caldissima mitescant. Diosc. enim cap. de Sory docuit. *Hæc autem ferè omnia i. chalcantum, Misy, Sory, chalcitis, & Melanteria, & alia, quæ vstionem experta non sunt, perustis validiora esse existimantur, præter salem, & vini fæcem, nitrum, calcem, & consimilia, quæ cruda remissiora sunt*. quod confirmat Gal. 9. de simp. f. c. de chalcitide. immo refert initio eiusdem libri, aliquos sensisse combusta omnia se ipsis effici frigidiora. Gypsum censetur frig. & siccum, aqua dilutum. falsa ergo est huiuscemodi ratiocinatio à cōsumptione humidi, & combustione, Et quod vitrificata sint calida, & sicca in 4. dictum, sed non probatum est, quia experientia id non demonstrat, nec vitrum vulgare, nec antimonium vitrificatum, aliaue materiā in puluerem postea redactā, & carni applicatā effectus tales producere obseruatum est. falsa ergo est ratio, quia experientiæ repugnat. Negatur item de Vitro. quod pulurizatum intestina exulceret, calidissimūque sit, &c. multi vitra deuorant innocue,

Præterea Cortesius afferens Greuini difficultatem de admisto Borace, simul de Mattiolo miratur, Salem substituere pro Chrysocolla, vt chrystalli modo reddatur pellucidum antimonium fœliciori successu. & subdit. *at non vidit salem non posse substitui ipsi Chrysocollæ, cum hæc ipsa calida, & sicca sit in quarto gradu, sal vero minime, &c. quare nec sal poterit vnquam vicem gerere ipsius Chrysocollæ*. Et ego admiror tantam Cortesij philosophiam, qui

qui nesciunt à Matthiolo misceri Boracem, sal, vel Antimonium crudum, vt puluis calcinatus fusione facilius vitresceret, ac purificatum transluceret. Si legisset Præsbiterum Antonium Neri de arte Vitraria, sciuisset Vitrum admistione salis fieri, & à Plinio scriptum primam Vitri inuentionem fuisse ex Nili Arenis, cum Nitro vstis. sic Sal nunc pro Nitro substitui. at Chrysocolla vulgaris, quæ Borax officinis dicitur, non est illa æraria chrysocolla. sed mixtum artificiale ex Alumine, Nitro, & quibusdam alijs ex Matthiolo. Alexius Pedemontanus conficit ex Alumine, Sale alkali, sale gemmæ, &c. Launeus ex nitro natiuo, &c. ipsæ autem Greuinus fatetur se nouisse duodecim modos conficiendi Boracem. At Cæsalpinus Boracem, quasi Baurac, idest Nitrum dictum fuisse docet. *Conficitur*, ait, *Venetijs ex cremate Lapide quodam candido, & fissili, quem Boracem crudum vocant*. & Franc. Imperatus de fossilib. pag. 24. & iterum 78. fieri ex fossili Borace cremato. & esse quoddam Nitri genus. Agricola lib. 3. de Nat. fossilium. pag. 121. esse Nitrum quoddam fossile, tradit. sed sal, & nitrum sunt proxima. & in vitro conficiēdo ambo vtilia. quare nugatur Cortesius, dicens Chrysocolla antiquorum erat calida, & sicca in 4. ergo. sal non potest substitui pro crysocolla recentiorum. si sermo esset de calefaciendo, concederem profectò illi totum, sed si in vitrificatione antimonij experientia ostendit, quod perfectius est Vitrum cum sale liquatum, quam cum Borace. cur rationes contra experientiam inspecero omnino fatuas? verum dicebat Bernardus.

Antonius Neri. *Alexius* *Cæsalpinus* *Quid sit Borax.*

Contra verbosos noli contendere verbis.

Sermo datur cunctis, animi sapientia paucis.

Ita, quod Salnitrum vulgare sit Venenū, Greuino respondebo. à Germanis ex nitro, & Sulphure confici, mixtū lapidem prunellæ dictum, quo in febre pestilenti ad linguam adustam refrigerandam vtuntur. ecce quod experientiā Greuinum conuincit.

Lapis prunella.

Cortesius Subdit Cortesius. *Neque sal aptus est ad corrigendam Antimonij effrænatam illam tam per superiora, quam per inferiora euacuationem, cum habeat facultatem subuertendi stomachum vomitionē mouens, purgatque irritando facultatem expultricem, tam per inferiora, quam per superiora*.

Respondeo. Matthioli intentionem non fuisse sale, vel Borace corrigere Antimoniū, sed vt fusum magis diaphanam Vitri formā adipisceretur. quod si sal dictas habet vires, adiuuabit facultatem Antimonij. Nam equidem antimonij vitrum quando exibeo, mea intentio, & indicatio est, sursum, & deorsum corpus purgare. si sal coadiuuat facultatem antimonij, vt amicum admiscebo. Et Vitrarij probe sciunt in confectione Vitri requiri sal aliquod, legant Plinium de Vitro, & Præsbiterum Antonium Neri de Vitro. nec sal miscetur à Mattiolo correctionis gratia; sed Vitrificationis. ergo, mentem Mattioli ignorauit Cortesius. & frustra ad rectificationem transducit.

Responsio.

Verum in se rediens Cortesius cognouit sal addi ad acquirendam maiorem luciditatem, & Vitri perfectionem; sed mox iterum delirat, dicens, *quo magis appropinquat naturæ vitri, magis fieri corrosiuum*. & equidem miror bonum senem meum amicum hęc scripsisse, & tamen ipse continuo in Vitreo vase vinū detinebat, & in Vitreo vase vrinas inspiciebat, nec à Vitro tantam timuisse corrosionem. Matthiolus, & sequaces Vitrum antimonij in Vino infundunt, faciunt pocula ex vitro antimonij, & vinū infusū purgat, minimè verò in Vitro vulgari cristallino. ergo. e cōtra dicā, quo magis appropinquar Naturę Vitri eò minus purgans fieri, minus corrosiuum, si esse tale concedere mihi liberet. si quis deuoraret libram Vitri in pollinem redacti nullam penitus reciperet lęsionem; sed timent aliqui Vitrum crasso modo cōtusum, quod neque est timendum, quia cum fœcibus excernunt, ij, qui Vitri voraces sunt. scio equidem Cardanum lib. 2. Contrad. tr. 5. n. 9. scripsisse. Vitrum confractum ciceribus mixtum à pluribus fœminis assumptū. *& multæ ex his absque detrimento euasere, duæ tamen hydrope extinctæ sunt. vna cruciatu ventriculi peritura laborat*, quæ si potuisset in libris de subtilitate, non euasissent Scaligeri censuram. quia si ex quinquaginta duæ, solum male se habuerunt, non potest dici simpliciter corrosiuum. nec ex veneno corrosiuo, quale arsenicum, sublimatum, &c. fit Hydrops. at vna ex tot cruciatibus ventriculi angitur! ego afferam flatū ex esu cicerum genitum dolorum causam, & multi reperiūtur vitriuoraces, quorum intestina non corroduntur: sed facilioris doctrinæ gratia aduertamus, quod Vitrum censetur sua frustulorum acutie intestina corrodere, non autem qualitate. quomodo dicunt Adamātem ventriculum erodere. quod ipse Cardanus contradictione citata falsum esse experimento se cognouisse testatur. ita dicimus *si de quo magis, &c.* si vulgus magis timet Adamantis frusta ob duritiem, quam Vitri, & Adamantem experientia demonstrat non esse nocuum, nec Vitrum censendum erit nocuum. fabulatur ergo Cortesius, non autem experta proposuit.

Resipiscētia Cortesij. *Irrisio.* *Cardanus.* *Adamas non corrodit.* *Cardanus.*

Obijcit Cortesius etiam incertitudinem parandi. quod non facit antimonium venenum. quæ præparatio desiderata consistit tantum in Vitri perspicuitate, cum re vera eadem sit facultas Vitri obscuri, Hepatici, ac Diaphani, & Hyacinthini. nec enim vis consistit in colore, nec in perspicuitate, sed in cineribus antimonij.

Alia obiectio.

Et multa alia superaddit, quib⁹ facile respōdere posse; sed video iā me ꝓ capite, libellū de antimonio proposuisse, vnde me retinebo.

Hh 2 Dicam

Quid sentium. Dicam antimonij Vitrum, prout expertus sum, esse validum quidem medicamentum purgans supernè, & infernè, cedere tamen alijs medicamentis ab Antiquis vsitatis. qui frequentissime vtebantur Helleboro albo, quo non datur violentius vomitorium, neç Tapsia, neç Elaterium, neç squamma æris, antimonij vitro cedunt. quod respectu Veratri, benignum medicamentum censeo, neç tamen Antiqui plenis buccis, & adeo alta voce Venenum illud exclamant, vt isti Neoterici etiam esse volunt per vim verborum tale hocce antimonij vitrum. do equidem illis, non in omnibus morbis, nec quocumque tempore exhibendum esse antimonij vitrum; sed à rationali medico posse dari, consideratis ijs, quæ nos primo libro tradimus, esse ante vsum Vomitoriorũ consideranda, & hoc ego multoties sum Methodicè vsus cum maxima sumentium vtilitate; cum tamen is ego sim, qui vno medicamento multos curare haud soleam; sed varijs, & diuersis pro natura Morbi, ætate, temperamento, regione, anni tempore, habitu corporis, industria, sexu, Victu, consuetudine, & alijs à Medico considerandis. Quando igitur sese obtulerit occasio exhibendi Medicamentum supra, & infra purgans, & nihil in contrarium obstiterit, eo vtar, sed ab Empiricis dandum, nego.

Quid agendum. Antimonij ergo Vitrum dari poterit in febribus longis, à pituita, & melancholia, cũ viscerum obstructionib. & infarctu primarum venarum, in quartana. non in febribus ardentibus, quia nec aliud medicamentum validum conuenit. multi dederunt in peste, & febribus pestilentibus. sed ego ad præseruandum, minime autem ad curandũ vteret. Dari poterit in morbis capitis, prout datur Ellehorũ vt infra ponam, ad insaniam, melancholiam, Epilepsiam, Maniam, Apoplexiam, Paralisim, Catarrhos, Hemicraniam. In morbis pectoris, Rullandus dabat suam aquam Benedictam ex antimonio cõfectam. In Asthmate, longa tussi, & catarrho ad pectus dabitur hoc Vitrum. conferet etiã in Ventriculo repleto, & aluo adstricta, in Hydrope, ictero, ore fætido, haustis Venenis. demum in morbo gallico, & affectibus cutis, scabie, lepra, &c. in artritide. Euacuat n. bilem, pituitam, melancholiam, & serosos humores, quos peccantes reperit.

Quantum. Dosim Vitri antimonij Matthiolus posuit iij. vel iiij. granorum pondere. sed ascendit etiam ad grana xij. Gesnerus dedit vj. grana, & eius amicus scripsit in robusto corpore non excedendam dosim vj. granorum. Pueris natis annos quatuor, quinque, vel sex, dat g. j. & semis in rob. ebuli, & sambuci. Annicolis granum j. cum lacte. ego exhibui. 9. 13. 15 grana. & ascendi ad xviij. in Henrico C...uino cognato meo. xxiij. in Muliere melancholica, tenuis habitus.

Quomodo. Cum Rhodosaccharo exhibuit Matth. alij cum conserua Violarum, cum Vino, cum iure, in ouo sorbili. alij redigunt in pilulam ex aliquo serapio, alij addunt aliqua, aliqui solent offam, aut ius aliquod post antimonij esum, exhibere, cum iam quis vomitum sentit, vt facilius vomat. apud Gesnerum legitur, quod aliqui exhibent paulo ante cibum, ita ut cibus medicamentu assumptionem mox sequatur; ita retineri affirmant, & operationem eius esse potentiorem. Reijci vero vomitu plerumque, si longius sit inter assumptionem medicamenti, & cibi interuallum. alij vetant phlebotomiam ante, & post Vsum stibij.

Alij dicunt, quod cum semper in qualibet Vitri præparatione color variet, ita fieri magis, & minus validum; quapropter semper cuiusque præparationis dosim esse variãdam. *Poppius.* Hamerus Poppius in Basilica antimonij c. 9. scripsit. eius infusum uehementer uomitus ciere; sed insalubernmum porrectũ in substantia, quia grauissima symptomata inducit.

Hartman. Io. Hartman in prac. chim. *Aqua*, inquit, *Vomitoria* præstantissima. ℞. Vitri Antimonij Hyacinthini more Matthioli præparati, & in puluerem subtilem redacti. Salis Cardui Bened. an. g. 40. Aquæ Veronicæ vnc. v. Aquæ Cinnam. g. 30. infundantur in B. tepido per horas 24. postea colentur per cartam, & seruentur, de quo patienti 3. 4. 5. uel 6. dracmæ dentur.

De Stibij Floribus. Cap. CXXXII.

Nomen. ANtimonij flores dicti substantiam repræsentant pollinis farinæ tenuissimæ, aliqui (vt Zappata) ob id *Spiritũ* uocãt. Libauius *Bolum* dixit secundum suam distinctionem chimicam. sunt albi, citrini, rubri, purpurei, & parantur cum additamentis, uel uolatilium, uel fixorum, aut per se simpliciter. *Differentie.* diuersa uasa etiam apud chimicos sunt in usu. de quibus copiose Libauius, lib. Alchimiæ, & Syntagmatum, alijq; plurimi Auctores. Hos aliqui laudant, alij uituperant. *Reusnerus esse Venenum.* *flores albi, qui primo eleuantur non vacant Veneno.* inquit Reusnerus de Scorbuto Exerc. 7. & Libauius de igne Nat. c. 33. ait, *illi flores, qui ignium fiunt vehementia sulphurei sunt, & spiritibus realgaricis, & vitriolatis aduersi ventriculo.* *Seuerinus.* & Pet. Seuerinus cap. vlt. suæ Ideæ. scripsit antimonium altioribus prædestinationibus destinatum fuisse, vnde frustra ad alui purgationẽ instituitur. Sunt, & alij, qui hos vituperent, ducti potissimũ supra allatis rationibus.

Renodeus vtitur. Contra tamen non desumit, qui permittant. Renodeus *enim nec improbandus est*, inquit, *omnino puluis ille, qui a peritis artificibus paratus, & à doctis exhibitus, sæpe mirum in modum*

Seneritus *Zappata.* *dum prodest.* & in Hydrope eos concedit Sennertus. at summe commendat Io. Baptista Zappata.

Parandi artificium uarium est per latus, uel per rectum sublimandi, & aliqui promittunt flores per destillationem deorsum. facilis autem est apparatus Io. Bapt. Zappatæ per ollas quinq: prima in furno philosophico locatur, & contineat lib. j. antimonij uulgaris i. prima uice fusi, crassiter contusi, sine alio additamento, & supra positis quatuor alijs ollis eiusdem magnitudinis deorsum inflexis, aptæ coerentibus, & luto sapientiæ bene munitis commisuris, ne quid expiret, & in fundo sint perforatæ, ita vt inferior habeat magnum foramen, suprema minimum, vt possit claudi, quando opus fuerit. incipiēda postea sublimatio leuissimo igne: itaut ne ante duas horas Ollæ fundus cādeat, ac ignitus appareat. ac per 12, vel 14. horas perduret fundus ollæ rubefactus igne. foramen autem in superiori olla apertum perduret, donec fumus appareat, quo cessato claudatur foramen, & sæpe inspiciatur ollæ primæ fundus, an rima aliqua appareat, & albificatum stibium appareat, quod si pauci fuerit momenti, prosequendum erit opus vsq: ad finem. die sequenti refrigeratis ollis, diligenter sunt ammouendæ, & flos in singulis separatim penna, vel pede leporino colligendus; nam in superioribus ollis candidus esse solet, in inferiori autem quandoque ob ignis vehementiam citrinus, vel subrubeus, alias cinereus subnigricans, forsan ob copiam sulphuris naturalis. Verum licet varient quandoque colores, vis est eadem. & hoc est medicamentum ex antimonio paratu facillimum, & nos tale quærimus. vt alij autores non spernendi, veluti Dioscorides, Galenus, libros confecerunt de paratu facilibus. & equidem sum in sententia plurimos magni nominis chimicos vituperare antimoniu Vitrum, quia vulgo ab infinitis paratur, & flores, quia nimis facile parantur, vt proponant suas mirabiles, intricatas, ac speciosas præparationes, & tamen pro fundamento suarum mirabilium receptarū sibi solis notarū, & suo marte inuētarū, ni potius somniatarū, mihi quo simpliciora paratu fuerint medicamenta, eo magis probantur, nec dicant Vitrum, & flores non esse satis depuratos; sed ipsos inuenisse exactam depurationem, quia post tot flagella cadauer mutat naturam propriam, & admistorum naturam suscipit. mihi sat est flores antimonij hoc modo paratos à sexcentis chymicis fuisse paratos, & infinitis ægrotantibus fœlici successu fuisse propinatos. & in multis pharmacopolijs prostare venales, quod dicere nequeo de miraculosis illis Quercetani Antidotis Panacea, Panchresto, Theodoreto, [illegible], Soterion, Lysipyreton, Theodoton, Theopempton, Panæreton, Isochryson, Lysiponon. quæ vt

Preparatio

Sententia de dānantibus flores Ant.

Obiectio.

Responsio.

Mirabilia Quercetani.

nullibi venalia reperiuntur, ita à nullo experta; vel si aliquando experta, promissis magnificis haud respondere comperta. quod etiam dico de Petri Io. Fabri, magnis sumptibus, & multo tempore parabilibus medicamentis; sed minima vtilitate, cum sint à nemine experta. sed his omissis. *Io. Fabri sūptuosa.*

Antimonij flores sursum, & deorsum purgant varios humores. Zappata scribit. *tollere omnem morbum curatu difficilem, mire prodesse in peste* (sed credo hunc nunquam vidisse pestem) *ad Cancrum, lepram, escaras in corpore, & morbi Gallici vlcera, gummata, terribilesque dolores, ad quartanam, asthma, Ventriculi imbecillitatem, Hepatis obstructiones, lienis duritiem, lapides renum, dolores colicos, & renum vitia propter crassos humores, ad podagram, chiragram, & tandem ad omnes dolores phlegmonosos, & non tales, in quacunq: corporis humani parte.* *Zappata.*

Dicemus nos antimonii flores esse medicamentum in prima classe, sursum, & deorsum purgans, methodice datū à perito Medico, neque venenum, neque malum medicamentum esse dicendum, quia ego hos pluries exhibui à me paratos, & egomet bis assumpsi. semel Romæ, semel Messanæ senex, & consideratis considerandis à me toties dictis, exhibitos clementer euacuare, & mire prodesse cognoui, conferūt ergo, omnibus ijs morbis, qui euacuatione sursum, & deorsum indigent. *Quid agēdum.*

Robustissimis Zappata exhibebat g. vj. nec transcendebat, alijs v. iuuenibus iiij. adolescentibus iij. puberibus ij. & semis. pueris g. ij. ego sum magis audax. *Quantum.*

Potest exhiberi varijs modis, cum aqua, Vino, iure, cum conseruis, in forma pilularum, &c. sed Zappata rotulas conficiebat cum saccharo optimo ex oui albumine in pastæ formam redacto, & trochiscos varij ponderis conficiebat. *Quomodo.*

Sumetur mane stomacho ieiuno, & potest reiterari post triduum, & pluries. *Quando.*

Tandem sciatis, quod quæ pro, & contra Vitrum, ac flores antimonij dicta sunt, conuenire etiam possunt, tum antimonio simpliciter calcinato, tum etiam Hepati eiusdem, seu croco metallorum, nempe cum salenitro exusto. quare Vale antimonio nunc dicemus. & quum de Elleboro loquemur, quæcumque de eo dicemus, poterunt referri in Antimonium, & minora vomitoria. *Admonitio.*

De

De Struthio. Cap. CXXXIII.

LOquemur nunc de re nota, & ignota, de Struthij planta, Radicula, & Lanaria dicta. Condisi à Serapione, condes ab Auicen. quę antiquorum æuo erat vulgo notissima, vt ait Dioscorides, qua propter ipsam describere superfluum ipse censuit. descripsit tamen aliquantisper Plinius, cuius descriptio ni nulla, quæ uerè aptari possit herba, nostris herbarijs nunc nota reperitur. Nec enim à lanas dealbandi facultate hanc inuestigare licet, quia plures ad id muneris aptæ esse queunt. scripsit autem Plinius lib. 19. c. 3. *At quæ vocatur Radicula, lauandis demum lanis succum habet, mirum quantum conferens candori, mollitieque. Acquè nascitur satiua vbique; sed sponte præcipua in Asia, Syriaque saxosis, & asperis locis. Trans Euphratem tamen laudatissima, caule ferulaceo, tenui, & ipso cibis indigenarum expetito, & tingenti quicquid sit, cum quo decoquatur, folio oleæ, Struthion Græci vocant. Floret Aestate, grata aspectu, verum sine odore, spinosa, & caule lanuginoso. Semen ei nullum, radix magna, quæ conciditur ad quem dictum est vsum.* At Theoph. 6. de Hist. plant. c. 3. Struthium reposuit inter folio aculeatas.

Nomen. Descriptio Plinij.

Consideremus modo an aliqua ex propositis à recentioribus pro struthio plantis ei aptari possit. Fuchsius attulit Saponariam vulgo uocatam, cum quo fuit Lonicerus, Lugdunenses, Io. Thalius. sed miratur Matthiolus eius insciciam, licet enim manibus ex aqua eius planta confricata neluti sapo appateat, unde saponaria dicta, & lanis purificandis aptari possit. tamen radix magna non est, nec folia Oliuæ, nec caulis lanuginosus, ferulaceus, tenuis, & cibis expetitus, nec spinosa est planta, nec sapor acerrimus, & caliditas in 4. gradu. Verum ego miror de Cordo, qui pro Struthio attulit Imperatoriam vulgo dictam cuius radix odorata valde est, nec spinosa est planta, nec Oliuæ folia producit, nec dealbandis lanis apta censetur. Nec *Valeriana rubra* Dodonei, seu Ocimastrum Valerianes Lobelij notas struthio similes gerit. cum tamen fuerint, qui hanc struthium antiquorum esse censerent. nihil enim simile adest. Maxime autem errarunt Lacuna, & Gesnerus pro Struthio supponentes *herbam luteolam*, quæ tingit lanas croceo colore, non autem confert candori, vt Plinius scripsit, nec radix magna in vsu, sed folia, quod agnoscentes Matthiolus, Castor, Lugdunenses, Eyst. vocant Pseudostrutium: Imperatus pinxit pro Diosc. Struthio *Saponariā Lycnidis folio*, flosculis albis, ea ductus ratione, quod in Basilicata regionis Calabriæ in Regno Neapolitano hoc vtantur ad dealbandas lanas. sed non aduertit minime aculeatam esse plantam, nec caulem esui aptum nec hirsutum producere, neque saporem acerrimum possidere. vnde cogor dicere plantam in Asia, Syria, & Trans Euphratem sponte nascentem, apud nos vero tantum satam, desijsse coli, atque seri; vnde etiam esse desierit. proinde iterum etiam eius plantas petendas ab ijs regionibus. cum ergo mihi ignota sit planta, de eius viribus non nisi relata referam.

Fuchsius. Matthiolus. Cordus. Dodoneus. Gesnerus. Imperatus.

Eius radicem esse acrem retulit Dioscorides, & Galenus calidam, & siccam in quarto gradu: cum quo est Serapio. sed Auic. fecit cal. & sicc. in 3. peruenientem ad 4.

Multas habere Struthium vires testantur Antiqui, & aluum soluere scripsit Dioscorides, nec Galenus, nec Serapio Vomitum excitare dixerunt. & cum scribit Diosc. *prodest tussi, orthopnoeæ ex melle sumpta, coclearis mensura.* ad quod non prodest si Vomitum excitaret. nullo modo videtur Vomitoria. immo quando scripsit Dioscorides *per os purgat trita cum melle*. intellexit per sputum, quod clare explicat Serapio, *Et quando teritur, & miscetur cum melle, & fit inde caputpurgium prouocat superfluitates à Cerebro, ad os, & mundificat caput*. præterea dicitur prouocare vrinam, qui est contrarius vomitui motus.

Nō Vomitorium.

His non obstātibus, si credere voluerimus Auicennæ, dicemus Struthium esse medicamentum vomitorium validum; ita enim docuit. de Cundes lib. 2. c. 136. *est acre mundificatiuum, excitans vomitum, incidit plegma, & choleram nigram*. paulo post subdit. *facit vomere fortiter*. & tandem in fine ait. *loco eius in Vomitu ponitur Nux vomica eiusdem ponderis cum tertia sui ponderis de pipere*. quo constat validū esse vomitorium cum æquale sit Nuci Vomicæ, quæ veneni naturam sapit. Etenim Arnaldus de Villanoua tract. de Venenis. *Venenum est*, inquit, *Vomitum valde prouocat, in die esu dracmæ vnius, & femis de radice ipsius nisi subueniatur*. & Auic. lib. 4. fen. 6. cap. de Condisi scriptum reliquit. *facit euomere vomitum magnū, & quandoq; fit præfocatio ex eo*. idem dicunt, & inter venena etiam reponunt. Rasis 20. Continentis c. 2. auctoritate filij Patriarchę. & 8. ad Almansorem. Albucasis 2. particula Azarauij tract. 2. Arduinus lib. 3. c. 12. & alij plures, nos ne tempus teramus circa rem nunc ignotam ad alia transibimus.

Auicenna facit Vomitorium. Arnaldus. Quid agēdum.

De Sylibo. Cap. CXXXIV.

SYlibus est altera planta etiam nobis ignota, & sibi quoque ignotam fuisse ingenue fassus est Matthiolus. Quandoquidem ex breuissima eius descriptione à Dioscoride allata expiscati eam nequimus. *Sylibon*, inquit, *lata spina est, folia ferens chamæleontis albi*. sed quod magis est, non videtur sponte oriri in nostris Regionibus, quoniam Plinius lib. 21. item

Planta ignota.

item. c. 22. *Sylibum*, ait, *Chamæleonti albo similem, aque spinosam, ne in Cilicia quidem, aut Syria, aut Phœnice vbi nascitur, coquere tanti est, ita operosa eius culina traditur. in Medicina nullum vsum habet*. sed sui oblitus, lib. 26. c. 7. scripsit. *Est & Sylibus lacteus succus, qui densatus in gummi sumitur cum melle supradicto pondere*, (i. denarij) *præcipueq: bilem trahit*. concordās cum Dioscoride, qui non solum scripsit, *Hac recens cum sale oleoque coctis estur; sed etiam Radicis succus drachmæ pondere potus Vomitiones ciet*. & debemus explicare Plinium, quod herba recens in cibo sumpta nullum habeat in medicina vsum; sed eius succus lacteus exiccatus, gummi formam recipiens ore sumptus Vomitum cieat. si ergo nascitur in Syria, & ibi editur. non est vt in Italia eam quæramus. Quare frustra laborauit Doctissimus Andreas Cæsalpinus cum Anguillara, & Lobellio proponens pro Sylibo carduum latifolium folijs varie maculis albis notatis, vnde carduum lactarium, & lac Dinæ Mariæ quidam appellant. alij Carduum album, spinam albam, Leucachātam, Leucographin, & Carduum Leucographum. concedo quidem nostri Cardui caules esui aptos. sed vellem, vt hi experti essent lacteum succum, an vomitum faciat. multo minus credam Lugdunensi Historiæ dum pro Sylibo proponit Carduum sphærocephalum, vel Acanthium Matthioli. quæ nec in vsu cibario recipiuntur, nec succus lacteus colligitur ad purgandum aptus. sed Matthiolus, Amatus, Hermolaus, Marcellus, Ruellius non esse nostræ Regionis Plantam sentiunt.

Hanc Serapio vocat Hacub Aicardeg.

Cardnus lactarius

De Thapsia. Cap. CXXXV.

Nomen.

THapsiam sunt, qui *Hypopion*, qui *Scammonion*, & alijs nominibus appellent, & à Romanis *Ferulaginem*, seu siluestrem ferulam dici, scripsit Dioscorides, & Thapsiā quidem dictam fuisse, quia in *Thapso* cognomine insula primo inuenta fuerit. hæc est vna ex sporadibus insulis, & in ea à Cratena peritissimo herbario Hippocrati coeuo primo plantam eiusque vires obseruatas fuisse, tradunt nonnulli. Hypopion verò dictam volunt, quod Hypopia, & liuores deleat. quod bene nouit Nero. vt refert Plinius lib. 13. c. 22. *Nero Cæsar*, inquiens, *claritatem ei dedit initio imperij nocturnis grassationibus conuerberatam faciem illinens sibi cum Thure ceraq: & sequenti die contra famam cutem synceram circumferens. &* supra scripserat *sugillatisque, ac liuentibus*. prodesse. cum quo est etiam Dioscorides sic docens. *Radix, succusq: cum æquis cera, Thurisq: portionibus, sugillata, liuoresque tollunt; sed non plus binis horis dimittantur: locus deinde aqua maris calida foueatur.* Herbarij Romani frustulum lintei, seu panni linei, tenuiter illinunt rasura radicum Tapsiæ, & mite intra paucas horas sugillata delentur. Dicitur quoque Scammonium non à forma; sed quia valde purgat eius succus. & nunc Siculi, & Messanenses, vbi copiosa Tapsia latifolia nascitur; *Ferulazza* vocant. & aliqui corticem radicis siccatum pro Turbit vendunt.

Neronis medicam.

Dioscorid.

Quo ad Thapsiæ formam ea is clare descripta est apud Dioscoridem, Plinium, & recentiores, apteq: etiam Typis expressa, & licet Antiqui vnum tantum genus nouisse appareat, tamen Recentiores plures inuenerunt species, sic Bauinus quinque Thapsias adnotauit, quod si Turbit est Thapsia. Mesues adnotauit siluestre, & domesticum magnum, & paruum, item album, citrinum, & nigrum. Profectò illa, quæ Romæ nascitur folio ferulæ, seu feniculi, angustifolia, à nobis dicta omnino quadrat cum Dioscoridis descriptione; sed latifoliam duplicem mihi inspicere contigit, quæ Garganæ nomine in Horto Coruino Nepotum meorum colitur, ab Imperato habita ex semine, vegetior. & alto caule assurgit: atque Messanæ vbique passim copiosa sub *ferulazza* nomine oritur, amplo quidem, latoque est folio; sed valde humilis est caulis. nec bipalmaris assurgit. & huius radicum cortex, siccatus surroit vice à Catanensibus, vt audio, vtuntur. nec sine ratione And. Cæsalpinus esse Mesuæ Turbit album suspicatus fuit, & alteram speciem Turbit nigrum. equidem vidi Messanæ pharmacopœum multos Thapsiæ radicum cortices pro Turpeto parasse; sed quia nimis diligens voluit esse in ijs tractandis, facies adeo intumuerat, ac desormata erat, vt alter appareret. Mesues verò plures affert differentias sui Turpeti, nec ego nunc definire volo, an nostrum orientale Turbit, sic cum nostra Thapsia sicula idem.

Forma.

Differētiæ.

Turbit album Mesue.

Nec litigabo de Thapsiæ Patria. cū dicat Dioscorides, primum in Thapso repertam. Plinius esse in Aphrica vehementissimam. & Siculā requirat Nicander in Theriacis. scribens. *Nunc age, composita te malorum remedia docebo, trinacriam sumito Thapsi radicem, qua corpori medetur, &c.* quia quæ in Apuliæ monte Gargano oritur, Siculæ similatur. in illa ex Cæsalpino, in Amphiteatro, seu Colosseo Romano ex Dominico Panarolo olim auditore nostro, postea successore in Chatedra romani Studij, libello suo de plantis Amphiteatralibus. & ex Theophrasto lib. 9. de Hist. plant. c. 22. multis in locis oritur. nam scripsit. *Nascitur tum alibi, tum in Terra Attica, in qua pecudes incolæ eam non tangunt, peregrinæ verò depascunt, & aut aluus soluitur, aut intereunt*. Ergo dicamus primum repertam, & expertam in Thapso, vehementissimam esse in Aphrica, copiosam verò in Sicilia, & in alijs etiam locis reperiri.

Patria.

Theophrastus.

Temperamento Thapsia est valde calido, vt pote sapore acerrimo, & halitu adeo vrente

Temperamentum.

vente, vt fodientium, atq; ipsam radicem tractantium facies, & manus mirum in modum inflentur. curaui ego Messanæ multos pueros, & iuuenes, immo etiam pharmacopœum, qui ex contractatione istius plantæ passi sunt rumorem, deinde vesicas, & crustas faciei; vnde venenum multi dicunt. sic Plinius de semine, radice, lacte, succo, cortice. *Omnia ea venena*, inquit, *Quippe etiam fodientibus nocet, si minima aspiret aura, intumescũt corpora, faciemque inuadunt ignes sacri, ob id cerato prius illinunt*. deinde subdit. *fugillatis, ac liuentibus, ceù verò remedia desint, vt scelera contrahent. sed ista prætexunt noxio instrumento, tantumque impudentia est, vt venenum artis esse persuadeant*. & Dioscorides ait. *Qui succum colligit stare debet non obuersus vento; aut potius cum dies apricus est, & à flatu silet: quoniam ob halitus acrimoniam facies vehementer intumescit, nudaq; corpora inuadunt pustulæ, ob id prius liquido cerato, & adstringente nudas partes illinunt, & ita muniti accedunt*. demum in fine 6. libri idē Diosc. Auic. & alij auctores Thapsiam inter Venena reponunt, ob violentiam nempe deiectionum.

Plinius.

Dioscorides.

Ad nos vero tractare spectat, quæ vis sit Vomitoria in Thapsia Dioscorides ita scriptum reliquit. *Tam cortex radicis, quam succus purgandi vim habent, & lacteus succus in aqua mulsa potus; nam vtrinque bilem extrahunt. Huiusmodi purgatio conuenit suspiriosis, & diuturnis laterum doloribus reiectionibusque*. Plinius ad quid valeret scribere neglexit, satis illi fuit dixisse. *Quibusdam tamen morbis auxiliari dicunt Medici permistam alijs*. cum tamen Theophrastus, ex quo multa excerpsit Plinius, scripserit lib. supra citato. *Tapsiæ radix vomitoria est, & si quis continuit tam superius, quam inferius purgat*. paulo post. *Succus eius validior est, & quidem tam superius, quam inferius purgat*. quæ vis est etiam in folijs, quia pecudes peregrinæ, quæ in Attica vescuntur. Thapsia, aut *intereunt, aut aluum solutam patiuntur*. eius mentionem non reperi in Auicenna, nec Serapione. perfectam, sed mancam. Auicen. n. c. 708. sub nomine *Tasafia*, & *Tesisse* videtur intellexisse Tapsiam, & statim subiunxit caput de Turbit. Serapio autem ex Diosc. & Galeno egit. c. 329. de Thapsia parū varians. &c. 320. egerat de Turbit vnde nec ex Auic. nec ex Serapione dicere possũ Turbit esse Thapsiam, neq. item ex Mesue, quia hic in canonibus vniuersalibus Theoremate primo cõ. Costæi. 15. inter vehemētia vomitoria ponit Thapsiam, & mox mox post duas lineas scribit. Turbit esse medicantum deiectorium vacuans facultate deiectoria sibi insita. quare neque ego confundam Turbit, & Thapsiam, licet sciam quosdam Thapsiæ radices pro Turbit proponere, & Vocare Thurbit Catanense, ex Apulia etiam, quod affertur Turbit, non nisi radicum Thapsiæ cortex est. scio equidem Doctissimum Cæsalpinum

de vi Vomitoria.

Dioscorides.

Theophrastus.

Auicenna

Mesue.

Turbit Mesuæ esse radicem Thapsię sensisse, sed equidem assentiri nequeo.

à Cesalpino dissentio

Quoad vsum Thapsiæ equidem haud memini me aliquem ex recentioribus legisse, qui huius succo, liquore, vel radice se vsum fuisse scripserit. vnde modo non est in vsu tanquam Thapsiæ radix: sed forte, vt adulterinum, Apulum, vel Catanense Turbit. Verum recordor adhuc. x. ab hinc annis me visitasse quendam ciuem Messanēsem, podagra affici solitum, qui eius causa aliquoties consilio cuiusdā Monachi sumpserat Thapsiæ Messanensis, quæ latifolia est, radicum cortices, & violenter sursum, & deorsum euacuatus fuerat. ex quo podagrici dolores minuti erant. consului ne amplius vteretur adeo vehementi medicamento: sed me inscio post aliquod tempus iterum voluit experiri easdem radices, verum suo periculo, febris n. superpurgationi superueniens, eum enecauit.

de Vsu.

Historia.

Ergo qui robustissimo erit corpore, & valido fortiq; morbo vexatus, vt forti egeat medicamento, volueritue, etiam Plinio obiurgante, Thapsiam experiri. in podagricis, asthmaticis, suspiriosis, & diuturnis laterum doloribus reiectionibusque, id poterit. bilemq; educere (ait Cardanus lib. de dentibus,) & maxime crassam, & vitellinam, eousque vt etiam nigram. Diosc. *Vtrinq; bilem extrahunt.*

Quid agēdum.

Dosis assumenda Thapsiæ varia est, quoniam aut sumitur opos, aut succus expressus, aut cortex radicis.

Quomodo.

Opos quidem, seu lactis ex Diosc. Obolus unus. quod eo amplius assumitur periculosum est. Card. g. xij. Succi terni oboli. Cardan. drac. j.

Radicis modus quaterni oboli, cum tribus seminis Anethi dracmis ex Diosc. sed Cardanus drac. ij.

Præterea sic admonet Diosc. *datur in cibis, aut obsonio, quibus difficile sit vomere*. dat etiam cum aqua mulsa.

Quantum

De Tithymalo Characia, Cap. CXXXVI.

Tithymalus latinis dicitur *lactaria*, male autem *lactuca marina*, vel *caprina*, quia licet lactuca à lacte nomen habuerit, quo etiam abundat Tithymalus, tamen audito lactucæ nomine quilibet decipi posset, censens sub lactucarum verarum genere esse. Plinius tamen tale nomen vsurpari scripsit. sed C. Celsus lib. 5. c. 7. vt tolleret æquiuocationem ait. *Lactucam marinam, quam Tithymalum vocant*. Cardanus lib. de Dent. perbellam etymologiam attulit, vt dicatur *Tithymalis* à τιθὴ nutrix, & μαλὸς exitiosus, capitur n. nutrix pro ea, quæ lactat; unde mala nutrix erit ob malum lac. Hoc genus ualde amplum est. & licet Theophrastus tres differentias tantum aff-

Differētię.

afferre uidetur, Dioſcorides tamen, & Plinius ſeptem genera enumerant, quæ ſubdiuidit in 24. ſpecies Bauhinus. nec dubium eſt, quin etiam plures Natura genuerit. non continendo ſub his lactiferis plantis, alia etiam lacticinoſa, qualia Eſula, lathyris, Apios, Peplus, Peplis, Chameſice, Hippophaes, ſcammonium, Papauer, & aliæ plantæ lactigeræ, inter quas etiã eſt ficus arbor.

Modo deſcendendo ad huius ſpecies explicãdas occurrit primo *Tithymalus Characias*, quaſi vallaris dictus, quod vallis, & ſepis muniendis aptus ſit, vt Plinius Arundinẽ Characiam, ſeu vallarem appellauit. alij dicunt *Amigdaloidem*, à foliorum figura. quidam dicunt Tithymalũ marem, & alijs nominibus indigitant, circa quæ ſuperflui non erimus. ſat erit dicere huius plures ſpecies circumferri, ita ut Bauhinus ſeptem ſpecies Characiæ adnotauerit apud ſcriptores Botanicos; ſed dum facit eundem Amigdaloidem, & Characiam, ego diſſentio, quia habeo in Horto Meſſanenſi, item in Coruino vulgarem Matthioli T. Characiam, cuius folia non poſſunt dici Amigdalina. ſed alteram ſpeciem habemus Amigdalinis folijs minus craſſis, & minus albis, ac denſis, & rubicũdo caule. dicimus tamen Amigdaloidem eſſe characiæ ſpeciem.

Characias · *Nomen.* · *Differentia.*

Deſcriptio Dioſcorides ita ſcripſit. *Characia caules ſupra cubiti altitudinem attolluntur, rubri, lacteo ſucco, atque acri madentes; folijs oleæ circum ramos, anguſtioribus, & longioribus, radice craſſa, lignoſa, pendet in cacuminibus caulium coma iuncei, ſub qua caueola ſoliolis balnearum ſimiles, in quibus ſemen continetur. naſcitur in opacis, & montibus.*

Plinius. Plinius verò lib. 26. c. 8. ſcriptum reliquit, *Genera eius multa, primus cognominatur, Characias, qui & maſculus exiſtimatur ramis digitali craſſitudine rubris, rugoſis, quinque, aut ſex cubitali longitudine à radice, folijs pendulis, in cacuminibus coma iunci. Naſcitur in aſperis maritimis.* breuiſſimus autẽ in hoc deſcribendo fuit Theoph. lib. 9. c. 12. ſcribens. *Lactaria autem maſcula dicta, oleæ folio conſtat. & magnitudine cubitũ æquat.* ſed apud nos tum in Romano agro, tum in Siculo virgæ ab radice ſæpe plures, quam triginta altitudine bicubitali, & tricubitali, & circa valles, ſepes vliginoſas copioſiſſime ſpectatur. vnde miror antiquos ſcripſiſſe oriri in aſperis maritimis, uel montanis. certe alterum genus à me dictum Amigdaloidem ſicciora loca occupat.

Temperamentum. Hæc planta temperamento eſt valde calido. ſiquidem Gal. 8. de ſimp. med. fac. *Tithymali omnes,* ait, *vincentem habent acrem, calidamq; facultatem, ineſt vero, & amaritas. validiſſimus itaque eſt eorum liquor, ſecundum locum tenẽt ſemen, & folia, ſed & radix dictarum facultatum particeps eſt, ſed non ex æquo.* quod collegit Galenus ex Dioſcoride ſcribente lacteum ſuccum eſſe acrem. immo. *cum extrahitur lac, neque quò ventus aſpiret, ſtare quemquam, neque manus oculis admouere, conuenit; ſed antequam colligas, corpus, præſertim faciem, collum, ſcrotumque genitalis adipe, aut oleo, cum vino perungere.*

Arabes. Auicenna autem licet harum hiſtoriam male conſarcinatam ſub nomine *Lathemij*. cap. 428. ponat. tamen de temperamento docet. *Eius lac eſt calidum, & ſiccum in quarto, reliqua verò ipſius ſunt in ſecundo vſq; ad tertium.* ita etiã Serapio. c. 350. calidam & ſiccam in quarto ſtatuit. ſed ex Gal. acceperunt 8. de ſim. med. fac.

Facultas. Quo ad facultatem purgantem Theoph. lib. 9. c. 12. nihil aliud protulit, niſi *purgat inferius*, & Dioſcorides, *Succus aluum purgat, trahit pituitam bilemque* deinde ſubdit. *Radix drachmæ pondere in hydromelite pota per inferna trahit.* Vnde uidetur ſentiendum huius ſuccum per inferna, non autem per Vomitum educere.

vis Vomitoria. Fatendum tamen uim uomitoriã illi ineſſe, quia Dioſcorides teſtatur. *ſuccum eum aqua mulſa vomitiones mouere*, at Plinius rem magis explicat ſcribens. lib. 26. c. 8. *Bibunt ſuccum, vt purgent vomitione, & aluo ſoluta, alias ſtomacho inutilem, trahit pituitam ſale adiecto in potu, bilem aphronitro. Si per aluum purgari libeat in poſca, ſi vomitione in paſſo, aut aqua mulſa.*

Plinius.

Particularibus morbis. Cui autem morbo peculiariter proſit hic Tithymalus non docet Dioſc. ſed Plin. lib. 26. c. 11. *Hydropicos ſanare* ſuis monumentis reliquit. & Aetius ſer. 12. c. 5. prodeſſe Iſchiadicis, quæ refert etiam Caſtor Durantes, & addit.

erumpit vaſa, inteſtinaque radit;
Concitat & febres, vehementer ventriculoq;
Et cordi, iecorique ſuo nocet inde veneno.

Quid aggredum. Ergo medicina ruſticorum erit hic Tithymalus pro hydropicis, iſchiadicis, podagricis, & magnis morbis, ad expurgandam bilem, vel pituitam, ſurſum, vel deorſum, venenoſitate tamen non caret.

Quantum. Succi binos obolos exhibet Dioſc. & ait. *Semen, & folia lactei ſucci effectum præbent dimidio acetabulo pota. Radix drachmæ pondere.* & Plinius de ſucco videtur ſcribere. *Media potio tribus obolis datur.* credo velle mediocrem potionem. nõ quod medietas potionis ſint tres Oboli, nimia enim eſt doſis, & contra Dioſcoridis dicta: Aetius autem corticis ſcrupulos quatuor exhibet.

Quomodo. Præterea Dioſcorides ad aluum purgandam in poſca propinat, cum aqua mulſa ad Vomitum excitandum. Plinius verò ad pituitam trahendam ſale addito, ad bilem aphronitro, ſi deorſum purgare volueris cum poſca, ſi vero per vomitum in paſſo, aut aqua mulſa, ratio videtur eſſe, quoniam dulcia ſtomachum relaxant, & ob id vomitiones concitant. docet etiam Dioſcorides caricis tria quatuorue lactis guttas inſtillandas, ſiccataque ſimul omnia reponenda, & caricas duas, treſuè ſatis per ſe ad purgandum eſſe. & clarius Plinius ait. *Succus vero inci-*

piente pomorum lanugine (nempe augusto quãdo cydonia lanuginosa esse incipiunt. per Vindemiam Diosc.) *defractis ramulis excipitur farina Erui, aut ficis, vt cum ijs arescat. Quinas autem guttas singulis excipi satis est, traduntq. etiam toties purgari Hydropicos fico sumpta, quot guttas lactis exceperit* & mox subdit, *Ficos à cibo sumpsisse melius est*, Aetius ser. 12. c. 5. succi guttas quinque tantum cum caricis acceptis. sed prius Hipp. in fine libri de Victu Acut. scripsit. *Vt venter infra purgetur, & à stercore mundetur, In caricas singulas tithymali guttas septem etiã pueris instilla, deinde in vase nouo compone, concinnaque, & adserua, atque ante cibum exhibe*. si ergo medicamentum stercorarium pro pueris est, videtur esse admodum leue medicamentum deorsum purgans non autem validum vomitorium. sentio tamen esse malignum, quia scio aliquando Hyeme ob niuem paruas herbas fuisse coopertas, propterquod pecudes, & capræ coactæ fame Tithymalum hunc altum niue excussa tantum apparentem exitasse. & ex harum lacte caseum secundarium factum, quem Recoctam *Obseruatio* dicunt, & omnibus, qui comederunt ipsum vomitum, & aluifluorem fuisse excitatum. Aet. dat corticis cremorē scribens. *Corticem*, aut ipsum contusum,& cribratum scrup. iiij. pondere in Vino per integram noctem macerato, mane vero excolatum vinũ præbeto.

De Tithymalo Mirtite, Cap. CXXXVII.

Ithymalus *fœmina*, aut à Myrti foliorum figura *Myrtites*, quasi Mirtaceus, & Myrtinites, dicitur etiam Caritites à nucibus quibus similem fructũ fert. Theoph. videtur appel-*Nomen.* lasse Tithymalum album. folia habet Myrto similia, maiora tamen, alba, & solida in summo acuminata, & pungentia, planta suapte natura similis Daphnoidi. ramulos ab radice mittit dodrantales fructum ferentes anno inuicem alternantes, Nuci similem mordaci gustu,quod clare Theophrastus ex-*Descriptio* pressit. *Viticulas autem per terram spargit dodrantali fere longitudine. hæ autem non simul ferunt fructum: sed annua temporum vicissitudine; alia quidem nunc, alia verò sequenti anno*. i. non omnes ramuli eodem anno fructum ferunt. & ex illo Plin. transcripsisse videtur. *fructus non pariter maturescit; sed pars anno sequente*. & *Natale,* addit Diosc. *Nascitur in asperis*. nos habemus per multos annos in Horto Messanensi, re-*Differẽtię,* perimus in campis ad radices montis Aetnę, & alibi in Italia. & huius quinque species notauit Bauhinus.

Facultas, Quoad facultates. scriptum reliquit Diosc. *Succus, radix, semen, folia, consimilem antedicto.* (i. Characiæ) *sortiuntur facultatem: sed ad ciendas vomitiones inualidior hæc est*. Oribasius potius *efficacior*, sed Plinius Dioscoridi subscripsit hisce verbis. *minus hic vomitionibus, quam superior, cæteri item. trahit bilem, & pituitam per aluum* licet autem per aluum principaliter educat, & minus vomitionibus sit aptus,non tamen dicitur *nullo modo*. quia omnes Tithymali facultatem vomitoriam habent, magis, & minus.

Periculosum certe est pharmacum, nonnisi maxima medicamentorum purgantium *Quid agẽdum.* penuria urgente usurpandum, & caute ad educendam bilem, & pituitam.

Colliguntur (ex Plinio) *coma eius Hordeo turgescente, siccataq. in vmbra diebus nouem in Sole inarescunt*. *Collectio.* paulo post subdit. *Demetitur cum messium maturitate, lauaturque, dein siccatur, & datur cum papaueris nigri duabus partibus, ita vt sit totum acetabuli modus*. Aliqui sic, & folium eius dedere, nucē verò ipsam in mulso, aut passo, vel cum Sesama.

De Tithymalis Paralio, & alijs. Cap. CXXXVIII.

Ithymalum Paralium, aliqui *Tithymalida* uocarunt. alij uero *Mecona*. De hoc sic loquitur *Nomen.* Diosc. *Nascitur in maritimis, ramis subrubentibus, palmum altis, quinis,senisuè à radice exeuntibus; folijs lini, angustis, paruis, oblongis, in versus quosdam digestis capite in cacumine orbiculato, in quo semen, vt eruum, vario colore emicat flos albus. frutex totus cum radice multo lacteo succo turget.* *Descriptio* Sed Plinius lib. 26. c. 8. alijs notis Tithymalum paralium delineauit, nempe *folio rotundo, caule palmum alto, ramis rubentibus, semine albo, quod colligitur incipiente vua, & siccatum teritur*. & differt à descriptione Dioscoridis rotunditate folij, & seminis albedine. uerum *Discordia Plinij,& Dioscorid,* à Theophrasto desumpsit scribente. de Maritimo grano. *folio rotundo caule palmum alto, fructu albo, qui demetitur, cum vua nigrescere incipit, & siccatur*, Cæsalpinus doctissime co-*Solutio Cęsalpini.* natur hos concordare. nam folium rotundum, de eo, quod in coma est, intelligendum apud Theoph,& Plinium explicas,Dioscorides autem caput appellauit ipsam comam rotundam.

Quo ad differentias Bauhinus quatuor species enumerat; sed re uera prima tantum species à Matthiolo picta Tithymalo maritimo Dioscoridis aptatur.

De Viribus breuissimus fuit Dioscorides. *Quid agẽdum.* scribens tantum. *similes ad vsus reconditur*. sed Plinius *sumitur*, inquit, *acetabuli mensura ad purgationes*. Verum Theophrastus à quo de-*Quantum.* sumpsit iste. ait. *potui datur tertia parte acetabuli* hic autem licet easdē dicatur cum alijs uires habere, ad Vomitiones tamen erit infirmior.

Reliqua Tithymalorum genera ab anti-*Reliqua genera.* quis enumerata minus ad Vomitum excitandum apta esse uidentur, si quidem *Helioscopius* ex Dioscoride. *Eadem, quæ superioribus vires*

vires insunt, non tamen vsque adeo valida. Plinius uerò, ait. *Trahit bilem per inferna in Oximelite dimidio acetabulo, cæteri vsus, qui Characiæ*. plãta est nota in vineis, & hortis nascens.

Cypariß-sias. De quinto Tithymalo *Cyparissias* dicto. scripsit Diosc. *ipsi eadem vis, qua superioribus*. idem Plinius.

Dẽdroides Sexto loco à Dioscoride ponitur *Dendroides*, seu *arboreus*. aut petreus. & describitur. *Descriptio* *in petris nascens ampliter opacat, in cacumine frondosam spargens comam, succo lacteo preguans, cauliculis rubentibus, folijs myrti tenuioris, fructu Characiæ*. Plinius septimo loco posuit. appellans *Cobion*, & *Leptophyllon*, & ait. *comosissimum ex omnibus maximè, cauliculis rubentibus, & semine copiosissimum*. Viderunt hunc in scopulis, & saxosis nascentem Matthiolus, Cæsalpinus, Anguillara, & alij. sed valde tenuifolium pinxit Matthiolus. bicubitalis altitudinis Cæsalpinus, ad altitudinem hominis Anguillara. nos autem primo in Calabria vidimus Tithymalum arboreum, cuius caudex latitudine superabat meum thoracem, altitudine tres *In nostro Horto,* homines. postea ex plantis Siculis in Hortum Messanensem translatis intra sex annos habeo Tithymali arborei quatuor arbores erassitie superantes meam coxam, altitudine duos homines magnos, cauliculis, seu ramulis rubentibus, folijs longis, vt Characiæ Amigdaloidi, nempe tenuioribus, & leuioribus, quam vulgari Characiæ.

Vsus Dendroidis similis est ex Diosc. nec Plinius quid addit.

Platiphillon. Septimo loco posuit Diosc. *Platiphyllon*. & Verbasco similem. *nec vllius latiora sunt folia* ait Plinius. ego habui in horto illum ab Anguillara descriptum folijs latioribus, aliquantulum pilosis, sed humiliorem, & locis humidioribus nascentem, & mollioribus.

Quantum. *Radix, succus, & folia* (inquit Diosc.) *per inferna trahunt aquas*. sic etiam Plinius. *detra-* *Quando.* *hit priuatim aquas, aluum soluit radice, vel folijs, vel succo in mulso, aut aqua mulsa, drachmis quatuor*. vnde minus aptus erit ad Vomitum *Quomodo.* excitandum. de his tamen loqui coactus fui, vt sciretur aliquando tamen, hos etiam omnes Tithymalos Vomitum posse excitare.

De Veratro albo. Cap. CXXXIX.
Sectio I. De Nomine.

Nomen. V*Eratrum album* à latinis dictum, Græcè ἐλλέβορος λευκὸς, idest *Helleborus*, & *Helleborum*, ac sine aspiratione *Elleborus*, & cum simplici l. *Eleborus* appellatur, nomenclaturæ ratione reddunt aliqui ab Helleboro fluuio prope Antyciram, vbi optimum reperiebatur. Alij à βορὸς ἑλεῖν, vt sit vorax, & cibum corpori arripiat. *Veratrum* autem Latini nuncupatum volunt, quod vertat mentem, & sic potius *Vertatrum* fuisset dicendum. multa etiã alia apud Dioscoridem reperiuntur huius nomina, quæ referre paucæ vtilitatis est. satis erit nouisse duas plantas eodem nomine, *Duplex.* esse insignitas coloris tantum addita differentia, scilicet *Veratrum album*, & *Veratrum nigrum*. seu *Helleborum album*, & *Helleborum nigrum*. quibus addetur tertio loco Thymum nigrũ, eo quod scripserit Aetius serm. 1. cap. de Thymo. *à nigro Thymo Helleboro appellato penitus cauendum, corruptoriam enim vim habet, & choleram generat*. per choleram intelligo mor- *Thymum nigrum.* bum, à quo facultas expultrix, sursum, & deorsum cum impetu mouetur. ac si quis medicamentum sumpsisset. & supra hoc nigrum Thymum enatum Epithymum ex Mesue. *generat æstuationem in corporibus Calidis*, & ex Plinio. *stomacho minus vtile, & vomitiones mouet*. Ergo Thymum nigrum, quia Ellebori vim habet, dictum fuit Elleborum.

Sed ne quid circa Ellebori nomenclaturas inuestigatione dignum relinquatur (docente Arist. ante rerum tractationem, prius de nomine statuendum) quæstio erit soluenda, quam mouit Guillandinus in sua Apo- *Goillandinus de Cõsiligine.* logia aduersus Matthiolum. qui asserit Consiliginem Plinij, Columellæ, & mulomedicorum esse, quem nos Helleborum candidum uocamus. collatis istorum uerbis. uerum enim uerò in hac solus remãsit opinione, contra quam erit paucis disceptandum. quia rationi consonum haud est, de eadem re Plinium sub diuerso nomine tractasse; Præterea, quæ de consiligine dicuntur, non possunt Helleboro albo optari: etenim scribit Plinius lib. 25. c. 8. *Nostra Ætas meminit* *Plinius.* *herbam in Marsis repertam, vocatur Consiligo. prodest deploratis in phthisi*, & lib. 26. c. 7. *Peculiariter autem pulmonibus, & quos ab his phthisis tentat, Radix herbæ consiliginis, quam nuper inuentam diximus, Suum quidem, & pecoris omnis remedium præsens est pulmonum vitio, vel traiecta tantum in auricula, bibi debet ex aqua, haberique in ore assidue sub lingua. Superficies eius herbæ an sit in aliquo vsu adhuc incertum est.* Quamuis autem album Helleborum ad eadem valeret, *Elleborum non est Cõsiligo.* ad quæ commendatur consiligo, non tamẽ inferri posset, eandem esse plantam, forma ipsa ignorata. At cum viribus manifeste differant diuersa omnino esse, concedendum erit. Quandoquidem Helleborus albus à nemine cõmendetur pro deploratis in phthisi flore assidue sub lingua habendus. Præterea licet Consiliginis radice in auricula traiecta vterentur illi, non ob id tamen omnia, quæ eodem modo auriculæ inijciuntur, dicentur Consiligines. namque radix Ellebori albi, Ellebori nigri. & radix Thymeleæ eodem modo adhibentur ad auriculas, ac adhibebatur Consiligo. Addamus quod Plinij etiam tempore Helleborum album in maximo erat vsu. de eo enim scripsit. *Quondam terribile, postea tam promiscuum, vt quidam sæpius sumptitauerint*. similiter etiam valde

notus erat Columellæ, Vegetio, & Absirto, At vero Consiligo herba recens inuēta cum fuerit, atque antea ignota, non poterat esse album elleborum, quod cuique erat notissimum,

Nomē Melampodij

Altera etiam occurrit non minor difficultas, an nomen Melampodion conueniat albo Helleboro, an veró nigro. Plinius. *Melampodis fama*, (inquit) *diuinationis artibus nota est, ab hoc appellatur vnum Hellebori genus Melampodion. Aliqui pastorem eodem nomine inuenisse tradunt, capras purgari pasto illo animaduertentem, datoq; lacte earum sanasse Proetidas furentes.* & hic iure merito dubitatur, quo Helleboro sanauerit Melampus Proetidas, & qualis Helleborus debeat appellari Melampodion. quia Plinius, Dioscorides, ac Theophrastus nigrum Helleborum Melampodiō dicunt. etenim Plinius loco nuper citato. *Nigrum*, inquit, *ex his Melampodion vocant, quo & domos suffiunt, purgantq; spargentes, & Pecora cum precatione solemni.* Dioscorides etiam *Helleborum nigrum*, ait, *appellatur Melampodion, quoniam Caprarum Pastor Melampus furentes insa Prœtidas primus purgasse, & sanasse fertur*, & hic conueniunt cum Theophrasto scribente. *Nigrum veró ab eo, qui comperit, & primo succidit Melampodium quidam appellant.* confirmatur hoc etiam ex nominibus apud Dioscoridem huic additis, dum *Proetion* dicitur a Proeti insanientibus filiabus sanatis,

Album est Melampodium.

Contrariam ego sententiam profiteor album nempe Helleborum dicendum esse Melampodion, quia albo Helleboro Melāpus sanauit Prœtidas furentes, sic Galenus, sic Hippocrates sensere, sic ratio demōstrat. Nam Galenus libello de Atrabile. c. 7. *Sed omnes vulgo*, inquit, *affectum quendam Melancholicum nominant, purgationeq; ALBI VERATRI curationem aggrediuntur. nemo enim inter Græcos altus, adeo rudis indoctusque est, quin legerit, vel audierit Præti filias furore percitas sic à Melampode purgatas curatasq;* ecce Galenus clarissimo scribit omnibus notum esse in Græcia Prœtidas fuisse à Melampode Helleboro albo sanatas, non autem nigro. idem docuit prius Hippocrates in Epist. ad Crateuam Herbarium. *Stabiliores autem*, inquiens, *semper sunt purgationes per Veratrum, quibus etiam Melampus in Præti filiabus, & Anticireus in Herculo vsi esse narrantur.* & per Vocem simplicē Veratri Hippocrates intellexit album, vt mox mox ostendam.

Galenus.

Hippocr.

Ratio 1.

Nec veritati consonum est Prętidas furentes à Melampode purgatas fuisse lacte caprarum, quæ Helleborum nigrum pascebantur. & euidens hoc est, quia pecudes, & capræ nigrum cauent, albo innoxiè vescuntur, & purgantur ipsæ, & lac purgans reddunt, quo lacte vsus fuit Melampus. adducam testem ipsum met Pliniū, ipsum Theophrastum. siquidem ille scripsit. *Nigro Equi, Boues, sues necantur, itaq; cauent id, cum candido vescantur.* & clarius Theophrastus primus huius sententiæ exarator. *Nigrum Equos, Boues, suesque necare affirmant, & id circo eum cauere, candido pecudes nimirum vesci, Itaq: hinc primo vim deprehensam, cum illo pecudes purgarentur tempestiuius Autumno, Vere autem intempestiuius.* Ergo si Pecudes, & Capræ non vescuntur Elleboro nigro, neq: possunt conficere lac purgans ob pastum elleborum nigrum: ergo neque Melampos potuit purgasse lacte capratum pastarum Elleboro nigro, illas furentes. ex quo sequitur, quod necessario Prçti filiæ a Melampode fuerint purgatę lacte caprarum pastarum Helleboro albo. vt autem concordemus istos Auctores diuersa scribentes, nihil aliud occurrit dicendum; nisi quod duo fuerint Melampodis nomine (vt etiam refert Plinius) quorum alter diuinationis arte notus, nigrum Elleborum cōperit, primusque succidit à quo Melampodij nomen niger Helleborus obtinuit, Alter veró Pastor fuit, qui Prœtidas lacte caprarū album Helleborum vescentium purgauit. à quo iste albus Helleborus fuit vocatus Melampodion.

Plinius.

Theophrastus.

Solutio difficultatis

Difficultas 3.

Tertia modo soluenda est difficultas, non per se quidem magna, sed ob aduersarios discrepantes, nempe an simplici nomine Hellebori prolato intelligatur album, vel nigrum. Ioannes Manelphus dum adolescentes eramus condiscipulus meus contra me, Prosperum Martianum, & veritatem ipsam, vt reor, edidit libellum de Helleboro, in quo probare conatur Hellebori nomine simpliciter prolato nigrum etiam intelligi,

Manelph⁹.

Responsio nostra.

Ego contra duabus à me editis Epistolis clare probare conatus sui vocem simplicem Hellebori, præcipue apud Hipp. conuenire Veratro albo, sed apud Arabes nigro, quia hoc vtebantur. primo auctoritate omnium scriptorum, Galeni quidem com. 1. Aphorismi sectionis 5, *Conuulsio ex Helleb, &c,* vbi ait. *His, qui Helleborum acceperunt, Album scilicet, hunc enim simpliciter Helleborum nominare consueuerunt, non sicuti nigrum, cum adiectione,* ita etiam Philotheus, Mercurialis eodem com, Benedictus Victorius Fauētinus. Christophorus à Vega. Iacobus Hollerius. Leonardus Fuchsius. Hieremias Triuerius. Hieronimus Cardanus. Antonius Musa Brasauolus, omnes super illum Aph. & Argenterius 4. aph, 23. ita etiam sentiunt Manardus, Siluius, & Costæus in Mesuem, Prosper Martianus, Fœsius, Ioan. de Santo Amando c. de Vomitu, Alex. Massaria de med, purg. Franc. Alexandri in Antid, Piacotomus in Antidot. Platearius in Antid. Nicolai. Ferdinandus Mena de purgat. c. 4. Petrus Salius 2, de Morb. com. 21 Duretus in Coacis pluries, Heurnius. Codrochius, & omnes alij Scriptores, quos enumerare superfluū.

Auctores nobiscum.

Auctores multi.

Ex ea dicendi modo Antiquorum Herodoti, Archigenis, Antylli, Oribasij, Aretæi,

Plauti

Plauti, Lucretij, Columellæ, & aliorum. Rationes plures afferri, quas hic transcribere ex illis duabus longis Epistolis non conuenit. Vnde ex alibi determinatis dicimus quādocumque apud Veteres Græcos, & latinos ponitur simplex nomen Hellebori intelligēdum album. fatemur etiam quia Arabes timuerunt album tamquam Venenum, & solo nigro vsi fuerunt, quandoque per ellebōrum intelligere visuale, ipsis, nempe nigrum.

Simpliciter Elleborum, est album.

Arabes Elleborū pro nigro.

De figura Veratri albi, Sectio II.

Descriptio Dioscorid.

QVo ad figuram audiēdus Dioscorides, cuius verba hæc sunt, *Helleborus albus folia habet similia Plantaginis, aut Betæ siluestris, breuiora autem, & nigriora, ac rubescentia, caulem verò palmi magnitudine* (non quadrantalem, vt vertit Ruellius) *παλαιστιαῖον, concauum, tunicis conuolutum, quas abdicat cum arescit, Radices subsunt multæ, tenues à paruo, & oblongo capite cæparū modo coaptatæ*. At Helleboros de facie ignotos Theophrasto, atq; Plinio fuisse, ex ipsorū scriptis elucescit. scripsit enim Theoph. 9. de Hist. plant. c. 11. *Helleborus verò niger, & candidus, veluti æquiuocè dici apparet; sed de facie varia sententia est, alij enim similes esse aiunt, præterquam quod radices colore inter se differunt: esse namque alterius candidam alterius nigram. Alij folium nigri Laureum, candidi porraceū reddunt, radices autem similes colore excepto, Qui similes dicunt, formam huiusmodi tradunt. Caulem modo prope Albuci; sed breuiorem, folia continuo radici annexa, sparsaque humi, radicem longe multiplicem, quæ scilicet pertenues constent, atq: vtiles sint*. hic igitur ex aliorum inter se diffidētium sententia Helleboros describit,

Theophrastus.

Plinius.

Quod idē fermè præstitit Plinius lib. 25. c. 5. *Prima duo sunt*, inquiens, *candidum, & nigrum. hoc radicibus tantum intelligi tradunt plerique. Alij folia nigri Platani similia; sed minora, nigrioraque, & pluribus diuisuris scissa. Albi Betæ incipientis. Hæc quoque nigriora, & canalium dorso rubescentia, Vtraq: caule palmi ferulaceo, bulborum tunicis conuoluto, radice fibrata ceparum modo*. Nos autem, qui album Helleborum sæpè vidimus orientem, vigentem, ac florentem in copiosissimo omnigenorum simplicium viridario Henrici Coruini Delphensis Belgæ pharmacopœi solertissimi, ac in simplicium cognitione peritissimi Romæ consito. cuius vicem modo gerunt Nepotes mei Eques Franciscus, & Doctor Io. Petrus in simplicium cognitione versatissimi, nec non ex Montibus sæpe decerpsimus, tandemque in Horto publico Messanensi à nobis constructo è Calabriæ montibus allatū Helleborum album alimus. integram, & legitimam descriptionem sic proponemus. *Helleborus albus* cespes est Herbaceus viui radix, quandoq: plures emittens caules, *folia* à radice exeunt magna, lata. Plantagini latifoliæ similia, subhirsuta, venosa, & liratim per longum striata, ac Gentianæ, & Centaurio minori non dissimilia, nisi quod maiora, secundum neruos magis retracta, veluti plicas habentia, humi sparsa, colore viridiori, atque obscuro, infernè candicantia, & canalium dorso rubescentia. substantia quidem non succosa; sed arida, & membranosa, & manducata leuissimo amaro *sapore*, & post tempus astringenti, *odore* pauco, & cum caulescere incipit, ex cauis foliorum pediculis *cauliculus* confingitur rotundus, albidus, folijs semper quidem à radice prodeuntibus; sed inter alarum pediculos porri modo. Denique à radice per easdem foliorum circumuestientium cauitates *caulis* rectus, ferulaceus, cauus, simplex, cubitalis, & quadratus prodit, tunicasq: foliaceas inarescens deinde abdicat: superiùs autem plures proferi spicas, velut racemos, inter quas minora, & longiora folia. *Flosculi* insunt plures racematim, non magni è senis angustis, striatis foliolis herbaceo colore candicantibus constati, cum suis intus staminibus, quorum singulis parui fructus veluti tres, aut quatuor angustæ Sesami siliquulæ succedunt, in quibus lata, & candicantia semuncula. *Radix* crassa, veluti exiguum caput albescens, à qua Cæparum modo, ac veluti ex vno bulbo radiculæ multæ, tenues, fibrosæ, & palmares, pallescenti corpore, acri sapore, paruo odore, atque radicibus propagatur. E terra autem erumpere Romæ obseruauimus kalendis Martij, multo ante in Horto Messanensi, posterius in Montibus. & Aestate floret.

Descriptio nostra.

Folia.

Sapor.

Cauliculus

Flos.

Radix.

Ortus.

Vnum tantum in Italia Hellebori genus reperiri censuit Matthiolus, at duplex oriri testes sunt Cæsalpinus, Dodoneus, & nos ipsi apud Coruinum spectauimus ex Vicinis Romanis montibus allatum,

Differētię.

Est igitur alterū albi Veratri genus, quod nouerunt Clusius, Dodoneus, Lobellius, Tabernamontanus, Gerardus, Eystatensis, cuius non pauca reperitur copia, flore purpureo nigricante, folijs verò latioribus, læuioribus, ac dilutius virentibus, non canalium dorso rubescentibus; sed folia insunt caulem summum amplectentia, angustiora in cæteris simile prorsus altero est. Vter sit validior, & quem velit Dioscorides, non satis mihi constat,

Duplex genus.

Flore purpureo.

Legitur in Dioscoridis græco textu simul cum Ruellij versione edito, vt supra etiam adnotauimus *καυλὸν δὲ παλαιστιαῖον*, quę verba à Ruellio interpretantur. *Caulem quadrantalem*. assentitur illi Matthiolus in suis commentarijs. Quadrantalis autem mensura est quatuor digitorum transuersorum, ita etiam legit Auicenna. *& longitudo cruris eius est vsq; ad iiij. digitos coniunctos in latitudine*. similiter Serapio. *habet stipitem longū mensura iiij. digitorum*

Difficultas

Her-

Hermolaus, & Marcellus vertunt. *Caules palmi altitudine*, & ita legunt Cæsalpinus, & alij, & etiam Plinius. sed cum duplex sit palmus, maior 12. digitorum, & minor 4. tantum. fortè hi de palmo minori intelliger, vnde inter se non dissidebunt, sed à veritate *Cōtra Veteres.* distabunt. quia obseruaui Helleborum album caules cubitales, atq; etiam altiores tulisse non modo in Hortis translatum: verum etiam sponte in montibus. vnde falsum erit, quod sit solum palmaris altitudinis. vt etiam aduertit Cæsalpinus.

Vbi Veratrum probatissimum Nascatur. Sec. III.

EX Diosc. *nascitur in Montibus, & Asperis*. & Cæsalp. in Alpibus præcipue in fenarijs cāpis, viuit, & in hortis, sed *Mōtanum præstātius* Montanum pro vsu eligendum, monitu Hip. in Epist. ad Crateuam. *Tu vero quod fieri potest, nobis* *Hippocr.* *mōtanas maxime, & in altis collibus nascentes herbas radicitus reseca. Sunt enim aquosioribus solidiores, & acriores propter terræ densitatem, & aeris* *Dioscorid.* *tenuitatem*. quod etiam Diosc. in præf. suorum librorum confirmat his verbis. *Si loca in quibus prodeunt simplicia, cliuosa, & ventis exposita sint, & perflata, frigidaq; & aquis carentia, in his locis vires eorū longe validiores intelligūtur:* cur autem in Montibus nata viribus sint va- *Auerroes* lidiora talem affert Auer. causam 5. coll. 30. *Et terra nascentia perfecta sunt illa, quæ nascentur in Montibus; quia apparet ab eminentia Montium, vt debeant generare plura terra nascentia, quam alia loca dummodo sint temperata cum bona euaporatione, & cum bona mixtione caloris cum humiditate, & debet esse hoc in eis, quia habent ascensum in aere, & sunt propinquiores influentiæ corporum superiorum*. scribit ergo Auer. inter causas ob quas montanæ plantæ sunt validiores ponendam eorum propinquitatem Cælo, à quo virtutes recipiunt. quod confirmatur à *Mesue.* Mes. qui ita refert. *Ad hæc terra, & per hanc plantis virtutem magnam impertit, & variam non sol tantum, sed aliorum quoque corporum cælestium aspectus huic locum, & illum aliter atque aliter afficiens*. Sed huius rei duas Causas attulere *Theoph.* Theoph. 9. de Hist. plant. in fine. Pl. lib. 27. *Plinius.* c. 13. Hip. ac Dios. locis nuper citatis. Nimirum Terram, & Aerem. laudant Montes, vt pote loca sicciora, & minus aquosa campestrib. cui addi potest. Montanam terram esse densiorem, & puram, ac ob aeris frigiditatem minus putrescibilem, nec fimo, alijsque fœditatibus inquinatam, etenim ex *Hippocr.* Hipp. in fine lib. de aq. aere, & loc. *Omnia, quæ è terra proueniunt terræ ipsius naturā resipiunt, & sequuntur*. laudant etiam Montes ob aerem tenuiorem, aquilonijs, frigidisque Ventis perflatum, sicciorem que, quo plantarum partes densiores deueniunt, conclusoque intus insito calore, nec facile resoluto; sed potius aucto, validiores experimur.

Et quia non in quauis Regione Natum *Regio.* Elleborum putarunt Antiqui, eandem habere vim; sed alibi experti sunt validiorem, & periculosiorem, alibi verò tutiorem. ideo Regio ex qua collectum fuerit, nobis quoque cōsideranda erit, cum etiam id moneat Hipp. 2. de Dięta. *Non igitur,* (inquit) *solum* *Hippocr.* *ipsius cibi, & potus, & Animalium ipsorum vim nosse oportet, sed etiam patria vnde sunt*. ob Regiones autem diuersitatum causa non nisi in Solis aspectus, ac Accessus, & Recessus reduci potest. Reperitur autem Elleb. Albus non in Græcia tantum, & Italia, calidioribusque regionib. sed & in Germania, & Heluetiorum Montib. in Tridentinis ex Matt. in Sicilia etiam apud Aetnam Montem, & ferrariæ referente Bras. in Alpib. Cęsalp. & plurimis alijs latij, Aetruriæ, Aequicolarumque montib. testabimur nos, sicut in Arabia Auic. Sed quod de Græciæ Veratro obseruauerint Antiqui perpendamus, quod priscis in vsu erat vbique per orbem transmissum Diosc. cap. proprio. *Primatum* *Dioscor.* *Cyrenaicum tenet, Galaticum autem, & Cappadocicum candidiora, & puluere quodam obsita celerius strangulatus mouent*. At Græcia quidem in Europa continetur, Cirene verò in Africa est multum à Græcia distans. Galatia autem, & Cappadocia in Asia sunt, à longe igitur, secundum Dios. Græci elleborum petebant. Theoph. autem propius colligi scrip- *Theoph.* sit de Hist. pl. lib. 9. c. 11. *Verum Oetæ montis incolæ propè Pileam Autumno legunt, plurimus enim optimusque eo prouenit loco. Non tamen vbique, sed parte vna tantummodo, quam Piram vocāt*. & paulo post subdit. *At Candidus locis paucissimis exit, Optimi vero, & vsitatissimi quatuor sunt, Oeteus, Ponticus, Eleaticus, Massalioticus, nasci Eleaticum inter vites aiunt, & vinum vsque adeo reddere prouocans vrinam, vt omnes, qui bibunt graciles admodum ventre adducto efficiantur. Omnibus tam eorum, quam reliquorum optimus est Oeteus, Parnasius vero, & Aetolieus eo quoque in loco proueniunt; & quidem multi & emunt, & vendunt ignari duritatis summæque difficultatis eorum*. ferè eadem Pl. lib. 25. c. 5. *Candidum,* *Plinius.* (inquit) *probatur Oeteum, secundum Ponticum, tertio loco Eleaticum, quod in vitibus nasci ferunt, quarto Parnasium, quod adulteratur Aetolico ex vicino*. hi sunt loci, vbi meliorem elleborum nasci censebant nostri Veteres; si Causam *Theophr.* Quæras audi Theoph. 6. de cau. pl. 20. *Elleborum nascens in Oeta Monte melius Parnasico est, validius enim esse illud putatur, minusque aptum Medicamini. Causa quam ob rem validum ita sit similis, atque in fructibus, aeris enim duritia, nutrimentique largitate grauitus in eo quoque gustu sicut in Boetia prouenit*. Colligitur autem, Parnassium esse validius Oeteo, ideo minus aptum Medicamini. Eligebant igitur Veteres Elleborum, non quod validius ad purgandum

erat,

erat, ſed infirmius, quale Oeteum, & fortaſſe omnium imbecillius, ideò minus corpora vexabat. ſic de Hiſt. lib. 9. c. 11. Parnaſſium, & Aetolicum minus approbat ob duritatem (vt ſcribit) & ſummam difficultatem eorum; enarrant enim nimis valida: nec diuerſa cauſa putamus Dioſc. magis laudaſſe Cyrenaicum, niſi, vt debilius attrahens, Galaticum verò, & Cappadocicum minus commendauit, vt pote, vehementiora in purgando, adeò vt celerrime ob craſſorum humorum attractionis violentiam videantur ſtrangulare velle. cur autem Parnaſſium fortius Oeteo, referri poteſt (vt diximus) in Solis aſpectus. Theoph. loco cit. tribuit aeris duritiei, nutrimentiq; largitati. cum præſcripta loca conſiderare voluerimus Oeta Mons in Attica regione eſt inter Theſſaliam, & Macedoniam, & quamuis plurimus ibi naſceretur, optimus tamen in vno eius loco circa Pyram inueniebatur, Theoph. autem ſcripſit in eo monte non vbique reperiri, ſed parte vna tantummodo, quam Piram vocant. Ponticus Elleborus afferebatur ex Ponto prouincia Aſiæ minoris, validior (vt puto) Oeteo. Eleaticus autem, Pontico etiam vehementior ab Elea inſula, quæ a Ponto non multum diſtat, apportabatur; Maſſalioticũ elleborum vbi ſuccideret, non conſtat; an in Meſſala Arabiæ Vrbe, an verò prope Maſſiliam Galliæ Narbonenſis vrbem, nunc dictæ Prouenza, vbi ex Pl. Maſſalioticum tertium Rodani

Galenus, oſtium. Gal. de ſimp. ad Pater. *optimum Creticum, Gallicum multo eſt inertius.* Parnaſius autem Elleb. & Aetolicus, vt pote cæteris vehementiora, à Theophr. vituperantur. Aetolicum tamen peius innuere videtur. Plin. ſcribens. Aetolico ex Vicino Parnaſſium adulterari. Mons hic Poetis ita decantatus apud Locros eſt, qui ſunt Aetolis proximi Mons magnus duas habens ſummitates: naſci etiam Elleb. in Arcadia ſcripſit Theoph. 9. de hiſt. pl. 15. hæc ſatis. ſed antequam huic capiti finem imponamus, cum Theoph. loc. cit. dicendum, non mirum ſi in aliquo tractu ob nutrimenti largitatem, & aeris duritiam grauiora naſcantur, ſ. planta non recte concoquente totum attractum nutrimentum, nimia quantitate, veluti obruta, cui accedit aeris craſſities, qui ſua tenuitate illi opitulari nequeat. melius eſt igitur modicum alimentum, Solum apertius, & aer frigidior, quod totum perbelle (vt ſolet)

Theophr, docuit Theoph. *ſunt* (ſcribens) *loca, quæ nè excoquere quidem vllo modo vires medicas valeant, quippe multis in locis, & niger Elleborus, & aliæ radices hebetes: imbecilleſq; comperiuntur; vnde credi haud temere poſſit, aere frigido, & ſolo aperto: atq; etiam alimento modico opus eſſe.* ſicut igitur ob nimium Alimentum quandoq; nimis valida, & moleſta ſunt; ita etiam quandoque nimis imbecillia, & hebetia reperiuntur medicamenta, cum, ſ. nullo modo aquoſum nutrimentum excoquere poſſint, vt potè multum vires excedens. Atque de Elleboris antiquis vſitatis ſatis. Ad noſtrarum Regionum Elleborum Conſiderandum accedamus, quo vti nobis opus eſt. Hunc in Italiæ Montibus multis reperiri diximus in magna copia, quem putamus non valde inferiorem Oeteo, & Antiquorum Optimo, Italia enim ferax eſt plurimorũ Medicamẽtorũ optimorum. etiam Theop. ipſo teſte 9. de *Theophr.*
cau. 15. ſcribente. *Tractus Medicamentorum fertiles potiſſimo tradunt extra Græciam Hetruriam, & Latinum agrum, quà Circen habitaſſe affirmant,* cuilibet licet, Patriam laudare ſuam, ideo condonemus Græcis, Græcas extollere radices, Italas laudabimus nos, Braſauola etenim ſcribit, ſe Italum non ſpernere Elleborum. Matt. Tridentinum ob cæli temperiẽ commendat. ſed experientia conſulenda. ideo ſubdit Braſau. *ferrariæ in pluribus hortis,* *Braſauola*
vtrumque veratrum habetur, non tamen ita efficax, ſicut alibi: tamen vehementiſſime etiam ſoluit ferrarienſe, vt experientia docuit. nos imbecilliore, ſi inuenerimus, contenti erimus, dummodo Vomitiones exciret, doſis autem erit varianda: Et quidem cum in vna Regione potentior, in altera imbecillior oriatur. Meſuem, Arabeſque album elleborum formidaſſe putat Amatus, quia in Arabum regionib. vehementiſſimus, ac moleſtiſſimus oritetur.

Quando Colligendum Veratrum.
Sec. IV.

AGemns de tempore colligendi Veratri radices, cum neceſſarium eſſe doceant Auctores, tempora obſeruare, quibus plantę colliguntur. ſic ſcribit Meſ. *Ad medicamenti* *Meſue.*
quoq; delectum recte iudicandum, & bonum ſit, an malum expendendum, tempus iuuat, tum quo medicamenta ſunt præcipue colligenda, vel non colligenda: tum quanto virtus medicamentorum durare
poteſt. expreſſe etiam ſic iubet Dioſ. in præf. *Dioſcorid.*
ſuorum librorum. *Verum in primis curam impendere oportet, vt ſuis temporibus ſingula, & demetantur, & recondantur. Certè pro horum ratione medicamenta aut valent virib. aut euanida, nulloq; munere fungentur.* & paulo poſt ſubdit. *plerumque degenerant, & minus viribus valent, ſi non ſuo tempore, nec opportune colligantur, aut ſi per imbecillitatem contabuerint.* At variæ ſunt ſcribentium opiniones de Tempore colligendarum radicum, quarum ſingulas perpendemus. Alij enim Vere, alij Aeſtate, alij Autumno, alij Hyeme, radices colligendas ſenſere, alij verò defluentibus folijs, ſicut contra alij germinantibus plantis.

Vere colligẽdas radices.
Vere, qui colligendas autumant, ea videntur dici ratione, quia Vere plantæ ſuccoſio-

cosiores, maiorisque efficaciæ perhibentur. vnde Theoph. 9. de hist. P. 15. & post ipsum Pl. lib. 25. c. 8. *tradunt Archades (inquit) non medicaminibus uti, sed lacte circa Ver. quoniam tum maxime succis herbæ turgeant, medicenturque vbera pascuis*. sic Vere, & Maio colligendas volunt herbas. sic Nicolaus in Antid. Theodoreto cortices rad. fęniculi Maio iubet colligi, vt quæ ante hoc tempus humidæ sint, & post hoc siccæ. sic in Vomitorio Nicolai, Thapsiæ rad. collectæ mense Maij, & in Vng. laxatiuo colligit Maio succum rad. Ciclaminis, Ebuli, Pollipodij, & Cucumeris agrestis, similiter Pl. lib. 19. c. 5. Ari ægyptij effodiuntur bulbi ante Ver, aut illico deterius fiunt. Mes. etiam in fine Veris colligit rad. cucumeris agrestis. concludunt autem ideò Vere colligendas radices, quia tunc, nec nimis humidæ, vt hyeme, nec nimis aridæ, vt Aestate sunt.

Theophr. *Nicolaus.* *Plinius.* *Mesue.*

Hæc Opinantes, si asserunt Verè aliquas radices esse demetendas, assentimur, præcipue ad succum eliciendum. si omnes; sic obstabimus, quia & si tali tempore ferè omnes radices, succosiores sint, quā alio quouis anni tempore. hoc tamen nocet, cum talis succus, quia est abundantior, ac superfluus ferè, sit aquosius, non concoctus, nec à Nat. superatus, quo fit, vt radices Verè eo repletæ propria virtute, minus præditæ reperiantur. euidentissimum huius signum nobis erit, quia tales radices valde succosæ, cum siccantur rugis, & crispis afficiuntur: quas ita redditas deiecit Gal. 1. de Antid. 15. in Theriaca, scribens. *Radices, quæ in v um veniunt, extento cortice sint oportet, non rugolo, hoc enim earum maciem significat*. præterea ob succi vbertatem facile putrescunt, & corrumpuntur. nec lōgo asseruari tempore possunt. Theoph. autem dixit, herbas Verè turgere succo, non radices.

Refellitur dicta opinio. *Galenus.*

Aestate, qui radices colligi iubent, talia ratiocinantur. hoc tempore sunt in vigore, nec nimis succo crudo sunt repletæ, nec proprio nimis vacuæ. & exhaustæ, sed in medocritate positæ erunt optimæ iudicandæ. quā ducti ratione, credibile est æstate radices fodisse plurimos, inter quos. Theoph. 9. de hist. P. c. 2. Panacis radicem secat per messem tritici. Pl. etiam lib. 24. c. 16. Dracunculum Hordeo maturescente effodit. & lib. 25. c. 8. effodere Aristolochias messib. tempestiuum scribit. lib. etiam 21. c. 21. Anchusam, testatur, radice messib. sanguinea esse, cetero nigra, vires habere messibus. Decretum est autem Diosc. Enulæ fodi æstate radicem. addam Critonem Medicum præclarum Scillas Messis tempore, quo præcipue vigent, euellendas iussisse, vt refert fideliter Gal. de Vlti Ther. ad Pamph. circa finem. & primo de Antid. 18. vbi etiā explicat, Messem ipsum appellasse illud æstatis spacium, quo triticum rustici Metūt.

Æstate colligēdas *Theoph.* *Plinius.* *Dioscorid.* *Crito.* *Galenus.*

Nos concedentes quidem aliquas radiculas æstate carpendas, plerasq; tamen vetamus hoc tempore colligi. nec pauci momenti ratio ad id nos compellit. æstate enim pleręque caulem produxere, & vel mox defloruere, vel iam florida spectantur, at hoc tempore radices validæ esse non possunt, sed imbecilles eneruatæ, & defessæ, deposita omni vi, ac humore in caulem ascenso.

Refellitur dicta opinio.

Autumno autem plurimi colligendas radices voluere. inter quos Saladinus, sic sententiam suam tuetur. radices in Autumno sunt colligendæ, quia tunc folia, & semina ceciderunt, vel sunt exiccata, & tunc tota virtus herbarum est reposita in radicib. constat etiam id fieri rectè exemplo probatorum virorum. nam Theoph. lib. 9. de hist. p. 22. radicē viris illustris succidi, retulit, omni tēpore, sed præcipue autumno. similiter radicem filicis autumno succidi tēpestiue, aliorum relatu scribit. nec desunt testimonia Pl. qui lib. 22. c. 22. Asphodeli bulbos autumno colligi cum plurimum valent, scriptum reliquit lib. 25. c. 9. Peucedanum fodit Autumno lib. 26. c. 8. Astragali radicem colligit exitu Autumni. similiter Aetiopis radices. lib. 27. c. 4. recentiorum autem plurimi eadem affirmant.

Collectio Autūnalis *Saladinus* *Theophr.* *Plinius.*

Mihi hæc dictio vniuersaliter prolata, non satisfacit. quia Autūno terra defessa est, sicca, & absque humore aliquo veluti senecta, & imbecillis, quamobrem eò temporis multæ plantæ alimenti defectu folia amittunt, & non solum debitum alimentum caulibus, & folijs suppeditare nequeunt, sed proprio etiam indigent alimento, habendæ igitur sunt Autumno, & exaustæ, inanitæ, resolutæ, & paucarum virium. quæ autem tunc temporis esse auctorum decreto, colligendæ videntur, id peculiari facultate datum dicimus. non Autumnali.

Vniuersalia nō probantur.

Hyemali tempore collectas radices non defuere, qui plurib. rationibus decorarent. nam cum radicum situs, & in terra, & subterra sit, tunc validiores sunt censendæ, quū terra ipsa potentior, sed hoc ipsum accidit Hyberno tempore, tunc ergo sunt colligendæ. patet autem hyeme terram esse validiorem, ob aquarum abundantiam condecens plantarum Alimentum: at quod magis est, hyeme terra calidior est, quam quouis alio tempore, vt etiam docet Hip. de Nat. pueri. quare aptiores redduntur radices, & ad attrahendum succum calore rarefaciente, & ad eundem concoquendum calore non deficiente. sic enim etiam in hominib. Hip. docente, Ventres Hyeme calidiores, & validiores ad cibum conficiendum. & certum est, quodlibet, quò plus caloris possidet, eo validius, & præstantius esse, cum virtus omnis, & vis à calore Nat. prodeat. Accedit etiam tunc validiores esse radices cum generatiue partes sib. similes, debiliores, cum

Collectio Hyemalis *Hippocr.* *Probatur.*

cum partes dissimiles procreant, quod apud philosophos manifestum est; nam omne agens, & simile gignere, & dissimile passum assimilare intendit, quod si quando aliud quid dissimile producat, per Acidens euenit frustato agentis fine. hiberno autem tempore cuique in Hortis parum versato satis constat, gigni radices, augeri, & multiplicari, adeo, vt, & ligna, & pali, & surculi terra obruti copiosas emittant radices, quod alio quouis anni tempore non ita accidit. vsq; constat ediles radices hyeme vigere, rapas nimirum, raphanos, carduos, pastinacas, careotas dictas, & Hipposelinum. appiumque. autores etiam extant, hyeme afferentes colligi aliquot radices. Salad. enim, *Saladinus* & Caleft. Decembri, & Ianuario colligunt Eringij & Peoniæ radices.

Refellitur Neque hæc opinio mihi probatur, cum vniuersalis non sit. concedam autem hyeme radices abundare calore naturali, quo attrahunt alimentum, retinent, & concoquunt, vnde augentur, & multæ de nouo producuntur: sic etiam concedam terram humore, & calore copiosam esse, res ambas quidem necessarias ad generationem, restaurationem, & permanentiam plantarum. verum obijciam radices tunc recenti, aquoso, & non bene concocto succo ob multitudinem, & celeritatem, repletas, virtute Medica minus pollere. & quamuis terra ob abundantiam humoris, & caloris apta sit ad simplicem radicum nutritionem, tamen quia calor cæleftis ille est, qui his inferioribus vires impertitur, quique generationis prima causa est, vnde Arist. Sol, & homo generant hominem. hiberno tempore hic ob solis distantiam, & radiorum solarium imbecillitatem radicib. medicas vires influere non poterit. essent etiam alia opponenda, sed hoc loco satis. certum autem ex his sit in colligendis rad. non attendendum anni temporib. sed alia regula vtendum.

Collectio decidentibus foliis Defluentib. autem folijs potior auctorum pars radices colligendas assentitur. Diosc. enim expresse initio suorum libr. ita iubet. *Radices, & liquamenta, & Cortices, vt recondantur [eximere conuenit, cum herba suis folijs exuuntur*, confirmat id Auic. lib. 2. cap. 5. Salad. Caleft. cæteriq; & Pl. etiam lib. 26. c. 8. loquens de Astragalo cum folia amiserit colligi.

Contra. Sed contra hoc est, quia cum radices produxerunt folia, caules, flores, ac fructus, relinquuntur debiles, inanitæ, exuccatæ, lignosæ, & prorsus inualidæ, similesque mulieri, & animali, quod paulo ante pepererit. immo plurimæ radices postquam attulerunt fructus, & semina, vt pote consumpto cum alimento etiã calore vitali, statim inarescunt, & emoriuntur, vel si superuiuunt, tunc remanent duræ, ligneæ, rugosæ, & siccæ, absque odore, & sapore, vnde penitus iudicandæ inutiles, & ineptæ. quod experiri licebit in esui aptis radicib. Apio, pastinaca, rapis, & Napis, cicorio, raphano, rapunculis, & radicula, &c. quæ statim atque caulem produxere esui apta non amplius sunt. docuitque Theoph. lib. 9. de hist. c. 14. *Radicem autem vnãquamq; fore deteriorem, si fructum perfici crassescereq; permiseris, manifestum est* *Theophr.*

Collectio in germinatione. Germinantibus autem folijs alij conantur eruere radices, tunc enim tempor's aspectu pulchriores, solidioresq; ac vegetiores spectantur. nec non succosiores, & calore intrinseco fortiores, à quo incitatæ, turgidę generationem quærunt, semenque productionem, vigentique ætati, & ferè pubertati assimilantur. & sicut Animalia non nisi valida generationi sunt apta, sic etiam plantæ cum erunt generationi aptæ, tunc validas esse concedendum. Exemplis confirmat Pl. *Plinius.* lib. 21. c. 19. Asarum effodiens cum folia emittit. & lib. 23. c. 1. Vitem albam colligit ante maturitatem seminis. Melichius etiam *Melichius* Aromatarius radices excauat, vel amissis folijs, vel germinantib. quod si verum fateri velimus, quæ communiter à Rhizotomis fodiuntur radices, quæque in quotidiano sunt pharmacopeis vsu, non alio tempore nisi germinantes fodiuntur, nec aliter rè vera fieri potest, nam in montib. & desertis locis, vbi colliguntur, & effodiuntur radices si germinauerint, et folia apparuerint, facile cognoscentur, & euelli poterunt; sed si sub terra manserint, nec vllum apparuerit vestigium, Delio excauatore opus erit. sæpe enim sine folijs, & caulib. remanent, vel depascētib. animalib. vel Vento euellente, vel tempore, & pluuijs corrumpentibus; experientia etiam in hortensib. radicib. facile apparet. rapæ enim germinantes, radiculæ, Raphani, pastinacæ, &c. eduntur; cum caulescunt, vel semina produxerint, vel etiam deperditis folijs apta esui non sunt.

Difficultas Quamuis autem hæc mihi opinio valde probetur, aliqua etiam adest difficultas; nam plurima germinãtia ad vsus inepta feruntur; inter quæ præcipue sunt bulbacea. cuilibet enim constat, (vt domestica, & nota exempla non deseram) cæpas domi asseruatas, allia, ascalonias, &c. ex se germinantia Vere, & folia producentia, à plebe in cibum non admitti. illa autem quæ germinantia vsui ueniunt, hoc patiuntur difficultatis. quod eficcata, rugosa, & contracta præter modũ fiunt asseruataque non diutius perdurant.

Conclusio. Quid ergo in tanta uarietate sentiendum? dicam, quia non vnicum est plantarum omnium germinationis, & uigoris Tempus, nec omnium Vnica Natura, ideò nec unicum plantarum colligendarum erit præscribendũ tempus, sed pro Nat. cuiusque, docente Theoph. 9. de hist. P. 2. *Et qui radices, & qui succos legunt, omnes tempus suum cuiq; obseruant.* *Theophr.* sicut etiam cuiusque flores non quolibet

tempore decerpere licet, eadem ratione, nec radicem excauare conueniet. sed de multis quidem radicib. obseruatum est tempus, quo vigentes sunt colligendæ, vt in exemplis ostendimus, & in hoc absque regula alia scriptorib. est obsequendum. de quibas autem non est tempus certum ab auctoribus statutum, & obseruatum, & si non sit huius loci statuere, tamen breuiter sententiam meã propalabo. vt colligantur.

Verũ tempus colligendi.

non statim amissis folijs. nam exuccatę sunt, non caulescentes; nam totum proprium alimentum etiam ascendit. & potius iam productis folijs, quam mox mox germinaturis, nam hæc nimio aquoso, & superfluo humore turgent; productis autem folijs, quia superfluo humore exinanitæ sunt, nec proprio destitutæ probantur mihi in Medicina, vt colligantur. & recondantur. probantur etiam magis; si colligantur medio tempore inter seminum productionem, foliorumque amissionem, & nouam germinationem; quia tũc temporis cum multum quieuerint à productione fructus, deperditas vires, & alimenta receperunt: nec dum superfluum coacemarunt succum; sed hoc tempore difficulter in montib: agnoscemus radices, facilius cum germinauerint.

Tẽpus colligẽdi Veratrum.

His in Vniuersum præpositis Tempus aptum ad colligendas Veratri radices definiendum. quamuis superfluum hoc dicet aliquis nimis festinans, cum in nostra potestate id non sit; sed Rizotomi, & Herbarij commodo: nec tam curiosi sunt nostri pharmacopęi, vt quærant, quo tempore sint effossæ radices, quas emunt. nos autem, qui scribimus veritatis amatorib. & diligentiorib. Medicis, quibus cara est ægrorum salus, hæc etiam diligenter annectemus, vt qui recte vti voluerit Elleboro, antiquorum exemplo, illo debito tempore collecto vti possit, euuellendumque curet, nec abutatur priscorum diligentia in hoc nobis tradendo. Et

Theophr.

quidem Theoph. 9. de hist. P. 11. *Atque hinc primo vim deprehensam, cum illo pecudes purgarentur tempestiuius Autumno, Vere autem intempestiuius. Verum Oetæ Montis incola prope Pileam eo tempore legunt.* Autumno s. colligi asserit. quem Theoph. locum non ita legisse,

Plin. Dioscorides.

videtur Pl. nam eadem Verba enarrans lib. 25. c. 5. scribit. *Tempestiuum esse tradunt Messib.* Diosc. etiam scripsit. *Radices messib. colligenda.* Auic. etiam tempore Messis colligi asserit. hi igitur Aestate effodiunt, non Autumno, citius etiam Mes. qui asserit melius tempus collectionis esse Ver, & Aestatem,

Mesue.

sed fortè Mes. de nigro loquitur. Autumno autem album legendum cum Theoph. scribit Platearius in Nicolaum. Saladinus au-

Saladinus

tem mense Septembri inter hos autem est aperta contradictio. alicui videri potest in

Controuersia.

Theoph. esse mendum; nam, vt dixi, Pl. hunc locum aliter interpretatur: tamen Autumno legendum videtur: nam huius collectionis etiam rationem affert Theoph. s. eo tempestiuius purgari Autumno, intempestiuius Vere, quare Autumno maiores habet vires, & tunc est colligendus; At in Diosc. textu errorem esse putat Cesalp. vt quod conueniebat nigro, de albo dicatur, & rectius Autumno collegisse Th. censet: vt autem litem hanc dirimamus, sciendum Elleborum album Vere germinare, Aestate, & Messib.

Solutio.

caulem, flores, & semina producere, Autumno folia amittere, & Hyeme quiescere. vt nos sæpe obseruauimus, quæ si vera sunt, nec vere, nec æstate erunt hæ radices colligendæ, vt pote iam foliatæ, & semine prægnantes, esserq: contra Dios. ipsius statuta, qui scripserat, radices, vt recondantur eximere conueniens esse cum herbæ suis folijs exutæ erunt. at Messib. quia est cum flore, est peius colligendi tempus; vnde miror Dodoneum scripsisse, florere Aestate, & Messib. aut sub autumnum legendas radices. nam videtur velle legendas dum florent. Verum ergo, & legitimum tempus has radices seligendi erit Autumnus, cum iam per multos dies defloruerint, foliaque amiserint, & iam radix ab emisso æstate partu defessa vires nouo nutrimento reassumpserit. verum quia hoc tempore Ellebori nulla vestigia apparere solent, nostri Herbarij, & Radicisecæ, Vere colligunt apparentib. iam folijs, & ita venales afferunt. his igitur vtemur cauendo, nè ita tarde eas adeant, ut caulem iam produxerint, hoc tamen aduertendum in hortis, initio Veris, & mensis Martij (vt spectaui apud Cominum meum) germinare. in Montib. verò, ob aeris frigiditatem in fine Veris; ita ut quandoque Messib. non dum caulem produxerit. & tunc etiam colligi possit.

Theophr. dubitatio.

Sed alia emergit contra Theoph. dubitatio. qui scribit. *Candido pecudes vescantur: Atq: hinc primo vim deprehensam, cum illo pecudes purgarentur, tempestiuius autumno, vere autem intempestiuius.* dubitatio (inquam) est, quia Autumno pasci pecudes Elleboro apud me incredibile est, non enim Autumno folia habet, sed ante finem æstatis ea amisit, radicib. vesci pecudes est ridiculum. falsa igitur relata fuere Theoph. de hac pastione pecudum, sicut & alia de ellebori vtriusque forma, vel legendus textus, vt Cesalp. *hinc primo vim deprehensam, cum illo pecudes purgarentur, tempestiua collectio in Autumno, in Vere intempestiua.* vt dicat pecudes purgari esu ellebori,

Cesalpini correctio textus.

nec tempus determinet, quo tempestiuius purgabantur, deinde probet magis ellebori collectionem Autumno, quem Vere, & si hæc magis probanda, quam æstate.

Dies collectionis.

Id etiã addã, vt (si fieri possit) dies colligendarum harum radicum obseruetur. cum scribat Diosc. de colligendis stirpib. *Serena Cœli constitutione demetenda sunt, magni siquidem*

refert

refert inter colligendum, si vel squallores, vel imbres infesti sint. nec dicam qua diei hora sint colligendæ, nè motosior videar, satis sit innuisse, hanc etiam diligentiam plerosque adhibuisse, vt refert Theoph. de hist. p. lib. 9. c. 9. *alias noctu accipere iubent, alias interdiu non nullas priusquam Sol irradiet.* & Colum. de re rust. lib. 6. c. 5. *Consiligo effoditur ante Solis ortum, sic n. lecta maiorem vim creditur habere.*

Et pro Colosone huius capitis addam, an in Veratro colligendo Sydera sint obseruanda, & multi esse negotij dico, nec in hoc immitandus nobis erit Turneisser, qui pro plantis quibusdam colligendis, expectata constellatione figuram Astronomicam coaceruat. Astrologis igitur permittatur, nec Arnaldi immitatione signa Zodiaci adaptāda. satis erit Lunæ configurationes obseruare: Antiquiorum exemplo. vnde Pl. lib. 18. c. 32. *omnia, quæ ceduntur, carpuntur, conduntur, innocentius decrescente luna, quam crescente fiunt.* similiter magnus Cato. c. 37. *Materiam, quam effodies, aut præcides, ab terra diebus septem proximis, quib. Luna plena fuerit optime eximetur.* conandum igitur erit vt Veratri radices effodiantur decrescente luna, dieque sereno. & hoc conuslerit etiam. vt diutius asseruentur. Porro Marcellus Empiricus affert Epistolam quandam nomine Hipp. sed Dioclis potius est, vbi scribit. *herbas, vt crescentibus numeris Lunæ obserues, dum tollis, & componis curato. Si ita non feceris, & ad diminutionē lunæ sustuleris, minus valebūt. ipsum etiā Mare per lunam augeri, & minui scimus, cerebra etiam hominum augentur crescente luna, cum autem minuitur Luna, vna quæque res diminutionem sentit, quod licet recognoscas ex his, quibus quotidie vteris, &c.*

Obseruatio Syderum. *Luna.*

Demum de modo Colligendi hæc pauca reliquit Pl. Nec album facile colligitur. Caput aggrauans, maximè, nisi præsumatur Allium, & subinde vinum sorbeatur, celeriterque fodiatur: sed ante hunc. The. ita exarauit lib. 9. c. 9. Sunt enim, quæ vires nocuas sortirentur, quemadmodum, & Veratrum. mox caput aggrauat, nec diu effodere illud possunt. Qua de causa priusquam fodere adorsi sint, allia commedere, & Vinum subinde sorbere consueuerunt. hæc Diosc. de nigro dixit.

Plinius. *Theophr.*

De Electione, Conseruatione, & Duratione Veratri, Sec. V.

QVoniam semper attendēdnm, vt pro medicamentis optima semper eligātur simplicia & quia in Venalib. radicib. non constat, an optimo, & conuenienti tempore sint collectæ; ideò docent Autores, notas quasdam proprias optimarum Veratri radicum. Dioscorid. quidem hæc habet. ἄριστος δέ ἐστιν αὐτοῦ, ὁ μετρίως τεταμένος καὶ λευκὸς, καὶ εὔθραυστος καὶ σαρκώδης, οὐκ ἄποξυς δὲ καὶ σχοινώδης ἢ χνοῦν ἀφιεὶς ἐν τῷ θραύεσθαι, ἔχων δὲ καὶ τὴν ἐντεριώνην λεπτὴν, οὐ πυρῶν τὴν γεῦσιν, οὐ λίαν, οὐδὲ ἀθρόως σίαλον ἐπισπώμενος, πνιγώδης γὰρ ὁ τοιοῦτος. quod est. *Optimum habetur modice extensum*, (non rigidum vt vertit Herm.) *& album, & fragile, & carnosum. Non autem exacutum, & iunceum, puluerem emittens in frangendo, tenuem habens medullam, gustu non admodum feruens, nec aceruatim saliuam ciens, huiusmodi enim suffocatiuus est.* Auic. autem. *Eligitur,* inquit, *planam habens superficiem cum æqualitate, albus, velociter frangibilis, plurima habens grana minuta* forte intelligit plurimum habens puluerem. *non mordicans linguam statim vehementer, & attrahit saliuam, Qui autem vehementer mordicat statim, est præfocatiuus.* Serapio autem ex Aben Mes. ita transtulit. *eligendus longus, pinguis, cito frangibilis, & non grossus, sed subtilis, & quando frangitur apparet intra ipsum simile tela araneæ, habens odorem bonum.* Ex horum dictis, vt optimum Elleborum probemus. quinque considcranda erunt Color, Odor, Sapor, effectus, & substantia. *Colore* quidem candidum prætulit Diosc. nam nigrefactas radices, male fuisse collectas, nel reconditas, & semi corruptas contendunt, nec tamen nimium albæ esse debent (sed potius sublutex) tales enim vel à pluuia nimis madefactæ in exiccatione, vel aliud quid passæ fuere, & ideo Veratrum Galaticum, & Capadocicum vituperat Diosc. non quidem ob regiones ipsas, sed quia candidiora quandoque afferebantur; nimirū male exiccata, & reposita, & forte aq. madefacta, De *Odore* Serapion tantum meminit, bonum esse debere. quod patet, quia si loco humido, vel non probè exiccatæ fuerint reconditæ radices mucore affectæ fœtent, aliàs ferè sine odore sunt.

Dioscorid. *Auicenna* *Serapio.* *Color.* *Odor.*

In *Sapore* autem radicum Elleb. dissentiūt Autores, Diosc. quidem. *gustu non admodum feruens.* seu moderate, & cum eo sentire videtur Arabes. Contra tamen Plin. *Optimum quod acre gustu, feruensq;* dixit etiam Mes. albū esse maioris acuitatis, & mordacitatis, quam nigrum: sed non apparere subbito. Gal. autem 6. de sim. med. fac. *Porro Niger gustu calidior est, candidus subamarus.* Auic. Vehemētis amaritudinis. dicere poterimus Optimum quidem, vt Pl. esse gustu acerrimum; nam tale validissimum; sed in medicamentis eligibilius, vt Diosc. mediocriter Acre, cum non sit nimis validum; nam acerrimum ob vehementiam periculum est, nè strangulet. & in vsu non est recipiendum nimis validum; sed mediocre, ita diximus ex Theoph. probari Oeteum, quia virib. mediocrib. improbari Parnassium, quia validius. At si gustum consulamus, qui verus est iudex, Gal. & Auicennam decipi intelligemus, candidi siquidem radices mihi degustanti sapore apparuere primo parum acri, amaritudineq;

Sapor. *Sensus index.*

pauciſſima, & vix ſenſibili; deinde verò acer increſcens ſapor os, & guttur maximo feruore afficit, rad. autem nigri comunis vſus, ſtatim amaræ apparuere, nec poſtea feruor vltro proceſſit. cum deguſtauero alias Ell. nig. ſpecies, inde aliquid certius ſtatuam, & oporteret omnes ſpecies Ellebori ab antiquis traditas deguſtare: ſed quia non licet, fidem Antiquis præſtabimus.

Effectus, Effectus etiam deguſtati Veratri eſt obſeruandus. nam ex Dioſc. quod cumulatim, & vnica uice magnam ſaliuæ quantitatem commouet, ob vehementiam, periculum eſt, nè ſuffocet; ideò eligit Dioſ. minus validum ſ. illud, quod paulatim ſaliuam cieat, non affatim, ſeu aceruatim. Pl. Album optimum, quod celerrime mouet ſternutamenta.

Subſtātia, Circa *Subſtantiam* obſeruanda ſunt figura, Tenuitas, & craſſities, corticum externa ſuperficies, frangibilitas, & pulueratio.

Figura. *Figura* quidem, vt non ſit exacutum, & iunceum, ſiue iunci modo mucronatum, longum Serapio eligit ex Sētētia Aben Meſuai. At Pl. legit radices breues, ac veluti decurtatas. ſed circa tenuitatem, & craſſitiem, Serap. vult ſubtilem, non groſſum, vt ipſe loquitur. ſed pinguem. Dioſ. verò tantum laudat, quod tenuem habet medullam. ſic Pl. *Antiqui* (inquit,) *radicem cortice, quam carnoſiſſimo ſeligebant, quo tenuior eximeretur medulla, nunc ramulos ipſos ab radice, quam grauiſſimi corticis.* *Cortex,* Corticum etiam *externa ſuperficies* ſpectanda, non enim debet eſſe rugoſa, indicaret enim nimio humore turgidam fuiſſe collectam. & radices damnat Gal. 1. de Antid. 15. quæ non fuerint extento cortice; ſed rugoſo. Auic. autem barbare loquens ſcribit eligendum planam habens ſuperficiem cum æqualitate. *Puluis,* *frangibilitatē etiam* in his radicib. perpendemus, ſuadente id Dioſcoride, & cum eo Auic. & Serap. vt ſ. facile frangantur. ſed de puluere, qui emittitur ab his radicibus fractis controuerſia eſt euidēs. Manard. in Meſ. Syl. Caleſt. & alij. nolunt optimum in frangendo puluerem emittere, & ratio eſt manifeſta; nam puluerulenta videntur carioſa, & inualida. & in eundem negatiuum ſenſum Hermol. Ruel. & Cęſalp. Dioſcoridem interpretātur; contra tamen *Plinius,* manifeſtiſſimis verbis legitur Pl. *optimum, quod acre guſtu, feruensq; in frangendo puluerem emittit.* & affirmatiue etiam Dioſc. interpretari poſſumus, ſi conſulatur Grǽcus textus. & ita legiſſe videntur Auic. & Serap. alter n. ſcripſit. eligendum plurima habens grana minuta, id eſt puluerem. alter verò ſ. Serapio ſcripſit. *quando frangitur euolat ex eo res ſimilis pulueri*, deinde ex ſententia Aben Meſuai. *Eligendus* (inquit,) *qui quando frangitur apparet intra ipſum ſimile tela araneæ.* *Refugium* poſſemus dicere probari in frangendo puluerulentum, quia tale optime exiccatum, & omni proſus humore ſuperuacuo exauſto, fuerit etiā bene conſeruatum, ob ſiccitatem in frangendo puluerem emittat. & diſtingui hoc à carioſo, & Antiquo, quia carioſum etiam antequam frangatur puluerem emittit, optimum autem non niſi fractum. Sed vt verum fatear puluerulentum mihi non ſatis facit. & in Pl. per me liceret addere particulam *non*. haud tamen id omnino affirmare audeo. quia coniungit Pl. Acre, & puluerulentum; carioſum non erit acre, quamuis puluerulentum. Nec tamen ideò puluerulentum reijciendum cenſeo, quia ſcripſerit Dioſ. *Galaticum, & Cappadocicum candidiora, & puluere quodam obſita ſuffocare.* *Dioſcorid.* nam aliud eſt eſſe in fractione puluerulentum, aliud eſſe puluere obſitum, primum euenit ſiccitate, vel Carie, & Antiquitate, ſecūdū à Mucore, nimia n. humiditate repletæ, difficile exiccari poſſunt, quod ſi reponantur non bene exiccatæ, & præſertim loco humido, & ventis haud expoſito, & compreſſæ, facile mucorem contrahut, eoque efflorescente ob principia corruptionis veluti puluere obſitæ ſpectantur, & rad. mucidæ, quamuis extra ſint puluerulentæ, quia intus humidiores, fractæ non emittunt puluerem. non mirū ergo erit ſi Cappadocicum Veratrum puluere obſitum, ſuffocet; quia ob Mucorem acquiſiuit malam qualitatem, & ferè Venenatam. ex his ſatis conſtare arbitror, quale eligendum Elleborum.

Quomodo ſint aſſeruandæ Veratri Radices, vt longiori tempore conſeruentur incorruptę. ita accipiatis. *Conſeruatio.* ſi non rectè fuerint exiccatę diutius ſeruari non poterunt incorruptæ. erunt ergo hæ radices ſtatim à terra euulſæ bene lauandæ, deinde exiccandæ loco non humido, nec fętido, ita docente Dioſ. initio ſui libri. *Radices, Corticeſuè ſiccantur etiam expurgata mihi, locis aſperginem non redolentibus, ſed quæ luto, aut puluere ſunt obſita aqua elui debent.* vt facilius autem exiccentur in aere pendentes, filoque traiectę erunt appēdendæ; ſed quia exiccare poſſumus, vel ad Solem, vel ad Vmbram, vel ad ignem in *Siccatio.* fumo, in clibano, in hypocauſto, &c. erit aduertendum antiquiores magis laudare, vt in vmbra ſiccentur aere exiſtente ſicco, locis perflatis vento orientali, vt pote temperato, vel boreali, & ſicco. ſed quia quandoque tempus nubilum, vel frigidum eſt, nè radices difficulter exiccatæ lędātur, corrumpantur, & Mucorem acquirant, tunc ad ignem, vel Solem exiccandæ Exemplo Pl. qui ſcripſit. Aethiopis radices colligi autumno, ſiccari in ſole aliquot dieb. nè ſitum contrahant. ſi verò Sol nubib. tegeretur, tunc fumo erunt ſuſpendendæ, erit ergo notandum ſi fuerint collectæ Vere, vel principio æſtatis cum iam germinauerint, quia aer ſiccior tunc eſt, in vmbra ſiccandas eſſe; ſed melior aer frigidior, quia in eo ſiccantur minori

nori violentia, & ob frigiditatem poros dẽ-
fantem, exalant tantum partes tenuiores,
aquosiores, & inutiles, vnde exiccatæ re-
manent validiores, quia minus humoris re-
solutum fuit. at aer calidior deterior; nam
magis patiuntur, nimirum à duobus contra-
rijs, aer n. calidus rarefaciens, ac dilatans
poros, ac liquefaciens humiditates essentia-
les, non solū efficit, vt resoluantur partes te- *An in umbra, vel Sole.*
nuiores, & aqueæ; sed etiam crassæ, terre-
stres, & essentiales, quò remanent rad. exic-
catæ multum imbecilles. sed fugiendus aer
humidus, & australis, nam cum exiccare
non valeat, potius putredinem, & situm affe-
ret. Quod si radices collectæ fuerint Autū-
no ad Solem exiccari poterunt, nam & si
suo calore nimis resoluendo aliquantulum
lædere possit, tamen, quia perfectè, faciles,
& sine situs periculo exiccar, est permit-
tendum, vt nos clare docuimus libello de
exiccandis stirpibus. at si dies nebulosa fue-
rit, docet Albuchasis ad fumum suspendi, &
ex modo exiccationis non solum vires, sed
etiam figura euariat. paulatim n. exiccatæ
conspiciūtur, quales diximus optimas. vio-
lenter verò ad ignem, nimis rugosæ, ad
fumum nigriores, ad Solem vero candidio-
res. humido loco puluerulentæ,

Conseruatio. Postquam fuerint rectè exiccatæ. erunt
concludendæ arculis tiliaceis, & ligneis cap-
Hippocr. sulis, nè aer contingat, vt docuit Hipp. in
Ep. ad Crateuam. *Quæ verò folia, aut flores,
aut radices sunt, in fictilib. nouis probè obturatis, vt
nè Ventis perflata Medicamenta vigorem, velut in
animi deliquium collapsa, amittant.* & quidem
affirmat Arist. 4. metheo 2. putredinem fieri
à caliditate aeris ambientis. eligendus etiam
Galenus. locus aptus. vnde ex Gal. 1. de Antid. 11.
*Vitabis autem cellas subterraneas, nec vllum me-
dicamentum in ipsas repones, præsertim verò in hu-
midis, in quibus recondita celeriter cariosa fiunt.*

Restat vt definiamus hæ radices probè
collectæ, exiccatæ, & reconditæ, quanto
Duratio. tempore in suo vigore perdurare possint. &
de Medicamentorum Duratione extat libel-
lus noster. Dios. quidem Huius meminit in
præfatione his verbis. *Scire etiam conuenit sola
ex herbaceis medicamentis Veratri genera, ni-
grum inquam, & candidum multis edurare annis,
reliqua à trimatu inutilia.* Mes. etiam scribit,
Albus plus de Antiquitate patitur, quam niger.
i. diutius seruatur, & eligit medium inter
Antiquum, & recentem. Sed Pl. tempus
etiam præfinit. *durare vim eius 30. annis ferunt,*
quod ante ipsum Theoph. loc. cit. c. 14. *Elle-
borus enim vel annis 30. vtilis.* Quare ignoro
qua ratione suffultus Platearius in Nic. di-
xerit album seruari tribus annis, & Saladi-
nus. *Conseruantur autem ambo ellebori annis duo-
bus, si ab extrinsecis bene conseruentur.* Videntur
hi Veteres probatos Auctores non legisse,
& nos iure hos reprobauimus in nostro li-
bello.

*De Temperamento Veratri albi.
Sec. VI.*

GAL. 6. de simpl. med. fac. *Elle-* *Galen.*
*borus vterq; tum albus tum niger
extergentis simul, & excalfacien-
tis est facultatis, sunt autem in ter-
tio ordine excalfacientiū, & exic-
cantium.* Auic. calidum, & *Auicenna*
siccum in medio 2. altero verò interprete
in medio 3. sic quoq; Mes. cal. & sic. in me- *Mesue.*
dio 3. facit. Serapion Elleboros numerat in-
ter cal. & sicca 2. gradu. Auer. autem pri-
mo vtrumq; calidum, & siccum in tertio as-
serit, & paulo post eodem capite, sic ait.
Condisi idest Elleborus albus, calidus est in 4. & *Auerroes.*
*siccus in eodem, & commouet sternutationem, &
est Venenum.* sed hic error est interpretis ver-
tentis Condisi, Elleborum, & Condisi apud
Serapionem est Strutium, seu lanaria. libel-
lus etiam Gal. falsò adscriptus de Chatarticis,
sic habet. *Elleborus, & Epitimum tenui, & ca-
lida natura consistunt, & frigidam, & terrestrem
habent substantiam.* Gal. 1. de comp. m. l. 1. ad
Alop. inter summe calida numerat.

Nos Elleborum album accipiemus vt cal. *Temperamentum.*
& sicc. in 3. gradu. & ratione patet, quia
talia in hoc gradu ex Gal. 5. de s. m. f. 27. ve-
hementer calefaciunt. elleb. autem degusta-
tum Acre feruensq; est, & diutius os, pala-
tum, & guttur feruore suo afficit, & calore
molestat. Secundas autem qualitates habet
ex Gal. extergentes, ex Diosc. discutit, & ex
Mes. etiam mordicat. substantiaque tenui
dicendum erit.

Abditas etiam qualitates habet duas, vehe-
menter Attrahentem, & Venenatam secun-
dum quosdam: de Attrahente ui sequenti
capite; de Venenositate nunc, definiemus.

Venenum esse Elleborum multi probare *An Venenum.*
tentarunt, ideò aufugendū, omninoq; Vetā-
dum. in primis testem adducunt Arist. lib. 1.
de plant. 3. *Helleborus hominibus Venenum.*
Dios. lib. 6. inter Venena numerat Elleb. al-
bum, sic etiam Paul. lib. 5. Actuar. lib. 5.
meth. Rasis 8. ad Almans. 69. Auic. lib. 2.
Auer. 5. coll. 42. inter Recentiores Petrus
de Abano, Guainer. Cæsalp. Capiuac. Matt.
& ferè omnes, qui de Venenis scripsere. &
patet etiam ex Antiquorum scriptis. Oriba-
sius Pestiferum medicamentum vocat 4.
aph. 11. & lib. 5. aph. 1. nam Pl. scribit, atq;
Theoph. & fodientibus suo halitu nocere,
sumptum vero, *Mures (inquit) polenta admix-
tum necat, Galli sagittas in Venatu tingunt, cir-
cumcisoque vulnere teneriorem sentiri carnem affir-
mant. Muscæ quoque necantur albo trito, & cum la-
cte sparso. eodem, & phtiriasis emendatur.* &
Serap. ex Mesarugie. *& ipse occidit columbas,
quando infunduntur faba, aut frumentum, in aqua,
in qua infunditur Elleborus, & dant Columbis, &
pullis ad commedendum.* similiter Auic. *interfi-
cit, quod de eo superfluum est, homines, & est
Vene-*

Venenum canibus, & porcis, & stercus bibentis ipsum interficit Gallinas. sed mirũ quod Theophra. & Pl. de eo referunt. Pecudes, & Capras albo vesci, eoq: purgari, immo etiam eorum lacte furentib. sanitatem afferri, & Nigro elleb. Equos, boues, suesq: necari. Magis etiam mirandum, quod de Coturni- *Coturnices* cib. vulgo forte Qualeis dictis, fertur, quæ hoc innoxie vescuntur, siquidem Aris. 1. de plan. cit. *Elleborus hominibus Venenum, Coturnicib. alimentum.* quod confirmat Gal. 6. de Alim. f. 6. primo de simp. m. f. 2. de Teria. ad Pison. 4. & 3. de temperam. 4. & rationẽ reddit. siquidem Coturnicum temperies assimilare sibi Veratrum potest, quod hominum temperies non potest, & si Coturnices pascit, homines strangulat. Pl. etiam lib. 10. c. 23. de his agens. *Coturnicib. (inquit) Veneni semen gratissimus cibus: quam ob causam eas dãnauere Mensæ. simulq: comitialem propter morbum despui suetum, quem sola animaliũ sentiunt, præter hominem.* aliam causam magis formidandam *Galeni fabula.* affert Gal. 5. in 6. Epid. 35. *in Doride, & Boetia, & Tessalia omnibusq: finitimis locis, multi ex Coturnicum esu musculorum distentionibus correpti sunt, quoniam Veratrum s. illæ commedunt, istud idem, & Athenis, quibusdam accidisse nouimus, qui Coturnicib. largiter nimis sese impleuerant.* hoc nos à nostris Coturnicib. non possumus pertimescere, cum nisi in montib. & in fine æstatis Ellebori semen reperiatur; nec credibile hoc est, quia dicta conuulsio deberet, non simpliciter inuadere: sed ob nimiam euacuationem. & tamen esu coturnicum Vomitus non excitatur. immo si Elleborus Epilepsiam hominum curat, cur Coturnices Epilepticas facit? Crederem potius id euenire à proprietate illarum substantię, quę s. gignant succum neruis infestum, sicut etiam ipse capiuntur morbo Comitiali, non quidem ob semina verati. sed proprio defectu. Oribasius 5. aph. 1. Veratrum arefacit, & desiccat humorem naturalem, extenuat musculos, debilitat neruos, ob inanitionem.

Aliquãdo Venenum. Dicendum videtur non per se; sed per accidens esse quandoq: Venenum. nec ideo vetandum; sed maximè æstimandum debito tempore, modo, quantitate, & morbo, &c. datum. ob id scribit Pl. *Quondam terribile, postea tam promiscuum, vt plerique studiorum gratia ad peruidenda acrius, quæ commentabantur, sæpius sumpsitauerint.* Quod autem in contrarium Aris. posuit, ob id factum est, quia cum suo præceptore existimauit, omnia pharmaca purgantia esse mala. scribit n. in Timeo Plato. ijs non nisi in periculosissimis morbis vtendum. Cæteri verò Autores cum Diosc. Veratrum inter Venena reponunt, non quia *Dioscorid.* verè Venenum, sed quia vt idem dixit Dios. *Et si ferendi auxilij gratia tradantur; non minora tamen cæteris venenis pericula sæpius adferunt.* quare non semper nocet; sed non debite propinatum, & talia, (s. quæ quandoque nocent, quandoque iuuant) non sunt Vera Venena, si Gal. credendum est, qui asserit 3. de sim. m. f. 19. duplex esse Venenum, genere læthale, vel sola quantitate, elleborum autem non esse genere læthale, sed sola quãtitate, patet; nam talia eodem lib. c. 22. etsi quantitate minima sumantur, omnino tamen corrumpunt, & 6. in 6. Epid. 5. negat Gal. Purgantia inter Mortifera esse reponẽ- *Galenus.* da, & addit. *Mihi plura medicamenta non vocare Mortifera Medici videntur, quod ipsorum temporibus quibusdam vtilitas necessaria sit. ea verò appellare deleteria, quæ nullo vnquam tempore, neq: ægrotis hominib. neq: Valentib. opem ferunt intra corpus assumpta, vt Aconitum.* & Nicander inter Venena non reposuit Elleborum. Quod autem aliquot Animalia occidat, non satis est, ad id probandum, cum diuersæ sint Nat. & Amara omnia, ac Oleola, insecta necant; non sunt tamen hominibus Venena, & Auic. scribit, Canib. Venenum, ne- *Auicẽna cõtra Plin.* gat id Plinius, cum ait, *radix summa, quæ est crassissima, cepis similis, canibus tantum datur purgationis gratia.* eo etiam Pecudes, & capræ, vt retulimus innocue vescuntur. Quod autem ex Plinio Sagittę à Gallis eo tingantur, confirmatur à Matt. sic scribente. *Paratur è* *Matthiol.* *radicum albi Veratri succo arte quadam Venenum præsentaneum, quo illinendis sagittis quibusdam in locis vtuntur Venatores: id ut nos sæpe in brutis animalib. & gallis gallinaceis periculum fecimus, vbi sanguinem contigerit, facto cum sanguine vulnere, paulo post vulneratum Anim. interficit. Verum enim verò mè in non paruam adduxit admirationem, quod deuoratum nisi magna fuerit quantitas, nihil ferè incommodi afferre soleat. idq: eo ipso vesci Venatores adfirmant Hispani, cum purgationes moliri cupiunt, obidq: nihil mirum, si ferinæ carnes hoc Veneni genere infectæ nihil prorsus commedentib. obsint, Verum vbi facto à iaculo vulnere sanguini se immiscuerit Venenum, nullo alio Antidoto seruari Anima potest, nisi deuoratis cotoneis malis, idque à Cæsare Ferdinando primo Domino meo clementissimo pluries audiui.* quod autem huiusmodi quod Venenum appellant, intus sumptum non noceat, non erit verè dicendum Venenum. simili ratione de Helenio agit Gal. ad Pison. 10. *Dacas, & Dalmatas,* *Galenus.* *inquiũt, telorũ cuspides Helenio,* an Helleboro, *cõfricare, idq: hoc pacto vulneratorũ sanguine vbi attigerit, occidere, posse, at ab eis manducatum innoxium esse, nullumque ex eo cibo nocumentum prouenire, quin & ceruos ab eis sagittis confossos nullam commedentibus læsionem inferre.* addimus nos vulnus à Gladio squilla affricto, aut nostrati cepa esili, aut allio illatum, difficillimum sanatu, maximeque dolorificum esse, non ideo allia, & Cæpę sunt Venena.

Quod autem dicitur elleborum suffocare, *Sÿptomata ab elleboro.* conuulsionem, & alia sæua Accid. efficere, non probat esse proprie Venenum, sed quare hæc

re hęc Accidāt posterius lib.3.explicabimus.

Hippocr. *Galenus.* Et Hip. 3. in 1. Epid. 50. *Exercete circa morbos; vt prosis, aut nè quid noceas*. Gal. in com. Nihil itaq: vnquam institui, quin apud me prius periculum facerem, ne quid, si votum non obtinerem, offenderem ægrum. Quidam verò medici perinde, ac ij, aleam, qui iaciunt, solent ægrotantib. remedia offerre, quorum affert offensio magnum ægrotis incommodum.

De Veratri facultate qua Humores Euacuantur. Sec. VII.

ELleborum album sursum, & Vomitione Corpus euacuare iam notum est. monuit etiam Dios. scribens. *Vomitione extrahit humores*, quod lōge melius, mea quidem sententia, expressit Pl. *Candidum* (inquiens) *vomitione, causasque Morborum extrahit.* Vires habet maximas, & admirandas, conceditur q: ab omnib. omnium Vomitoriorum fortissimum, validissimumq: tum quia maximo impetu, & molestia, ac quandoque cum periculo, & sæuis Accidentib. euacuat, tum etiam, quia crassissimos, & pertinaces, renitentesq: ac ab extremis partibus euacuat humores, serosq: & ægre cedentes, fortissimosque morbos debellatur, denique ob apparatum, & præparationes præcedentes, famamque terribilem, vt ait Pl. de quo audite præstat differentem Aræteum. cap. de Elephantia. hisce verbis. *Quin, & album Veratrum non vomitum tantum molitur, sed etiam omnium simul purgantium medicamentorum efficacissimum est, non multitudine, & varietate Excrementorum; id enim & effectus ille, qui Cholera dicitur præstare solet: non distentionib. & violentia in Vomendo, (ad hoc enim, & Nausea, & Mare validiora sunt) sed potentia, & qualitate non visibili, quippequæ laborantib. sanitatem reddit per exiguam purgationem, & modicam intentionem, Vetustorum præterea Morborum omnium firmis radicibus inhærentium. si cuncta alia medicamina virib. inferiora sint: id vnicum remedium est. Siquidem igni facultate persimile est album Veratrum; & quod ignis exurens facit, eo plus Veratrum interius discurrens operatur. Videlicet facilem spirationem ex difficili, ex pallido colore floridum, & ex Macie corpulentiam*. fortissimum ergo cum sit medicamentum, non nisi fortissimis morbis conueniet, atq: Extremis Morbis conueniens, vt extreme exquisitum remedium, erit. qui autem sint hi magni, & Extremi Morbi particularium in tractatu explicabūtur. quid autem intelligendum sit de Morbi magnitudine silentio inuoluam, nè hic totam Medicinam tradere velle videar. sed legi poterit Gal. de Constit. Art. med. 16. 4. meth. 6. & 7. meth. 12. 1. de Cris. 3. de totius Morbi temp. 5. & frag. Gal. in Hip. de Alim. fol. 17.

Dioscorid. *Plinius.* *Aræteus.* *Extremis morbis Elleborus.*

Quos humores purgat. Quos humores præcipue euacuet Elleb. definit sic Diosc. Καθαίρει δὲ δι᾽ ἐμέτων ἄγων ποικίλα. *purgat per Vomitum Varios humores*. & Pl. *terribili visu varijs coloribus Vomitionum*. Marcel. c. 30. Pituitas. Aegineta, bilem euacuare scribunt. Serapio autem ex Diosc. humores diuersos, & Viscosos, & ex Aben Mesuai purgat phlegma per Vomitum. si Varios humores purgat non videtur electione bilem, vel pituitam, sed mixtim. an purgat electiue humores crassos, bilem crassam, pituitam crassam, & viscidam, & ideo est difficilis Vomitus, quia renitentes humores? Hippoc. verò in coacis prænotio. pag. 581. *Purgationes valde rubicundorum, nigrorum, à Veratro, malæ sunt, & cum talibus exolutio mala. A Veratro Vomere rubicunda, spumosa, pauca prodest: facit tamen duricias, & suppurationes magnas abducit: Sunt autem hi qui talia vomunt alias, & pectus dolorosi, & in rigorib. exudantes, & testes intumescunt, quod si contigerit, insuper rigent, & gracilescunt*. ratio autem horum Hip. verborum alio differenda. Hip. 5. Epid. & repetit 7. Epid. *Phœnici Veratri potio eduxit varia, & omnigena maxime vero prasina*.

Hippocr.

an aliquādo aluum soluat. Quærendum autem videtur, an semper per Vomitum euacuet, an quandoq: etiam per Aluum. & quidem omnes Auctores videntur affirmare per superiora tantum purgare. cum mentionem non faciant infernæ purgationis, & patet etiam quia Hipp. sæpe humores deorsum Vergentes Vomitu ex Elleb. reuellit, quod si etiam deorsum euacuaret, non fieret reuulsio sursum in contrariam partem. immo scribit Pl. post Vomitiones antiquos obseruare aluum, id autem accidisse credo, quia ob Vomitum, & reuulsionem sursum à Veratro, aluus comprimebatur, & hoc etiam euenire ego obseruaui. Sed aliqui videntur etiā per aluum purgare dixisse. vt Marcellus Empiricus Antiquus Auctor. c. 30. *Veratri verò sucens albi ad mensuram denarij vnius potus ex passo detrahit pituitam, & per Vomitum, & per sellas*. præterea scribit Hip. 1. de Morb. Mul. si intus cōputruerit Viri semen, &c. *Curare oportet per Veratrum, aut Scammonium, aut Peplium, hæc enim sursum, & deorsum pituitam, & bilem, purgant, & flatus educunt*. hic incertum est an velit Hipp. hæc tria purgare sursum, & deorsum pituitam, & bilem, an velit esse miscēda, vt simul sursum, & deorsum purgentur varij humores. Verum non est Hip. mos, ita purgare: & disiunctiue hæc enumerat. potius interpretarer, sursum de elleboro, deorsum pituitam de Peplio, bilem de Scammonio. Marcelli locus est suspectus, nec mihi mirandum videtur, si Vomitorium Nat. medicamentum aliquo casu quandoq: aluum moueat, sæpe n. clister cōmunis per Accid. Vomitū concitauit. Elleb. autem teste Paul. & Diosc. etiam in balano subditus, & in clysterib. Vomitus commouet, quod si haberet

Marcellus. *Hippocr.*

vim

vim etiam per aluum deiectiuam, per aluum tantum purgaret non concitato Vomitu in balano. tamen præter Vomitum credo aliquando etiam per inferiora deijcere; nam expertus sum Elleborum vbicumque fuerit, semper ad se humores attrahere. vnde in brutorum auriculis perforatis, vel cruribus, & alia quauis corporis parte immissus ad se attrahit, & expurgat multam humiditatem, narib. etiam attractus medijs sternutamentis caput à crassa pituita euacuat. in Auriculis etiam purulentis immissus eas valide purgat, ore retentus, aquam, & flegmata attrahit, in Eclegmate pectus expurgat. Vuluas etiam immissus purgat. denique expertus sum ellebori pulu. vel Ox mel elleb. cautenjs non purgantibus applicatum, multam attraxisse materiam. Sed difficultas est maxima in Verbis Hipp. 2. de Morb. pro Phthisicis. cum scribit. *si à principio morbus obtigerit lenticulæ decoctum bibendum dato, deinde interposita vna die Veratrum dato temperatum, vt ne aluum infernam moueat, & quum noctu ad os salsuginosus humor ipsi influit, medicamenta ipsi frequentiora ad nares appone. si verò non fluit, appone quidem sed rarius, & men'e semel; ita vt insuper Veratrum bibendum des, quantum duobus digitis comprehendi potest in Vino dulci temperato. statim Verò lenticulæ decoctum inde bibendum dato. At medicamenta quam paucissima bibat, si non febres acutiores ipsum corripiant, Radicem Draconty albam, & Veratri delingat, sed non ex melle: sic enim minime aluum mouebit.* hic plura sunt explicanda eaque obscura. primo quid intelligat per Veratrum temperatum, 2. per aluum infernam, 3. an præscripta quantitas Veratri sit sufficiēs. 4. an sit sumendum totum, an paulatim. Equidem sentio per *Veratum temperatum* intelligere Vino mixtum; nam ipse mox subdit dandum Veratrum *in Vino dulci temperato*, at quia subdit. *vt ne aluum infernam moueat*. certe asserere non possum in Vino non mouere corpus ad eiectionem, sed aliquid deest. Quare inferius legendo inuenienius. *Radicem draconty albam, & Veratri delingat, sed non ex melle: sic enim minime aluum mouebit*. ergo Vino temperatum, non ex melle, Veratrum aluum non mouebit. Quare autem ex melle aluum mouebit ex Vino non, minime constat. Vnde neq; id satis est, nè Veratrum aluum moueat. melius consideranti patebit Hipp. hic non dare Elleb. totum vnica Vice ad deiectionem vniuersim excitandam; sed in Eclegmate, & paulatim delingendum, & sic in delinctu (vt ait) minime aluū mouebit; sed tantū humores à pectore, & à capite ad os attrahet, & sufficit Hip. vt noctu tantū humores ad os attrahat, quia scribit. *& quum noctu ad os salsuginosus humor ipsi influit, medicamenta ipsi frequentiora ad nares appone; si vero non fluit appone quidem; sed rarius.* vult igitur expurgare pectus, & caput. pectus igitur ex Eclegmate ad os salsugine conuocata, caput verò ad nares appositis medicamētis quę medicamēta, si operentur ex Voto, frequētius adhibet, aliter rarius. Et quia subdit. *insuper Veratrū bibendum des, quantum duobus digitis comprehendi potest.* non intelligendum dedisse bibendum ad expurgandum per Vomitum, vel per secessum; sed delingendum, vt mox explicat. & quantitas elleb. pulueratí, quæ duobus digitis comprehendi posset, quia Vix est scrup. j. non est dosis consueta antiquis, sufficiens tamen in Vino, & eclegmate, ad cōmouendam saliuam ad os. cum autem nullibi constet elleb. per inferiora purgare, in Hip. legendum puto non infernam, sed *supernam Aluum*. aut dictio hæc. Aluus inferna ita Explicanda. per aluum quidem intelligitur omnis cauitas, vt docent Grammatici. idem intellexit etiam, vt explicat Gal. per vocem Ventris ipse Hip. 6. aph. 20. cum scripsit. Si in Ventrem sang. pręter Nat. effunditur, &c. quare sicut dicit quandoq: Ventrē inferiorem s. intestina. & Ventrem medium vbi sunt cibi, seu Ventriculum, & Ventrem superiorē, idest Thoracem. vt explicat Gal. 6. aph. 38. cum ait Hip. *Destillationes in Ventrem superiorem suppurantur intra 20. dies.* sic etiā Aluum superiorem, inferiorem, & Mediā. communiter autem aluus inferior sumitur pro intestinis, & pro Thorace aluus superior erit sumenda. Ventriculus autem cum inter has sit medius, respectu intestinorum erit aluus superior; respectu verò Thoracis erit aluus inferior: cum igitur Hip. hoc loco mederi intendat Thor. idest aluo superiori, dat elleborum delingendum cum Vino temperatum, vt eius virtus feratur ad pulmonem, non autem ad aluum infernam. idest Ventriculum, & Vomitum excitet. nec intelligit Hip. per intestina; nam hæc non solet appellare aluum inferiorem; sed tantum Aluum simpliciter appellat. quare cum subdit. si tormen in aluo inferna oboriatur, &c. intelligit Ventriculum, dat tamen statim ebibito Veratro lenticulæ dec. quod signum est, per vomitum velle purgare, & ne Vomitum sequatur etiam deiectio alui ob lōgiorem moram medicamenti in Ventriculo, statim dat d. Lenticulæ, vt statim operare incipiat. & prius dederat etiam lenticulæ decoctum, non alia videtur de causa, nisi ad leuiorem Vomitum. Equidem his perpensis fateri cogor maximam adesse difficultatem in recte explicanda hac Hip. sententia. quare experientiæ me remittam. & si ei credendum est, vt deiectoria sæpe Vomitum excitant, sic Vomitoria per Accidens etiam deiectionem sæpe moliuntur. sic Marcell. Empiricus c. 30. *Veratri verò succus albi ad mensuram denarij vnius potus ex passo detrahit pituitam, & per Vomitū, & per sellas.* & per secessū per accidēs.

Quibus in vniuersum morbis conueniat Elleb. paucis modo perstringendum. Exemplo Paul. lib. 7. c. 4. ita scribentis. *Veratrum con-*

Difficultas in Hipp.

Explicatio Hipp.

Hippocr.

Quid intelligatur aluus inferna.

Perfecta explicatio

conuenit acuto, & longo morbo laborantib. qui medicamentum bili ducendæ idoneum requirunt, quales sunt, qui insania, altera capitis parte dolent (heterocranici dicuntur) humorum impetu in Paulus *Oculis decumbente, & pectoris affectib. torquentur accomodatissimum est, visceribus, Vteri, & Vesicæ, vitijs medicinam requirentibus, laudatur etiam ad longam asperæ arteriæ affectionem, Arquatum, eruptiones, quæ Exanthemata dicuntur, impetigines, vel herpetas, vel erisipelata, vel lepras*, & lib. 7. cap. 10. scribit iterum de Elleboro. *dari debet vbi longi, Valentesque morbi sunt; & spes ex alijs præsidijs adempta est, quod ægritudo omnibus ipsis fortior extiterit. Conueniet autem siue continue infestauerit morbus, vt Hidrops, Elephantia, Cachexia, resolutio, & id genus alia. siue statis temporibus repetat, vt Epi-* Plinius. *lepsia, Podagra.* Pl. autem talia retulit. *Medetur morbis Comitialib. Vertigini, Melancholicis, insanientibus, lymphaticis, Elephantia alba, lepris, tetano, tremulis, podagricis, hidropicis incipientibusq. Timpanitis, stomachicis, Spasticis, Clinicis, Ischiadicis, Quartanis, quæ aliter non desinant, Tussi ueteri, inflammationibus, torminib.* Hippocrates. *rodentib.* Deniq. noster Senex, libello de Veratri vsu, ad Democritum scriptum reliquit. *Quemadmodum autem in prænotionibus dixi; purgatio sursum versus commodat eis in quo sine febre est cibi fastidium, aut stomachi puncturæ, aut Vertigo, aut os amarum, & in summa doloribus supra septum transuersum: at deorsum versus, vbi sine febre est Tormen, lumborum dolor, genuũ grauitas, menses ægre prodeuntes, dolores in partib. sub septo transuerso*: deinde *Cæterũ Veratrum his dare oportet, quibus de Capite fluxus fertur.* paulo post. *Purgat etiam Quartanas diuturnas, & diuturna febri lipyria vexatos, & eos, in quib. non est sitis, neq; excretio; Hos verò non ante tres hebdomadas. Aliquando etiam pleuriticos, ac vehiculosos, & sicut in Muliebribus morbis dixi, purgandum est etiam si vteri purgatione opus habuerint.* sed de his omnibus morbis, & alijs, qua ratione iuuet, longioribus deinde singulatim perpendemus.

Quid agendum. Hic tandem concludemus experientia constare, quod Veratrum omnes humores purget, quia ex Antyllo, & Possidonio medicis antiquis scribunt Orib. lib. 8. coll. c. 6. & Aetius ser. 3. cap. 113 primo salitam multam expulit, postea pituitam, deinde pituitã, & bilem. Mox putam bilem. Sæpe vero etiam ventrem inferius subduci, quãdo sane etiam tolerabilior purgatio contingit. Ex quibus auctoribus in prædictæ dubitationes soluuntur. an plures humores purget? & an purget etiam deorsum?

Agemus autem diligenter de vsu Hellebori apud Hipp. quod idem est, ac agere de vsu vomitus. & ita innotescet, quibus *Quid agẽdum.* morbis Hipp. aptauerit Vomitorium validissimum, ne nos postea vereamur in similibus morbis adhibere alia vomitoria, minus Helleboro valida. si enim corpora Græcorum tempore Hipp. ferebant Helleborum validissimum vomitorium, corpora nostra poterunt etiam ipsa ferre minus valida Vomitoria sine periculo, & sine tanto Medici, & ægri timore. cum tamen è contra certum sit, quod morbi Ventriculi sanari non possint, nisi per enacuationem Ventriculi.

De Veratri albi vsu in morbis capitis lædentibus actiones principales.

Sect. VIII.

HElleborus medicamentum est Poetis decantatum, & ad mentem purgandam adeo celebre, vt ijs, qui parum rectè aliquid fecerint, vel dixerint, commune prouerbium obijciatur, *Helleboro indiges*, immo Plinius æternæ memoriæ tradidit. *Plinius.* *Quondam terribile, postea tum promiscuum, vt plerique studiorum gratia ad peruidenda acrius, quæ commentabantur, sæpius sumptitauerint. Carneadem responsurum Zenonis libris.* Hoc Proeti filias furentes, à Melampode pastore sanatas; hoc Herculem ab Anticireo curatum, græci narrant; hunc, vt Democrito sapientissimo Philosopho, eo quod de omnibus risu afficeretur, pro dementi habito, magnus Hippocrates ad Abderitas se contulerat, velnti insano, daturus. quod illi obiurgat Democritus in quadam ad eum Epistola. *Democritus.* *Accessisti ad nos* (scribens) *ò Hippocrates Veratrum nobis daturus persuasus à viris stolidis.* & paulo post subdit. *Si enim ab illis persuasus mihi velut insano Veratrum bibendum dedisses, prudentia insania facta fuisset, & artem tuam reprehendissent, velut, quæ insaniæ fuisset causa. Veratrum enim sanis datum menti tenebras offendit. Insanis autem valde prodesse consueuit.* quod fatetur ipse Hipp. *Hippocr.* in alia Epistola sic respondens. *Inductus equidem sum ò Democrates velut insanienti Veratrum daturus.* & ex Hipp. libris constat ad insanos ipsum landare Helleborismum, vt de Diæta pag. penultima ait. *confert insanis fomentis* *Ad insaniam.* *vti, & à fomentis Veratris expurgari.* & in alia insania *Conueniens est etiam Vere Veratris purgare, fomentis antea præparatos.* & lib. de insomnijs. *si aliquis somniauerit de Astris fugere ipsa celeriter, esseq. qui ea prosequantur, periculum denunciant futuræ insaniæ hominis, si non cu-* *Futura insania.* *ratus fuerit, omnibus autem his conducit, vt Veratro purgati, optimam victus rationem instituant.*

Et ad Melancholicum affectum descendentes habemus de eo sic docentem Aræ- *Aræteus.* teum cap. de curat. Melanc. *sed maturanda negotia sunt, ac celeritas adhibenda, exiguis enim medicamentis morbus non obsequitur; si magnis autem non vincitur; sed resistit, tunc firma sede melancholia nititur. quod si penitus totum corpus* *ad Melancholiam.* *occupauerit, sensus, mentem, sanguinem, bilem, neruos etiam corripuerit, & ipsa insanabilis efficitur*

tur. & aliorum morborum corpori sobolem inserit, furoris, neruorum distentionis, resolutionisq. quæ si à Melancholia proueniunt, sanationem vsq. accipere nequeunt. Quamobrem ad hoc malum propulsandum Veratro vtendum est: Sed antequam Veratrum ægrotus accipiat, stomachum ad vomendum exerceat, & humores extenuet, & corpus fluxile reddat. Vomitiones autem hac præstant, nonnunq. ieiuno stomacho nonnunquam radice prouocari. Deinde subdit. *Incredibile est autem, nisi ab his funditus conuulsus est morbus, at multorum saltem annorum interuallo non sopiri: plerumque enim melancholia rursum suboritur. Quod si iam firmas radices egit, nihil idns vltrà differendum est; sed quæ ad Veratrum pertinent, omnia administranda.*

Melācholia reuertitur.

C. Celsus. adest etiam C. Celsus optimus Hippocratis interpres, qui lib. 3. c. 12. sic memoriæ tradidit. *At vbi longi, valentesq; morbi sine febre sunt, vt Comitialis, aut insania, Veratro quoq; albo vtendum est.* quod confirmat lib. 3. c. 18. *Insaniæ, quæ ferè sine febre incapit, leues deinde febriculas excitat, & consistit in tristitia, quam videtur bilis atra contrahere, per album Veratrum, vomitumque purgatio conuenit.*

Ad insaniam.

Hippoc. Ad affectum etiam quendam Veratrum dat Hipp. 2. de morb. paulo ante finem, cuius verba hæc sunt. *In visceribus velut spina esse videtur, & pungere, & anxietas ipsum corripit, & lucem, ac homines fugit, & tenebras amat, & timor inuadit, & septum transuersum foris tumet, & ad contactum dolet, & expauescit, & terriculamenta, ac somnia horrenda videt, & quandoq; etiam mortuos. Et morbus hic ferè plurimos Vere corripit. Huic Veratrum bibendum dato, & caput purgato, & post capitis purgationem, pharmacum deorsum purgans bibat, postea verò lac Asininum bibat.* mox subdit. *Hæc si fecerit à morbo liberabitur, temporis progressu; si verò neglexerit, commorietur.*

Galenus. Nec silentio mādandum Galeni testimonium de Atra bile c. 7. qui contra Erasistratum ita disputat. *Priores eo non solum philosophi, & Medici; sed omnes vulgo affectum quendam melancholicum nominaut, purgationeq; albi Veratri curationem aggrediuntur, nemo enim inter Græcos altus, adeò rudis, indoctusq; est, quin legeris, vel audieris Præti filias furore percitas sic à Melampode purgatas, curatasq; quo fit, vt non supra ducentos, aut trecentos annos: sed multo plures celebris hæc purgatio fuerit omnibusq; inter id temporis medicamine vsis.*

Celsus. Præterea C. Celsus loc. nuper citato addit. *Insanientibus si tristes nigrum Veratrum dejectionis causa; si hilares erunt, album ad Vomitum excitandum dari debet.* Gariopontus vetus auctor quondam expressus sub titulo Passionarij Galeni in cura Maniacorum hæc protulit. *Post accipiant Caprinum lac cum Hellebori dracmis duabus, non amplius, ne magis paueant, aut insaniant.*

Aetius. Aetius ser. 6. c. 8. de insania ex Archigene, & Possidonio. *Si verò,* inquit, *reliquiæ affectionis superfuerint ad Veratrum album deueniendum est.*

A. Trallianus. & Alex. Trallianus lib. 1. c. 18. ad Melancoliam. *Noui, scripsit, ex veteribus antiquioribus ad Veratrum album properasse, vbi affectum ab alijs purgationibus nihil penè imminui conspicerent.*

Galenus. Galenus in introduct. scriptum voluit. *Melancholicis medetur per ventrem purgatio, & maxime quæ per vomitum excitatur, adhuc his magis vtrumq; Veratrum soluit.*

Oribasius. Oribasius lib. 7. Collect. c. vltimo. Veratrum dat insaniæ melancholicæ.

Aegineta. Paulus Aegineta lib. 7. cap. 4. ad insanientes laudat Helleborum. & lib. 3. c. 14. de Melancholia scripserat. *Quibus vitium inueterauerit præsentissimum est remedium etiam citata per Veratrum album purgatio.*

Plinius. ex latinis. Plinius lib. 20. cap. 25. Melancholicis insanientibus Helleborum album commendat.

Auicenna. Inter Arabes Auicenna cap. de Melancholia. *Administra Elleborum cum timore, & cautela.* dat etiam raphanum infixis Ellebori radicibus. & in Mirachia antiqua propinat etiam Elleborum album.

C. Aurelianus. C. Aurelianus. lib. 1. cronicon. c. 6. ad Melancholiam. & c. 5. ad furiosos, exhibet Helleborum album.

Theod. Priscianus. vti etiam Teodorus Priscianus.

Possem referre verba plurium Neotericorum. & Alex. Petronij lib. 4. de victu Rom. c. 13. Altimari. Capiuaccei, Cæsalpini, Fuchsij primo de Morbis. cap. 33. Fallopij de med. purg. Hollerij in praxi. Ludo. Mercati. c. de Melanch. Matthioli in cōm. Petri Salij de affec. partic. c. 19.

Prosp. Alpin. lib. 10. de Meth. c. 11. Tagauhij in simpl. Mesues. & Matthioli lib. 4. Epist. ad Iordanū. Brasauoli in Exam. simpl. Diomedis Amici de morb. sporadib. c. 91. & aliorum plurimorum.

Insaniæ Melancholia. Mania. Et ex his constat Helleborum album, prout vomitorium est, prodesse insanientibus omnibus, melancholicis, maniacis, & furiosis sine febre. quod si tales ægrotantes ferunt, & requirunt validissimum Vomitorium, poterimus etiam in hisce morbis vti alijs validis vomitorijs. & vegetabilibus, & mineralibus,

Quid quærendum. Sed pro complemēto huius sectionis esset explicandum, an Veratrum sanis datum insanire faciat vt Democritus scripsit, & si in maiori pondere magis insanire faciat, vt Gariopontus, & quomodo Vomitus conferat, si Hippocrates in Aph. dixit, Melancholicos per inferiora purgandos. Verum de his exacte agemus postea lib. 5. cap. de Melancholia. & de Mania.

De

De Veratri albi vsu in alijs capitis affectibus, vt in Vertigine, Epilepsia, Paralisi, Tremore, Hemicrania, Oculis, &c.

Sect. IX.

NOn vni tantum morbo conuenit Veratrum; sed multis, difficillimis, & primum, ijs, qui Caput vexant. magnis vehementibus, & longis morbis, quique alijs auxilijs sanati non sunt, namq; Hipp. libello de Veratri vsu, & repetit 4. Acut. tex. 85. *Quibus à Capite fluxio est, his Helleborum dare oportet*. in particulari autem ad *Vertiginem*. nam Hipp. libello de Elleboro hæc exarata leguntur. *Quemadmodum autem in prænotionibus dixi, purgatio sursum versus commodat ei, in quo sine febre est cibi fastidium, aut stomachi punctura, aut Vertigo*. Sed contra paulo post scripsit. *Quemadmodum autem in prædictionibus dixi, non sunt medicamenta danda his, qui nigra euomunt, neq; cibum auersantibus, neq; delirijs, neq; vertiginosis*.

Fluxionibus. Vertigini.

Contradictio.

At diceris. supra dixit Hipp. Vomitum ex Elleboro conuenire Vertiginosis, nunc dicit, non conuenire; certè primò Prædict. seu Prorreticorum. n. 9. scripsit perniciosum esse, Vertiginosos medicamentis purgare. sed Gal. in com. omnem difficultatem tollere videtur, dicens, quod *vertiginosi purgatione indigere videbuntur, sed ex eo, quod vires collapsæ sint, euacuationem non ferent*. ita etiam ad Vertiginem curandam Veratrum laudant alij, vt Plinius, & Gariopontus. *Scotomatici*, (inquiens) *purgentur cathartico ex Helleboro*. Etenim quod vomitus his maxime conueniat, patet ex Hipp. 4. aph. 17. quo loci talis extat sententia. *Si quis febrem non habens, abstineat à cibo, & cordis morsum, & tenebricosam vertiginem patiatur* (quam ore ventriculi à malis humoribus morso fieri in com. Gal. exponit) *& oris amaritudinem sentit, medicatione indigere per superiora significat*. præterea Introductio siue Galeni, siue potius Herodoti sit, hæc habet. *Vertiginosis omnium maxime Veratro succurritur*. Huc accedit etiam Aretæus de Vertiginis cura. *Vomitibus à cœna*, inquiens, *nec non vomitibus ab vsu radicularum vti postea decet. Quin & ad Veratri assumptionem hæc præparatio fuerit, nam præexercendus est stomachus, cum vehementiorib. vomitorijs vti volumus. pituita quoq; in præsentia magis attenuatur, & ad Veratrum bene funditur*. & ex his Vertigini non parum prodesse Veratrum elucescit, vt Vomitoriũ. ergo etiã alia vomitoria.

Solutio ex Gal.

Vertigini conferre probatur.

Aratæus.

Non minus Comitialibus conuenire credendum, siquidem, si Plinio fides est habenda, *Drusum constat, hoc medicamento liberatum Comitiali morbo in Anticyra insula*. & C. Celsus lib. 3. c. 23. de morbo comitiali sic scripsit. *Si per hæc morbus finitus non fuerit, confugiendum erit ad album Veratrum, ac ter quoque, aut quater eo vtendum, non ita multis interpositis diebus, sic tamen ne iterum vnquam sumat, nisi conciderit*. id ipsum etiam Aegineta laudat. & hoc quoq; Alex. Trallianus vtitur, ita docens. *Quod si morbus vetustus, & contumax fuerit, vt mitiorà contemnat remedia, tunc ijs quoq; vtendum erit, quæ largius extenuant, & totum affectum excindunt, præsertim ea purgatione, quæ Veratrum album recipit*.

Comitiali. Celsus.

Trallianus.

Paralisim tollere testis est Paulus lib. 7. c. 10. quibus consentit etiam Manardus censet. Auicenna verò, *Vomitus*, inquit, *cum Helleboro albo Paraliticis cum dispositione sua, aut cum raphano*.

Paralisi.

Tremori membrorũ conferre asserit Plinius, immo etiam Gariopontus lib. 5. c. 3. vbi, *Ventrem*, inquit, *purgent ex Elleboro*.

Tremori.

Spasticis, idest conuulsis Plinius, sed à repletione. & Tetano.

Datur etiam Spasmo Cynico, seu conuulsioni caninæ, quando distenditur os. ex auctoritate C. Celsi lib. 4. c. 2. cum ait. *Ducere aluum oportet, si nec sic quidem discussum est, albo Veratro vomitum mouere*.

Spasmo.

Dolori capitis prodesse primus tradidit Hipp. 4. acut. t. 86. quod Paulus etiam postea confirmauit. immo Galenus primo ad Glauc. 15. *si quis doleat caput, si quidem os ventriculi illi mordeatur, & fastidium sentiat, iubendum est, vt vomat; nam vel bilem euomet, vel pituitam, vel vtramque*.

Dolori capitis.

Prodesse Oculis fluxione infestatis addit Paulus. & Celsus. *prodest*, inquit, *cui sonant aures, aut madent oculi*. & Hipp. 2. de articulis tex. 51. in fractura auris. *Si homo facile vomat, vomere debet, vt modice exhauriatur*. sed Hipp. 4. acut. n. 65. *Si vero corpus dissoluatur, vel dolor in capite sit, vel oppletæ aures, vel nares, vel sputatio, vel genuum grauitas, vel corporis præter solitum tumor, quodcumq. horum contigerit, dabis: modo hæc neq. ob potum fiant, neq. ob veneres, neq. ob tristitiam; neq. ob curas, neq. ob vigilias: si enim quippiam horum causam fecerit, ad id curationem dirigere oportet*. conuenire intelligendum putat Galenus in com. si supradicta symptomata abiq. causa manifesta euenerint. Verum non in omni oculorum, & Aurium morbo, & capitis dolore conueniũt Vomitus, & Elleborus, quia idem Hipp. nu. 64. *Nosse oportet*, inquit, *eos, quibus caput dolet ab exercitationibus, aut cursibus, aut profectionibus, aut venationibus, aut ex alio quopiam intempestiuo labore, aut ex re venerea, &c. & obscurè videntes, & quibus aurium sonitus incidunt, &c. ex talibus nullum medicamẽto purgandũ esse. Periculum enim habebis, & nihil opis afferes, & spontaneas liberationes, ac iudicationes tolles*. immo si Vomitus quandoq. spontaneus surditatem relinquit, multo magis à Validissimo Veratro. primo Epid. ægroto quinto: circa xx. *vomuit biliosa, pauca, nigra. ad noctem surditas*. & 3. Epid. ægroto 4. *prima die vomuit biliosa, pauca, flaua primum, postea verò plus æruginosa: secunda die ...* etiam spectat

Oculorum morbis, & Aurium.

Exceptio.

locus Hipp. primo Prorrethicon 20. *Quibus in surditate, & torpore parua est à naribus destillatio, ea habet quid difficultatis. Vomitus hic confert, & alui perturbatio.*

Strumis. Amplius ex Celso lib. 5. c. 28. *ad Strumas album Veratrum rectè datur, atq. etiam sæpius, donec ea digerantur.*

Tandem dicendum cum Hipp. de Victu Acut. n. 56. in vniuersum *Veratrum dare bis oportet, quibus à capite fluxio fertur*, licet Gal. in com. neget Elleborum necessario dandũ esse omnibus, quibus à capite fluxio est. nempe quia interdum capiti soli prouidere consueuimus. sed hoc raro accidit in magna fluxione. & quæ hic de Helleboro diximus, etiam alijs vomitorijs aptari possunt, de quibus in particulari egimus. *Fluxioni à capite.*

De Veratri albi vsu in morbis Thoracis, quales sunt, Asthma, Peripneumonia, Phthisis, Pleuritis, vlcus asperæ arteriæ. Tussis. Syncope. Sect. X.

Saeuissimi hi, curatuq. difficillimi sunt morbi, in quibus unica sententia, Celsi consilio est vtendum, idque memoriæ mandandum, scilicet, *Satius est anceps auxilium experiri, quàm nullum*. his ergo atrocibus in morbis suadet Hipp. Helleborum propinare, q hac vsus verborum serie lib. 3. de morbis n. 17. agens de Peripneumonia. *At medicamenta sursum educentia sexto, & septimo, ac nono die, & morbo adhuc vlterius progesso magis exhibeto. Sit autem medicamentum Veratrum album, Tapsia, Elaterium recens singula æquis portionibus: Quod si saliua non probe purgetur, & spiritus fuerit frequens, & purgatio non præualeat, prædicendum est, nullam spem vitæ reliquam esse.* quis posset suspicari Hippocratẽ hæc dedisse pro Eclegmate ad saliuam expurgandam, non autem ad Vomitũ ciendum, sed deciperetur, quia omnia illa tria sunt validissima Vomitoria, & simul mixta etiam in pauca quantitate non solam sputationem; sed simul vomitũ inducent. At Hipp. vult si purgatio ex Elleboro non præualuerit, ita vt sputum postea probe purgetur, nullam esse spem salutis; & de inter. affect. non multo post principium ait. ad inflammationem Pulmonis. *Si non satis purgentur sursum, per Veratrum ipsum purgato.* *Peripneumonia.* *Expositio.*

Pleuriticis. Pleuriticis dari aliquando asserit Hipp. lib. de Veratri vsu, & 5. Epid. Methoni febris, lateris dolor. *Medicamentum per superna educit biliosa*; ergo exhibuit vomitorium. & 3. de morbis nuper citato scripsit Pleuritidẽ esse curandam, vt Peripneumonia; & Prosper Martianus feliciter vtebatur in deploratis pleuriticis Oximelli Helleborato. At Martin. Rullandus multos Pleuriticos sanauit. Aqua sua benedicta, vel extracto huius Vomitum ciendo.

In tuberculo pulmonis Hipp. 2. de morb. n. 55. *Pharmacum dato à quo inferna aluus non moueatur. Et si vna cum vomitu pus sequatur, si quidem pus fuerit album, effugiet, &c.* *Tuberculo pulmonis.*

Phthisi. Phthisicis quoq. præbuit Hipp. vt 2. de Morbis n. 46. hac ratione. *Si à principio morbus obuenerit, lenticulæ decoctum bibendum dato; deinde interposita vna die, Veratrum dato temperatum, vt ne aluum inferiorem moueat, & quando noctu ad os falsuginosus humor ipsi influit, medicamenta ipsi frequentiora ad nares appone; si verò nõ fluit appone quidem; sed rarius, & mense semel; itaus insuper Veratrum bibendum des, quantum duobus digitis comprehendi potest vino dulci temperatum; statim verò lenticulæ decoctum inde bibendum dato. At medicamenta quam paucissima bibat, si non febres acutiores ipsum corripiant. Radicem Dracontij albam, & Veratri delingat; sed non ex melle, sic enim minime aluum mouebit; si verò tormen in aluo inferna oboriatur primum per clysterem aliud infusum immittitur, in quod Coccus Cnidius ammiscetur. quod si neque sic sedetur, lacte asinino cocto purgato, pharmacum autem nullum deorsum purgans dato; si verò ante medicamentum, præpotato Veratro bilem vomat, ab ipso lenticulæ decocto accepto vomat.* In his Hippocratis verbis plures sese offerunt difficultates. vt superius tetigimus. *Dilutum Calamus.* *Difficultates.*

Primo, quid sit Veratrum temperatum, vt ne aluum moueat. An cum Vino dulci temperatum, vt postea docet? nec hic videtur velle vinum temperatum, sed ipsum Veratrum in Eclegmate tẽperatũ, scilicet imminuta dosi, & admisto Dracontio? Verũ hoc probabilius quodammodo videtur; nã subdit; hoc pacto, idest, in Eclegmate, minime aluum mouebit. vt nos supra hunc locum explicauimus sect. 7. *Veratrum temperatũ.*

Secunda ob id maior insurgit controuersia. quia Veratrum medicamentum validissimum, non videtur in Eclegmate pectorali exhibendum ex Hipp. 4. de Morb. circa finem. *Quæcunque medicamenta purgatoria sunt, quæ superne, aut inferne, aut etiam vtrumq. præstant; ea hæc faciunt, omnia valde vrunt, & fortia quidem ab ipsis, si partem aliquam teneram corporis contigerint, eam exulcerant. Mitiora verò turbulentum corporis motum faciunt, quamcumq. tandem partem occuparint. Si verò aliquod ex his medicamentis in pulmonem peruenerit, videtur mihi magnum aliquod malum inducturum esse. Pituita enim de capite descendens eum in valde breui tempore exulcerat. Tenera enim, & rara res est pulmo, si exulceratus fuerit, non bene habebit homo ille ob multas sanè causas.* Quare si timet Hipp. à medicamentis purgantibus validis (quale certe est Veratrum) pulmonis exulcerationem, si eo peruenerit, quo tamen Eclegmata tendunt, quomodo illo exulcerato id ipsum nunc exhibet? An alia est ratio præseruatiua, alia curatiua? & vbi est purgandum vlcus à corrosiuo pure, valida requiruntur attrahentia, & abstergentia; & vtitur temperato Veratro, seu minus valido, *Veratrum in Eclegmate.*

fortè diluto, vel infuso, ne substantia nocere queat, videtur tamen eius substantiam dare tam in Vino, quam in Eclegmate. Exhibet etiam Veratrum in morbo sequenti, quem appellat Tabem. *Huic Veratrum*, ait, *bibendum dato, & lenticula decoctum, & large cibus sumendus.*

Difficultas 3.

Tertia difficultas est, quia hic nullum deorsum purgans dari vult, at de internis affect. n. 11. in prima Tabe, *Primum quidem*, inquit, *Veratrum bibendum dare, infra autem sub purgare Epythimo, aut Peplio, aut grano gnidio, aut Thytimalide: hac quater in anno dare oportet. sursum bis, deorsum bis.* & eadem curatione vtitur in secunda Tabe. Ergo sursum, & deorsum. Alibi verò in Tabe prohibet Vomitum. vt 4. Aph. 8. *Tabidis verò cauentes ad superiora purgationes.* & Gal. in com. Ad superiores purgationes nūquam Tabidos duxeris ob instrumentorum respirationis debilitatē. & per Tabidos intelligit *vel qui phthisim patiuntur, vel qui ad eam sunt natura proni, scilicet quibus pectus angustum, &c.* & hic nos censemus vltimos intelligere Hippocratem, vnde dicere possumus, quod actu tabidis conueniat vomitus, quia expurgatur pars superior, nempe ventriculus, caput, & Thorax: materia enim præsens vrget ad sui expulsionem, & expulsionem sursum per sputum, quam coadiuuat vomitus. reuellit, & transfert inferna detectio, vnde in Tabe 7. aph. 16. docet fluxum esse malum, quia sputum supprimitur, & ita moriuntur. & 5. aph. 14. *A tabe occupato Alui profluuium accedens, lethale est.* Rectè igitur in actu tabidis infernam purgationem vetat Hipp. Contra verò in paratis ad Tabem prohibetur vomitus ob debiles natura thoracis partes, ne capitis commotiò, & ad imbecille pectus catharri fluxio fiat. & sic Natura ad illas partes excrementa transmittere assuescat: ideo sola inferna aluus reuulsionis potissimum gratia ad partes maximè longinquas a fluxione tentari apto membro mouenda.

An Tabidis vomēdum.

Actu tabidos sursum.

Dilucidatio.

Præterea Hipp. eodem 2. de Morb. n. 47. in alia Tabe: *Huic*, inquit, *Veratrum bibendum est, & lenticula decoctum, & large cibus sumendus, itaut abstineat ab acribus, & carnibus bubulis, ac porcinis, & ouillis, exerceatur modicè, & deambulet, & à cibis vomitu vtatur.* deinde n. 49. in Tabe dorsali. & de inter. aff. 11. in Tabe Vomitum laudat.

Tabidis Veratrum dādum.

Contra vero C. Celsus lib. 3. c. 22. *Vomitus in hoc morbo si frequens est, perniciosus est, maximeque sanguinis.* & C. Aurelianus lib. 2. c. 4. *Diocles vomitum ex Oximellite, quo corpus disijciendo vlceratas lacerat partes: atq. hoc ingiter, & post cœnam faciendum probat. Item Praxagoras initio Helleborum probat, atq. statim faciendam, tum resumendos: non aduertens prima resumptione, tunc Helleboro vtendum, quo possint eius laborem perferre ægrotantes. Ad summam non resumpto viribus deficiente Helleborū non conuenit. Resumpto autem, vel fortificato exclusa phthisica passione comprobatur. & propterea vsus Hellebori rectè prohibetur.* ego dedi Lathiridem in paratis ad phthisim, & contulit.

Quando elleboro vtēdum.

Ad Asthma conuenit etiam Helleborus. & Vomitum laudat Celsus lib. 4. c. 2. Paulus Aegineta lib. 3. c. 29. Gariopontus lib. 2. c. 22. Aetius ser. 8. c. 57. scribit Maximū autem remedium, inquit Archigenes, purgatio frequētior existit *per pharmaca fortiora, & Vomitus à radicibus per interualla suscepti.* deinde laudat Vomitum ex Elaterio, &c. Cæl. Aurel. lib. 3. c. 1. *Tum ex radicibus Vomitus, vel si passio coegerit etiam Helleboro prouocatus.* Aetius ser. 3. c. 119. ex Rufo. *Conducit Vomitus spirationibus erecta ceruice*, & Auicenna lib. 3. fen. 4. tra. 1. c. 40. *Et Helleborus albus*, scripsit, *valde iuuatiuus est, & est in ægritudinibus pectoris securus, & absq. timore, & rectius quidem est, vt sumātur frustra Hellebori, & figantur in Raphano, &c.* ex nostris, qui vomitum laudant in Asthmate sunt. Theod. Priscianus, Hollerius, Fuchsius, Iacchinus in Rasim, Claudinus cons. 120. Guarinonius. cons. 103. & alij plurimi. Renealmus Obser. 91. 92. 120. 144. 145. 167. & 168. refert Asthmaticos curatos vomitu.

ad Asthma

Tandem concludēdum morbis pectoris conferre Helleborismum, quia Paulus lib. 7. c. 4. inquit, *Qui pectoris affectibus torquentur accomodatissimum est.* & Celsus lib. 1. cap. 3. *Prodest ei, cui pectus æstuat.* Soranus Ephesius. c. 7. de pectoris curatione. *Succurrit, si quis post cœnam plenus, cibum, & potum maxime dulcem vomat, & materiam simul phlegmatis, & fellis amittat; sed sic vt ante raphani radices minutas edat, idem Nasturtium, & Sinapi folia terrinis, atq. herba Ruta pariter trita sumenda accipiat, deinde aquam tepidam superbibat, & sic prouocet vomitum. Tunc ille humor noxius, qui vel amarus, vel salsus sentitur, rejectus plurimum sublenat. Certè si non potest vomere: ne stomachus lædatur, ieiunet die tota, & si necesse fuerit, & alia, vsque dum humores malos conficiat, quia assidue vomendo solet stomachus corrumpi.* & Paulus lib. 1. cap. 100. ex Diocle. *Quum à Thorace morbus nascetur, &c. succurrendum est prudenter hoc modo. Vomitus quàm optime fieri potest, post cœnam sine repletione, sineq. medicamento citari debet: vtiles sunt, & vomitiones ante cibum, quas Græci Syrmismos appellant. Oportet autem eum, qui sic vomet, radiculas tenues præsumere, nasturtium, Erucam, Sinapi, & Portulacam, mox aqua tepida superbibita vomere.*

Ad Morbos Pectoris.

Paulus Diocles.

Ad Aphtas, quod est feruidum vlcus in pulmonis fistula ex Hipp. 2. de Morb. 48. cum debili febre, dolore medij pectoris, corporis pruritu, voce raucosa; ac liquida, tenuiq. saliua, quandoq. etiam crassa, fœtido oris halitu, genis rubescentibus, corporeq. attenuato sic Veratro vtitur. *Curare oportet*, inquit, *vt lenticula decocto poto vomat, quod si tempestiuum esse visum fuerit, Veratrum*

ad Aphtas.

bibat

bibat; si quidem potens fuerit homo, perse, sin minus dimidium potionis ad lenticulæ decoctum ammiscet; itaut quinta, aut sexta potione desinat. & hunc textum diligenter Salius,& Martianus considerant.

Ad Tussim.

Tussim etiam Helleboro poto curabant Antiqui: sic Plinius Helleborum laudauit ad Tussim antiquam. Paulus ad longam asperæ arteriæ affectionem. & Hipp. 4. Acut. seu n. 64. *Raucosos, spirituosos, & siccam tussim habentes, medicamento purgandi non sunt, &c. Si verò dare visum fuerit; per Veratrum tato sursum purga, deorsum verò nullam taliam.* in summa etiam pueris tussientibus vomitum præscribebant, vt Paulus lib. 1. c. 7. *si tussicula, aut grauedo puerum affligit, digito linguam leniter premere, multum enim hoc pacto pituita Vomitu egeret:* & Omnibonius ferrarins ad Asthma puerorum eodem modo agit, vti etiam Mercurialis.

Ad Hæmoptoicos.

Imo ad Hemoptoicos in vsu fuit, licet etiam vituperet C. Aurelianus lib. 2. c. 3. scribens. *Praxagoras vtitur vomitu, sed præterunt omnibus vomitus, & propterea contrarias indicatur, rescindit enim vulnera; nisi quis enim, iam solidatis cicatricibus ob recorporationem adhibendam probauerit.* tamen Alex. Trallianus lib. 7. *sanguine detracto, inquit, ægrum conquiescere cogito compellitoq. ne magnam respirationem edat; vbi verò respirauerit, aquosam postea ipsi supersorbere præcipito. Etenim simul cum Vomitu accidit, vt & sanguinis grumi dissoluti eijciantur, & magnum illius ex partibus tam commemoratis profluuium, cursusq. impellatur.*

Concludamus iterum & Veratrum, & Vomitū in vniuersum pectoris morbis prodesse, etiam Plinij testimonio. lib. 31. c. 6. de nauigatione in Aegyptum agentis. *Neq. enim Aegyptus propter se petitur, sed propter longinquitatem nauigandi. Quin & vomitiones ipsæ, instabili volutatione commota plurimis morbis Capitis, oculorum, Pectoris medentur, omnibusque propter quæ Helleborum bibitur.*

Nauigatio in Aegyptum cur.

Morbis Cordis.

Verum enim vero quia Cor in Pectore latet, etiam considerandum modo est, an Veratrum morbis cordis prodesse possit, & quidem in Syncope probant Vomitum Stephanus Atheniensis pag. 196. Fuchsius, Iacchinus.in Syncope à Veneno, Hollerius, Ant. Valetius. Gordonius, ad Syncopem in febre Massaria à sed videntur concedere leuem vomitū non à Veratro, quia Aetius ser. 3. c. 119. ex Ruffo. *Contrarij verò, inquit, sunt Vomitus animi deliquijs, & his, qui à suffocatione assiduè vexantur.* & c. 121. ex Antillo, & Possidonio. *Incommodum Veratrum est his, qui assiduè animo linquuntur.* audiatis Haly abatem. 6. pract. c. 18. Syncopi, si ex Ventris fiat fluxu Vomitus pronocetur, quo ab inferioribus ad superiora reducatur materia. Si ex repletione, aquam calidam, vomitumque impera, & oximel. Et si quis in stomacho est humor pungens cum oliuæ oleo, &

ad Syncopē

aqua vomitum vrge, pennamq; ori inducat, si vomitus non fuerit difficilis.

Ad Melancoliam Hipocōdriacā.

In Melancholia Hipocōdriaca. sic Hipp. 2. de morb. n. 70. *Cura morbus difficilis.* videtur melancholica passio. *Huic Veratrum bibendum dato.* & n. 71. in morbo nigro. *Huic pharmacum bibendum dato frequenter, & pro anni tempore, deinde. & post medicamentorum potiones sursum purgantes.* & n. 72. Alius morbus niger. *Hunc medicamentis sursum, & deorsum purgare oportet.* & 2. de morbis 64. dixerat. *Vomat autem à succis.* pro morbo siccatorio.

Ad Colliquationem.

In Colliquatione. Hipp. de Victu acut. n. 62. *Si valentes fuerint, reuelles Elleboro albo.* & 3. de Dieta. tex. 14. in Colliquatione. *Velocior quidam curatio est poto Veratro, Verum tutior à dieta.*

In Melancholia Hipocondriaca. Iacchinus, Massaria, & alij, leuibus vomitibus vtuntur.

Et quia māmæ in pectore sunt, dicemus etiam Vomitum ijs conferre. quia P. Aegineta. lib. 1. c. 4. ad lac vitiatum Nutricum scripsit. *Lac vitiatum hoc modo corrigi debet: si crassius fuerit, pituita vomitu elicietur, qui optime oximelite epoto ciebitur, &c.*

Ad lac vitiatum.

De Veratri albi vsu in morbis Ventriculi, Sect. XI.

Non mirum, si Veratrum multis Ventriculi morbis conferat, quia ipsum à mole infestantium humorum liberat & expurgat: In omnibus autem ferè deploratis morbis Veratro vsa est antiquitas, dummodo purgatione per superiora egerent, quæ quidem purgatio eorum æuo mirè vsitata erat, contumacesq. morbos, & alioquin solutu difficiles hac vna expellebant, nunc verò quamuis optima sit, parum tamen est in vsu: vnde non mirum si plures morbi non sanentur.

Ad affectus Ventriculi.

Hipp. lib. de Veratri vsu. ipsum exhibet ijs, *in quibus sine febre est cibi fastidium, aut stomachi punctura, aut ostamarum,* & 4. Aph. 17. alt: *Si quis febrem non habens abstinet à cibos, & cordis morsum, & tenebricosam Vertiginem patitur, & oris amaritudinem sentit, medicatione indigere per superiora significat.* Plinius stomachicis. & Paulus lib. 3. c. 3. *Stomachici propriè appellantur qui cibum non continent:* sed Gal. 8. de comp. med. loc. 2. multipliciter dicuntur, vel qui accepto cibo grauentur, vel nausiosi, vel in quibus cibi acidi, vel nidorosi fiunt, vel qui plurimum ructant, vel in quibus plurimum in stomacho cibus firmatur, vel qui habent appetitum caninum, vel qui [illegible] cibum exoluuntur. & fortè omnibus his Veratrum confert. & C. Aurelianus lib. 3. c. 3. *Conuenit, inquit, etiam Vomitus arte affectans, [illegible], & primo ex aqua mulsa, vel ex aceto [illegible]*

Qui sint stomachici.

gulari

gulari, vel adiuncto semine Eruca, aut Cardami, aut Vrtica, aut Sinapi, aut salsamento multo ex aceto, & melle, tum etiam ex radicibus: vltimo quoque Helleboro lenticula admixto, vel Oriza, in ijs, qui rheumatismo fuerint affecti; cum sorbilibus verò succis, qui strictura.

Ad ructum acidum. In Ructu acido præuio ad Hydropem. Hipp. 3. de Diæta. *Velocior quidem curatio est poto Veratro exhibere cibos, quemadmodum à me scriptum est. Verum tutior à Diæta hoc modo. primum calida lotus Vomitum faciat; deinde septem à vomitu diebus cibum consuetum capiat, decimo autem à vomitu die rursus vomat.* & Celsus lib. 1. c. 3. *vbi amari ructus cum dolore, & grauitate præcordiorum sunt, ad hunc protinus confugiendum est. item prodest ei, cui frequens saliua, vel nausea est, aut os amarum est.* & c. 8. *cui cibus acescit, is ante eum bibere aquam egelidam debet, & vomere.*

Ad Salinationem.

Ad Nauseã Nauseabũdis prębet Aetius ex Ruffo ser. 3. cap. 119. sed Hipp. 6. in 2. Epid. 29. *Vomitus solutio aquam calidam bibendam dato, & vomat.* & Aetius ser. 9. c. 3. in Vomitu bilis. *Ante cibum*, ait, *aquam tepidam dabimus, & vomere cogemus, bilioso enim humore circum circa adhęrente vnà cum aqua reiecto, stomachus elatus, ac leuior redditus statim retinet oblatum sibi cibum.* & c. 10. in Nausea. *Innatantes*, inquit, *humores euacuare, siue per Vomitum, siuè infernè, si humor tenuis biliosus, aut serosus in ventris amplitudine contineatur, tenuissimo ptisanæ succo exhibito vomere cogimus digitis, aut pennis immissis.*

Aetius.

Ad Vomitum biliosũ

Actuarius. Actuarius 4. meth. c. 5. scripsit. *ijs, quibus in Ventriculi ore humor aliquis coaceruatur, vt Vomitum moueant, studendum est: ita namq. promptius æger extricatur. Quod si vna sponte humor is non cesserit, medicamentis suprà infraue explodendus est: inde nimirum, quo sua natura repit.*

Alex. Alexander Trall. lib. 7. c. 7. Anorexiæ, seu cibi fastidio. *Quod si humores noxij per vomitus euacuandi tibi videantur, caue ne medicamentis ad vomitum ciendum efficacibus vtaris; sed humectantibus potiùs cibis, & potionibus, vt potè copiosa aqua tepida, idque frequenter, sic namq. recrementitius humor facile supernatabit, educeturq. Etenim mulsa etsi vomitum moueat, tamen in eiusmodi, ipsa vitari debet, vt quæ intemperiem aliquam latentem corpori insinuet; quare rectius ages, si tepida sola vtaris: sin autem ægrum quoque luteis ouorum, aut cremore ptisanæ nutries, priusquam tepidam exhibueris: deinde exiguo tempore interposito, ita vomitum potius prouocaueris, is sine noxa erit, & vtilissimus. Eo sanè modo vomitus, si æger ad illum inclinatior fuerit, accomodari debet; sin autem difficulter vomat cauendum est, ne stomachus plurimum vellicetur, vel ad id compellatur: nam si largius vellicet, distendesq. magis appetitum subuertes.* ita etiã Aetius ser. 9. c. 20.

Ad cibi fastidium.

Ad crapulã Ad Crapulam Hipp. de loc. in hom. 45. *Quum susceperis vinosum, & vomentem, vomitum ne sedato, vomitus enim euacuationem sedat, facilius autem vomitus postea sedabitur.* Aetius ser. 4. c. 51. ex Philumeno. *cruditates.* ex Vino cogemus ipsos Vomere tepida aqua.

Ad cruditatem. Ad cruditatem. Oribasius lib. 7. collec. cap. vltimo Veratrum diuturnis cruditatibus exhibet. Aetius serm. 4. c. 50. & ser. 9. c. 24.

Ad singultum. Ad singultum. à repletione, vel mordacitate. Aetius ser. 9. c. 5. Paul. lib. 2. c. 57. Alexander. lib. 7. c. 15. Gariopontus. lib. 2. c. 42. & alij.

Et in omnibus alijs Ventriculi affectibus, & calidis, & frigidis Bulimo, fami Caninæ, ad sitim. plurimi Auctores Veratrum probant, vel saltem vomitum leuiorem, prout casus leuiores sunt.

De Veratri vsu in morbis intestinorum.
Sec. XII.

VEntriculo adhęrent intestina, ab eo recipiunt alimentum concoctum, eandem tunicam habent, & eiusdem sunt famulitij, ob id de ijs nunc agendum. primo autem de laxatis, tum de astrictis. consideremus igitur, an in lienteria, celiaca, Diarrhæa, disenteriaque, & etiam Cholera, Veratrum, & Vomitus conueniant.

Noxius in lienteria. Et primo negandum videtur, quia Hipp. 4. Aph. 12. *Quibus alui intestinorum leuitate laborant, eos hyeme sursum purgare malum est.* quẽ imitatus Auicenna. 4. primi doct. 5. c. 4. ait. *Et cuius humor descendens fuerit sicut lienteriam habentem, facere vt vomat, est inconueniens.*

Hipp. Tamen ipse Hipp. de inter. affect. 26. ad profluuium ventris longum docuit. *Veratrum in potu dato, sursum versus resiccato, & capite à pituita purgato.* deinde subdit. *Hi morbi Disenteria, inquam, & lienteria, ac Diarrhæa consimiles sunt, & oportet ipsos sic sanare, ita vt defluxum à capite, & superiore ventre intercipias, aut auertas.* & n. 28. In Cholerica nobis dicta, aut Diarrhæa ex Vino, aut conuiuio. *Si verò non cesset, velis autem sedare, vomitum à cibo, aut lenticulæ decocto facito, & confestim sursum reuellitur infernus secessus.* & 3. de Diæta n. 16. ad Disenteriam. *Quum verò dies decem præterierint, dimidium cibi detracti apponere, ac vomitu vti; atque sic addens quatuor cibum exhibere, vbi autem alij decem dies præterierint, etiam reliquum cibum apponere, ac vomitum facere.* & in alijs etiam alui fluxibus n. 17. 18. 19. vtitur Hipp. Vomitu. Præterea primo de morb. 6. *A profluuio alui fortis correpto, Vomitus superueniens, bonum.* & de Affect. 24. in Disenteria. *Huius vbi purgaueris caput pharmaco in potu exhibito, quod sursum pituitam purgat.* & similiter curat lienteriam. Præterea 5. Epid. nu. 4. *Athenis virum cholera corripuit; vomebatq. & deorsum egerebat, & dolebat; & neq. Vomitus, neq. per aluum secessus sisti poterat; & vox ipsum destituebat, & ex lecto moueri non poterat, & oculi caliginosi, & caui erant, & conuulsiones tenebant ab aluo, & intestino, & singultus, verum*

Ad cholerã & Diarrheã

Ad Disenteriam.

Hipp. ad choleram.

secessus

secessus multo copiosior erat, quam vomitus. Hic Veratrum in lentium succo bibit, & alterum Lentium succum insuper bibit, quantum potuit, & postea vomuit, & coacta sunt, ac adstricta ipsi ambo. frigidus autem factus est, & lauabat infernè usque ad pudenda, calida valde multa; donec etiam superna partes calefacta sunt, & vivebat, postera die polentam bibit ex aqua. mirabilis est hæc historia, & licet Hipp. non scribat an conualuerit, tamen constat in cholera, cui superuenerat conuulsio dedisse Veratrum ad Vomendum. & 7. Epidem. Mnesianacti. *Alui egestio ante febrem, & postea ad multum tempus sequebatur, multis, albis, mucosis prodeuntibus, & quandoq. pauco sanguine citra dolorem. strepitus autem in ventre, &c. datum est Veratrum, &c.*

Et hanc medendi fluxus intestinorum rationem per Vomitum sequuti sunt etiam posteriores veteres. si quidem Aretæus lib. 8. c. 6. de cura Cœliacorum. *Quod si per hæc nihil, aut parum proficiatur, vomitionibus per raphanos lacessitis vtitor. Verum si & albi Veratri radices in his per noctem unam addideris, valentissima tibi purgatio successerit: per quam frigidi humores purgabuntur, & extenuentur, calor autem accendetur.* & Cel. Aurel. lib. 4. c. 3. Cœliacis, & intestinorum defluxionibus. *Si passio perseuerauerit. Tum confirmato corpore, & resumptis viribus vomitum conuenit adhibere, & primo ex simplici potu; secundo ex radicibus, quo partialiter locale adiutorium ventri præstemus, & quodam vehementi motu, velut purgatione per vomitum effecta, omni impedimento digestionis officij liberetur.* deinde. *ac si fortificatum corpus rursum fuerit humoris fluore tentatum; quod Græci Rheumatismum vocant; conuenit Hellebori dati decocti, vel radicibus inserti, quod Cataposton appelant: dissecat enim corpus, & quadam nouitate confirmat. Culpandi præterea etiam nunc Veteres medicinæ conditores. Hippocrates enim libro, quem ad Cnidias sententias scribit: Helleborandos principio ægros ordinauit, vltimum adiutorium cæteris anteponens. Lisus etiam principio adhibendum vomitum post cibum probat: sed cum noua, ac recens in corpore fuerit passio, sine dubio dupliciter nocebit: primo, quod intemporaliter, etenim nouellæ passiones fuasu quodam; & non agitatione vehementi, sunt depellendæ, debuere, quod incongrue, si quidem sit Vomitus post cibum grauabilis raptus.* At pro Hippocrate respondere licet, extremis morbis, extrema remedia: ita etiam: cum morbus extremos habuerit labores statim, statim etiam extremo victu veniendum. & etiam extremo remedio, qualis est Helleborismus, & pro Lisio dicemus vomitum non gratuito rapere, et lib. 1. probauimus, nec nouellæ passiones si fuerint extremæ blanditijs, & procrastinatione curantur, sed cito, quia occasio præceps.

Ad Tormina, seu disenteriam sine febre Hipp. in Epistola, & Plinius. *Torminibus medentibus.* C. Celsus. lib. 1. c. 3. *Illud quoque scire oportet, quod ventrem Vomitus solutum comprimit, compressum soluit, idemque comprimit is Vomitus, qui statim post cibum est, soluit is, qui tardè superuenit.* deinde cap. 6. ad solutam aluũ. *si quid offensæ à cœna sensit, vomere debet, idque postero quoque die facere.* & lib. 2. c. 7. *longas deiectiones supprimit Vomitus.* & c. 12. *Vomitus necessarius omnibus, qui cholera laborent. sed quia acutus morbus est, asperioribus medicamentis opus non est, satisq. est, ea vomitus causa sumit, quæ sanis quoque sumenda esse proposui.* & lib. 4. c. 11. ad choleram. *Protinus ergo vbi ista cœperunt, aquæ tepidæ, quam plurimum bibere oportet, & vomere. Vix unquam sine vomitu sequetur; sed etiam si non incidit, miscuisse tamen nouam materiam corruptæ prodest; parsq. sanitatis est Vomitum esse suppressum. si id incidit, protinus ab omni potione abstinendum est.* & c. 16. ad læuitatem intestinorum. *Vomitus, ut Hippocrati uisum est, etiã albo Veratro, si cætera parum proficiant euocatus.* & c. 19. in ventris fluxu. *Si postera quoque die fluat, plus edisse: sed uomere etiam ex toto, donec conquiescat. Contra sitim, famem, uomitu uti. Vix enim fieri potest, ut post hanc animaduersionem aluus non contrahatur. Alia uia est, ubi uelis supprimere. Cœnare, deinde uomere, postero die in lecto conquiescere, uasperè ungi, sed leniter, &c. idque usque quintum diem facere iterumq. uomere.* Deinde subdit. *A Vomitu oportet incipere.*

Aetius ser. 9. c. 10. Choleræ. *si quis mox in principio, aut coaceruatim, ea, quæ efferuntur, cohibere aggrediatur, is maioris mali auctor erit: inutilia enim quum sint, euacuatione opus habent; quare conuenit, si non sponte ferantur, opportunè irritare, aqua tepida exhibita, ac ægro uomere iusso: aqua enim mulsa mordacitatem operatur, tortionesq. auget: aqua verò oleo mista, auget fluxionem; quare aqua tepida potata uomant, quoties cumque quidem cibis assumptis fuerint expleti, priusquã illi corrumpantur.* & c. 8. ad Cœliacos. *Aliquando larga potione utendum, æger que ad reuomendum cogendus, maximè si humores in ventre collectos perceperimus.* deinde scripsit. *Diabolister etiam Vomitus efficaces sunt, tum à cæna, tum ieiuno facti; nimirum, quia corrupta sunt euacuantes, & quæ ad intestina delapsa sunt, attrahentes, & consequenter, suas proprias ventris actiones reuocantes: directò liceret ab his ad eos, qui à raphanis fiunt transire, maiore compendio affectio ipsa expugnaretur. Quidam etiam Veratri albi purgatione usi sunt, & si subiecta vires eius auxilij sint capaces, præ omnibus huius usus eligatur.* Gariopont. lib. 3. c. 13. Cœliaci. *uomitum post cœnam prouocens:* & lib. 5. c. 13. choleræ. *Aquam calidã in tempore offerimus, ut per uomitum eis prouidemus indigestionem.* C. Aurelian. 3. Acut. c. 21. Cholericis. *Primo potum dari decet tepidum, ut quod inuentatum corruptione uidetur, tanquam uenenum materia per Vomitum depurgetur.* deinde scripsit. *Hippocrates autem 5. libro Epidemion cholaricorũ signa tradens* (i. de Atheniẽsi cholera correpto.) *Helleboro dicit uendũ cum lenticula, ac singulatem succum lenticulæ bibendum:*

tunc

Margin notes: *Aretæus.* — *C. Aurelianus.* — *ad Cœliacos* — *Ad Tormina.* — *Hipp. Plin.* — *Celsus.* — *Ad cholerã* — *Ad leuitatẽ intestinorũ.* — *Ad cholerã* — *Gariopõtus.* — *C. Aurel.*

Contra Hipp. *tute, inquit, Vomitum prouocandum esse, quod est non aliter contrarium, quam si quis fluere sanguinis pereuntem, vel diaphoresi dissolutum phlebotomare, vel aut cardiacum sudore defluentem calido lauacro, vel sudorificis velit adiuuare. Nam id ipsum quod passio vocatur, adiutorium quoque fieri vehementius cogit. Etenim ex Helleboro vomitus factus etiam bis, qui nulla solutione afficiuntur, cholericæ passionis periculum solet afferre, & c. magis cum non præparatis corporibus adhibetur. At si* *Hipp. defensus.* *quis quam Hipp. defendens dixerit, ab eo non datum; sed memoratum, quam quidam cholericus acceperit; vel sibi ipse dederit. frigida vtitur defensione, aut enim Hipp. profuisse datum, quod si displiceret, culpare debuisset.* Pro Hipp. dicemus, quod exitus acta probauit. si sanauit ægrotum, bene fuit datum, nec debet reprehendi. pergit etiam C. Aurelianus scribens. *Item Diocles libro de passionibus, cum tempus visum fuerit, dandam frigidam, & in vomitum prouocandus. Praxagoras autem vomentibus, prius, inquit, calida potum dandum, tunc si plurimus vomitus fuerit, lauandus ægrotus calida. Asclepiades verò 3. libro Acutarum passionum, molieus, ac prouocans vomitum ex rapaci haustu transuoratis potionibus eodem die lauat ægrotantes.*

Ad aluum sistendam. Præterea Hipp. 2. de Diæta 21. *Quū igitur,* inquit, *aluum quis sistere volet, ante deuoratum cibum euomere oportet, priusquam humescat, & infra detrahatur, & magis acerbis, & austeris edulijs vti. Vbi verò soluere aluum quis velit, plurimo tempore cibis immorari confert, & acribus, ac salsis, & pinguibus, ac dulcibus, tum cibis, tum potionibus vti.*

Vomitum etiam probant in prædictis affectibus intestinorum multi Recentiorum, vt Auicenna, Massaria, Hollerius, Ant. Valetius, Fontanonus, Iacchinus, Paschalius, Gattinara, Geor. Fabricius. Claudius Diodotus, Marquardus, & multi alij. Nos dicemus, si quandoq. Vomitus leuis probatur, si aliàs Vomitus à Veratro laudatur, etiam licere alijs Vomitorijs vti.

De Veratri vsu Intestinis dolentibus.

Sec. XIII.

Vt pateat in omnibus ferè morbis Helleboro, ac Vomitu vsum fuisse Antiquitatem, etiam distinctè referemus ad intestina dolentia adhibuisse. siquidem Hippocrates 3. de morb. n. 15. in Voluulo. *Superum Ventriculum,* inquit, *quam citissime purgato.* & libello de Veratri vsu, ait. *Datur quandoq. voluulosis.* & de inter. aff. 47. *intermedijs verò diebus vomitus faciat per sextum diem. Verum aliàs, atq.* *Iliacis.* *aliàs ante vomitum, & pharmaci potum fomentum adhibere oportet.*

Aurelianus Iliacis noxium. Sed contra C. Aurelianus 3. Acut. c. 17. ad Iliacos scripsit. *Veterum medicorum Hippocrates 3. lib. de morb. communiter, inquit, refrigeranda superiora, particulariter autem adhibenda vomifica medicamina.* deinde subdit. *Principio vomitus, quem adhibendum probat, asperat eius celeritatem: si quidem disijciendo corpora commouet.* postea scribit. *Praxagoras 3. lib. curationum. Clysterem iubet adhiberi, dans medicamina purgatiua virtutis, atq. per vomitum corpora desiccare.* item addit. ac vomitu vtitur *donec stercora faciat euomi. aliquos etiam post Vomitum phlebotomat.* Et hæc ipse multis reprobare conatur, dicitq. necem accelerare, *cum omne stercus per Vomitum emissum phlegmones intestinorum sit argumentum.* nec vana loquitur *Dilucidatio* Aurelianus, nec censeo in omni ileo vomitum conuenire; sed aliquando probo. vt Aretæus in iliacis. *consulendum, inquit, vt à potu aqua tepida frequenter euomat, oleum multū bibat, deinde rursus euomat.* sed id clarius docuit Aetius ser. 9. c. 28. ex Archigene. in voluulo. *si cibus crudus ventri insidere videatur, aqua mulsa cum nitro exhibita vomere cogemus: deinde rursum, aquam calidam puram dabimus. vt mordacitas obtundatur. Si verò à Veneno so pharmaco quis in Voluulum incidat, aquam tepidam multam bibendam dabimus, vomereq. cogemus: deinde oleum calidum in potu dandum. ac pinguia iuscula, vt rursus vomant ex moderato eorum potu.* Quod confirmauit Aegineta lib. 3. c. 44. scribens. *Qui ex Medicamento in Ileon inciderūt, vt vomant compellendi aqua calida potu: deinde oleum calens propinari debet, vel iura pinguia, vt denuo vomant.*

Aretæus. *Aetius.* *Aegineta.*

C. Aurelianus. In Colicis verò C. Aurelianus Tard. lib. 4. c. 7. *At si sumpto cibo quisquam dolore fuerit affectus, vel nausea, erit vomitus prouocandus,* *Ad Colicā.* *sumpta primo aqua tepida, vel aqua, & oleo, quibus potis immissis digitis accepta reddantur vexationem enim vomitus, sumptorum perseuerans pondus, atq. tentio, & mordicatio tumentium grauior vexatio indicatur.* deinde ait. *Et cum olim futuram superpositionem viderimus, vomitus ieiunio adhibendus ex radicibus. Tum perseuerante passione etiam ex Helleboro radicibus inserto: tum infuso, ac deinde conciso iuxta ordinem cycliparticum ceterarum.* *Aetius.* Aetius ser. 9. c. 29. Colicis ex Galeno. *Calida potata, ac vomitu reiecta, biliosum humorem excernunt. quique etiam æruginis aliquando in colore similis existit. hic igitur humor vbi in ventre consisterit, mordens, & animi deliquia inferens, per vomitum expurgare ipsum oportet.* & cap. 30. ait. *Vomitus ante Canam, si quis facile vomat, præ omnibus auxiliatur.* & Gariopontus lib. 3. c. 25. ad colicos. *Vomitum etiā prouocabis post cænam ex raphano, & purgentur ex Helleboro.* Præterea Alex. Trall. lib. 10. ad Colicos. *Vomitus, inquit, ob frigidum humorem dolentibus, vtilissimus est, præsertim qui à Raphani radicibus, item cibis salsis, dulcibus, & copiosioribus petitur. simul enim cum vomitu etiam si quid uiscosum est, crassum, & pituitosum, educitur, nec sinit copiosum collectum rursus intestinis insluere, qui aliorum iterum dolorum autor fiant. Oportet autem non solum in ipso morbo uomitum ciere:*

Gariopōtus. *Trallianus.*

clere; sed etiam quando conquiescit, id faciendum est. Probat etiam Vomitum in Colica plures, vt Fuchsius, Paschalius, de contecillis Hollerius in scholio, & alij inter quos Massaria scripsit. *Opportuna, ac salutaris uacuandi ratio illa est, quæ fit per Vomitum; atq. non solum ducit humorem noxium, qui dolorem gignit; aut certè fouet: sed illum simul ab affecta parte reuellit: quā ob rem si conuciatis uentriculum reliquiis alimenti, & pituita refertum esse: dummodo æger non fuerit difficilis ad uomendum, aut sponte, aut leui aliquo remedio decet uomitum prouocare, quo sæpenumero multa ducuntur excrementa, & res adeo feliciter succedit, ut aliis deinceps remediis non indigeamus.*

Contra lum bricos. Nec solum intestinis dolentibus prodest Vomitus, & Helleboritis, sed etiam lumbricorum copia infestatis, quapropter Celsus lib. 4. c. 17. *Pridie cum multum Allium ederit, uomat.*

Extremum intestinum vexant dolorosæ *Ad Hæmorroidas.* Hæmorrhoides: his vomitus, & Veratrum quandoq. conferunt. docuit nempe Hipp. 4. Acutorum. seu n. 64. *Quibus per sedem sanguis uehementer erupit, medicamento non purgato, &c. Si uerò medicamentum dare usum fuerit, per Veratrum tuto sursum purga, deorsum uerò nullum talium.* & n. 67. ad Hæmorroidas. *Purgabis Helleboro, &c. Vomat autem per interpositos dies septem, aut ter in mense, nam hoc pacto optime corpus habebit.* Halyabas, primo pract. c. 12. ex Gal. *Vomitus reuellit sanguinem fluentem per hæmorroidas.* & 7. pract. 14. *hæmorrhoides à quibus sanguis defluit, ... cui ... patienti Vomitus est utendum, & paulatim illi assuescat.*

Ad ulcera Ani. Ad vlcera Ani, Aetius ex Ruffo serm. 3. cap. 119.

Ad procidentiam. Ad procidentiam Ani, Fuchsius, Gattinara, & alij.

Et ex his patet quantum morbis intestinorum ad sursum reuellendū prosit Vomitus; non solum ab Elleboro excitatus; sed ab alijs.

De Veratri usu Hepate, & Liene affectis,
Sec. XIV.

Hæc membra recipiūt à Ventriculo, tamen sua excrementa quandoq; ad Ventriculum remittunt, & per vomitum expurgantur. & quādoq. melius per Vomitum, *Hipp.* quam per secessū. vnde Hipp. de Vict. Acut. n. 64. *Eos*, inquit, *qui intenta habent præcordia, & latera, & dorsum, & splenicos, & uenarum intercepitiones, medicamento purgandi non sunt, &c. Si uerò medicamentum dare usum fuerit per Veratrum tuto sursum purga. deorsum uerò nullum talium.* & de inter. aff. n. 30. in morbo Hepa- *Ad dolorē Hepatis.* tico, i. dolore Hepatis. ait, *Si uerò suffocatio accesserit, hac dare oportet, quo uomat, Mel, Aquam, Acetum, Salem permixta in ollam nouā infundito: deinde tepefacito, & Origani capitulis unà cum semine agitato, Vbi uerò tepefacta fuerint, tepida ebibenda dato. deinde stragulis iniectis confectum finito donec quam maxime exudarit. Et ubi uomitus ipsum apprehenderit, prompte uomat, irritatione per pennam facta. Si uero uomere non possit, aqua mulsa tepida poculum duarum hemitarum insuper bibat, & sic uomat, Et si quid pituita, aut bilis redundarit, rursus idem facere oportet ad horas quatuor, & proderit enim.*

In Scirrho Hepatis, vel lienis. Cel. Aurel. *Ad Scirrhos. C. Aurell.* lib. 3. tard. c. 4. *Conueniet*, inquit, *tum radicū uomitus cum aceto squillitico, uel certe Helleboro erunt adijciendi*, deinde scripsit. *Praxagoras, Iecorosis exhibet uomitum, aut præterea bibendam malsam aceto admixto Daucio, aut Hissopo, uel thymo, aut capparis radice, uel folijs; aut semine, aut atheræ herbæ semine, quam Eringion appellant, aut chamælea, uel Camepitis, aut Absinthij, aut marrubij; adhibens etiam Vomitum.*

Halyabas primo prac. c. 12. *Vomitus aperit* *Halyabas.* *opilationem, quæ est in uisceribus propter nimiū usum motus*, & Theod. Priscianus. *Lienosos* *Priscianus.* *ieiunos acceptis radiculis cum oximelle uomere cogo*, etiam Gariopontus lib. 3. c. 1. scirro Lie- *Gariopōtus. Lienosis.* nis. *Per omnes dies ieiunis dabis manducare radices cum sinapi, & oxymelle, ubi ipsa infusa sint, & continuo calidam aquam bibant, & digitis, aut pennis uomitum prouocent.*

Præterea Hipp. de Vic. acut. n. 64. & lib. *Hipp.* de Veratri vsu. *Splenicos non purgabis, &c. si uerò medicamentum dare usum fuerit, per Veratrum tuto sursum purga. deorsum uerò nullum talium.* & de aff. n. 21. ad splenem magnum. *Verò sursum per Veratrum purgato, & attenuantibus nutribus*, & de int. aff. n. 33. ad tumorem splenis cum febre. *Huic quum sic habuerit Veratrum purgans deorsum* (puto legendum sursum) *bibendum dato, & Cnidio cocco subpurgato*. quia idem est purgare deorsum, & subpurgare. & supra dixerat in alio *Veratro sursum*, deinde n. 34. alius splenis morbus, qui videtur Scorbutus, curatur, vt primum. & n. 35. in alio morbo splenis à sanguine. *Pharmacum sursum purgans ne dederis, deorsum verò granum cnidium exhibeto*. quo patet Elleboro sursum purgante in alio morbo vsum fuisse, non autem deorsum. fauet nobis Galenus 6. de loc. aff. c. 1. *Lien, inquiens,* *Galenus.* *Hepatis exemplo sæpenumero excremēta ex se reijcit, itaut, & uomitione, cui nausea quoq. accedit, melancholicum sanguinem aliquando excernat.* adda mus Oribasium lib. 7. collect. cap. vltimo *Oribasius.* *ad Ictericis Helleborum valet.* *Ictericis.*

Ad morbum regium ex obstructione in superiori loco Cardanus lib. 4. de Dentib. *Cardanus.* c. 19. *Non aliam quidem*, inquit, *hoc in casu restituere decreui, quam enim, qua usus sum in Francisco Grato Bononiensi Patritio procuratore causarum criminalium. Primum ergo iniunxi uomitum, qui ei facilis erat, utebatur autem ob alui duritiem singulis diebus clystere, &c.* & pergit. *Plenius secundus lib. 2. c. 59. & fuit Praxagora inuentum Alij capita septem, Centaurij minoris, Anethi singu-*

ſingulorum m. j. Atriplicis ſemunciam coquantur ad tertias, ſumat decoctum in balneo, poſt edat radiculas ex oleo, & ſale. forſan legi poſſet ſem. Atriplicis ſemunciam. Verum vtcumq. ſit, incredibile eſt, quantum modica pars medicamenti frigidi retundat multorum calidorum vim, cùm humores frigidi adſuerint. Nam frigidum à membris trahitur, dum calidi vis in attrahendis craſſis humoribus abſumitur, ex hoc vomitum cieri credo. & cap. 35. idem Cardanus de cura morbi regij cum duritie iecoris, & eſt caſus ad vnguem ab Hipp. 6. aph. 30. deſcriptus. *Oportet vti victu tenuiore, & Vomitu & expurgare ſæpius.*

Ad Atrophiam. In Atrophia. C. Aurel. lib. 3. c. 7. *Themiſon*, inquit, *poſt cœnam imperat vomitum prædato paſſo, aut Vino dulci, vel ſucco ptiſanæ cum frequentato vomitu. ona duo danda ſorbilia cum panis vncijs duabus, ex quo incenſa altiora; atq. exercitatis vomitu viſceribus facile corrumpuntur accepta; hæc igitur nos recuſamus.* nobis ſat erit ſcire Vomitu multos medicos antiquos vſos fuiſſe: immo Hipp. de Vic. acut. n. 64. ſæpius citato ait. decolores, exangues medicamento non eſſe purgandos. *ſi verò medicamentum dare viſum fuerit, per Veratrum tuto ſurſum purga, deorſum verò nullum talium.*

Obeſis, & gracilibus. Tandem concludamus cum Aetio ſer. 3. c. 119. ex Ruffo. *Auxiliatur purgatio per vomitus nimiæ corporis moli. opitulatur item excellenter gracilibus.* cui fauet Celſus lib. 1. c. 3. *Extenuat corpus Vomitus.*

Et ex his paucis patet, Vomitum, Elleborum, & conſequenter alia vomitoria in morbis Hepatis, & Lienis ſæpiſſime eſſe proficua, non autem omnino vituperanda.

De Vſu Veratri in Cacheſia, & Hydrope. Sec. XV.

SVnt, & hi morbi, vt plurimum ab Hepare pendentes. & in his ſi Hipp. vomitu vtitur ex Helleboro, & alijs, nos etiam vti poterimus Lathyride, Elaterio, Antimonio, gutta gummi, & alijs. ſi enim Vomitoriorũ Rex Veratrum album conuenit, alia minora non erunt recuſanda.

Ad pituitã albam. Hipp. 2. de morb. n. 69. in Pituita alba. *Surſum purgans*, inquit, *non prius dederis, quam tumores ad infernas partes deſcenderint. quod ſi extenuato iam ipſo ſuffocatio in pectore oboriatur Veratrum bibendum dato, & caput purgato, & poſtea deorſum purgans bibat.* præterea de int. aff. nu. 21. in Pituita populari, quæ cacheſiæ

Ad cachexiam. ſpecies eſt. *Vomitus poſt cibum facere oportet, per duos, aut tres dies, itaque, & prandeat inſuper, ac quieſcat: ſi prioribus diebus ſemel in die cibum capere, & laborare ſolitus fuit, ſin minus huiuſmodi diæta vtatur. primum multa calida lauetur, quum Vomitum facere voluerit, & edat mazam oleo, & melle ſubactam, & panem exſiccatum veterem: hæc enim magis pituitam trahunt. Obſonijs autem vtatur, vt oleribus acribus. ſed & pinguia, & dulcia, & acida omnia idonea ſunt, vt permiſta aſſumantur. Et oleribus omnibus viridibus vtatur. Et bibat inter cibum frequenter modicum vinum dulce, & in fine placentam inſuper edat, & mel, & ficus. Et quum cœnabit, pocula large exhauriat, & vbi iam repletus fuerit parum dormiat. Deinde exporrectus vomat, magno vini poculo epoto, cum tepida aqua temperato. Trahit enim magis pituitam, & humorem ex carnibus, & corpus magis reſiccat. Euomat autem donec ficus euomuerit: hæc enim poſtremum euomuntur.*

Elleboriſmum autem maxime conuenire *Ad Hydropicos.* Hydropicis, Aſciti, Timpaniti, Hypoſarcæ, pituitæ albæ, & cachexiæ, ſeu malo corporis habitui, alijſq. huius generis morbis. Experientia, auctoritatibus, & rationibus pluribus mihi notiſſimum eſt, ſi quidem *Hippocrat.* Hipp. de int. aff. n. 28. *hunc*, inquit, *à principio curato, & ſurſum quidem Veratrum exhibeto, deorſum vero Cneorum, aut Cnidium granum.* curat autem ſic Hippocrates Hydropem à Splene. & de Vic. acut. n. 62. in Hidrope à colliquatione. *Si potentes fuerint Veratro albo* *Plinius.* *reuellere oportet.* & Plinius etiam ſcripſit. *Hydropicis, incipientibuſq. timpanitis.* præterea P. *Aegineta.* Aeginera mederi ſcripſit Helleborum. *malo corporis habitui.* & lib. 7. c. 10. *Hydropi, Cache-* *Aurelianus* *xiæ.* & C. Aurelianus lib. 3. tard. c. 8. de Hidrope. *poterit etiam vti prius radicum vomitu: dehinc ante diem radicum vſus, album veratrum immittere; tunc ſequenti die hoc detracto radicee dare, vel certe Hellebori decoctionem. ſed horum vſum, vel confectionem dexteram, atque adhibendi modum reſponſionum libris de adiutorijs ſcribentes, docuimus.* & lib. 5. c. 1. de iſchiade, per *Trãſpoſitio à librario in Aureliano.* errorem forte librarij multa de Hydrope inſerta ſunt. ſcilicet. *Herodicus, vt Aſclepiades memorat, adhibet poſt cœnam vomitus, qui ſint implebiles potius, quam ſiccabiles, ſic etiam antiquiſſimus Euryphon.* addit. *Diocles Vomitum prouocandum ſcripſit.* poſt pauca verba ſubdit *Praxagoras vtitur uomitu non ſolum ieiuno, uerum etiam poſt ueſpertinum cibum.* præterea refert. *Themiſon per ſingulos menſes ternos radicum ordinat uomitus.* tandem memorat *Aſclepiades in Aſcite uerò, initium ex uomitu ſumit, quem Helleboro faciendum probat.*

C. Celſus, *Ergo*, inquit, *ſi inflatio, & ex ea dolor creber eſt, utilis quotidianus, aut alterno quoque die poſt cibum uomitus eſt.* mox ſubdit. *amat frequentiorem in ieiunio uomitum.* Gal. 1. de *Galenus.* hum. 12. *In Hydrope quidem*, ait, *ſtatim in principio adhibenda curatio eſt, ubi uerò conſtiterit, in primis addenda erunt, quæ pituitam per ſedem educant: deinde utemur ijs, quæ excito uomitu euacuant.* quod repetit lib. quos purgare oportet. Aetius ſer. 3. c. 119. ex Ruffo. *Vo-* *Aetius.* *mitus conuenit Hydropicis, maxime aqua inter cutem laborantibus.* & cap. 121. ex Antyllo, & Poſſidonio. *Dandum eſt Veratrum Hydropicis*, & Oribaſius, collect. lib. 7. cap. vltimo. *Helleborus ualet ad albam pituitam.* & C. Celſus

lib. 3. c. 21. scriptum voluit. *Metrodorum Epicuri discipulum, referunt, cum hoc morbo tentaretur, neq. aequo animo ferret necessariam sitim, ubi diu abstinuerat, bibere solitum. deinde euomere, &c.* Aetius ser. 10. cap. 31. *Maximum Hydropicis subterentem auxilium vomitus praestant, quod ipsum difficile est in aetate puerili adhibere, propterea quod, non facile, vt id admittant, persuaderi possunt, quare varias excogitabimus artes, quibus vomitum concitemus.* Auic. in cura Cachesiae. *Et vtantur vomitu ante cibum, est enim bonum regimen eis, & oportet, vt fit in principio rei cum raphano infuso in sy. acetoso, & in fine eius cum Elleboro.*

Auicenna.

Vomitum etiam laudant in Hydrope. Halyabas 7. pract. c. 26. Hollerius, Duretus, Iacchinus, de Contecillis, Gariopontus, Marquardus, Capiuacceus, Altimarus, Herculanus, Sauonarola, Pedemontanus, & alij plurimi. Matthiolus commendauit *Subium*. Galenus lib. de simplicibus spurio *lapidem magnetem*. Trincau. *succum rad. sambuci*. Alexander *Lathyridem*. Mesues *Ricinum*. Paulus *squammam aeris*, quae omnia vomitoria sunt. & ex his patet Helleborum, & vomitoria diuersa vtilia fore in Hydrope.

Alia Vomitoria.

De Veratri vsu in morbis Renum, & Vesicae.
Sec. XVI.

Ad renum dolorem.

Vniuersalissimũ medicamentum apud antiquos fuisse constat Vomitum, & Elleborismum. proinde etiam affectibus Renum, & Vesicae erat in vsu. si quidem Hipp. 6. Epid. sec. 1. *In renem dolor transuerse, iuuenes Veratro purgare.* Gal. in com. ait. *Veratro quidem purgare, si valde antiquus affectus fuerit & ceu vestibus (vt ita dixerim) extrudentes, ad huiusmodi enim morbos Veratro vtimur.* & Oribasius lib. 7. c. vltimo. *Veratrum est quoque accomodatum ijs, qui renes habent lapillo vexatos.* Aetius ser. 11. c. 6. ad praecauendam lapidis generationem, oportet, vt a caena saepe vomant. quod repetit. c. 15. laudant etiam in Nephritide Vomitum. Gariopontus lib. 3. c. 43. Guarguantus con. 35. Zecchius cons. 8. 13. 17. 24. & 50. Haly abbas lib. 7. c. 42. Fonseca de Calculo. lib. 2. c. 3. Fuchsius, Hollerius, Franc. Colutius, Paschalius, &c. alij multi. sed Duretus in Hollerium scripsit. *Omnis calculi nephritici matrix cruditas est. Quare bene consulunt, qui bis in mense ad arcendã & leuandam nephritidem, vomitionem praescribunt. Vomitio enim arcet, & leuat Nephritidem, & quo liberalius vomunt, eo magis leuantur, sed vt vomitio leuationem affert, vt paroxismum sedat, ita diathesim ex toto non tollit, distento solo stercore, & stomacho nimia ciborum copia repleto opprimatur renes vicini, & afflicto datur afflictio. si igitur nephriticis opinionem dat cruditatis praescribũt vomitum. Exclusa cruditate non potest in maiorem molem crescere, atq. ita confert ad leuationem paroxismi nephritici, & amotionem causae antecedentis.*

Nephriticis

Ad vlcera Renum. scripsit Aetius ex Ruffo. ser. 3. c. 119. *omnes fluidas affectiones Vomitus sanare solet, velut vlcerationem renum, vesicae, ani, & aliarum partium.* hinc etiam postea ser. 11. c. 18. scribit. *suppuratis renibus succedentes repletiones vomitu euacuare oportet. vt verò facile vomant, Cucumeris semen tritum ex passo eis praebeatur, aut ptisana succus cum passo, oleo autem cyprino praesertim illinantur pennae, quibus item ad vomitum irritentur. Non solum autem ad repletiones vomitus laudo, verùm si quis omni mense audenter vomat, forte, & renum vlcus, & quicquid inde mali accedere possit, dissoluet,* & cap. 22. ad scabiosam vrinam. *per aliquot dies vomant.* probant etiam in vlceribus renum Vomitum, Fuchsius, Fontanonus, & alij.

Ad vlcera renum.

Ad scabiẽ Vesicae.

Ad Gonorrhaeam proponunt Vomitum, & etiam ad Pollutionem Haly, & Gordonius. Ad Vrinae ardorem Fontanonus.

Ad Gonorream.

Ad Vrinae ardorem.

Nec solum renibus affectis Vomitus, & Elleborismus confert, sed etiam Vesica male vexata: vnde C. Aurelianus lib. 5. c. 6. *In omnibus*, inquit, *Vesicae morbis Hellebori adhibendus est vsus, si passiones supradictae permanserint.* ob id Paulus ad Vesicae vitia Helleborum proposuit. & Aetius ser. 3. c. 119. ex Ruffo. ad Vlcera Vesicae.

Ad Vesicae morbos.

Hipp. 4. Acut. n. 64. ita nos docuit. *Qui vrinarum fistulam vrinam non continentem habẽt, &c. & medicamento non sunt purgandi, &c. si verò medicamentum dare visum fuerit, per Veratrum tuto sursum purga; deorsum verò nullum talium.* sic Aetius ser. 11. c. 24. in paralisi Vesicae. *modicus conuenit potus, & Vomitus, qui pituitam educunt.* & in Diabete Hollerius ait *Vomitus eius, quod bibitum fuit.* & Duretus in com. *Vomitus quoq. profuerit, quia, qui liberaliter bibunt, ferè distenduntur, & potionem illam lien calefactus ad se rapit, ac hydropem creat, nisi per vrinas excernatur, aut per Vomitum rejiciatur.*

In Vrinae suppressione Vomitum proponunt. Pereda. Hollerius.

Ad ardorem Vrinae. Hollerius Vomitum commendat. & Fontanonus.

Ad Haemorrhagiam vesicae reuellendam. Haly. pr. prac. c. 12. ex Galeno Vomitum laudat. ad Vlcera Vesicae. Aetius ex Rufo.

Ad Varices testiũ Haly abbas 8 pract. c. 3.

Ad virgae erectionem idem Haly. lib. cit. c. 7. *si in corpore superfluitates, quae in ventositatem dissoluuntur, animaduerteris, patienti Vomitum induces.*

Ad Priapismum. Gal. 14. meth. c. 7. Vomitoria commendat. & 8. de cop. med. loc. *Quod si euacuatione*, inquit, *vti libeat, per vomitum id fiat, quae enim per inferiorem ventrem fiunt euacuationes saepenumero vicinas partes fluxione infarciant.* & Galeni haec verba referunt Paulus lib. 3. c. 57. Fauent. Holler. Fuchsi.

Ad Priapismum.

De

De Veratri usu in Vteri morbis.
Sec. XVII.

A Morbis virilibus ad mulie-bres transibimus, cum enim vterus ex Platone sit Animal in animali, afficiatur odoribus, se expurget statuto tempore, prolem contineat, & omni morborum genere affici soleat; Vomitus, Helleborus, & multa medicaměta vomitoria muliebribus morbis opě ferre solent. & Hipp. omnium maxime hoc ad fæminarum morbos præscribit.

Ad Intemperiem Vteri spectantia, prodest Vomitus, ita.

Ad Vterum frigidum. Ad Vteri intemperiem frigidam. Aetius ser. 16. cap. 27. ait. *Vomitus quoque prouocetur Origani, aut Thymi decocto ante, & post cibum,* *Ad Vterum humidum.* & ad Vterum humidum cap. 29. scripsit. *Exacuationis, ac uersionis gratia aliquando post cibum, aliquando ieiunas uomere.* *Ad phlegmone.* Ad Inflammationem vteri Vomitum laudant Fontanonus, Gordonius, Fuchsius, Pascalius, de Contecillis, Ad vteri malam compositionem in situ spectant auersiones, & contorsiones, & procidentiæ. Quamobrem Hippocrates 2. de Morb. mul. n. 43. ad exi- *Ad situm deprauat.* tum vteri. *Veratro*, inquit, *purgare oportet: & si non satis fuerit etiam* (1. itetum) *Vomitus facere, & non lauari, iacereq. ac quiescere.* sed prius n. 34. dixerat. *Si Vteri prociderint, bibens aquā lentium, & mel; & Acetum, donec Vteri fuerint eleuati, uomat.* & de Nat. Mul. idem refert n. 4. Si Vteri prociderint. deinde nu. 37. si obtorti fuerint vteri. *pharmacum dandum à quo sursum, & deorsum purgetur.* primo de M. Mul. 30. si verò propriores sint, quam oportet. *Vomitibus uteri opus habent.* & lib. 2. n. 33. Si Vteri loco moti fuerint. *Si ad inguina pertinent, & uesicam irruerint, hæ purgatione sursum opus habent, si uerò ad laterum mollitudinem, & præcordia; hæ pharmaco deorsum purgante indigent.* deinde n. 35. si circumuersi fuerint vteri ex partu ad dexteram partem. *pharmacum bibendum dato, à quo sursum, & deorsum purgetur.* & n. 37. Si propinquissimi fuerint vteri. *frequenter uomat*: & nu. 40. si quid ex osculis vteri complicatum fuerit, *Vomat à lentis decocto melle, & aceto ammisto.* & de Nat. Mul. n. 14. si vteri ad medium lumborum processerint, *lenticula decocto præpotato pharmacum sursum purgans bibat*, & 2. de M. Mul. 31. ad coxam versi. *pharmacum sursum purgans exhibeto. si uero debilior fuerit infra.*

Ad menses albos. Ad menses albos, & mordentes. *A lenticula decocto uomat, deinde Veratro purgato.* Hipp. de Natu. M. n. 10. deinde n. 15. ad fluxum album. Vbi verò fluxus quieuerit. *pharmacum bibendum dato à quo superna purgentur.* & 2. de M. Mul. n. 3. Ad fluxum album. Si ex fluxionibus mulier euaserit. *Talibus si robustæ fuerint. Vomitus ciere oportet ieiunis*, & n. 6. in fluxu rubro. Si sanguis paucior fluxerit; *Ad fluxum rubrum.* *ea quæ deorsum, & sursum ducat bibenda dare.* & n. 8. in fluxu fuluo. si in principio accesseris, si sine febre fuerint, & rob. stæ. *Veratrum ipsis dato.* & nu. 11. in alio fluxu albo. Huic si robusta, & iuuencula fuerit ab initio *pharmacum sursum, & deorsum purgans* bibendum dato. & n. 12. ad alium fluxum luteum. si pituita ipsam presserit. *pharmacum sursum purgans dato, & si quidem potens fuerit, Veratro purgetur, sin minus pharmaco, quod bilem, & pituitam.* & n. 14. ad Alium fluxum. *pharmacum bibere oportet. si quidem fortis fuerit, ex Veratro, si uerò debilis, radicem, & elaterium.* n. 15. ad fluxum saniosum. *Vomere si opus fuerit.* & Paulus in fluore muliebri lib. 3. c. 43. Vomitus a radicula iubet.

Præterea Hipp. 2. de Nat. mul. n. 39. si hiarit os Vteri, &c *pharmacum bibat à quo sursum purgetur.* & n. 83. si caput doleat, &c. *pharmacum sursum, & deorsum purgans.* & primo de M. mul. n. 10. Si menses omnino nō *Ad menses retentos.* procedant præ morbo, aut crassi, & viscosi, aut glutinosi fiunt. *primum uentrem purgare oportet sursum, ac deorsum.* & nu. 27. si non concipiat. & vteri sani sunt. *Vomitibus utatur* ante dies, quibus menses fieri solent. & n. 3. si os Vteri pingue fuerit, & eassum propterea non concipiat. *Allio recenti uescatur, & aqua mulsa insuper pota, uomat.* & n. 31. quibus 7. die à Viro immissa prodeunt, curato *per Veratrum*, aut Scammonium, aut *Ad pregnātes.* Peplium, hæc enim sursum, & deorsum pituitam, & bilem purgant, & flatus educunt & n. 43. Prægnans male affecta, &c. *Vomat* autem, &c. deinde si puerperij purgamenta non exeant. Si ad Vomitum facilis fuerit, etiam *Vomitum inducere.* & n. 83. si Vteri pituita fuerint impleti, & si non multa fuerit fluxio. *lenticula decoctum cum Veratro exhibeto,* & n. 101. Vt mulier in Ventre concipiat. Post cænam autem, vbi cæpas melle tinctas comedit, & aq. mulsam tepidam quatuor heminarum mensura bibit, & paululum continuit, *vomat*, &c. & hoc per dies septem facito.

Ad cachecticos. Post menstruorum fluxum cachexia, &c. 2. de M. Mul. n. 3. talibus si robustæ fuerint, *Vomitus ciere* oportet ieiunis, & post vomitus prandium exhibere, &c. si verò hæc nō sedentur, neq. concidant Vteri, neq. à fluxionibus liberentur, respectu virium corporis habito, si quidem robusta fuerit, *Veratrum* dare oportet. & primo de M. Mul. n. 123. Purgatorium, quod sterilem purgare potest. lota vbi lenticulæ decoctum, & mel, & acetum mixta bibit *vomat.* & ex his clare constat Hipp. in morbis mulierum sæpissime vsum fuisse Vomitu, Veratro, & alijs vomitorijs, sic nos etiam vti poterimus. silentio transmissis neotericis, qui in huiuscemodi casibus vomitum præscribunt.

De

De Veratri vsu in morbis Articulorum. Sec. XVIII.

Etiam in morbis partium extremarum, & articulorum Hellebori vsus apud antiquos erat solemnis. vnde Hipp. *Lumborum doloribus, & genuum grauitati, & corporis præter solitum tumori* Veratrum commendauit. immo 7. Epid. n. 26. Cleoco tumor ad genu dextrum obortus est: imo potius ad infernam partem circa tendines sub genu, &c. *Veratrum exhibitum est*, & capitis purgationes, &c. circa sexagesimam sedati sunt tumores *à secundo Veratro*. Ischiadicis conferre scripsit Plinius, qui etiam podagricis dari asseruit. Aræteus lib. 8. c. 13. de morbis articulorum,& coxendicis. *deinde ad Veratrum*, inquit, *deueniendum est*. & Paul. Aegineta lib. 3. c. 77. Coxendici. scripsit. *In quibusdã verò, & Vomitus à radiculis citatus per initia proficit*. & lib. 7. cap. 10. in podagra dat Helleborum, & c. 78. de Podagra ait. *Vomitus à radicula, cibisq. assumptis mouebitur. Qui hoc commode habent, etiam Veratro nigro*. (in latino codice legitur, sed Græcè τῷ λευκῷ) *vacuentur per vomitum, vel etiam per aluum inferiorem*. præterea Aetius ser. 3. cap. 119. ex Rufo. *Veratrum sanare solet*, inquit, *articulorum affectiones*, & c. 121. ex Antillo, & Possidonio Attriticis, & podagricis proponit. Oribasius etiam collect. lib. 7. c. vltimo. Pedum, & inueteratis coxendicum doloribus, itemque doloribus articulorum. & C. Aurelianus. lib. 5. c. 1. tard. de Ischiade, cui capiti per errorem librarij in medio inserta est posterior pars capitis de Hidrope, & hæc additio incipit à verbis illis. *Vsque ad manem penetrandus, &c*. vsq. ad locum stellula notatum, in quo capite cum loquitur de Elleboro. pro Hydrope intelligendus, sed c. 2. de Artritide, & Podagra. Conuenit, inquit, radicum Vomitus, & Ellebori. Plurimi vomitum post cibum laudauerunt 2. vel 3. per menses singulos adhibendum: siquidem, & materiam redarguat, & indigestas esse non sinat; non aduertẽtes, quod magis vexabilis approbetur. cum hoc adhibito gingiuæ putrescant, dentes moueantur, oculi confundantur, & totum impleatur caput, stomachus quoq. grauiter afficiatur, & propterea omnes consentiant nerui. Gariopontus lib. 4. c. 3. *Podagrici*, inquit, *purgentur ex Hiera Archigenis, aut ex Elleboro. Vomitus ex radiculis ter in mense prouocandus est*. & lib. 5. c. 30. de Artetica. *His*, ait, *vomitus prouocetur, ex raphano, & elleboro albo*. Galenus verò de rem. par. fac. 23. Coxendicum dolore affectos (scripsit) Vomitus, quam alui deiectio iuuat magis, quod humorum ad inferiora defluxum retrahat. Prouocandus autem initio vomitus est ab accepto cibo. Postea verò ad ciendum hunc, licet etiam vti bulbis vomitorijs, & raphano .i. radicula, exhibentur autem in aqua cocti bulbi oximelite, radicula vero concisa in tenues particulas editur similiter ex oxymelite. deinde vbi nunc à sumptis his longum satis tempus præterierit, ad vomitum ducendi sunt, quo prouocato, deinde longo interposito tempore, lauandi sunt: deinde iterum tantisper est ipsis quiescendum, donec omnis oborta ex eo corporis turbatio conquieuerit. demum tenui sunt victu reficiendi, & lib. 10. de comp. med. loc. c. 2. in ischiade. *Auxiliatur*, inquit, *etiam vomitus ipsius ischiadicis. magis vtique quam euacuationes infernæ*, per Ventrem, vt quæ reuellant, repetentem deorsum humorem. faciendi itaq. sunt vomitus in principio ab accepto cibo, postea verò etiam per vomitoria medicamenta, initio à mediocribus facto. Pariter Teod. Priscianus. Ischiadicis conueniunt, ait, præ omnibus Vomitus, & per cibos *Elleborum*. Et Artriticis Vomitus hos non longa per interualla multum iuuat. aliquando post cõsuetos cibos, aliquoties etiam ieiunos acceptis radiculis cum oxymelle. Hoc modo etiam bulbi ex aqua cocti operabũtur. Hoc fi etiam post cænam allium accipiant, quod paruo interuallo aqua calida accepta, Vomitum faciat. nec silentio prætereundum quod Aetius scripsit. ser. 12. c. 1. nam inquit, *Vbi rursus mederi cœperis, vomitibus vteris, siue à cæna, siue à raphano concitatis*, & cap. 4. *Præstat vomitus per internalla siue à cibo accepto, siue à raphanis comestis. Neque latet nos, quosdam Veratro ad Ischiadicos vsos esse. Scimus etiam Veratrum efficaciter auxiliari. Verum non suspicamur eius vsu opus esse ad hanc affectionem, ni poto quæ ab arte tradita cura extirpabitur*. deinde cap. 20. Ad podagras, & articulorum fluxiones. *Vomitus*, inquit, *in vniuersum ferè omnibus, qui podagricam affectionem defugare volunt, commodi sunt; præterquam eis qui thoracem, & caput, quæ facile laeduntur, habent. Quibuscumq. igitur ex exercitijs, aut. alijs quibuscumq. motibus recrementa in ventrem confluunt. his vomitus ante cibum prodest. Qui vero sanguinis copiam aggregarunt, aut humores pituitosos, post acceptum cibum vomant per aliquos dies*. præterea cap. 28. in Podagra à bilis fluxione scripsit. *fiant euacuationes in principio, tum per vomitum, tum per ventrem: danda itaq. pharmaca bilem educentia, ex quorum numero, aliqua per vtramq. viam bilem exigunt, velut est Thlaspi, hoc enim acetabuli mensura potatum, & superne, & inferne purgat, atq. tantum fane duo sextas ad summum datur*. Deniq. c. 35. à Pituita ait. *Euacuatur autem humor pituitosus per Vomitus quidem, nihilominus tamen, & inferne per ventrem; vtilis est autem in hoc affectu per inferna purgatio, siue iuxta manus, siue iuxta pedes hæreat morbus, & multo adhuc magis, si iuxta omnes corporis articulos fluxus fuerit dispersus, familiariter cita pituita via, & minus*

Lumborum doloribus. Hipp. — *Artriticis Plinius. Aretæus.* — *Aegineta.* — *Podagricis.* — *Aetius.* — *Oribasius.* — *C. Aurelianus textus deprauatus.* — *Nocumenta Vomitus.* — *Gariopōtus.* — *Galenus. Ad ischiadicos.* — *Theod. Priscian.* — *Aetius.* — *Ad podagram.* — *De Thlaspi.* — *Tutior inferna euacuatio.*

nus periculosa per intestina existit. si enim in superiorem ventrem violenter attracta non euacuetur periculum inducit. Quapropter tutius est, vt ad inferiorem excretionem ducatur. Ex Arabibus ad hosce affectus laudat Vomitũ Halyabas primo prac. cap. 12. & item lib. 8. cap. 30. 31. 32. & 33. & tacebo recentiores Gordoniũ, Gattinaram, de contecillis, Fuchsium, Solenandrum, Hollerium, Duretum, & similes plures, & equidem scio nobilem mulierem articularibus doloribus vexatã per tres continuos annos, nec plurimis adhibitis remedijs per doctissimos medicos sanatam, tandem ab Empirico ter Antimonio exhibito, ex multo vomitu conualuisse. & ego granorum lathiridis vsu plurimos curaui.

Halyabas. Gordonius. Gattinara. de conteccillis. Fuchsius. Solenander. Hollerius. Duretus.

De Veratri vsu in affectibus cutaneis.

Sec. XIX.

MAgnum est remedium Elleborus, ideo magnis morbis opponitur, Hipp. dicebat extremis morbis extrema remedia, & alibi fortibus natura morbis fortia natura medicamenta conuenire, & è contra. Porrò autem quod Elephantiasis, & Lepra sint magni morbi, constat ex materia praua, & melancholica ex qua fiunt; ex pertinacia, & difficillima sanatione, & ex sæuissimis accidentibus; vnde Iudæi morbum pessimum, & iram Dei iudicauerunt, & sic omnes Leprosis hominum commerciũ interdicunt. His ergo atrocissimis morbis conuenit Helleborismus. Galenus in introd. c. 13. *solum Veratrum*, inquit, *siue nigrum, siue album præsentaneum Elephantiacis est remedium.* Aretæus, & Gariopontus elephantiacis exhibent. Plinius *Elephantia alba, lepris*. Paulus verò Aegineta. *Elephantia, Exantematibus, impetigini, Herpeti, Erisipelati, lepris*, & lib. 4. c. 1. de Elephantiasi scribit. *Acribus autem assumptis vomitus cietur, à radicula, aut cibis. Proficit & ex albo Veratro post hæc purgatio, bis quidem si fieri potest Vere, semel per Autumnum adhibita. Malo victis neque sanguis mitti, neq. Veratrum exhiberi debet, cum materia neq. ex cute in altum deriuari, neq. hinc etiamnum minus possit, sed ea quidem ad ventrem, & intestina deducenda est.* Oribas. lib. 7. collect. c. vltimo. *Vitiligini*, inquit, *& lepra, & si quid aliud in cuti excitetur, facit etiam ad pilorum barbæ, & capitis denudationem.* Aetius verò. ser. 3. cap. 119. ex Rufo. scripsit. *sanare solet Elephantiasim, cancros, impetiginem.* & cap. 121. ex Antillo, & Possidonio. commendat pro Elephantiosis. deinde serm. 13. c. 121. ad Elephantiasim. *Post quorum acceptionem*, inquit, *Vomitus à cibo fiant; deinde etiam à raphanis à ieiunis, postea ad Veratrum perueniendum, ac primum quidem decoctum Veratri exhibendum est, deinde etiam bulbus ipsius contusus, & ad finem virgas optimas*

Elephantiasi, & lepræ. Galenus. Aretæus. Gariopõtus. Plinius. Paulus. Malo victis non cõuenit. Oribasius Vitiligini. Aetius Cãcris.

ex eo præbebimus, & Actuarius 4. meth. c. 15. de Elephantiasi. *Deinde*, ait, *ad purgationem per Elleborum est accedendum.* præterea Theod. Priscian. ad Timotheum. lib. 1. cap. 32. in Elephãticis laudat frequentem vomitum. Sed C. Aurel. lib. 4. Cronicor. c. 1. in Elephantiasi, inquit, *Probamus radicum vomitus. Tum resumpto corpore vehementer vtilis: Hellebori albi datio probatur, quo corpora dissecentur, quæ non semel adhibenda; sed etiam sæpissime per internalla præroborato corpore.* Deinde scripsit. *Themison vtitur præterea vomitiuis ieiunus, itemque radicum eorum confundens tempus oportet enim superpositionis tempore adhibere phlebotomiam, in lenimento verò vomitum, Vtitur etiam ellebori purgatiuo.* deinde addit. *Et vsum Hellebori genuinum probat, quæ sunt quidem vera adiutoria, si tempora quoque seruentur, vt responsionum docuimus libris.* tandem addit. *Quidam Themisonis sectatores initio quoq. passionis præuisa coarcentes pronos, ac decliues, vel venturos in eamdem Helleboro purgant, eos autem, quos iam possessos acceperint, iisdem negãt curandos.* Præter hos Halyabbas 4. pract. c. 3. in Elephantia scriptum reliquit. *Si tempus æstatis fuerit vomitu vtatur cum rebus pungentibus, vt sunt raphani, eruca, sal, & post vomitum Absintij bibat sy. & fauteneg. , post hæc medicaminibus vtatur laxatiuis, quibus intercidit elleborus. Neq. verò oportet illi propines elleborum, cuius passio iam fixa stat, solueret etenim ab eorum corpore humiditates, & desiccaret.* in summa Vomitum, & Elleborum etiam recentiores proponunt in Elephantiasi, vt Hollerius, Fuchsius, Gattinara, &c.

C. Aureliã. Haly. Elephãtiasi fixa non cõuenit. Hollerius. Fuchsius. Gattinara.

In alijs cutaneis morbis, vt in Cancro de Vomitu sic loquitur Montaguana. c. 6. nõ conuenit Vomitus, quia Gal. in libro quos, & quibus, &c. dixit Melancholicum humorem semper per inferiora euacuandum esse, sed decipitur, quia etiam per superiora euacuari potest. & Hipp. quidem 4. aph. 9. dixit melancholicos *plenius per inferiora* esse vacuandos, idest fortius, sæpius, facilius, & subintelligit *parcius per superiora*; sed parum, & nihil multum distant. certe Gal. lib. de Atra bile scripsit Cancros à principio strenue esse purgandos, sed Vomitus strenue purgat. Verum enim vero nec defuere, qui cancrũ elephantiasim particularem, & qui Elephãtiasim Cancrum vniuersalem dixerint, ob similem materiam melancholicam, & cutaneam sedem, vnde similem conuenire curationem censuerint. si n. Elephanticis Elleborismus conuenit, in cancro non erit denegandus.

Ad cancrũ.

In Gangrena, & sphacelo. c. 15. Montagnana probat, quæ per Vomitum purgant. lac pingue, oleum muricæ rancidum, vel ex Amigdalis dulcibus, vel amaris, iura pinguia, butirum, sebum, succũ mercurialis, aut bliti. Vomant ex longioribus interuallis à cibo, & ieiuni præpotato Raphani, Origa-

In Gangrena, & Sphacelo.

niuè,

niuè, aut Thymi decocto, caueantq. à vomitorijs acribus, quia os stomachi imbecille reddunt.

Ad vlcera cancrodes. Oribasius lib. 7. collect. c. vltimo. Ad vlcera carcinode occulta. Quamuis, inquit, minime conuenire Veratrum vlceribus videatur. Veruntamen ego mulierem quandam vidi ab eiusmodi vlcere liberatam, cum medicus quidam in Co Insula hoc ei temerè dum adhibuisset, cum tamen alioqui non esset clarus, & probatus; sed in Ellebori potione diligenti esset exercitatus.

Hipp. ita docuit lib. de Vlceribus. *In omni vlcere, Erisipelate accedente, corpus purgationem fieri oportet, in vtram partem vlceri conuenerit, siue sursum, siue deorsum.* & 2. Epid. 6. tex. 30. *latæ pustulæ*, &c. subdit. *Vomitus non iuuabant*: vnde cum Hipp. adhibuisset Vomitum, mirabatur non contulisse, & Gal. scripsit. succos ad cutem vergentes per eam esse euacuandos; nam iterum ad intima corporis reuulsio, ipsis valde longinqua est, vt per aluum, aut Vomitum euacuentur, &c. & Palladius sophista in com. censet Vomitus non iuuare, quia totum corpus non erat prauis humoribus refertum; sed sola cutis. Prætetea Hipp. 2. de morb. n. 13. *Vlcera capitis, &c.* subdit, *Medicamentum ei dandum est, à quo bilis, & pituita sursum purgentur, si quidem frigus fuerit præfuso, ac calida loto.* Salius in com. 23. Hippocrates, inquit, exhibet pharmacum bilem, & pituitam sursum purgare aptum, quo non nominato, an debeat esse Veratrum, non constat. tamen hoc esse aptum, vel saltem medicamentum ex raphanis adhæc recipiatur. Denique nos docuit Hipp. lib. de Victu Acut. n. 64. *Qui tubercula habent medicamento non purgandi, &c. si verò medicamentum dare visum fuerit, per Veratrum tuto sursum purga. deorsum verò nullum talium.*

Ad vlcera.

Ad pustulas latas.

Item ad vlcera capitis.

Ad tubercula.

De vsu Veratri in Dislocationibus, & fistulis. Sec. XX.

Ad calcis deriuationem. HIppocrates 2. de fract. n. 12. in calcis deriuatione. *Præstat*, inquit, *Veratrum eodem die potum, vel certe posteriori.* & n. 13. addit, *At si quidem febre careat sursum purgans medicamentum dandum est, velut dictum est, itemque si non continua febre laboret.* Galenus verò in com. *Veratrum*, ait, *potui præstat; non eo nomine tantum, vt quæ supersunt purget; sed & in aliā partem ducitat.* constat autem dari ab Hipp. album, quod Vomitum excitat, & à toto corpore materiam in ventriculum auocat, priusquam ad intestinorū finus deducatur; quod autem album intelligi debeat, planè licet ex sequentibus colligere, inquit enim; sed si homo vacat, febre per superiora conuenit purgare, sicuti dictum est. quod igitur ea, quæ supersunt vtiliter educantur, quodq. ad contrariam partem, atq. affecta est, materiam depellere, magnum momentum habeat, euidentissimè apparet, & com. sequēti subdit Galenus. *Præcipit autem Hipp. vt Veratrum eodem die detur, vel posteriori priusquam inflammatio in affectis partibus oriatur, atq. homo febricitet; sed si febris præuenerit, si quidem leuis est, Veratro nihilominus vtitur (nos verò neque integro homine dare Veratrum audemus) si vehemens non vtitur; sed maximam abstinentiam imperat.* ecce quod Galenus fatetur suam timiditatem in exhibitione Veratri.

Timiditas Galeni.

Idem Hipp. 3. de fract. tex. 48. in dislocatione ossium femoris, vel humeri *vbi restituantur; Veratrum molle potui dandum est eodem die, si eodem die restituantur, alioquin ne tentare quidem oportet.* quo loco per *Veratrum molle*, intelligi debet debile vel in pauca quantitate. sic *vinum molle*, i. debile dixit. vt primo de Diæta 38. *bibat aquam, sin minus Vinum molle, & album, quod aquæ sit proximum.* & alibi sæpe eadem voce vtitur. & 4. de fracturis 18. in ossibus cruris luxatis cum vulnere articuli pedis, non dat Elleborum; sed Vomitum. vt etiam n. 31. Digitorum pedis, vel manus articuli luxati cum vlcere, &c. *Satius est leui aliquo medicamento, quo vomitum ciet, ipsum purgare.* præterea 2. de Artic. 51. ad fracturam auris. *Sed si homo*, inquit, *facile vomat, vomere debet, vt modice exhauriatur.* & 4. de Artic. in fine. ad pedem luxatum. *Remediū, ait, est Veratrum, si febris absit; sed si adsit, & res postulet, bibatur, ὀξύγλυκυ.* An, cum in pede luxato fit dolor, & ideo attractio, & fluxus humorum, contrariò reuellentia indicantur? idest sursum? Vomitus autem non modo reuellit, verum etiam euacuat: & magno Hippocrati subscribunt præcipui medicinæ scriptores, vt Oribasius lib. 7. collect. cap. vltimo, scribens. *Atq. Hippocrates quidem, qui artem nobis instituit, ac tradidit, ijs, quibus magnus articulus cum vulnere luxatus est, & quibus ossa rupta eminent, iubet eodem die, aut postero elleborum dare, qui licet in cæteris rebus sint male affecti, fortasse tamen hoc medicamentum prohibitum sit, ne gangrenis, & conuulsionibus corripiantur, quibus verbis non facile est, fidem non adhibere. eius verò difficilis vsus est cum videatur defectus * præ prandio, quo tēpore molestiā affert. Ac si quis putat nigrum Elleborum intelligi hoc loco; in primis huic quoque actionis difficultas inest ad exceruendum, etiam si quid operosum post medicamentum sumatur; deinde verò ad opera conficienda, quibus opus est, ei par vis, & facultas non inest, si quidem multo imbecillius hic trattarus est. Ergo propter hanc ambiguitatem præstabit fortasse hominibus ita affectis Elleborum non dare.* sed Oribasius est simia Galeni, obseruatur n. in libris Galeni ipsum Vomitu, & Elleboro parum fuisse vsum. parum item purgantibus; sed multum sanguinis purgatione. ego. sequor Hippocratem summum medicum practicum, qui ob curatos infinitos infirmos,

Ossa femoris dislocata.

Ad fracturam auris.

Ad pedem luxatum.

Oribasius.

Contra Galenum.

infirmos summam laudem acquisiuit, quam Galenus viuens ob suam praxim non obtinuit; sed demortui scripta laudata fuerunt. vnde cum Hipp. iudico Vomitoria esse multorum, extremorum, & ferè incurabilium morborum verum remedium, qui lenibus, & benedictis, ac lenientibus pharmacis non cedunt. vnde interdum Agirtæ, circulatores, ac cinifiones quandoq. dato stibio, vel simili, morbos curant, delusis magnis Mediconibus. & ad hanc rem faciunt illa etiam Auicennæ verba lib. 4. fen. 5. trac. 2. cap. 2. quando scripsit. *Et Hipp. quidem præcepit ei, qui restauratur, vt fugat aliquid de Elleboro in illa hora, & fuit eius intentio, vt trahantur materia ad intestina, & Galenus prohibet hoc, imo præcipit, vt bibatur Agaricum. Quod si fuerit necessarium, tunc detur aliquid de Sy. Acetoso, in quo sit uirtus Ellebori, & dicitur, quod illud fuit in tempore Hippocratis, &c.* ecce quod Auic. proponit opiniones Hipp. & Galeni, & timet alterutrum refellere, & hic videtur Auic. explicare locum Hipp. ex 2. de Articulis nuper allatum, in quo dat Veratrum, & si feb. adsit ὀξυγλυκὺς, quod Cornarus vertit, *fauorum cremor decoctus, aut acetum mulsum dulce.* Auic. autem syrupum Acetosum substituit.

Quid sit oxy glices.

Ad fistulas. Tandem ad fistulas conuenire Vomitum constat, quia inter cæteros. C. Celsus lib. 5. c. 28. *Si longius à præcordijs*, inquit, *fistula est, interuallo teiunum radiculas edisse, deinde nomere necessarium est.*

Et ex his constare volo, si in laxatis, dislocationibus, & fracturis ossium Hipp. reuulsionis gratia Vehementissimo Vomitu, & Elleborismo vtebatur, licere etiam nobis in similibus casibus, si non fortissimo Elleboro, saltem mitioribus vomitoriis vti.

De Veratri usu in assumptis Venenis.
Sec. XXI.

Quod ebibitis venenis, vt. extra corpus eijciantur, vomitus conferat, nulli dubium est, & Hippocrates docebat *morbis proximum exitum esse faciendum* .i. causam morbificam per partem magis vicinam esse educendam. Quod verò Elleborus fuerit in vsu ad huiuscemodi affectus, haud quidam norit. Paulus sanè in vniuersum scripsit lib. 5. c. 29. *Affatum igitur nulla interposita mora, oleo calenti per se, aut etiam cum aqua exhibito, uomere cogendi sunt. si eius copia non est, Butyrum cum aqua calida ingeri debet, aut maluæ, liniuè seminis, aut Tragifrugis, aut fænugreci, aut Vrticæ seminis decoctum. Non enim solum uomitionibus euacuabunt; sed aluum quoq. subducent, & uenenorum malignitati aduersabuntur, acrimoniasq. ipsorum hebetantia, præsertimq. oleum. quod manifestò inde licet cognoscere. Si namq. satis exulcerandi studio, Cantharide, aut calce uiua, aut eiusmodi quodam*

Ad Venena pota.

acri utaris. Corpus oleo prius oblitum non exulcerabitur: imò neq. corpus astringere poteris oleo perunctum. Præterea Vomitus, non modo quod nociuum euacuet, utilis est; sed interim haustum uenenum odore, concretis grumis, aut colore prodit. Odore quidem, & amaritudine. (alij legunt meconium) *Colore cerussam, uel Gypsum. Concretis grumis lac, aut recens mactati Tauri animantis sanguinem, halitus grauitate, uirus qualitate, & odore leporem marinum, & rubetam ranam ostendit, ut per hæc ad accommodata singulis remedia uia non sit difficilis. Admiscebitur autem oleo maluæ decoctum, aut Anseriuus adeps, aut ius ex carnibus pinguious, uel gallinarum. aut ex lignorum cinere facta lixiuia. facit etiam huc nitrum detritum cum hydromelite potum, Vinum copiosum, & Vetus, & quæ adipe, aut Butyro conditant, uerum ijs, quæ in uentriculo hærent per uomitum ablatis, quod intestinis illapsum est clystere acriore euacuabimus.* & hactenus Aetius, quia omnia hæc ex Dioscoride lib. 6. transcripsit, qui ita docuit. *Sine mora calidum oleum ex aqua, aut seorsum, ut uomitare cogantur, dari conuenit. Aut si oleum natura loci negat, butyrum cum aqua calida, aut malua, aut lini semine, aut Trago, Vrtica, foeno græco, halicauè decocto uicem eius exhibebit. Hæc enim non modo uomitionibus exigunt ui illa sua laxatrice, aut nauseam cient; sed aluum quoque subducent, & corporum tuentione, ita aduersabuntur, ut acrimonias uenenorum hebetent. Id quod euidenter huiuscemodi argumento deprehendere licet. Esto ut quisquam uiua calce, uel fece, aut cantharidibus, aut alio quouis acri, corpus exulcerare statuerit, is si ipsum oleo leniter illinat, exulcerationem non accipiet. Atqui neq. uehementer adstringi, corpus, neq. refrigerari poterit, si antea perungatur. Quin etiam uomitus nō ob id modo, quod uacuet, & noxium humorem excernat iuuamentum adfert. sed quod assumptum uirus, nonnumquam odore, & coagulatis grumis, aut colore prodat. Quippe cum odore, & amaritudine, Meconium; colore cerussam, gypsumuè; grumis lac, aut sanguinem animalis recens iugulati ostendat. Nam grauis odor regestorum, Leporis marini, aut rubetæ ueneficia deprehendit; ita ut nonnulla ab ijs remedia peti possint, ad idonea singulorum auxilia transeuntibus. Oleo etiam maluæ decoctum admiscetur, aut glaucium, aut adeps anserinus, aut pinguium carnium iura, aut lixiuium lignorum cinere factum. Vbi uerò uomitus diligenter citatus fuerit, ne quid in uentre coierit, quæ hæserunt intestinis reliqua clysteri acri deuocentur. Facit & nitrum tritum cum hydromelite sumptum, & uina uetera liberalius epota, gallinacea iura, prapingues pisces, ustulæ carnes pinguesq. & quæ adipe, aut recenti butyro parantur. Aluum namque subducunt, uti diximus, & stomachum resoluentia proniorem ipsum ad uomitum reddunt, & uenenorum acrimonias hebetāt, atq. meatus obstruentia celerem uitium penetrationem inhibent.* Galenus autem de rem. par. fac. n. 24. *ad Venena*, inquit, *principio iubendū est, ut hi tales confestim euomant, epoto prius hidreleo .i. mistis aqua, & oleo, & plurimo, & fre-*

Dioscorides

Galenus.

quenter, deinde varijs, diuersisq. sunt cibandi ferculis, à quibus non ita multo post rursus vomat iubeto, sic enim, aut simul reijcietur mortificum medicamentum, aut saltem infringetur ipsius virtus, Quod si post hæc Ventriculus videatur à vomitu veluti aduri, hydrorodinum .i. aquam rosaceo oleo mistam potui offerto, dehinc vomant rursus iubeto. Haly abas 4. pract. c. 38. ita docuit ad Venena bibita. Cum senserit homo se venenum bibisse, accelerando aqua calida bibenda in multa quantitate cum Vaccarum butyro, aut Sisami oleo, vel oliuæ oleo inducatq. digitos ori, & pennam sisami oleo intinctam, euomatque, & studeat stomachum purgare, & omnino mundare ab omnibus, quæ in eo sunt, iterumq. aquam bibat calidam, & oleum, vomitumque prouocet, donec stomachum intelligat optime purgatum, nec aliquid in eo superesse. & hæc est cura vniuersalis venenorum, per Vomitoria lenia, pinguia, & vntuosa. & addere licet Guilielm. Fabricium cent. 4. obseru. 37. scripsisse. Veneno infectum Antimonio restitutum fuisse. Ergo valida etiam Vomitoria, immo fortasse etiam Helleborus.

De Antimonio.

Hippocr. ad fungos. In particulari autem Hipp. 7. Epid. n. 50. Pausaniæ filium, inquit, ex fungi crudi esu, anxietas tenebat, strangulatio, dolor ventris. aquam multam calidam bibere, ac vomere profuit, & balneū, in balneo fungum euomuit. & Dioscor. *Dioscor.* Communiter, ait, ex oleo vomere cogendi, mirifice iuuat lixiuia ex farmentis, aut pyrastri surculis epota cum sale, posca, & nitro. atramentum sutorium cum aceto. Paulus Vomitum ex aqua mulsa. *Paulus. Aetius.* Aetius ser. 13. cap. 37. dandum nitrum bibendum ex posca tepida, aut aceto mulso, ita vt bis liquoribus hyssopus, origanum, Tymumq. sint incocta, atque inde ad vomitum cogantur. Absinthij, & ficuum decoctum largè in potu exhibendum est, & Origanum cum melle, indeq. vomendum. *Scribonius.* Scribonius c. 198. ex oleo multo. Haly abas c. 46. Vomitus ex aqua calida, decocto Raphano, sale, melle, aut oximelite. Nicander etiam Vomitum præscripsit, ex recentioribus autem Io. Zecchius cons. 66. ad fungos comestos præscripsit, hoc. ℞. iuris pulli gallinacei pinguis vnc. ix. succi raphani depurati. vnc. iij. Butyri recentis eodem iure calente liquati vnc. ij. misce, & tepida potio propinetur.

Ad Aconitum. Ad Aconitum. Nicander ait. Vomant prius indigestum cibum. Dioscorides, Venenum vomitione abigi opus est. Aetius serm. 13. c. 59. Vitulinum pingue ius potatum, & vomitu reiectū. Actuarius 5. meth. c. 12. Mercur. de Venen. c. 10. Greuinus, & alij Vomitum proponunt.

Ad Napellum. Ad Napellum Aconiti speciem. Haly abas 4. pract. c. 39. Qui biberit, inquit, oportet ad vomitum festinare cum butyro, & oliuæ oleo, ac Sisami, & aqua calida decocto sem. rapæ, & rapam ipsam.

Ad Cantharides. Nicander commendauit ius suis, agni, anseris, decoctum sem. lini, ad Vomitum, satietur, & digitis vomitum prouocet. ex quo Greuinus refert. decoctū capitis porcini, vel agnini, vel caprini. Cerebella enim omnium animalium, cum lentore quodam prædita sint difficillimè concoquūtur. succum generant crassum, vomitumq. mouent, quod melius præstant, si cum lini semine, quod crassum est, & flatulentum, elixentur. Actuar. 5. meth. 12. ex oleo Vomitum prouocat. Scribonius. c. 189. Haly abbas lib. cit. c. 40. accelerat vomitum cum aq. calida, butyro, ol. sesami, & ficuum decocto. Dioscorides Vomitum laudat. Paul. lib. 5. c. 31. Cantaridibus, inquit, succurrit ipsis vomitus ex hidreleo petitus, & Galenus 2. de Antid. c. 7. ex Asclepiade. *Ad Cantarides.* Cantarides autem si quis assumpserit, passum oleo mistum, semen in aqua decoctum, atq. colatum bibere proderit, tum vomere enim. Aetius verò lib. cit. c. 49. *Aetius.* Carnium ius absorbendum præbeatur, donec affectus ad vomitum concitetur. bibat insuper Vinum dulce tepidum, plurimum, dilutum, vbi biberit autem vnum quodque vomitu reijciat, rursumque bibens vomat, idemq. sæpe repetitis vicibus faciat. Quod si exolutiones, & morsus oboriantur, lac bubulum recens mulctum assiduè bibendum, & cito reuomendum exhibeto. ita Rasis, Auic. omnes recentiores Vomitum commendant.

Ad Buprestim, &c. Ad Buprestes, pinorum Erucas, leporem marinum, Ranam rubetam, Paulus, Galenus, Aetius, Actuarius, Haly abbas, Nicander, Dioscorides, Auic. & alij succurrunt Vomitu.

Ad Cicutā, &c. Ad Cicutam, opium, Mandragoram, Doronicum, Ixiam, Euphorbium, Hiosciamum, & similes plantas. omnium Auctorum consensu Vomitus auxiliatur.

Ad Cerusā &c. Ad epotam cerussam, litargirum, gypsum, calcem, sandaracam, auripigmentum, plūbum, & alia mala mineralia succurrit Vomitus ex Dioscoride, Paulo, Aetio, &c.

Ad omnia Venena. In summa ad omnia venena Vomitus cōfert, sed Vomitus ex pinguibus, & lubricis. an etiam ex electione soluentibus, & vomitum prouocantibus? an ex Elleb. Antimonio, & similibus? profectò. Angelus Sala in Ternario Bezoart. c. 2. qui Venenū sumpsere, inquit, vomant statim ita. ℞. florum Antimonij. g. iij. iiij. v. vel vj. secundum vires, conserua violarum. drac. ij. misce fiat bolus, vel dissolue cum aqua Borrag.

Ex mineralibus remedijs. vel ℞. Salis Vitrioli drac. semis, plus, & minus secundum ægri vires, & ventriculi repletionem. Aqua succi Cardui benedicti. sy. Violar. an. vnc. j. misce aromatizentur cum aqua cinnamomi. & Guil. Fabricius cent. 4. obser. 37. Veneno infectum Antimonio restitutū obseruauit. ad Ixiam Dioscorides laudat Chamelæa, aut thapsia, aut absinthij succi sicilicus cum aqua mulsa, & acetum calidum potum. sed sicilicus i. dracmæ duæ Tapsiæ, aut Chameleæ. est medicamentum validissimum, vt suis capitibus dixi. item ad cerussam idem Dioscor. *Ad cerusā* conuenit, inquit, Thapsia succus, aut scammoniæ cum aqua mulsa potus, & Haly abbas ad Cerussam dat Exagium Titimalli. Ad fungos *Ad fungos.* Dioscorides Vitriolum exhibet. & ad Leporē

mari-

Ad leporẽ marinum. marinum trita *ciclamini radix cum vino, aut Veratri nigri, aut ſcammonij ſucci dracma cum aqua mulſa*. Nicauder ad Leporem marinũ. *Helleborum, & ſcammonium* probat. Profectò Antimonium, Chamelea, Thapſia, ſcammonium, Titymalus, Elleborus niger, albus, & Vitriolum non ſunt leuia; ſed valida medicamenta ſurſum, & deorſum purgantia, & ſi in rabioſis conuenit Elleborus, *Ad rabidos* etiam in alijs venenis.

De Vſu Veratri in ictibus Venenoſis.
Sec. XXII.

NEque ſolum in Venenis ore aſſumptis, & in Ventriculum ingeſtis conuenit Vomitus ad ea extra corpus pellenda: ſed etiam in Venenis ab extra lædentibus, vt ſunt venenatorum animalium ictus, & morſus. Nãq. *Ad canis morſum.* ad canis rabioſi morſum Dioſcorides ſcripſit lib. ſexto. *Sed longe omnium efficaciſſimum auxilium Helleboriſmus cognoſcitur: quo cum fiducia non ſemel, atq. iterum; ſed frequentius, ante quadrageſimum diem, vel poſt hoc tempus uti licet. Tantam enim vehementiam hoc auxilium habere fertur, vt quidam, qui iam aqua metum ſentirent, ſumptò Helleboro, ſimul ac primum morbi impetum experirentur, fuerint ſeruati; nam & iam initiò tentatos nemo unquam ſeruare poteſt.*

Ad Aſpides. Ad alios verò ictus venenatos Aetius ſer. 13. cap. 10. de remedijs in communi. Aquæ tepidæ largè hauſtu vomere iubet. & c. 20. ad morſum Aſpidis. *Quo verò malignitas,* inquit, *veneni diſtributi, & in corpus digeſti, probe euomatur, Allia trita cum zytho exhibeta, donec nauſeabundus reddatur. Aut Opopanaca cum uino diluto dato, & confertim uomitionem operabitur,* *Ad Viperas* & c. 21. ad morſum Viperæ. *Allij plurimum edere, & uinum meracum multum bibere, ac uomere, auxiliatur, & raphani largè in cibo accepti, deindeq. uomitu reiecti.* & c. 22. ad Dipſadem. *Oleo cum decoctionibus exhibito ad uomitum cogãtur.* *Ad Hæmorrhoum.* & c. 23. ad Hemorrhoum *Allium multum edant, & uinum multum dilutum bibant, & ad uomitum cogantur; ſumant etiam in cibo panem, & uuam paſſam dulcem; deinde uino diluto largè hauſto uomant.* & C. Celſus lib. 5. cap. 27. in curatione communi morſus ſerpẽtium, ait. *Sorbere oportet ius anſerinum, uel ouillum, uel uitulinum, & uomere.* & iam ſatis de vſu vomitus in ictibus venenoſis. particulatim poſtea multa afferemus.

De uſu Veratri in febribus.
Sec. XXIII.

CVm triplex ſit apud Galenicos febrium genus, hecticis profectò non conuenit Vomitus, quia iſti prout tales ſunt, potius inopia, quam humorũ abundãtia, laborãt.

Ad Ephimeram. In Ephemera autem ex cruditate, & copia, vel qualitate ciborum in vẽtriculo exiſtentium conuenit Vomitus. Itaq. cibus in ventriculo corruptus, & ſiue acidus, ſiue nidoroſus factus non alio, quam per vomitum expelli debet: pars n. affecta ſupra ſeptum tranſuerſum eſt, & materia exitui proxima, cum euacuatio fiat ex parte affecta, & vomitum in tali caſu commendant. Aetius ſer. 5. cap. 68. Auic. 1. 4. tract. 1. cap. 35. Raſis 10. ad Almans. Arnaldus de Villanoua, Gordonius, Sauonarola, Gentilis, Valeſcus, Fuchſius, Fernelius, Duncanus, Mercurialis, Capiuacceus, Cæſalpinus, Senertus, & alij.

In Sinocho. In *Sinocho* abſque putredine ſolummodo ſanguine calefacto, & efferueſcente, Dioniſius Fontanonus, & Rondeletius crudo exiſtente in Ventriculo aliquo humore, Vomitum proponunt.

In feb. putridis. In putridis febribus plurimi vomitu vtuntur, vt dicam poſtea lib. 4. huius operis inter quos ſunt. Capiuac. lib. 6. de feb. c. 24. Auic. 1. 4. tract. 2. c. 7. Gentilis, Trincauellius, Paulus Aegineta, Aetius, Haly abbas, Valeſcus de Taranto, Nicolus, Fuchſius, Hucherus, Franc. Pedemontanus, Senertus, Fontanonus, Fernelius, Caprilius, Rudius. Luſitanus, Valeſius. Altimarus, Sauonarola, Duncanus Liddelius, Pompeius *Caprilius, Rudius,* Caimus. lib. 2. de feb. c. 22. immo etiam Empirici, vt Angelus Sala in Hemetologia dat Sal Vitrioli. Bouius dat ſuum Herculẽ, Antimonium, Gratiolam, Lathyridem. Florauantus dat ſuum Elect. Angelicum, ſuccum ſambuci, & Diaaromaticum. ſed quod maius eſt Galenus 11. meth. c. 8. Vomitum commendat. & Hippocrates in Coacis. *Feb. continuis.* *In febre continua quicumq. uoce deſtituti iacentes, oculis conniuentes, nictant, hi ſi poſtquam ſanguis ipſis ex naribus fluxerit, & ubi uomuerunt loquantur, & ad ſe ipſos redeant, ſeruantur.* & 4. Epid. n. 30. *in febribus acutis ſiticuloſi, à Medicis potu interdicto, aut etiam à ſe ipſis abſtinentes, multum ſibi bibere poſſe uidentur. His aqua frigida data, ut reuomant, prodeſt. bilioſa enim aderunt.* & 2. in 2. Epid. initio *mutationes proſunt; ſi non ad praua mutentur, ueluti his, qui à medicamentis uomunt febrium gratia.*

In feb. ardẽte. In febre ardente Vomitum prouocant multi. *Auer.* Auer. teſtatur Auenzoarem puero dediſſe quotidie aquam Anguriæ, & colera vomitu liberatum. *Hipp.* Hippocrates autem 4. Acut. 7. *Huic,* inquit, *& aquam mulſam aqueſam,*

sam, coctam, quantum volueris bibendam dato, quod si os amarum fuerit, vomere confert, & Gal. in com. subdit. *Non sine ratione hunc scriptorem bilem per vomitum vacuare*: & de loc. in hom. 59. *Hunc medicamentum potare oportet, quod educat, qua parte febris magis haret, siue superne, siue inferne, & siquidem superne hareat, superne: sin inferne, inferne*. ita etiam Vomitum posteri laudant, vt Aegineta, Oribasius, Gariopontus, Auicen. Isaac, Nicolus, Gordonius, Actuarius, de Contecillis, Rogerius, Duncanus, Trincauellius, Altimarus, Lumbisanus, Leonellus, Hucherus, Mercurialis, Massaria, Angelus Sala, & infiniti alij. (*Galen.* / *Hippocr.*)

In Causo pituitoso. In Causo pituitoso, inquit Caprilius, *Si forte contingat, vt os amarescat, tunc indicium est bilis petentis os Ventriculi, & ideo licet occurrere vomitorijs, veluti aqua hordeacea tepida cum modico vel aceti, vel sy. acetosi.*

In Tertiana continua. In Tertiana continua Vomitus aliquando prodest. Hipp. de Affect. n. 13. in febre torri æstiua. *Si verò bilis*, inquit, *aut pituita ad cor consederit, aqua frigida, aut aqua mulsa pota vomat*. & Celsus lib. 3. cap. 4. ait. *Cum vero in summo incremento morbus est, vtiq. non ante diem quartam magna siti antecedente, frigida aqua copiosè præstanda est, vt bibat etiam vltra satietatem, & cum iam venter, & præcordia vltra modum repleta, satisq. refrigerata sunt, vomere debet.* & Vomitum etiam proponunt Altimarus, Sennertus, Pedemontanus, Fontanonus, Sauonarola, Andernacus com. 2. dial. 7. Cæsalp. de feb. c. 29. Prosper Alpinus de med. meth. lib. 5. cap. 8. & alij. Florauantus Tesauri lib. 2. cap. 40. Vomitu curauit quendam: Paul. Renealmus obser. 82. Rustico xi. die dedit Panaceæ vomitiuæ. g. viij. vomuit multa pituitosa, biliosa, feb. euanuit. & obs. 148. febri duplici tertianæ continuæ, exhibuit, Panaceæ vomitiuæ g. x. & multis per superiora, & inferiora deiectis febris cessauit.

In Tertiana intermittēte Celsus. In Tertiana intermittente. C. Celsus lib. 2. cap. 22. & lib. 3. c. 13. & 14. ex Asclepiade. *Tertio die post accessionem duci aluum dicit oportere, quinto post horrorem vomitum elicere*, tutius tamen esse ipse censet, alio ordine vti, idest tertio Vomitu, quinto alui deiectione. Galenus autem primo ad Glauc. 9. *Flauam bilem*, inquit, *cum ad ventriculum repit, per vomitum educere oportet, cum verò vergit ad inferiora per inferiorem excretionem, hoc quidem vt sponte fieri solet in tertianis exquisitis*. eiusdem sententiæ sunt Oribas. 6. Synops. c. 10. Aetius ser. 5. c. 80. Trallianus lib. 12. c. 6. Auicenna, Guainerius, Fernelius, Aegineta, lib. 2. cap. 26. Fontanonus, Gerardus Cremonēsis in Rasim, Haly abbas, Nicolus, Fuchsius, Gordonius, Alpinus, Lumbisanus, Nonius Grecus cap. 138. Cæsalpinus, de Contecillis, Pascalius, Rondeletius, Riolanus, Liddelius, Altimarus, Rudius, Caprilius, Hollerius, Valetius, Andernacus, Massaria, Alpinus, Platearius, Serapio, Valescus, Rogerius, Sauonarola, Gerardus de Solo, Hucherus, & quotquot de febribus scripsere. Hornungus in Cista Medica. Epist. 211. laudat flores Antimonij. Renealmus obser. 112. 126. 131. 137. & 141. proponit suum febrifugum vomitorium. I. B. Zappata Oximel ex Asaro. Florauantus commēdat vomitoria, & suum Diaromaticum. lib. 1. phisicæ, c. 17. & lib. 2. Thesauri. cap. 38. ecce quot pecudes se inuicem sequuntur.

In Tertiana notha. In Tertiana Notha scripsit Galenus primo ad Glaucon. 10. *Vomitus autem post cibum adeo ijs, quibus hæc febris perdurauerit, vtilis est, vt multos etiam solis vomitibus statim prorsus fuisse curatos*. Galeno subscribunt infiniti Auctores, vt Aegineta, Aetius, Oribasius, Nonius, Auicenna, Haly abbas, Altimarus, Fontanonus, Pascalius, Pereda, Massaria, Hollerius, Valetius, Cæsalpinus, Riolanus, Fuchsius, Lumbisanus, Alpinus, Duncanus, Rondeletius, Hucherus, Paul. Tucca, Andernacus, Horstius, Serapio, Valescus, Sauonarola, Caprilius, Renealmus in multis obseruationib. Zecca in cōsilijs, & alij, quos enumerare piget.

Ad Quotidianam cōtinuam. In Quotidiana continua, quod Vomitus conueniat peccante pituita in ventriculo, probatione multa non eget: sed ad expellendam à ventriculo materiam leuis vomitio sufficit, & magis confert post cibū, sic enim cibis agglutinata viscida pituita euacuabitur, noua autem minime è corpore attrahetur, quæ, si alibi quam in ventriculo fuerit, & in toto corpore resederit, validiora requiret pharmaca, & à ieiunis sumpta. Galenus autem primo ad Glauc. c. 12. *Iubendum est*, inquit, *vt post radiculas, & cibos assumptos euomant; ijs etiam, quæ pituitam subducant vtendum*, & Caprilius ait. *Quod si quis sit ad Vomitum valde pronus, licet vti vomitorijs, quibus vtebatur Galenus à cibo; poteritis autem dare, & succum raphani, atq. vrgente necessitate ascendere etiam ad flores Genistæ; tollenda enim est febris hæc omnino, quia ipsa propediente febricitantes euadunt Hydropici*, ita etiam Vomitum proponunt Rasis lib. diuision. c. 152. Alpinus 5. de Med. Meth. c. 8. & alij.

Ad Quotidianam intermittētem exquisitam. In quotidiana intermittente exquisita cōuenit omnino Vomitus, nam pituita vt plurimum in ventriculo stabulatur; vnde scripsit Gal. ad Glauc. rarò fieri quotidianam non affecto ventriculo, hinc fit, vt debeat omnino expurgari Ventriculus à pituita; tum in ipsum confluxa; tum confluente, & a Ventriculo ad os breuior est via, & materia tenax, & viscida in ventriculo contenta. non nisi violento Ventriculi, & partium adiacentium motu, & compressione, diuelli, expelli, & commoueri potest; & materia per Vomitum expulsa, sæpe videmus leuiores accedere paroxismos. nec dicatis materiam esse crudam, esse infra septum transuersum,

Dubitatio.

Explicatio.

ſum, quæ ſi vacuari debet, per inferiora eſt ducenda. quia materia in ventriculo contenta, vt alibi dixi, non eget alia coctione. & licet Ventriculus ſit infra ſeptum, tamen à ventriculo ad os per Vomitus breuiſſima eſt via: proinde videntur omnes auctores Græci, Arabes, Latini veteres, & recentiores ſimul ſentire, Vomitum conferre his febribus Quotidianis intermittentibus; ſed varietas eſt, quo morbi tempore, quo acceſſionis tẽpore, & quibus remedijs occurrendũ.

An in principio morbi *Raſis.*

Non in principio morbi vniuerſalis, quia materia inobediens, videtur conuenire Vomitus, tamen Raſis. 10. ad Almanſ. cap. 7. *feſtinandum*, inquit, *vt à prima acceſſione huius febris detur. Oximel cum aqua tepida, & hortandus, non autem cogendus, vt vomat.* & Conſtantinus

Conſtãtinus

ſcripſit. *Si Vomitus venerit ſpontaneus in initio morbi, leuitatem, & ſubtilitatem materiæ portendit. Quod ſi non veniat, non artificialiter fiat. quia morari in initio morbi vomitum, groſſitiem materiæ ſignificat, & coagulationem, & ad digerendum tarditatem.* ſed diſtinguendum eſt, quia pituita putreſcens huius febris cauſa, vt plurimũ in Ventriculo reſidet, & putreſcit, vel in ipſo ventriculo genita, quæ crudus Praxagoræ humor eſt, & excrementia, vel dum ſanguis in Hepate gignitur, & alimentitia eſt: eſt etiam in ambitu corporis, & in particularibus membris pituita putreſcens, & febrem excitans. qua poſita pituitæ peccantis diſtinctione, dicimus pituitam in Ventriculo poſitam in principio vniuerſali morbi, etiam apparentibus cruditatis ſignis in vrina, debere, & poſſe per Vomitum expurgari, vt enim Venenum, ſanguis concretus crudusq. cibus, ita etiam crudus chylus, pituita, & quilibet alius humor in Ventriculo coacervatus, ſtatim Vomitu expelli debet. ſed leue vomitorium, abluens, & abſtergens ſolummodo debet adhiberi. at pituita extra Ventriculum poſita debet concoqui, nec initio morbi debet Methodice expelli.

An in ſtatu Morbi.

Alij in ſtatu vniuerſali Morbi alicuius ſuadent eſſe adhibenda Vomitoria, ita Galenus primo ad Glau. 12. *Circa ſtatum*, inquit, *de ventriculo eſt habenda ſolicitudo, ac de eius ore præſertim. Deinceps iubendum eſt, vt poſt radiculas, & cibos aſſumptos euomant.* ergo in fine ſtatus. & Paulus ait, circa ſtatum. cum quo ſunt Aetius, Oribaſius 6. Synopſ. c. 15. & ad ſeptimum diem vomitum prouocari volunt Auicenna, Aſtarius, Duncanus, & plures. Pereda poſt coctionem, vti etiam Paulus Tucca. Andernacus poſt ſigna coctionis, hoc eſt 7. vel 8. die. ſic etiam Maſſaria, Gerardus, Rudius lib. 3. c. 28. & alij. & reddunt rationem, quia Auic. timet ne primis diebus, cruda materia debilitetur os ventriculi, & in ſtomacho fiat aliquod apoſtema, & accidat Vomitus laborioſus, & cũ syncope; ſed, vt dixi, prope ſtatum conuenit validus vomitus, & attractiuus à toto. in principio verò non niſi leuis, & abſterſiuus, nec illud ſomniatum Apoſtema Vomitui ſuccedere poteſt.

An in initio Paroxiſmi. *Auicenna.*

Alia difficultas eſt. an Vomitus conueniat initio Paroxiſmi particularis. Auicenna quidem ait. *ſi accidit vomitus in principio periodi non retineatur.* ita etiam Serapio, Valeſcus, Sauonarola, Gerardus, Gordonius, Haly abbas, & Conſtantinus. *in Hora acceſſionis cum iam rigor inceperit, incitetur Vomitus.* & Cæſar Landulfus. ſcripſit. *Vomitus prouocatus in principio paroxiſmi, non ſolum remittit illud accidens calefaciendo; ſed etiam eſt cauſa alleuiationis paroxiſmi.* & Riolanus. *Circa principium*, inquit, *refrigerationis inſtante paroxiſmo, non alienum fuerit, Vomitum prouocare ad vacuandum pituitam, quæ in Ventriculo continetur, præſertim ſi natura illud appetere, videatur.*

Arabes. *Landulfus.* *Riolanus.*

Negatur.

Contra tamen alij negant prouocationẽ vomitus in principijs acceſſionum. vnde C. Celſus. lib. 3. c. 7. in febribus docuit, *ſi pituita in ſtomacho coijt, inclinata iam acceſſione vomere cogendus eſt.* & Blaſius Aſtarius. *Vomitus debet eſſe ante paroxiſmum per aliquod temporis ſpatium, cum in principio paroxiſmi raro accidat, quod poſſit vomitus prouocari, quia æger grauatur frigore ſecundum plurimum, & ſomno, ac corporis grauitate,* & Andernacus com. 2. Dialog. 7. ſcriptum reliquit, *vel ante acceſſionem, vel in eius incremento faciliùs, tutiuſq. in principio autem nequaquam, quia tunc magna eſt perfrictio.* Duncanus ante paroxiſmum. Ego dicam cum meo quondam Præceptore And. Cæſalpino, quo natura vergit in ſingulis acceſſionibus. & quũ natura nunquam moueatur quietà exiſtente materià, ſed agitata agitetur autẽ in principio acceſſionum, ſequitur, Vomitum etiam conuenire in principijs acceſſionum. ſed non frigefacto ęgrotante, ſed incaleſcente.

Celſus. *Aſtarius.* *Andernac.* *Duncanus.* *Concluſio.*

Quæ Vomitoria. *Galenus.*

Quæretis quibus vomitorijs vſi fuerint prædicti ſcriptores, profecto leuibus emeticis, & abſtergentibus multi vſi fuerunt. Galenus quidem ad Glauc. poſt radiculas, & cibos aſſumptos vomere, iubet. Paulus, Aetius, Oribaſius, Fuchſius, Gariopontus, Cæſalpinus, & alij, Galenum ſequuntur. Auicenna dat aureum j. ſem. Raphani ex aqua frigida. Guainerius dat Oximel ſimplex, & aquam ſacchari, vel decoctum Raphani. Gordonius Decoctum Raphani in aqua, aut Hydromelite, aut Sy. acetoſo, aut Oximeli diuretico. aut ſucci mediani corticis Sambuci vnc. ſemis. Haly abbas. *Vomitum adhibe cum oximelite, cui infuſa ſunt radices, & comeſtis radicibus ſuper bibat oximel, poſtea cum aqua calida, & pauco ſale Heriſo. hoc enim phlegma incidit, & ſubtiliat, & fluxum faciens exitum facilitat.* deinde ſubdit. *vtatur vomitu cum radicum, & atriplicis ſemine diſtemperato cum oximelite, oleo, & aqua decocto aneto, & ſale beſiro.* Proſper Alpinus. Hidromel

Auicenna. *Guainerius.* *Gordonius.* *Haly.* *Alpinus.*

copio-

coplosius, & calidum, cum oximelite epo-
tum, aut aqua communis decocta cum se-
minibus fæniculorum, & liquiritiæ, aut hy-
dromel dilutum cū corticibus raphani ebul-
litum, ad lib. iiij. cum vnc. ij. vel iij. Oxime-
Constātinus litis, vel sy. Acetosi. & Constantinus. *Cum*
semine rapæ, Atriplicis, & radicibus vsualibus,
quæ decoquantur in aqua, & colentur, & succus
inde expressus detur, deinde Vomitus ex oxi-
melite, & aqua calida, vbi Anethum, & ra-
Astarius. dices sunt coctæ. Blasius Astarius. Aqua
decoctionis Raphani, & sy. Acetosus in quo
raphanus sit infusus. cuius dosis sit. vnc. iij.
tepidus, aut detur aqua tepida in multa quā-
titate cum vnc. j. oximellitis sim. & hoc est
multum vsuale. vel cum decocto Anethi.

Landulfus Cæsar Landulfus scripsit. leue vomito-
rium, vt ℞. Oximell. simpl. vnc. j ÷ Aquæ
tepidæ vnc. viij. misce. fortius. ℞. decocti
Raphani vnc. iiij. Aquæ tepidæ. vnc. vj. Oxi-
melitis. vnc. j. misce. & fortius. ℞. seminis
Raphani drac. j. subtiliter teratur, & misceа-
tur cum vnc. viij. Aquæ tepidæ, & vnc. j.
Leonellus. Oximel. s. Leonellus Fauentinus. decoctio
Raphani cum Oximelite simpl. vel compo-
sito, vel decoctum sem. raphani cum eodem
liquamento dilutum sub hac forma. ℞. Oxi-
mel. s. vel comp. vnc. j. semis. vel ij. aquarū
fæniculi. vel decoct. raphani, vel aqua e
semine raphani vnc. iij. misce. item Oximel
cum aqua fæniculi solum, vel aqua hordei,
Duncanus vt supra. Duncanus. ℞. *sem. Raphani. vnc. j.*
Atriplicis, Anethi. ana. vnc. semis. florum Camo-
millæ. pug. semis. coquantur in aqua in cuius cola-
turæ. vnc. vj. dissolue Oximell. simp. vel squillitici
si materia sit valde crassa vnc. j. semis. pro robu-
stioribus addatur Agarici trocisсati, drac. j. triti
in Oximelite. concedi poterit vomitorium ex Asa-
ro, vel Gratiola. Rondeletius. *decoctum seminis,*
vel radicis Asari, vel Camomillæ cum sy. Acetoso,
Rōdeletius. Riolanus autem. ℞. *Sy. acetosi. aut Oximelitis*
Riolanus. *s. vnc. ij. cum decocto corticum Raphani, & sem.*
Atriplicis in quo drac. semis. Agarici bullierit,
Massa. Nicol. Massa. Aqua tepida cum modico
Zapata. olei. Zapata oximel ex Asaro ad vnc. ij. vel
Platearius. iij. Platearius succi mediani corticis sambu-
ci, succi fumiterræ, succi summitatum Ebu-
li, an. drac. j. bulliant in pomo coloquin-
tidæ, vel ciclaminis, addito succo fæniculi,
Valescus. vel aqua. Valescus dat *Oximell. squillitici.*
Gerardus. *vnc. j. cum decocto raphani.* Gerardus. Oxi-
mel diureticum. decoct. faseoli, & pauco
sale. si verò de phlegmate naturali fiat, fit
Vomitus leuis de mediano cortice sambu-
ci, & Anetho, & semine Atriplicis, his si-
mul coctis in aqua cum 9. vel 11. granis Ca-
taputiarum, & pauco oximelle apposito.

Multi autem auctores, fortioribus vsi sunt
Vomitoriis, & non modo Cataputia, vt Ge-
rardus. sed etiam Antimonio, vt P. I. Faber.
curat. 5. & Paulus Renealmus. Obseru. 115.
Ad Epialā. suo febrifugo, & stomaticho. an. g. v.

Auicenna. In febre Epiala Auicennæ in qua interio-
ra frigent, & exteriora vruntur. ipse autem
Auicenna hanc febrem curari iubet, vt aliæ
flegmaticæ; sed in particulari ait, quod
stomachi sollicitudo habeatur, & administretur vo-
mitiuum cum aqua phaseolorum, & raphani, &
Anethi, & calamenthi. Guainerius inquit. *Si* *Guainer.*
infirmus incitetur ad Vomitum, iuua ipsum cum
quibus supra scriptum est, vel cum eo; quod docet
Auicenna. Sed facit Auicenna vnum vomitorium
de fasеolis, & tu sic facies. ℞. faseolorum vnc. j.
anethi, raphani, calamenti, ana vnc. semis. con-
quassentur aliqualiter, & bulliant in libra j. aqua
vsq. ad consumptionem tertiæ partis; & colетur, &
colatura addatur Oximelitis simplicis. vnc. j. &
tepidum in potu tribue, & si ipsum diu retinuerit,
illic ad mediam horam cum penna oleo intincta, vel
cum digito vomitum prouoca. & cum Auicen-
na sentiunt Serapio, Arnaldus, Sauonarola. *Serapio.*
Rogerius autem cap. 3. de feb. putridis. in *Arnaldus.*
febre de vitreo flegmate. *Debet dari*, inquit, *Sauonarola*
vomitus ante quintam, vel quartam horam acces- *Rogerius.*
sionis, qui sic fit. ℞. mediani corticis sam-
buci, vel Ebuli, succi. drag. ß. distempe-
rentur cum aqua calida, & offeras pro Vo-
mitu. Ego autem anno. 1605. Romæ ac-
cessi ad mulierem Burgundam sexagenariā
febricitantem, dicebat Interiora glaciata es-
se, aderat rigor maximus, & calidissima ad
tactum cutis apparebat; vnde dici debebat
certissima Auicennæ Hepiala, exhibui illi
Lathiridis excoriata grana xv. cum cinna-
momo, & Oui vitello vt docui. cap. de La-
thiride. Vomuit multam pituitam vitream,
& statim frigus, & calor euanuerunt, ac sa-
na remansit.

Conuenit etiam in *Epiala* Galeni, in qua *In Epiala*
dicit per omnia membra sentiri simul cali- *Galeni.*
dum, & frigidum. Isaac. hanc vocans Epia- *Isaac.*
lam dicit purgandam per Vomitum.

In Lipiria biliosa videtur Hipp. in coacis *Hipp.*
n. 1. prohibere vomitum, sed reuersa. Vo- *Ad Lipiriā*
mitum laudat Hipp. & cum ipso Duretus in
Coacis.

Ad febrem lentam, quam Auicenna lati- *Ad febrem*
cam vocat similem Hecticæ. Sauonarola *lentam.*
scripsit. si apparet Vomitus, quod est rarò, *Sauonarola*
fac vt in exquisita Quotidiana. & Angelus
Sala. curat. 7. Filiolam febri lenta, & conti- *A. Sala.*
nua diu afflictam, & corpore tabefacto, spe
destitutam sanauit. g. j. pulueris mercuria-
lis. & Paul. Renealmus Obs. 123. Rustica *Renealmus*
Mulier ob febrim lentam sumpsit Panaceæ
cinereæ (quæ vim habet vomitiuam, & de-
iectoriam) in ceraso condito abstrusę. g. xv.
miraculi instar conualuit biduo vix elapso.
& obser. 125. in Rustico. & item Obser. 196.

In febre Syncopali humorosa, quæ à *Ad feb. syn-*
Galeno 12. meth. c. 5. dicitur febris ex sum- *copalem.*
ma crudorum succorum copia, cum Syn- *Galenus*
cope facile accedente, dubitatur an Vomi- *timidus.*
tus conueniat: Quia si materia in ventricu-
lo quiescens syncopem excitat, multo ma-
gis hanc commota excitabit, vnde Galenus,

nec

nec venam ſecare, nec med. exhibere auſus fuit. tamen quandoq. (vt ait Auic.) ſponte acetoſum quid euomunt, immo aliquando bilioſum. quapropter tum ratione febris, tũ ratione Ventriculi repleti, tum deniq. ratione materiæ crudæ in ventriculo exiſtentis, Vomitus confert.

Dubium.

Obſtat tamen, qua oris Ventriculi debilitas, quà vero ineptitudo ſucci viſcidi ad expulſionem. vnde ſi nauſea, & motus naturæ ad vomitum adfuerit, quo natura vergit erit ducendum, minori, quantum potuerit, motu. quapropter ſi materiæ pituitoſæ admiſta fuerit aliqua bilis portio petens ventriculum, audacius Vomitu vtemur. quoniam ſcripſit Auicenna.

Auicenna.

Quod ſi fuerit in ea humor colericus aliquis, tunc ſi facilis eſt Vomitus, & leuis, & innatiuus valde, & ad vltimum melius eſt, vt aſſidue proficiat in ea.

Pedemontanus.

Pedemontanus. *Confert Vomitus,* inquit, *cum ipſum educat de ſtomacho, & maxime ſi colera ſit admiſta, & facile prouocetur.* ita etiam Gentilis in com. Auic.

Gentilis

Aſtarius.

Aſtarius autem ſcripſit. *proueniens à materia colerica vitellina conueniens eſt euacuatio per Vomitum.*

Sauonarola.

At Sauonarola *Adhærentes Alexandro præſumimus ſupra Vomitum, & maxime quando virtus eſt fortis, & materia eſt apta ſatisfaciliter educi. Tu itaq. ſi comprehendis materiam in ſtomacho contineri, quam exiſtimas leuiter vomitu educi poſſe. tunc prouoca ipſum cũ oximelle ſimplici, & aqua zucchari: deinde per quintum horæ immitte pennam ori, aut digitum, vt faciliter fiat, quod ſi videatur conſtare virtus, potes fortificare cum decocto raphani.* deinde ſubdit. ſi fuerit à colera groſſa Vomitum eſſe faciliorem, propter coleram, & locum. tandẽ Paulus Tucca ita admonet. *Caue nè violenter eradices ſeceſſu, aut Vomitu, nec fortiter prouoces.*

Ad feb. ſyncopalẽ minutam.

In febre ſyncopali minuta Auicennæ. ſeu febre ex tenuibus bilioſis humoribus Galeni. virtus eſt debilis, bilis eſt tenuis, & mordicat os Ventriculi, & facultas reſoluitur. & ſpiritus deficiunt. & videtur ipſa bilis acquiſiuiſſe quandam venenoſam vim. Vnde nulla videtur conuenire euacuatio; ſed ſola nutritio, & ſpirituum regeneratio; tamen bilis peccans debet expelli per partem proximiorem; ſed cautè, ſi igitur nauſeam excitabit, quo natura vergit, eo ducenda.

Dubium.

Mercurialis quidem ſcripſit. *Ratio poſtulare videtur, vt humores noxij ſemper euacuentur. Contra cum Ventriculus ſit locus affectus, & purgantia medicamenta lædant ventriculum, nullo pacto videtur conuenire. Igitur in hac re, quæ maximi eſt momenti debet ſemper ab vſu medicamentorum purgantium abſtinere, propter rationes allatas. Cæterum, vt euacuentur humores lædentes ventriculũ, id faciendum eſt, quod conſulit Galenus, & Auic. ſcilicet, vt per Vomitum humores bilioſi educantur: ſed hac in re magna quoq. uti prouidentia oportet, quia vt monet Auerr. 7. collig. 17. Non eſt vomitus excitandus etiam in hoc caſu, niſi æger ad vomendum ſponte ſollicitetur, atq. tum vomitus parandus eſt blandioribus medicamentis.* Auicenna, Auerroes, Sauonarola, Duncanus, & alij Vomitum laudant. I. Cæſ. Claudinus Cõſ. 119. in Tertiana cum cardialgia, quæ aſſimilatur huic febri. *Medicamenta,* inquit, *vel ad febrem cum ſua cauſa, vel ad cardialgiam rediguntur, ſi ad hanc, ingruente acceſſione exhibendum eſt oleum Amigdalinum dulce recens cum aqua hordei, quo mixto vomitus, aut ſaltem aluus irritabitur.*

Fonſeca.

& Fonſeca tom. 2. conſ. 20. ait. *per Vomitum tentare oportet eius euacuationem, ea ratione, qua docet Gal. primo ad Glauc. 14. lenibus medicamentis: nam prorſus vomitum aqua calida oleo immixta, & quia difficile vomit, vt facilius vomitus euocetur, calefacit Galenus manus, pedes, & os Ventriculi, & penna, vel digito irritat, quod ſi non ſuccedat, oleum calidum adhibet, quia non ſolum vomitum excitare ſolet; ſed ventrem emollire.* Ego autem potius vterer oleo Amigd. dulcium recenter extracto ad vnc. viij. & ad robur adderem unc. ij ſucci citri, uel limonis. P. I. Faber curat. 72. filio ſuo trium annorum dedit Antimonij ſui g. iij. cum aqua teriacali, à quo ſtatim euomuit uiridia uiridi æris ſimilia, & conualuit.

Ad Quartanam.

In Quartana conuenit Helleborus, & alia Vomitoria; ſed qua ratione, & qua auctoritate, quauè experientia mox mox oſtendam. oſtendam etiam quo tempore morbi, & quo tempore acceſſionis conueniat.

Negantes.

Nonnulli negant omnino Vomitum in Quartana, vt Lumbiſanus, & pauci alij, qui moueri videntur ab ipſo humore melãcholico, qui Quartanæ cauſa cenſetur, difficulter per vomitum eductili. Nam Hipp. 4. Aph. 9. *Melancholicos per inferiora plenius, eadem ratione contraria apponentes,* & Gal. in com. *medicari plenius,* dixit *pro fortius.* quia uero ad inferiora declinat hic humor non ſine ratione jubet, per uentrem inferiorem euacuari, ſicuti flauam bilem per ſuperiorem, cum ſit leuis humor, & ſponte continuè fluitet. cõmune igitur ambobus eſt, ut ducantur, quo uergunt per loca conuenientia: proprium autem alteri quidem humori per ſuperiora loca euacuari, quoniam ad hæc uergit, alteri uerò per inferiora; quoniam & ipſe ad iſta declinat, & lib. quos, & quando, docet flauam bilem per ſuperiora, pituitam uero per inferiora purgandam eſſe; niſi interdum contrarium oportet agere; ut ſi pituita in uentriculo, bilis in inteſtinis reperiatur: atrã autem bilem perpetuo (inquit) per inferiora eſſe deijciendam, quod ſi ita ſe res habet:

Cõtradictio.

quomodo non in præſentia Hipp. & Galenus ſibi ipſis aduerſantur? hic docens humorem melancholicum, qui efficit Quartanam per ſuperiora purgandum eſſe; ille verò dans Helleborum album fortiſſimum & (ut ipſe loquitur) pleniſſimum medicamentum.

Solutio.

Ego autem ex Hipp. uerbis nequaquam elicio Melancholicos per Vomitum nunquam eſſe euacuandos; ſed uoluiſſe, quod ple-

plenius, & fortius per inferiora, tenuius uerò, & debilius per superiora, & hoc modo interpretor uerba illa, uel fortioribus medicamentis, ut scripsi superiore libro primo cap. 9. sic uerba illa *eadem ratione contraria apponentes* non intelligo de bile contrario modo purganda, ut Galenus uoluisse uidetur: Nam loquutus fuit Hipp. comparatiuè *plenius per inferiora*, cuius contrarium est *parcius per superiora*. Nec enim comparatio est bilis atræ cum flaua (nam ita absurdus quidem sensus esset, per inferiora fortius uacuandā atram, quam flauam bilem) sed loci superioris cum inferiore ad exitū Melancholiæ.

Vomitum autem in Quartana conuenire satis clarum uidetur, auctoritatibus Hipp. Galeni, Auicennæ, & aliorum infinitorum: immo Oribasius lib. 7. coll. cap. ultimo. *febricitantium nemini*, inquit, *Elleborus conuenit. Quartanis verò aliquando conducit*: nec non curatorum exemplis. sed qua ratione conueniat, præter auctoritates, & experimenta, inquirendum à nobis est, non enim contemdum esse uidetur, præclarissimos Medicos absq. optima ratione uomitum probasse. Quare afferre possumus primo communem indicationem febrium putridarum, alias propositam, euacuandi per Vomitum materiā febrilem 2. quia obstructiones circa uentriculum, & Hipocondria per uomitum, eiecta causa facillime tolluntur. 3. quia si Quartanæ materia in liene plerumq. sedet, cum ex Gal. sæpissime lien coalliciatur. hæc facilius euacuabitur per Vomitum, quam per intestina, uentriculus enim proximior est pars: si quidem melancholicus humor, qui ab hepate ad lienem fertur, ab ipso deinde liene, recto naturæ instituto ad Ventriculi, qua os, quā fundum regurgitat, tum ut ipsum corrugando appetitum excitet, tū ut fermentationem sua acida ui excitet, & inde ciborum concoctionem adiuuet, ut dixi Epist. 5. primæ decadis meæ.

Quod Vomitus cōueniat ratione probatur.

Tamen, si dixeris Elleborum educere pituitam, & in Quartana per Vomitum multam educi pituitam, & non Melancholiam, tamen prodesse datum secundum doctrinā Hippocratis.

Obiectio.

Responderet Massaria. *In febre quartana, & propter diuturnitatem morbi, & propter alias causas necessario labefactari facultatem ventriculi, ex quo aliter fieri non potest, quin generetur magna copia pituita, & crudorum humorum, qui quidem si non febrem efficiunt, saltem possunt illam fouere, itaq. vomitus conuenit, non ratione humoris melancholici, qui semper commodius per inferiora purgatur; sed ratione pituitæ, ex cuius vacuatione, licet id primo & per se non fiat, febris quartana solet iuuari, & quandoq. etiam auferri. vt cumq. autem sit, si quis voluerit in Quartana Vomitum prouocare, ego huic id consilium darē, vt prater misso Helleboro, & omni validiore medicamento facilioribus tantum id ageret*. sed Hippocratis consilium præstat Massariæ consilio. qui uituperat, quod non nouit, quod non expertus est. ergo cæcus non iudicet de Colore. & hunc uidetur transcribere Valetius in Hollerium. dum ait. *Lenioribus melancholici potius per inferiora purgandi ex Hipp.* Aph. 9. lib. 4. *Sed cum in Quartana Vomitus imperatur, id fit non ad coniunctam febris materiam, qua rarò per vas venosum appellatum ad Ventriculum reijcitur; sed ad antecedentem exigendam*. Nec procul ab his sentit Mercurialis, qui proposita hac difficultate scribit. *Ex una parte non videtur vllo modo conuenire vomitus, quoniam scriptum est ab Hipp. 4. aph. 9. & alibi sæpe. bilem per superiora, melancholiam per inferiora esse euacuandam. Et afferebat Gal. eo loci rationem, quia Melancholia sua natura humor grauis est, adeo vt rationē grauitatis multò felicius per infernas, quam per supernas partes euacuatur. Ex altera parte est auctoritas, & Galeni, primo ad Glauc. 7. & Auicenna, & omnium Graecorum, qui inter cætera remedia pro expugnanda quartana proponunt Vomitum. Dicendum est vomitum exerceri posse propter duos fines, vel vt euacuetur humor melancholicus, iam factus, qui est auctor febris immediatus, vel vt euacuētur humores crudi quiescentes in ventriculo copiosi, & primis vijs, qui solent esse fomites, & veluti nutrimentum humoris melancholici. Si primo modo loquamur, certe non conuenit vomitus, quandoquidē humor melancholicus non euacuatur vomitu, vt locutus est Hipp. loco citato. Sed si loquamur secundo modo, planè conuenit vomitus eo, quia vomitu euacuantur crudi succi, quibus euacuatis consequenter subtrabitur pabulum, & fomentum melancholia. Praterea quia minera febris quartanæ plerumque est circa splenem, accidit, vt excitato vomitu per communicationem venarum trabatur humor melancholicus à liene ad ventriculum, & intestina, ac sic facillimè, aut per os, aut aluū illæ exinaniuntur.* Ego, ut meam etiam sententiam afferam, primo dico, experientiæ magis, quam rationi esse credendum, uidelicet. quia extremis morbis extrema conuenire remedia testamento reliquit Hipp. ideo, si quartanæ pertinaciam consideraucrimus extremam, nemo hanc extremum morbum ratione resistentiæ esse negabit. Extremum igitur conuenit remedium, quale Elleborus, ut consulit Hipp. Non igitur ualida medicamenta prætermittenda, ut absq. ratione consulit Massaria. & equidem huic difficultati respōderem, uoluisse auctores græcos, humorem melancholicum non nisi raro per superiora esse euacuandum; tum quia sponte natura sua, & frequentius, tum etiam quia atte facilius per inferiora educitur: immo uerò, quia cum sit nimis acris, timetur eius acrimonia, ne ori uentriculi exquisiti sensus, aliquid officiat. non tamen hinc sequitur nunquam omnino per uomitum ducēdam esse Melancholiam, nec sequitur quartanariis nequaquam dandum esse Veratrum, eo quia hoc è directo humorem melancholicū non

Responsio.

Contra Massariam.

Mercurialis

Distinctio.

Sententia nostra.

non euacuet, sed pituitam, unde non sequetur euacuatio Melancholiæ per Vomitum.

Declaratio. Profectò, quia euacuatio pituitæ uiscidæ, & crassæ Hipocondria obstruentis in quartana optimum est remedium, uidelicet, si quartana fuerit à pituita in Melancholiam cõuersa, morbi antecedentem causam tollet. Si uerò fuerit à melancholia naturali, pituitæ euacuatio per uomitum nequaquã nocebit, cuius ratio est, mea sententia, quia Hipocondriorum, Mesenterij, proximarũq. partium obstructiones non nisi à pituita uiscida, & crassa fiunt, quæ non nisi per ualidum uomitum, & à ualido medicamento attrahente, commoueri, & expelli potest. Quod si in ventriculo tantum pituita existeret, ut censuit Massaria, ad quid ualida, & attrahentia uomitoria, si leuia, & detergentia tantùm sufficiunt; & pro uentriculo ipso expurgando conueniunt?

Nec deijcientia per aluum, quamuis fortissima, ad has obstructiones tollendas sufficiunt. tum quia hæ partes uentriculo sunt proximiores, quam intestino recto; tum maximè quia ex ualido motu, & uentriculi, necnon partium circa hipocondria obstructarum concussione, ualidaque à medicamento attractione, quam etiam ægri optime sentiunt. fit materiæ obstruentis commotio, ac, ueluti à manu premente, extrusio. hinc commota faciliùs, quam quiescens materia à natura expellitur. & hac potissimum de causa uomitu tolli obstructiones censeo, à deorsum purgante uerò nunquam. Ita igitur in quartana eiecta uiscida, & obstruẽte pituita natura facilius melancholicum humorem conclusione exacerbatum, & in calefactum transmittere poterit, uel ad lienem, uel ad intestina, uel ad Ventriculum, & ad extra cum viæ sint deobstructæ, & corpus transmeabile, & perspirabile redditum. non enim censeo à bile amara, uel melancholia siue acida, siue acri ualidas obstructiones effici posse: qualitates enim hæ non sopirent, vt insipida pituita, partes, & uasa. sed summe expultricem incitarent.

Avi Ellebori. Porrò si Hippocrati, Dioscondi, Plinio fides est habẽda, Veratrum uarios, & omnigenos trahit humores, rubicundos, prasinos, & uisu terribiles, ergo non solum pituitam, & flauam bilem; sed etiam melancholiam. & certè Melancholiæ uomitus nõ est adeo timendus, vt multi censent, quia si melancholia abundat in corpore, est nè euacuanda, an non? si dices euacuandum esse deorsum, quæro cur non sursum? an propter grauitatem? ridiculum, nonne est humor liquidus, fluidus? potest, si in ventriculo fuerit, ut alij humores, & tenax pituita, per oesophagum expelli. immo facilius expelletur vomitu humor melancholicus, quam crassa pituita, quæ uiscida est, & parum obtinet ichoris, cum è contra melancholia, licet sit natura crassa, tamen sociatur tanto ichore suo, & adeò ab eo diluitur, & attenuatur, ut eam Hipp. seu auctor libri 4. de morbis initio uocauerit *aquam*, & eius sedem in Liene posuerit.

Ad aciditatem responsio. Nec obstat aciditas, & acredo corrosiua, quia oesophagus, & intestina eandem obtinent tunicam, & eiusdem rationis, ac sensus esse uidentur; unde si non corroduntur intestina à maiori mora melancholiæ in ipsis, neque os, neque oesophagus solo eius transitu momentaneo uitiabuntur, ac corrodentur. fateor quidem aliquando ab humoris uomitu eiecti aciditate lædi dentes; sed facile uitium sedari aio. uidi equidem pluries eiectam ore Melancholiam cum conferentia, & præcipue recordor cuiusdã Pictoris Melancholici, qui bilis atræ acidæ, acris, molestissimæ ultra xv. libras eiecerat cum maxima anxietate, fastidio, & mortis timore, ego accersitus statim propinato pauco lacte omnia symptomata sedaui, & ipse optimè conualuit. Hypocondriaci sæpe Melancholiam acidam uomunt, & qui alios uomunt, tandem humorem acidum, nigrum uomunt.

Prognosticũ Vomitus nigri. Prognostica uerò nigri, & uarij uomitus ab Hipp. in Coacis allata, ad Vomitus spõtaneos in febribus acutis, non autẽ ab epoto medicamento referuntur. Quando autẽ dixit Hipp. Melancholicos *plenius* per inferiora, non intellexit *semper*; sed innuit contrarium *parcius* per superiora. non ergo nunquam, ut toties dixi.

Melancholiã superius purgari. Quare iterum concludam melancholicũ humorem per superiora posse purgari cum conferentia, & tollerantia à medicamento melanogogo, & ex Hipp. lib. de Veratri vsu. ipsum Quartanarijs conuenire, non quidem ut alium purgans humorem; sed peccantẽ, & principaliter peccantem, idest melancholicum, ut in affectibus alijs melancholicis conuenit Elleborus, non ut pituitam educens; sed ipsam melancholiam. dico igitur deceptos fuisse Massariam, Valetium, Mercurialem, & alios similiter sentientes; immo & ipsum Galenum, (si ita sensit) scilicet, quod humor melancholicus non possit per uomitum educi, cum conferentia, & tollerantia. Nempe si sola illa Hippocratis auctoritate nituntur, quia uel Hippocratem non intellexerũt, uel neglixerunt, aliud enim est *plenius*; aliud *semper*, *sæpe*, *necessario*, & aliud *rarius*, aliud deniq. *nunquam*.

Auctores Vomitum probantes Si auctoritates nos mouere possunt, habeo centum auctores Vomitum in Quartana laudantes, inter quos primus erit Hippocrates lib. de Affect. n. 19. & 2. de Morb. 39. & lib. de Veratri usu. Plinius, Auicenna, Rasis, Aetius, Pedemontanus, Nicolus, Trallianus, Haly abbas, Hollerius, Gordonius, Lumbianus, Galen. ad Glauc. Stephanus Atheniensis, Achakia.

Oribasius, Trincauellius, C. Celsus, Garlopontus, Altimarus, Florauantus, Cæsalpinus, Aslarius, C. Landulfus, Fuchsius, A. Sala. Io. Hucherus, Guainerius, Alpinus, Solenander, Constantinus, Duncanus, Crato, Guarinonius, Plateatius, Valescus, Sauonarola, Amatus cent. j. cat. 8. Isaac, Capilius, Rudius, Riolanus, Pascallus, Pereda, Rondeletius, Paul. Tucca, Senertus, Alex. Alexius, Gregor. Horstius, P. Reneaulmus, P. Io. Faber. Andernacus, Zephiriel Thomas Bouius, & alij, quos referre piget.

Idoneum tempus. Quærendum modo est idoneum tempus exhibendi in Quartana Vomitorium, seu Veratrum, considerando tum Morbi vniuersalia tempora, tum Accessionum particulares status; variæ enim sunt sententiæ, cum alij in principio, alij in declinatione præbendum censeant.

An in principio accessionum. Qui in principio vniuersali Quartanæ dandum vomitorium probant, videntur sequi Hippocratem lib. de Affec. n. 19. inquientē. *Si impurgatus fuerit, primum caput purgato, & interpositis tribus, aut quatuor diebus pharmacum sursum purgans dato.* vbi videtur Præceptor in principio morbi vomitorium exhibere. ita etiam 2. de morb. 39. ait. *At si firmus, & sanum se esse putans ex lassitudine, aut profectione febre correptus ad quartanam deuenerit, fomentis ipsi adhibitis Allium dato in melle tinctum; deinde lenticulæ decoctum bibat, melle, & aceto mistis postquam autem repletus fuerit, vomat.* altera autem exacerbatione exhibet Elleborum. vndè hic etiam in principio morbi vomitum imperat, & ratio esse potest, quia circa principia, & fines omnia imbecilliora, & in principijs morborum si quid tibi videtur mouendum, moue, ex Coo Oraculo: Ventriculus enim in morbi initio multa pituita tapletus esse solet. quæ statim est euacuandus, ne ea pituita ad venas feratur, & obstructiones augeat, addimus, euacuationem per Vomitum non requirere coctionem, vt libro primo definiuimus. Saxonia. vtitur statim ab initio lenioribus vomitorijs per se, vel post cibum, bis, & ter.

Hippocr.

In statu quartana vomitus. Contra Galenus primo ad Glauc. cap. 7. scripsit: *Et si concoctionis morbi indicia apparuerint, tunc purgare oportet ijs, quæ humores istos eximaniendi vim habent, non semel tantum; sed etiam sæpius, si fuerit necessarium. Vtendum autem & vomitibus, &c.* dat etiam Helleborum. & eiusdem sententiæ videtur fuisse Hipp. dum lib. de Veratri vsu docuit. *Purgat item Quartanas diuturnas.* & Plinius scripsit. *Medetur quartanis, quæ aliter non desinunt.* diuturna enim quartana non dicitur. quæ est in principio, proinde videntur velle Vomitum esse faciēdum, in statu, vel declinatione Morbi concocta iam materia, vt etiam Hollerius, Sennertus, & alij sentiunt.

Solutio Pedemontani. Franciscus Pedemontanus in supplem. Mesuæ. istos concordare voluisse videtur, dicens Vomitum leuem in principio, fortiorem in processu conuenire. ita etiam Saxonia primo proponit lenia vomitoria, vel per se, vel à cibo, statim ab initio; concocta autē materia probat fortiora. & hunc sequitur Sennertus. Sed ego lego Hippoc. in principio vetitem Helleboro. & Galenum concocta materia Vomitum leuem a cibo adhibentem. quæ sunt contraria. forte melius dixerimus pituitam crudam ab Hipp. sem per educi per Vomitum absque coctione; ideo in principio morbi sursum educi posse. concocta autem deorsum expellit Hipp. & nunquam sursum; Etenim, vt alibi diximus, concocta sunt grauiora, & deorsum natura descendunt; cruda verò sunt leuiora flatuosa, & semper in motu: vnde sursum facile feruntur. Porro Galenus in hoc dogmate non sequitur Hippocratem, semper concocta educere intendens, etiam per superiora. Mihi verò Vomitus in declinatione, vel statu morbi, concocta iam materia, conuenire non videtur, quia in principijs morborum solet affici ventriculus, & ad ipsum confluere materia. in processu verò liberatur ventriculus, & ad alias partes fluxio fertur. & aduertite, quod sæpissime in accessionum particularium initijs Vomitus superuenit, rarò in statu, rarissime in declinatione; & è contra. alui deiectiones in accessionum principijs raræ admodum sunt, immo periculosæ, (vt longa experientia didici) in declinatione verò frequentes, & vtiles, quia humoris motus debet esse naturalis, vt leue sursum, graue deorsum: debet esse tempus conueniens, quo natura solet moueri sursum, vel deorsum.

Contra solutionem.

Nostra sententia.

Contra Galenum.

Notandum.

Ad longas quartanas. Verum quidem est, longis, & contumacibus quartanis ex Hipp. & Plinio conuenire Helleborum, sed suppono materiam adhuc esse crudam, & alijs remedijs non cedētem, & durare principium vniuersale, quo ad durat cruditas. quod si materia peccans esset concocta, proinde mitis reddita non egeret maximo remedio, quod violentissime varios humores, visu terribiles educat, viscidam pituitam, crassasq. biles, vbicumque repositas, debet ergo crudus humor in principijs morborum, & in quartana instanto per vomitum, tum leuem, tum validum educi causa antecedens, siue sit pituita, siue humor melancholicus.

De tempore accessionis. Altera restat dilucidanda quæstio de Accessionis particularis particula, in qua Vomitus conueniat: nam quorundam opinio fuit, non nisi in declinatione paroxismorum, seu in interuallo, emedicamenta quælibet exhibenda. Quoniam Galenus, siue Herodotus in libro scripto Introductio, seu Medicus. cap. 13. *Quartanæ auxilium est*, ait, *ante rigorem summas partes, propter humoris frigiditatem fomentis tueri: in intermissionibus eductio per Vomitum.* Deinde cap. 14. sequēti scriptū reli-

An in declinatione vel interuallo.

reliquit. *Conuenit autem per superiora purgatio morbis longis demoliendis. Tempus huius est, cum morbi intermittunt. Inferiori parte adhibita, acutis, vt Pleuritidi, & Peripneumoniæ. Tempus verò vniuersa est particularium accessionum remissio.* igitur semper purgat in remissione. ita quoque Hipp. in Aph. *in accessionibus abstinere oportet.* inquit. immo 2. de Morb. n. 39. scribit. *Altera verò exacerbatione vbi multa calida laueris, & stragula ipsi intexeris, donec exudet, statim Veratri albi, &c.* Deinde addit. *Quum verò exacerbatio ipsum inuaserit, ieiunus medicamẽtum ne bibat.* Nam si ante Helleborum balneo vti, & sudare debet, id non nisi in declinatione accidet: sic in intermissione sumetur Veratrum. pariter ieiunis in accessione medicamentum vetare videtur: ita etiam Galenus lib. de Ther. ad Pis. apparet Vomitum imperasse, non in die accessionis; sed postera. eius hæc sunt verba. *Quartanis etiam febribus optime conueniunt, cum enim ea febris ab atra bile consurgat, facile sumpta Theriaca, discedit, modo quis ipsa seruatis medicæ artis præceptis, vtatur. Ego namq. multos quartana laborantes, hac vsus artis semita, facile à morbo vindicaui. Primum enim cum cauassent, vt euomerent, effeci, deinde secuta die succum absintij bibendum tradidi, quo bilem contemperarem, ac veluti edulcoratam, postremo duabus horis ante inuasionem Antidotum exhibui.* Patet autem in die accessionis non exhibuisse vomitorium; sed Theriacam, in antecedenti vero Absintij succum, & ante Absintium, scilicet prima die post accessionem à cæna vomitum imperasse. & sic Hollerius, Alpinus, & aliquot alij Galenum interpretantur, exhibentes pridie Accessionis Vomitorium.

Mercurialis explicatio.

Mercurialis autem respondet. Vomitum posse administrari vel à validis medicamentis, vel blandis. à validis medicamentis vomitorijs omnino esse abstinendum in accessionum die censuit: sed blandioribus vomitum cieri posse. sed neq. semper blandis vomitorijs esse vtendum; sed tantum quando propensio naturæ ad vomitum aduertitur. à quo non multum distare videtur Massaria lib. 5. de feb. cap. 13. & cap. 18. de tertiana notha. vbi pluribus probare conatur, in accessione nihil esse mouendum,

Rationes Massariæ.

Primo, quia Auicenna edixit. lib. de febr. *Et non moueas in die paroxismi, quantum possibile est.* quod videtur ab Hipp. desumpsisse. *in accessionibus abstinere oportet.*

2. Quia eo tempore natura à morbo est satis vexata, neque afflictionem afflictio addere decet. Quare in accessione nullum est adhibendum remedium; immo si tunc non conuenit alimentum, quod naturam roborat, minus phlebotomia conueniet, quæ vires tollit, absq. tamen valida commotione. minime verò vomitus probabitur; quippe qui totum corpus valide commouet, ventriculũ debilitat, ægrũ lacerat, & vires resoluit.

3. Si Galenus de sang. miss. cap. 21. pro phlebotomia febris declinationẽ perpetuo esse expectandam consulit, id eo magis in medicamenti exhibitione, quod corpus magis conturbat, erit seruandum. sic Celsus lib. 2. cap. 9. *Quod si vehemens febris*, inquit, *vrget in ipso impetu eius sang. mittere, hominem iugulare est.*

4. Certum est medicamẽtum ex vna parte a circumferentia ad centrum trahere: ex altera naturam in paroxismo à cẽtro ad circumferentiã expellere; vnde duo forent cõtrarij motus, quos natura non nisi cum magno periculo perferre posset.

5. Medicus (vt colligitur ex Gal. lib. quos, & quando in fine) naturæ propositum, ac propensionem non intelligit; quam ob rem si illa V. G. euacuare per sudorem vellet, medicus autem, vel secare venam, vel pharmacum dare, ausus fuerit, quis non videt ijs modis nõ sine magno ægri discrimine naturæ conatus perturbari, & omnia peruerti?

6. Si natura se pararet ad euacuationem per aluum (vt Auic. habet 2. 4. trac. 2. cap. 9.) & medicus eo tempore purgaret, vel Vomitorium medicamentum exhiberet: tũc certum periculum immineret, ne ex vtraq. euacuatione, & naturæ, & artis tam immoderata sequatur purgatio, vt ægri vires satis esse non possint. ergo in die accessionis nulla est mouenda euacuatio.

In principio Accessionis vomendum

Ex altera parte plurimorum est opinio in die Accessionis, in ipsa accessione, & in principio ipsius paroxismi medicamentum vomitoriũ esse dandum. Hippocrates enim de affect. n. 19. *sursum purgans dato*, inquit, *in ipsa apprehensione, & interpositis diebus, rursum aliud deorsum purgans dato in ipsa apprehensione.* ita 2. de morb. n. 39. *Altera verò exacerbatione, vbi multa calida laueris, & stragula ipsi intexeris, donec exudet, statim Veratri albi radices trium digitorum longitudine, & trifolij dracmam, & succi silphij duarum fabarum magnitudinem in vino meraco bibat, & si vomitiones ipsum vrserint, vomat, sin minus, post caput purgatum; cibis autẽ vtatur, quam mollissimis, & acerrimis, quum vero exacerbatio ipsum inuaserit, ieiunus medicamentum ne bibat.* *Hippocrat.* Petrus autem Salius in com. huius loci hæc ita exponit. *Salius.* *Ex quibus patet, in quartana, si vomitus pharmaco sit excitandus in die exacerbationis hoc agendum esse. Nam cum in quartana peccet segnis, & crassa materia, quæ commotioni medicamentorum valde reluctatur, ea illo tempore, quo agitatur à natura, & à putredine alteratur, euacuanda erit. quod cum sit tempore exacerbationis, eo tempore etiam erit euacuanda: quod non tantum ratio prædicta, verum etiam experientia ipsa, ex qua nonnullos quartanarios per Hellebori exhibitionem sanaui, persuadet.* Verũ enim verò exaratis illis verbis multa præclara de Helleboro nos docet Hippocrates. Et non solum ipsum in quartana conuenire; sed etiam eius dosim, mixturam, tempus su-

mendi, & an ieiuno corpore, & denique quibus præsumptis cibis, & veluti optime adnotauit Salius, verba illa Hippocratis melius vertuntur, *non ieiunus existens medicamentum bibat in ipsa exacerbatione*, ita vt affirmatiue dicat Hipp. in accessione esse sumendũ medicamentum ab ægroto iam cibato, & exacerbatione altera instante lauari, sudare, & cibari ægrotantem voluit. tunc in ipsa accessione medicamentum erit sumendum, quod si ieiunum paroxismus inuaserit, quia tunc non est amplius sumendi cibi tempus, nequaquam medicamentũ assumere debet. & eiusdem quoq. sunt sententiæ. Aetius ser. 3. c. 123. *Veratrum quartanis conuenit in ipsis accessionibus*. Auicenna verò scripsit. *Vomitus, & ante cibum, & post cibum est conueniens, & proprie in die paroxismi, vt ante paroxismum, & proprie quando melancholia est phlegmatica, est de rebus iuuantibus in ea, & non in principio tantum: immo etiam in omni hora*. ita etiam Constantinus, Pedemontanus autem scripsit. *Vomitus quacunque die, & maxime in die paroxismi, & in principio eius. vt est decoctum sem. Raphani, & Sy. acetosus potatus ante paroxismum, per vnam, vel duas horas, deinde cum aqua mulsa calida, & ita alleuiatur rigor, & frigus*. Nicolaus in Antid. magno. cap. 278. & cap. 46. 3. dat medicamẽtum purgans ante horam accessionis. Haly abbas 3. pract. c. 14. Auicenna, Hollerius, Gordonius, Lumbisanus, Trincauellius, Astarius, Landulfus, Guainerius, Solenander, cons. 22. Rasis x. ad Almans. cap. 8. Duncanus, Pascalius, Rondeletius, Paulus Tucca, Paul. Renealmus. obseru. 29. Io. Bapt. Zappata. Andernacus com. 2. dial. 7. Crato. cons. 356. Valescus. Amatus cen. 1. cur. 8. & cent. 2. cur. 97. Riolanus, & infiniti alij laudant Vomitum in Accessione Quartanæ. & Alex. Trallianus. *Vomitus inquit, omnibus vtilissimus est, præsertim ijs, qui humores crassos in ventriculo continent, nam crassitiem extenuat, & vt concoquantur, celeriusq. discutiatur efficit. Optimum autem tempus ad Vomitum est accessione incipiente, quoniam etiam tunc humores cum materia mouentur, & illi in stomachum confluunt, illumq. ... nauseam excitant. Dato sia multum non nimis aquosum; ita namque proclimus ad excretionem prorumpent, qui autem valde leues sunt & ... aegris excernentur, ac penitus præcipue auferuntur vitandum est, vt maiori irritatione vomitus omnino proueniat. Si enim ex lentis humoribus aliquid sursum eductũ fuerit, statim etiam accessio minuetur, tum spatio temporis, tum simul more à consuetudine. Ego enim noui me hoc modo inueteratas quartanas discussisse, vt nonnullæ ipsarum separata iam deteriore parte conquieuerint*.

Historia.

Sunt igitur plurimi scriptores Vomitum in Quartanæ accessione commendantes. & equidem curaui quendam Monachũ Neapolitanum triplici quartana vexatum, dedi xx. diei hora, qua febris eum inuadere solebat, Oximel elleboratum, vomuit multa, omnigena, accessit hora xxiiij. Monachus lætus obuiam mihi venit, febrem dicens aufugisse. sequenti die secunda febris accessit, altera die tertia febris. postera die febris non superuenit sequenti die, iterum in accessione 2. quartanæ, idem medicamentum propinaui, vomuit, & febris discessit, altera die tertia quartana inuasit sequentibus duobus diebus minime. altera tertia quartanæ accessione tertio Elleborum dedi, & tertia febris euanuit, in totum liber. conuenit autem in paroxismo huius febris Vomitoriũ, quia in hac difficilius crassus humor eradicatur, eradicari autem nequit, nisi à natura simul cum medicamento, dum mouetur, expellatur, cum ex his alterutrum id per se præstare, non valeat. quod non accidit in alijs febribus, licet in his etiam Vomitus sit vtilis vt diximus.

Refellitur contraria sententia.

Nec contraria sententia probabilis est, siquidem non est rationabile Auctorem in libro dicto introductorio desiderasse vomitũ in intermissione; sed potius in accessione. credo equidem ante rigorem fomentis vsũ, post fomenta, in ipsa accessione, uomitu. quod si non ita uoluerimus interpretari, præstabit cum Hippocrate sentire, in ipsa apprehensione Vomitum ciendum, cum tamen in Aphorismis à cibo in accessionibus abstinendum docuerit. quia aliud est seplere, aliud exinanire. & 3. de morb. cit. sudare consulit ante accessionem, cœnare, & deinde pleno existente uentriculo in accessione medicamentum sumere non autem post declinationem.

Ad locum Gal.

Ad Galenum respondeo. constare tantummodò cœnatis uomitum imperasse. quod etiam Hippoc. fecerat, non autem patet, an uomuerint in accessione, uel intermissione, ego autem credo in ipsa accessione, deinde per duas horas ante alteram accessionem uomitum concitasse. sed quicquid sit de Galeno, nos cum Hippocrate. at quid. si concederemus etiam in intermissione conijcere uomitum.

Contra Mercurialem.

Nec Mercuriali assentiar in accessione fortia medicamenta uomitoria prohibenti, quia ex Hipp. omnibus modis fortia conueniunt medicamenta. Hipp. dedit Helleborum, concessit Galenus, & cum his Plinius, Oribasius, Stephanus Athoniensis, Aetius,

Helleborũ.

Gariopontus, Auicenna, Florauantus primo phisicæ, cap. 31. Fuchsius, Paschalius, Pereda, Alex. Alexius cons. 18. Platearius, Caprilius, & alij.

Antimoniũ

Multi exhibent Antimonium, ut P. I. Faber, Zappata, Prosper Alpinus, Duncanus, Cæsalpinus, & alij.

Bouius suum Herculem ex Antimonio, Florauantus suum Præcipitatum, Dia aromaticum, & lapidem philosophicum, Renealmus suum febrifugum, alij alia.

Ad

Ad Massariam.

Ad Massariæ rationes addnctas sic obuiādum. ad primum enim dico, in accessionibus abstinendum esse à cibo, nisi quid contrarium faciendum esse, vrgeat. non autem a vomitu abstinendum, si natura eo inclinauerit, nam quo vergit eo ducere conuenit. igitur in principio paroxismi quartani sursū purgabimus; quia materia sursum vergit. In declinatione autem deorsum, quo ipsa natura vergit. vidi etenim nonnullos Medicos quartanas sanantes exhibita radice Mecioaca in statu accessionis, ad hoc vt in declinatione aluus inferna moueretur.

Ad secundum. quamuis natura à morbo in accessione maxime vexetur, quia tamen ea tunc morbi causam per vomitum expellere conatur, ea est iuuanda; cum Medicus Naturæ sit minister.

Ad tertium. cōcedo in exhibitione deorsum purgantis vitandum esse Accessionis principium; quia tunc natura non deorsum, sed sursum mouetur; vnde conuenit vomitorium, minime autem deiectorium. sic nec cōuenit in statu febris venæ sectio; quia fieret motus contrarius illi, quem intendit natura.

Ad quartum. Verum esse hunc motum concedo in declinatione præsertim, non autem in principio accessionis, quando si natura tentat vomitum, vomitum adiuuat Medicus, & conuenit medicamenti motum cum Naturæ motu.

Ad quintum. Respondeo. hoc valere si Medicus alio accessionis tempore vomitoriū daret; sed in principio accessionis haud solet natura optimam crisim facere, vel per aluum, vel per sudores, vel per vrinas. vel per hæmorrhagiam è naribus: sed solum per vomitum; quo tempore Medicus Vomitorium medicamentum exhibens naturæ conatus perturbare non potest.

Ad textum. Si præscriberetur à Medico vomitus concocta iam morbi causa, & instante aliqua bona Crisi, certè validus vomitus, vel crisim perturbaret, vel ea adueniente duplex esset euacuatio. sed Vomitū, fieri volo non dum concocto morbo, ad crudam in Ventriculo existentem materiā tollendam; quo tempore Crisis bona non nisi per Vomitum fieri solet. & si superuenerit per aliam partem aliqua euacuatio, ista & symptomatica, & mala erit dicenda, & à Vomitu reuelli poterit; sed ne lectores fastidio afficiam de Quartana satis.

An in peste Vomēdum.

Verum antequam finē huic sectioni imponam equum videtur, vt exponam, an in peste, & febre pestilenti Vomitus cōueniat.

Prima Opinio.

Quorundam opinio fuit Vomitus non prodesse, in peste, neq; in febre pestilenti, & summæ auctoritatis scriptores ita senserunt. Cor. Celsus lib. 1. c. 10. *Obseruatio*, inquit, *in pestilentia, neq. ieiuno, neq. cenato vomendum est*, tamen lib. 3. cap. 7. refert. *Vbi febris, aut tenuata est, aut leuata est, Vomitu pectus purgare.* deinde subdit. *Vomitus post febrem eliciendus est.* mihi videtur Celsus in peste non probare Vomitum, in febre autem pestilenti cum concedere in declinatione particulari. quē videntur sequuti G. Fabricius cent. 4. obser. 27. Amicus de peste. cap. 16. Anton. Valetius in Duretum, & Hollerium. Crato cōs. 275. Mindererus de Peste. cap. 14. & in Apendice. cap. 7. Amicus. cap. 43. Baldus Baldus. Hucherus pag. 388. Thomas Iordanus. pag. 525. Septalius de peste. lib. 5. cap. 26. Langius lib. 1. cap. 18. Ronseus Epist. 37. Capelius pag. 252. Vomitum non probantes, quorum multi imaginatione potius, quam experientia innixi fuisse videntur. tū etiam quia Vomitu in alijs morbis non vtebantur, & aliqui censent in huiuscemodi morbis Vomitum esse symptoma malum, vt Mindererus. alij censent periculosum esse materias putrefactas per superiorem ventriculi partem excellenter sensibilem, nisi ad illum inclinent, velle euacuare. alij insurgunt in medicamenta vomitoria, quod Antimoniata, præcipitatum, Gilla Vitrioli, Helleborus, & similia, venenata sua qualitate cor afficiunt, quod nimis sint calida, insuauia, conturbatiua, &c. Sed hæc pauci sunt Momenti; quod si hi dicunt nullos vomitu se vidisse morbo liberatos; contra alij infinitos Vomitu sanatos asserunt.

Vomitū non cōuenire.

In peste cōuenire Vomitum.

Ratione probabili in præseruatione à pestē conuenire vomitum, apparet; quia timetur de putredine; putredo autem, nisi materia putrefieri apta adfuerit, adesse nequit; igitur euacuatio materiæ putrescibilis, & superfluæ in præseruatione à peste conuenit. At in Hipp. doctrina, neq. in omnibus morbis, neque semper conuenit per aluum purgatio; sed quandoq. per Vomitum, & tunc præsertim quum partes supra septum transuersum euacuatione egent, vel quum à capite fit fluxio, vt alibi diximus, quia per proximiorem partem (Coi decreto) euacuatio est facienda. Et pro præseruatione à peste vtilior videtur Vomitus, quam alui deiectio. Euacuatur enim ventriculus, Thorax, & Caput, vbi humores putrescibiles gignūtur, vel resident, immo ab ijs fluunt, vel deniq. ad ea feruntur, hinc ex euacuatione hac antecurrūtur parotides, & antraces sub axillis.

Ad præseruandum.

Ad curandum.

Pro curatione autem, materiæ putridæ, & peccantis euacuationem conuenire, sanæ mentis nemo negabit. indicat enim statim statim sui ablationem: namq. si statim sudor in peste conuenit ante coctionem, vt multi probant, cur non statim Vomitus? Morbus magnus, extremus, atq. preceps est; ideo extrema remedia illico requirit. Ob id validissimus vomitus, & materiæ venenatæ eradicatiuus, vt omnis materia putrida, veluti venenum tollatur, valde vtilis erit.

Obiectio.

Si dixeris, tunc solum, cum in Ventriculo

est

eſt venenum conuenire vomitum; id negabo: quia Canum morſui Elleborum album directo opponit Dioſcorides. nec tamen Venenum eſt in ventriculo. materia autem peſtilens, & turget, & vrget, nec dat indu- *Solutio.* cias, atq. breuiſſime occidit. vnde non eſt alia expectanda coctio: ſed in ipſo materiæ motu, in ipſa acceſſione eſt educenda, veluti humor melancholicus in ipſa acceſſione quartanæ expellendus eſt, Nec tota peccans materia per ſudorem, quem cupiunt aliqui, quamuis copioſum, extrudi, poteſt. immo Gal. 11. meth. c. 9. & de conſt. art. c. 19. cum quo Auicenna, ante totius corporis euacuationẽ ſudorifica prohibent. & hęc *Ab auctoritate.* in acutis conuenire expreſſe negat idẽ Gal. loc. cit. quare ſi his non obſtantibus in peſte confert ſudor, multo magis conferet vomitus.

Conuenire autem Vomitum in peſte Au- *Aetius.* ctores plurimi docuerunt: Aetius ſer. 5. cap. *Ægineta* 95. Aegineta lib. 2. c. 36. Orib. 6. Synopſ. *Oribaſius.* c. 25. ex Ruffo vnanimiter ſcribunt. *Quibus* *Manardus* *ſuperior ventriculus pituitam continet, vomitibus* *Mercatus.* *euacuare oportet.* quorum ſententiæ ſubſcri- *Valeſius.* bunt. Manardus lib. 5. Epiſt. 3. M. Merca- *Salius.* tus de peſte c. 6. Ant. Valetius in Duretum. *Capellanus.* Pet. Salius de feb. peſt. c. 20. Io. Capellanus conſilio de Peſte edito cum conſilijs Ferne- *C. Celſus.* lij. C. Celſus autem lib. 3. c. 7. *Vbi febris,* inquit, *aut tenuata eſt, aut leuata eſt, vomitu pectus purgare;* deinde ſubdit. *Vomitus poſt febrẽ* *Amicus.* *eliciendus eſt.* ita etiam ſentit Amicus de Pe- *Hucherus* ſte. c. 43. c. 57. & cap. 68. Hucherus lib. 4. *Varrenius.* c. 14. ad præſeruandum. Varennius diſp. 3. *Crato.* teſe. 34. Crato conſ. de Peſte pag. 1104. & *C. Aurelianus.* C. Aurelianus lib. 1. Acut. cap. 14. ſcribit, Aſclepiadem in peſtilenti morbo probaſſe *Pareus.* Vomitum, ſic Pareus lib. de Peſte. c. 25. & *Matthiolus.* Matthiolus com. in Dioſc. referunt. *Peſtem* *Vntzerus.* *vomitu, & deiectione è corpore exturbant.* Matth. Vntzerus in Antid. peſt. lib. 1. diſt. 3. medio 3. exhibet Crocum metallorum, & Mercu- *Quercet.* rium vitæ. Quercet. in Pharmacopæa laudat *Crollius.* Crocum metallorum, & in Alexicaco pag. 415. Antimoniata. Crollius dat Gillam, & Sal Vitrioli ad vomendum; dat etiam Bu- *A. Sala.* tirum, & flores Antimonij. Angelus Sala in ternario Bezoartico cap. 4. proponit Sal *Renealmus.* vitrioli. Renealmus ſe multos ſanaſſe ſuo febrifugo oſtendit, Obſer. 179. 180. 181. *Bonius.* 182. 183. vſq. ad 189. Thomas Bonius in flagello medico. *Ego,* inquit, *27. meis domeſticis in vna aurora ad præſeruationem pœſsis Vitrio-* *Mizaldus.* *lum crudum propinaui.* & Mizaldus cent. 6. diſt. 48. *Si vitriolum præparatum,* inquit, *detur oboli pondere obſeſſo à peſte, vomitum concitabit, qui* *Crato.* *contagionem, ac morbum ſoluet;* Crato conſ. 275. concedit flores Antimonij. Florauan- *Florauãtus.* tus laudat Vomitum lib. j. chirurgiæ c. 83. & lib. de peſte c. 12. & c. 18. ſcripſit Didaeum Gugman in peſte Perpignani multos hoc remedio ſanaſſe. ℞. Cuperoſæ. drac. j. dictami albi drac. ſemis. Vini albi q. ſ. Mat- *Mattiolus.* tiolus *Alium quoque,* ait, *Stibij intus aſſumpti effectum ſilentio non diſsimulandum mihi narrauit Georgius Handſchius is enim cum eſſet peſtilentia correptus, ob idq. maximo totius corporis imbecillitate affectus, cordis tremore, reſpirandi difficultate capitis dolore, & ſiniſtri inguinis abſceſſu, circa noctis crepuſculum Stibij modo ſaccharo admiſti tria grana ſumpſit, atq. poſt horæ dimidium vomitionibus reiecit magnam pituitæ, biliſq. tum flauæ, tum porraceæ quantitatem cum proſpero admodum ſucceſſu. Si quidem ex vomitu (ſic ille dicebat) ſtatim ſubleuata eſt ſpirandi difficultas, & cordis tremor ceſſauit. Vomitum deinde ſubſequuta eſt copioſa alui deiectio ſine vlla ægrotantis moleſtia, poſtquam reliqua peſtis ſymptomata prorſus euanuerũt, atq. adeo breui is ſuæ integræ ſanitati reſtitutus. id quod etiam alijs contigiſſe ſcio, qui hoc admirabili medicamento ſunt vſi in ea peſtilentia, quæ anno 62. & 63. in tota ferè Boemia graſſabatur. ſiquidem quam plures ſeruati ſunt peſtilentia affecti, qui Antimonij hyacinthini noſtri grana tãtum quatuor ex Antidoti liberantis dracmis in morbi principio deuorarunt;* & in indice med. ſecundum locos, ad Peſtem valere ſcripſit. Argentum viuum præcipitatum cum Rhodoſaccharo *Io. Hartmã.* ſumptum. & Io. Hartman diſput. 10. teſe. 15. ait. *Concitata expultrice venenum peſtilens euacuant antimonium hyacinthinum, quod tantopere prædicant Matthiolus, & Handſchius. Aurũ vitæ, quod fortunatis Kegleri nobilitatũ ſucceſſibus, quibus ſubſtitui poſſunt alia ex ſtibio, & Mercurio medicamenta, quæ cum impetu quicquid in corpore maligni eſt, modo per Vomitum, modo per ſeceſſum; modo per externum habitum exturbant. Verum hæc non niſi in principio, dum vires nondum exhauſtæ ſunt, atq. in primis ſi impuritatibus corpus refertum ſit, aut ſurſum vergat Veneni malitia, vel à victus corruptela pendeat, locum habent.* concludamus ante peſtem. & in peſte à plu- *Ad febrem peſtilentem* rimis Vomitoria commendari.

Nec in peſte tantum; ſed etiam in febre peſtilenti, & maligna vomitum conuenire *C. Celſus.* Auctores volunt. veluti C. Celſus lib. 3. c. *Nonius.* 7. Nonius cap. 143. Zecchius conſ. 26. Cru- *Zecchius.* ſius, Rondeletius, Riolanus, Senertus, Io. *Cruſius Rõdelet.* Colle lib. 7. Med. pract. malignorum c. 12. Aetius ſerm. 5. cap. 129. ex Herodoto in fe- *Riolanus.* bre vbi ſunt vibices. P. Io. Faber Antimo- *Senertus.* nio ſuo plures præſeruauit, & curauit à fe- *Io. Colle.* bre peſtilenti, vt ait curat. 22. Martinus *Aetius.* Rullandus de feb. Vng. cap. 6. ita teſtatum *P. Io. Faber* uoluit. *Qui ſunt (vomitu faciles), & ad vomendum fa-* *M. Rullandus.* *ciles, viriumq. robore, adhuc valentes. citiùs à fomite malignitatis liberantur, minuſq. periclitantur ſanitati ſuis vomitorio accepto. Hoc enim exturbatur praua humorum congeries, vt plurimum principium malignitatis peſſima (cardialgia pleraſque infeſtante locupleti teſte) ſuſcitantium, ſine magna virium iactura, minoreq. humorum exugitatione, quam deiectorijs etiam mitioribus. Vomitus mouendi remedia paſſim habentur varia. Helleboriſmus Heurnij quibuſdam probatur. Aqua bene-*

etiæ Kullandi nobis; & tutissima, & efficacissima est, Mercurius vitæ noster in hac lue excellens. Sal Vitrioli ad scrup. semis: cum Oximellite, vel sy. conueniente. Nec improbatur decoctum rad. Asari cum Oximellite agaricato. A Vomitu nutriantur iure pulli, vel adhibeantur rob. Ribium, Berberorũ, conf. è carne citri. Conf. ros. &c. mox subdit. Hoc euacuandi modo fomite ex parte acciso primus consummabitur scopus curatiuus. deinde sic loquutus fuit. Patitur Ventriculus in omnibus hac lue correptis, nunc nauseis, & fastidio ciborum maximo, iam dolore acerrimo, interdum singultu procedente morbo infestatur. Sed maturè ventriculus his malis vindicari potest. excrementis leui pharmaco, aut clystere simili primis diebus totò depositis. Mox tutoq. tum incremento luis, tum illorum symptomatum procreationi causa præciditur, ventriculum vomitorio facili euacuando, primæ tamen morbi inuasione exhibito, & ijs, qui ad vomendum faciles sunt, & robustiores. Ang. Sala in Hemetologia, in febribus vrgentis post varia remedia inutiliter tentata, nil felicius obseruauit, quam vomitionem beneficio salis Vitrioli, promotam, & ait. Quando enim in prima statim accessione administrabam, pauci diebus omne periculum, eluctabantur. & de vsu Ellebori, & Vomitus in varijs morbis hæc breuiter nunc satis erunt, in alijs posterioribus libris luculentè tractanda.

A Sala.

Veratri quantum dandum.

Sect. XXIV.

Quantitas danda Ellebori.

In dosi seu quantitate purgantium medicamentorum exhibenda attendendum præcipue est Naturæ viribus, cõsuetudini, ætati, regioni, anni tempori, lunæ, & astrorũ mansionibus, atq. morbi vehementiæ. cum solum in doctrina vniuersali vsitatior dosis præscribatur. & cum pluribus modis Elleborus propinetur, quibus validius, vel debilius agit: hinc etiam est, vt variæ sint doses. aliquando sumitur Raphanus, pomum, & simile quid, cui infixæ fuerint Ellebori radiculæ. aliàs infusum, decoctum, & substãtia.

In Raphano

In Raphano Fernelius dandum vult à scrup. j. ad scrup. ij.

Lac Caprarum.

Melampus exhibuit lac Caprarum ellebore albo pastarum, quantum volebant.

Infusum.

Cum datur infusum, in aqua, vino, iure, sero, lacte, aceto, &c. auctores docent quãtitatem infundendam; sed non dosim infusionis sumendam pro qualibet vice.

Decoctum.

Veratri decocti quantitas pro vice sumẽda, vulgaris videtur antiquis fuisse duarum drachmarum põdere. sic Paulus scripsit *Veratri sextale in aqua hemina*. quæ nimia dosis videtur; nempe duæ ellebori vnciæ in vncijs decem aquæ. ego potius legendum puto *Veratri sextula*, id est scrupulos quatuor. & erit dosis conueniens. sic Marcellus Empiricus posuit. *Veratri succus denarij vnius mensura.* scilicet decocti.

In substãtia

In substantia autem exhibitum Veratrum vel sumetur ad drac. j. vel duas, vel quatuor, vt ait Plinius. qui *Temison*, inquit, *binas non amplius drachmas dedit, sequentes, & quaternas dedere claro Herophili præconio, qui Elleborum fortissimi Ducis similitudini æquabat. concitatis enim intus omnibus ipsum in primis exire.* sed nimia videtur quantitas, ad quam alij Medici peruenire ausi non sunt, audaces quidem aliquandò fortuna iuuat, sed temerarijs sæpius luus fermit. Paulus ait. *Veratri plurimum drac. ij. modice vnam.* Brasauolus scripsit. *Ego drachmam albi sumẽs nunquam minus molestam euacuationem habui*: Gariopontus dedit drac. ij. cum lacte. sed Hipp. ad Quartanam dat *radices ad trium digitorum longitudinem*, & 2. de Morb. ad Phtisim. *quantum duobus digitis comprehendi potest*. Sed Oribasius hanc dosim exactissime apposuit scribens. *Mensura est, vt cum copiosissime detur, duæ drachmæ sint, cum parcissime oboli octo, cum mediocriter decem oboli, & minor quidem copia maiorem turbationem ciet, maior verò, copiosiorem inanitionem, & minorem turbam inducit, media verò moderate agit.* Aetius ser. 3. c. 131. Dosis perfectissima fortibus de ramentis concisis, sunt drac. ij. & semis. de puluere crassiore drac. j. & oboli ij. de pulusculo drac. j. & Oboli ij.

Audacia.

Conueniens dosis.

De Bulbo Hellebori Oribas. lib 8. c. 1. ex Archig. non duarum drac. pondere, sed quatuor etiam datur.

In Clysteri Paulus exhibet drac. ij. sed Hipp. maiorem dosim videtur adhibuisse, scribens: *Veratri potiones duas infunde*. idest duplam quantitatem, quã quæ ore sumitur.

In Balanis Paulus ponit etiam drac. ij.

Porro circa Dosim ellebori non leuis est difficultas, nam Gariopontus ad Maniacos inquit, *Et potum accipiant caprinum lac cum Ellebori drac. ij. non amplius, ne magis patiant, aut insaniant.* & C. Celsus lib. 2. cap. 12. *illud scire oportet, omne eiusmodi medicamentum quod potui datur, non semper ægris prodesse, semper sanis nocere.* & hoc eadem ratione, ac de Mandragora loquutus fuit Hipp. lib. de loc. in hom. *Tristes, anxios, & ægrotos, ac se strangulare volẽtes Mandragoræ radice mane in potu data minore pondere, quam quod insanire facit, curabis.* Ex quibus videtur Helleborus in maiori dosi datus insanientibus affectum augere. sic Democritus Hippocrati scripsit. *Veratrum sanis datum menti tenebras offundit.* ex quibus desumpsisse apparet Diomedes Amicus. ca. 93. dum protulit. *fortia vomitiua ex se accersire visa sunt melancholiam.* sed nos habemus Hip. Aph. sana corpora habentibus Elleborus periculosus.

Difficultas.

Solutio.

Diceremus sana corpora à valido purgante conturbari, & non tutò reddantur, ita mente sana corpora ob nimiam in ... a purgatione, spirituum commotione ... &

ex

ex nimio motu, multam incalefactionem, reddi malas cerebri operationes, quod est insanire. Vnde excedens Mandragoræ potio insanire facit. Excedens Veratri potio, Melancholicos præcipue, magis insanire faciet, ob multam fumositatū commotionē.

Veratrum quomodo dandum,
Sectio XXV.

De Ellebori partibus.

ANte quam Veratri exhibendi modum consideremus, vt antiquorum diligētia in hoc præcipue medicamento innotescat, dicendum, quæ plātæ pars sit eligenda, & an aliquam particularem requirat præparationē. pro qua rè habemus Plinium ita scribētem. *Leguntur autem tenuissimæ radices breuesq. ac veluti decurtatæ etiam pæ. Nam summa, quæ est crassissima cepis similis canibus tantum datur purgationis causa. Antiqui radicem cortice quam carnosissimo seligebant, quo tenuior eximeretur medulla. hanc humidis spongijs opertam, turgescentemq. acu in longitudinem findebant. deinde fila in vmbra siccabant, ijs vtentes: nunc ramulos ipsos ab radice, quam grauissimi corticis ita dant.* paulo post addit. *Præterea mirum inuentum est, quod incisum forficulis, vt diximus cribrant; cortex remanet, hoc inaniunt: medulla cadit. hæc in nimia purgatione data vomitiones sistit.* sed vt exactior huius rei cognitio habeatur, adnotandum, quod Veratrum diuersis formis exhibetur. Alij eius substantiam, alij cremorem, alij eius decoctum, alij infusionem, alij radiculam eo infixo, alij lac eo pastorum animalium.

Cepa Ellebori. *Medulla.* *Ramul.* *Modus exhibendi.*

Profecto Plinius *Aliqui*, inquit, *pastorem Melampodem inuenisse tradunt, capras purgari pasto illo animaduertentem, datoq. lacte earum sanasse Proetidas furentes*. capræ autem pascebantur Elleboro albo, ut Theoph. 9. de Historia plant. cap. 11. testatur hisce verbis. *Nigrum Equos, Boues, Suesq. necare affirmant, ideirco eum cauere, candido pecudes nimirum vesci. Atq. hinc primo vim deprehensam, cum illo pecudes purgarentur.* quam tum nouit Hippocrates scribēs 5. in 6. Epid. paulo ante finem. *Mulier, Capra Elaterium, aut cucumerem siluestrem comedentes pueris purgatio.* & Gal. in com. *Non elaterio dumtaxat*, inquit, *quemadmodum neq. ipso cucumere solum vescentes, lac puerorum lactentium purgatorium gignunt, verum etiam si quid aliud medicamentum subductorium, quod vocant, assumpserit. Siue autem à muliere Elaterio, à capra ipso cucumere, siue vtroq. ab vtraq. comeso, infantes earum lacte purgari dicas, nihil interest: Conducit autem hæc oratio, & ad Medicorum vsum, & ad naturale decretum. Infantulos enim purgare volentes, aut matri infantulum lactanti, aut Capræ huiusmodi aliquid esui dantes, sic eos purgabimus. Et ad naturalis decreti* (pergit Gal.) *de quo altercatio est, dyudicationem id vtile est. Etenim quidam nullam vim ex ijs, quæ ab initio in alimentis erant, post concoctionem, & in sanguinem conuersionem, remanere contendunt. Aliqui è contrario validas vires diutius remanere volunt adeo, vt etiam sudores ipsos redoleant; huic verò sententiæ, quæ modo dicta fuere, suffragantur, in istis enim comesorum qualitas seruata reperitur. Quia & apud nos verno tempore quando Capræ Scammoniæ germina depastæ fuerint purgatorium ipsæ lac generant, quod si Tithymallo vescantur, idem accidit.* Vera profecto est experientia hæc; sed falsa ratiocinatio Galeni, quia vires purgantium ingestorum in lacte tantum reperiuntur per paucas horas, signum euidens, vt alias dixi, lac ex chylo gigni, vnde ille chylus, qui assumpsit portionem medicamenti purgantis, ille tantum purgat, non autem tota massa sanguinea, ex qua censuit Galenus, lac confici, quia, sic totus sanguis esset redditus purgans, & lac ex eo genitum per plures dies remaneret purgans, quod est contra experientiā: vnde vis medicamenti in solo chylo, & lacte ex eo genito remanet. in secunda autem coctione in hepate sanguis non retinet eam vim; concedo, quod sudores redoleant materiam ingestam, anne sudoris, & vrinæ eadem est materia? vrina certe redolet sæpe, cæpas, allia, brassicam, Asparagos, terebinthum, & alia ingesta: immo quandoq. retinet colorem rubrum cassiæ purgatricis assumptæ, & ficuum indicorum comesorum.

Lac elleboratum. *Contra Galenum.* *Lac ex Chylo.*

Minoratur etiā validissima Hellebori vis, eius virtute in pomum, vel Raphanum, vel quid simile, transmissa. Aetius serm. 3. ex Ruso hæc retulit. *Præparantur etiam alio modo Raphani ad diuturnas affectiones, & fortiore exagitatione indigentes, Veratri enim albi, & optimi festucarum drac. vj. in raphanos figuntur, ita vt raphani prius harundine compunganitur, & deinde festucæ Veratri in foramina immittantur. Hæ festucæ vbi totam noctem in Raphanis manserint, sequenti die eximuntur, vt ipsarum in raphanis relicta. Postea verò raphanos conscindere oportet, & in aceto mulso macerare, & similiter edendos exhibere. Diligenter autem considerandum est, ne quid ex cortice Veratri in raphanis permaneat.* huius meminit etiam Plinius *Nuper inuenere*, inquiens, *dissectis Raphanis inserere Helleborum. rursusque comprimere raphanos, vt transeat vis, atq. eo lenimento dare.* huius etiā meminere tū Gariopontus ad Quartanam dans ad satietatem manducandas radices. tum Paulus. *Raphano arundine compuncto, dissectoq. Veratri albi optimi radicum præsegmina inseruntur, ac vbi vna nocte in eo permanserint proijciunt, Raphanus minutim concisus cū Oximelite ægro exhibetur.* quod etiam refert Steph. Athen. com. in Gal. ad Glauc. tex. 149. docet id maxime Galenus 3. de fract. 48. & lib. quos, & quando, &c. ijsdem ferè verbis. Sic dicemus, quod Veratrum hoc modo etiam infigi potest piris, cotoneis, malis appiatijs, & sub cineribus coqui; & vidimus validum subsequutum vomitum ex tribus tantum radiculis pomo infixis.

Pomū elleboratum. *Raphanus elleboratus.* *poma elleborata.*

fixis. posset ex cotoneis ita coctis præparari conditum citoniorum, pomorum, &c. cum saccharo.

Vuna elleborata.

Antiqui conati sunt Vuas, & Vinum cõficere Helleboratum. ad radices vitium plãtato Hellebo ro, ut rei rusticæ scriptores suis monumentis reposuerunt. & de nigro Veratro loqnutus fuit Cato de re rustica. etiã Dionisius Vticensis lib. 8. c. 17. & alij. Sed Dioscorides lib. 5. cap. 45. *Fit etiam*, inquit, *Vinum, quod phthoricum vocant, quoniam partus necat, & abortus facit, Veratro iuxta radices vitiũ sato, si quidem vites sibi illorum vires adsciscunt, datur ieiunis mulieribus, quæ ante vomuerunt, cyatborum octo mensura dilutum*. sed fortasse de nigro elleboro verba facere quis diceret. At Theophrastus scribens, *Nasci Veratrum album Eleatiorum aiunt, & vinum vsq. adeo reddere prouocans Vrinam, vt omnes qui bibunt graciles admodum ventre adducto efficiantur*. indicat non retineri in Vino uim uomitoriam, sed fieri diureticum, & fortasse phthoricum.

Vinum elleboratum.

Infunditur etiam Veratrum album in aliquo liquore, ut est Vinum, aqua, serum, lac, Acetum, Aqua uite cum Lullio, Rupescissa, Arnaldo, & alijs. Vnde Dioscorides *Decocta marina aqua ex alto petita sextarios duodecim, Veratri candidi lib. sex. in musti amphora quadragesimo die, quum madefeceris, colato, & vtitor*. alia ratio. *Veratri dracmas duodenas, & Aphronitri quaternas in senis musti sextarijs diebus quinis denis macerato, mox colato, & semestri exacto vtitor, id vini genus abortum facit, & partus necat*.

Infusio ellebori.

Auicenna.

In Aqua infundit Auic. hoc modo. *De ipso inciso fumuntur quinque aurei, & ponuntur in nouem vncijs aquæ pluuialis, & dimittantur, in ea tribus diebus, & coletur, & fit tepida, & bibitur*. & hic est infusus. & Gariopontus ad Quartanam. *Elleborum album per triduum in aqua infundes, & cum eadem aqua philonij drac. ij. dabis*. & notandum ab hoc opiatum cum Vomitorio misceri. an ut post somnum fiat Vomitus, uel è contra? mirum est, quia inter accidentia Veratri ponitur somnus. Fernelius ait. *Veratri fibræ in iure pingui, aut in Vino dulci, aut in leuente decocto cum Cinnamomo, & Aniso macerentur nocte vna, expressusque liquor addito saccharo propinetur*. Aetius ser. 3. cap. 129. uocat Cremorem Veratri. & scribit. *Cremor in quo maceratum est Veratrum datur senibus, & pueris, & his quibus habitus defluxit, & qui morbum facile solubilem habent. Datur & his, qui Elephantiasim futuram timent. Oportet autem drac. V. ramentorum in aqua pluuialis hemina dimidia macerare ad triduum, deinde colare, & calefacere atq. exhibere totum cremorem*. idem fere scripsit Oribasius ex Antillo lib. 8. collect. cap. 5. sed lib. 7. c. ultimo scripserat. *Multis autem modis conficitur vt dari queat. Alij enim diem, & noctem in aqua maceratum ei diluto Origanum, aut absinthium, aut Nitrum indentes, præbent; alij dilutum cum melle decoquunt. porrò maceratur tum in aqua, tum in vino, tum in passo. at Veratrum cum Vino videtur nigros humores magis educere, alij Tapsiam addunt, alij sesamoides. alij taminiam Vuam, vt pote quæ vomitus magis cieat, liceatq. his, qui Elleborum dant, recte purgare.*

Vomitoriũ cum opiato.

Ius elleboratum.

Cremor Veratri.

Oximel elleboratum.

Ego ex infuso Elleboro parare soleo oximel Vomitorium hoc pacto.

℞. Hellebori albi loti, & minutim concisi unc. j. Aceti optimi. unc. iij.
misce infundantur per dies viij. & colentur.

Item ℞. Mellis optimi unc. vj.

Aquæ quantum sufficit, coquantur, & despumentur. f. a. tunc adde Acetum supra dictũ Elleboratum, & coquatur ad sy. consistentiam, ac fiat oximel, cuius ego prebere soleo cocleare unũ, seu unc. j. cum unc. iij. iuris carnium, & mirifice purgare per Vomitum obseruaui.

Decoctum Elleb.

Adhuc Veratrum decoctum infuso uehementius agit, ita autem paratur ex Auicenna. *Libra vna de eo inciso in duobus kist aquæ pluuialis posita tribus diebus infunditur, & decoquitur, donec eius tertia pars remaneat; deinde extrahitur ab ea Elleborus, & proijcitur super aquæ mellis boni, collati quantitas duarum librarum, & inspissatur, & sumitur ex eo conclearium magnum, sicut est, aut cum aqua calida, & hoc est sanum, & tutum*. Paulus sic tradidit. *At proprius Veratri exhibendi modus hic fuerit. Veratri optimi sextans in aquæ hemina diebus quinque maceratur, ad aqua tertias incoquitur, vbi expressum Veratrum est, aquæ miscetur tantundem mellis, excoctum vsq. ad spissitudinem exhibeatur*. Hoc uocarẽt Chimici. *Extractum Veratri* Aræteus autem ad Vertiginem. *Imbecillioribus verò*, inquit, *& gracilioribus decoctum cum melle propinatur duorum, aut trium mistillorum modus esto*. Porrò Marcellum Empiricũ per succum Veratri, licet succus abstrahi possit, puto significare decoctum, sic enim scripsit. *Veratri vero succus albi ad mensuram denarij vnius potus ex passo detrahit pituitam, & per vomitum, & per sellas*. clarius de hoc loquutus fuit Aetius ex Antillo, & Posidonio. ser. 3. cap. 130. *Decoctum Veratri*, inquiens, *dandum est tum prædictis, & qui illis adhuc sunt robustiores, insanientibusque, ac atrabile percitis. Præparatur hoc modo. Veratri libram unam concisam in aquæ pluuialis sextarijs duobus macerato ad triduum. Deinde ad prunas mitiores coquito ad tertias. Postea colato, & adijcito ad decoctum mellis despumati primarij lib. ij. & coquito vsque ad mellis compagem, & coclearium magnum delingendum dato. Licet etiam aqua calida miscere, & dare cum sorbitione quadam. hoc neque conuulsiones, neq. contractiones, neq. nimiam purgationem facit. Exercitium autem est, volenti ad ipsum Veratrum transire, vt etiam confidenter ramenta eius confecta accipiat*. Deniq. Oribasius 8. Collect. cap. 3. ex Herodoto, lib. de præsidijs euacuantibus. *Elleborus decoctus*, inquit, *dari apud nos minimo periculo solet: eius apparandi, hæc est ratio. Helleborí libram senis aquæ heminis triduo maceratam lento*

Extractum ellebori.

Succus ellebori.

Præparatio.

igni decoquimus usque dum tertia pars aquæ consumpta sit. deinde Elleborum exprimimus, tum mellis heminas duas (idest unc. 16. drac. iiij.) *decocto addimus*, itemq. *decoquimus, donec non inquinet; ex hoc demus ijs, qui non admodum purgandi sunt coclearia duo* (i. drac. ij. grana 16.) *robustis uerò mystri magnitudinem* (·i. drac. ij. scrup. ij. grana viij.) *purgatio, quæ per huiusmodi fiat, neque strangulationis, neque ullum alium metum, quem nimia purgatio solet incutere, unquam nobis attulit: sed enim, & uiolentæ, & uehementis actionis, & sine his, & per hæc, ut par est, minus prodest. Datur autem in morbis rectè constitutis, ubi opus est breui, & expedita curatione, & qui rite constitui à cæteris remedijs, nisi longiore temporis spatio, non possunt, id enim ex elleboro lucri facimus, ut statim perficiat id, quod ars ipsa pollicetur, ijs uerò, qui insaniunt, neque ullo pacto eum sumpturi sunt; propter quod omne alimentum suspectum habeãt, ita paratum optime dabimus; nam licet perfectè morbum non expellat, minuit tamen adeo, ut sæpe etiam ipsis uolentibus iterum propinemus. offeramus autem hydromelite dissolutum, uel ex pulte alicæ, potest etiamnum ex lentibus, aut libis exhiberi: sed melius etiam sincerus datur.*

Ars exhibenda.

Helleborismus.

Posset etiam Veratrum decoqui cum alijs simplicibus ad affectum conferentibus, ad quem datur, nec non corrigentibus maleficas ipsius uires. Helleborismum parat Matnolus in Epistolis, Helleboro tum albo, tum nigro in nobili, & multiplici decocto infuso, & Epist. ad Io. Iordanum. *usus sum*, inquit. *non nunquam Helleboro albo in melancholicis affectibus sero caprino macerato, additis Peoniæ seminibus, Zedoaria, & schoenantho.*

Ellebori substantia.

Auicenna,

Paulus,

Datur etiam Veratrum in substantia; sed ualidissimum existit, ideo periculosum. Auicenna inquit; *& iste est ille, qui plurimum nocet, propterea quod remanet in membris*, & Paulus *omnium uerò efficacissimus modus est talis.* dãt aliqui puluerizatum, alij uerò crassius incisum. Serapio dat, *bene tritum*. idem præscribit Albucasis in libro seruitoris. Auicenna proponit *puluerizatum* Stephanus Athen. com. supra cit. ita consulit. *si sane minus uacuare uolemus in tenuiores partes redditum damus, præoccupat enim. hoc medicamentum celeriter una cum succo excerni, immorans autem suam ipsius actionem indicat*. sed huic è directo opponitur Paulus hisce uerbis. *Dissectis Veratri radicibus in Sesami magnitudinem (nam in tenuissimum redacta pollinem uicium efficacia strangulationes pariunt.)* Crassius autem uidetur ex Aræteo ualidius; nam inquit. *Et ualidioribus quidem sui curris ad magnitudinem ami. aut paulo crassius est incidendum.* sed crassius securius est, & minus molestum. audiamus Aetium clare omnia explicantem ser. 3. cap. 131. *Cæterum his, qui maiori molimine, ac exagitatione opus habent. fortioribusq. ac confidentioribus, & facile uomentibus ramenta concisa danda sunt. At uerò his, qui adhuc audentiores sunt, aut etiam consuetudinem habent, contusum, & tenuissime cribro excretum dabis. Ramenta uerò sic exhibe. Accipe festucas, conscinde forfice ad polentæ, aut furfurum magnitudinem, deinde paullum linteo exterge, & detractis omnibus tenuibus particulis, ut ne strangulet, dato timidioribus quidem eum ptisanæ, aut alicæ succo, ubi parum decoxeris. fortioribus uerò eum aqua calida, aut aqua mulsa, ita ut cogas ipsos insuper sorbere aquam mulsam purã, aut aquam, ut ne relinquatur quid in faucibus, aut stomacho. Dosis perfectissima fortibus de ramentis concisis, sunt drac. ij. & semis. de puluere crassiore dracma una, & oboli duo, de pululllo drac. j. & oboli ij. contundimus autem crassiorem eius farinam in mortario, & per angustissimum cribrum excernimus, & tenuissimum auferentes, id quod crassius est exhibemus cum succo Alicæ, aut Maza ex polenta facta. Tenuem uerò pulusllum tundimus, & exactè cribramus, & postea cum cocto melle solidissimo in catapotia coactum, ac efformatum exhibemus*, Oribasius 8. Collect. cap. 2. ex Archigene. *Potius incidendus est. quam in ramenta adigendus; si quidem ita difficile est æqualitatem coniectari: atq. etiam dum in ramenta redigitur, puluis, qui in uibrationibus efficitur, ibidem insidet; qui etiam inæqualem, & suffocantem purgationem facit. crassa autem uirga secetur, & per rectum, idq. semel, aut bis, pro crassitudinis ratione, tum ad latera spectandum erit, ut partes æquales sint, earumq. tanta sit magnitudo, quanta est pultis non parua, sed huic maiorem, illi minorem portionem dare conueniet, qui incisus in tenuiores partes sit, intentius mouet, si uerò tenues uirgæ fuerint per longitudinem diuidantur, ut uirgæ explanentur,* deinde cap. 5. ex Antillo hæc præscripsit, *Hoc in primis scire conuenit. Elleborum in ramenta derasum celeriter purgationem ordiri, ac plerumq. duas horas non excedere, bilemq. ac pituitam sine multa turbatione educere, ipsumq. uomitu simul reiectatum intra quatuor, aut quinque horas terminari purgationem, qui uerò parti farinæ crassioris est similis, & multo magis etiam, qui in puluerem redactus est, tardissimè agunt, ut sæpe post quatuor, aut quinq. horas incipiant, cæterum omne, & bilis, & pituitæ genus educunt; idq. non sine conuulsionis, & nimiæ purgationis periculo, ob nimiam purgandi prolixitatem, multiplicem tamen utilitatem afferunt*. scripserat etiam, Oribasius in fine præcedentis libri *Vsus autem ualidissimus, & optimus est, vt elleborum æquè ac polentam contusam incidas. nec differt siue cum medulla seces, an secus, cum ea neq. uomet, neq. quicquam noceat, tantum æquè secare conuenit. si purgare mitius uolis, paulo maiores particulæ faciendæ, si uehementius tenuiores; sed non multo & melius etiam est, si ab vna radice sumas quantum oportet, sique ea æqualis sit, vt quæ incidis sint æqualia inter se, sin minus curabis, vt quæ crassiora sunt æqualis crassitudinis cum tenuioribus efficiantur. qui verò harũ rerum nullam habẽdam esse rationem censet, multa is ignorat. si verò particulæ incisæ, admodum exiguæ fuerint, periculum est, ne longa alioqui, & suffocationes afferens purgatio consequatur.*

Serapio.

Stephanus,

Aratent,

Aetius,

Præparatio

Dosis.

Oribasius.

Ex Antyllo

Animaduersio.

An torrefactio corrigat Veratri vehementiam

Torrefactio Ellebori. uam considerandum. nam scriptum reperio libro de Dinamidijs cap. de vitijs stomachi. Elaterium ad vomitum prouocandum hoc modo. ℞. *Hellebori albi libram vnam. tritum, sicca, cribella, fac tegulam calidam, & desuper pone puluerem modica hora: deinde mitte tres phialas mellis despumati in olla, & ipse puluis insimul bulliat in ipso melle, & repone, quandoq. opus fuerit, dà cocleare vnum, & facit vehementer vomere sine angustia.*

Admissio Ellebori. Datur ex Dioscoride, & Actuario. *cum Selama,* aut *Ptisanæ succo,* aut *Halica,* aut *Aqua mulsa,* aut *pulte,* aut *quauis alia Sorbitione.* Plinius verò ait, *& in dulci datur, optime verò in lacte, aut pulte.* Gariopontus *in lacte Caprino.* Auicenna *cum Aqua Mellis.* Aretæus. *cum farre loto. aut lente.* Hippocrates. *Si potens Veratrum bibat per se, sin minus dimidium potionis cum lenticulæ decocto.* & in phthisi dat *in vino dulci temperato.* & ad Quartanam *in Vino meraco.* Paulus. *imbecillioribus ptisanæ cremori, aut halica, aut id genus alicuius incoctum potui dabis, valentioribus ex aqua calida, aut mulsa.* Præterea ex Diosc. *Cogitur cum pane, & ita inassatur,* quod Confirmat C. Celsus scribens ad insanos, *idq. in potione non accepit, pani adijciendum est, quo facilius fallat.*

Cum Sesamoide. Miscetur cum Sesamoide. sic Hipp. de veratri vsu, & 4. de Victu Acut. tex. 125. *Sicut autem de ptisana dixi, Sesamoides sursum purgat, potio eius est, drachma dimidia in aceto mulso trita, miscetur autem Veratris, ita vt tertiam efficiat partem: nempe id hoc pacto minus suffocat.* Confirmat id Plinius, *In Antycira,* inquiens, *tutissime sumitur, quoniam sesamoides admiscent.* & lib. 12. cap. 25. *Sesamoides granum datur in vino dulci ad detractiones quantum tribus digitis capitur, miscentq. Ellebori albi vnum, & dimidium obolum purgationem eam adhibentes maxime insaniæ melancholicæ, comitialibus, podagricis.*

Suppositoria clysteres. Profecto Veratri tanta vis est, vt suppositum, & in clysteribus immissum, inunctis pedibus, vel Ventre vomitiones excitet. vnde Dioscorides, & ex eo Actuarius. *Vomitiones concitant subdita ex eo balani cum aceto.* & longiori sermone id explicat Paulus, *Antyllus tradit fieri etiam glandes ex Elleboro albo tuso & cribrato, deinde decocto melle excepto, ac clysteris modo ex Elleboro præparato superiorem ventriculum purgare. Verum hic est modus probatior. Nam purgationem partire in vices nobis licet, pondus igitur sit Veratri drac. duæ cæterum glans circumaptetur, aut vinciatur stuppa solidiore, cuius initium extrinsecus per sedem recipiatur, quo glandem, vbi satis purgando profecerit auferre possimus. Hic modus purgat quidem absolutissime, non autem suffocationem, aut aliud quoddam periculum inducit.*

Oribasius. Addit Oribasius. *Cui autem ocium est, atq. in eo studia tempus ponit, multa de apparando Veratro comperiet. Nam præterquam quod omnibus modis misceri, & temperari queat, veteres etiam ipsius admotu, atq. odoratu purgare sunt conati, è quorum numero est Plistonicus. hic enim glandes aliter, atq. aliter ex elleboro conficiens, ano apposuit, & uomitus exciuit. cæterum Elleborum passo componens, & diluens vna cum felle bubulo odorandum ijs dedit, quibus neq. mucus è naso, neque sputum posset procedere: ratus id, quod erat, fore vt vomitus facilius prouocaretur: ac magis etiam, si quis eo diutius vteretur. Diocles verò etiam vtero glandem ex Elleboro imposuit, & vomitus prouocauit. Dieuches verò anum quoque Elleboro instar emplastri circumdedit. At nunc etiam pedes irrigant cocto in aqua marina Elleboro, oleoq. cyprio, & nitro infusis, ex qua perfusione pituitosi vomitus consequuntur, qui pedum, articulorumq. doloribus prodesse videantur.*

Clysteres. De Clysteri ex Helleboro sic loquitur Paulus. *Iam verò in ijs, qui medicamenta per os abominantur, omnino autem Hellebori potionem requirunt. Antyllus huiusmodi quodam vsus est clystere. Hellebori albi drach. ij. in aqua sextario per diem, & noctem vnam macerantur, sequenti die Veratrum in aqua ad dimidias coquitur; inde in aluum datur, vt Vomitum concitet, superius purgat paulo imbecillius, quam Veratri potio. Vbi abunde purgatum est, glande acri imposita, aluus irritatur, vt quod iniectum est reddatur, & æger non amplius vomat, facta excretione mulsa semel, bisuè intestinis abluendis inijcitur.*

Infusum ad dysenteriā. Reperio etiam Hippocratem quondam ita parato Helleboro vsum fuisse; sed reuulsionis gratia videtur. nam de morb. mul. circa finem. ait. *Infusum ad Disenteriam Veratri potiones duas tritas in aqua dimidia hemina diluto & olei tantundem infundito.*

Conclusio. Et hæc ex antiquis collegimus de modis exhibendi Veratrum, non, me hercules, vt Veratrum in quotidianum vsum reuocem; sed ne omnino ab vsu Medico, tam celebre medicamentum, nunc exulet. Ast maxime vt antiquorum diligentia appareat, & ne nostri nunc adeo timeant leuiora Vomitoria; namq. lathiris, Antimonium, Præcipitatum respectu Hellebori, se habent veluti pueri ad Gigantem. nec medici, qui difficiles ægritudines tollere, cupiunt, se à medicamentis vomitorijs abstineant, Hellebori enim Gigantis exemplo, poterunt Pigmeos facile regere cæteros Vomitiuos.

Difficultas Sed restant aliquot difficultates soluēdæ. Primo quid intelligat Hipp. 2. de morb. ad phthisim. *Veratrū dato tēperatū, vt ne aluū infernā moueat.* pro qua re nihil certi habemus, *De Veratro temperato* sed si diuinare licet, an intelligit temperatū, seu mistum cum lenticula? sic enim tradit ad ulcus Tracheæ. *Si tempestiuum esse visum fuerit, Veratrum bibat; si quidem potens fuerit homo per se, sin minus dimidium potionis ad lenticulæ decoctum admisceto.* Profecto P. Salius in com. censet tunc temperatum esse, cum aliqua eius pharmacositatem corrigentia ei admiscentur. tum etiam si in minori consueta quantitate exhibeatur. an potius intelligit in Eclegmate, ne aluum infernam moueat, vt idem tradit paulo post in eadem Tabe.

Radicem Dracontij albam, & Veratri delingat; sed non ex melle: sic enim minime aluum mouebit. Quare hic se Hippocrates explicare videtur, cum modus sit, ne aluum moueat.

Altera difficultas de Veratro Molli.

Altera difficultas est, quia idem Hipp. 3. de fract. 48. *Veratrum molle potui dandum erit.* nec Gal. in com. hanc difficultatem tollit. siquidem ait. *incertum est quid sibi velit, (molle) partem autem, vel qualitatem potionis, vel modum significare; nemo autem modo exiguo, molle proprie dictum existimaret, nec qua ratione Hipp. praeparari ipsum velit, facile intelligitur.* dicerem fortasse ipsum velle infusum, vel dococtum in formam liquidam, non autem eius substantiam, quia non opus est valida operatione Veratri; sed mediocri vomitu, quod accidit Veratro temperato cum decocto lenticulæ, vel in alia forma liquida. Hoc verbũ *molle* video vsitatum ab Hipp. de Vino etiã, & de Alimento. nam lib. de Insan. n.13. dicit. *Alimentum molle*: vt prius n. 5. *Diata humectiore, ac molli.* n. 6. *Vinum omnino album, tenue, molle, aquosum.* n. 9. *Victus mollis, ac leuis.* 2. de Diæta in fine scribit *molli vino, molliter dormiat.* & 3. de Diæta n. 4. *cibis mollioribus. & diætam mollem.* n. 5. & 6. *cibis mollibus.* & n. 10. *mollibus fomentis.* n. 11. *cibi molles.* n. 13, *lucta molli* n. 18. *vinis nigris mollibus. molliter cubet* n. 20. *Vino molli aquoso.* n. 21. *Vino molli, & somnis mollibus.* & 2. *potionib. mollioribus, ac dilutioribus, & molliter cubare.* ex quibus colligo Elleborum *molle* esse debiliorem, & dilutiorem eius potionem.

De Vitriolo, Caput CXXXIX.

Chalcanthum, Chalcitis, Misy, Sory, & Melanteria sub vno genere contineri apertum est; siquidem alterum in alterum, ex nonnullorum sententia, transmutatur. Horum genus succus est primo salsuginosus, & acris, acerbum dicit Agricola, qui per venas minerales, & metallicas transiens, solubiles partes liquat, erodit, & secum ducit, tandem concrescit vel natura, vel arte, inter Salia numerauit Paracelsus,

Vitriolatorum genus.

Chalcanthum ex his est succus cõcretus, quod Itali Vitriolum vocant, quod glebulis, ex quibus recens chalcantum constat, vitrum imitetur, quoad transluciditatem; Latinis Atramentum sutorium, ob vsum nigro colore pelles tingendi, dicebatur. De essentia igitur Chalchanti erit, qua à cæteris speciebus distinguitur, vt Vitrum aliquo modo imitetur, vnde Dioscorides translucens, graue, densum, concretum, & purum laudauit, & vt nigrũ inducat colorem; vnde Atramentum dictum fuit. At Cyprium Vitriolum, nec non Vitriolum Veneris perbelle quidem Vitrum imitantur; sed in nigredine inducenda Romano Vitriolo cedunt. Porro omne Chalcanthum debet esse concretum, vt dixi, substantia: verùm vt Patria, solo, mistura, & arte variat, ita etiam colore diuersificatur. Aliud enim conspicies cæruleum, aliud viride, aliud rufum, glaucum, flauum; imo etiã album. succus enim acris, & acerbus plura metallica inter se mista erodit, ob venas ærosas magis, & minus puras, magis, & minus cæruleo imbuitur colore, ob plumbeas albescit, ob ferreas ruffum; & ob æs viride apparet, sic ob miscellas varias varij insurgunt colores, nec non etiam ob maiorem, & minorem excoctionem materierum, & acredinem succorum erodentium.

Vitrioli nomina.

Essentia.

Species.

Dioscorides tres tantum Chalcanthi species nouit, in Cypro nempe ortas, & has secundum quod conficitur, vel enim à natura concretum in cuniculis reperitur; quod antiquitus stalacticum .i. stillatiuũ dicebatur. Peteesius pinarion vocauit, nostri fossile vocant, vulgò autem *Coppa rosa* appellatur: colore vario, quum smaragdum, saphirum, vel Crystallum quandoq. imitetur. Plinius *è lateribus*, inquit, *destillantes hyberno gelu stirias, stalagmos vocant, nec est purius aliud; sed ex eo candidum colorem sentientem violam, Leucoion appellant.* fit & in saxorum catinis pluuia aqua corriuato limo gelante, fit, & salis modo, flagrantissimo sole admissas dulces aquas cogente. ideo duplici quidem differentia fossile, aut factitium appellat. Verum modo glebosam, modo racemosam, vt Puteolanum quandoque, aliasq. formas demonstrat. Ketmannus habuit 12. ad minus species, seu differentias Vitrioli natini Germanici. 1. Atramentum album appellauit tenue Goslarianum. 2. Album durum Goslarianum; 3. Candidum purum spongiosũ fossile. 4. in candido rubrum spongiosum, fossile Goslarianum. 5. Candidum, durum stalacticum, natiuum Goslarianum. 6. in Candido rubrum, itidem stalacticum durũ. 7. Viride durum natiuum Goslarianum. 8. viride, spongiosum, natiuum. 9. Viride stalacticum, durum Goslarianum. 10. in candido cinereum, Cyprium. 11. Durum, cinereum, natiuum. 12. Cinereum, natiuum, Neapolitanum, cum sulphure viuo coloris lutei. Pona autem conseruabat in suo Museo alias differentias, veluti Saxonicum tenue, & violæ albæ candore persimile *cuperosa* vulgò. alterum Pannonicum cristallino colore, & splendore ex lapide ærario, veluti ex parẽte efflorescens. alterum Boemicum è fodinis sub subuiride in capillorum formã à Natura efformatũ à Pyrite æroso per Melantheriam, quæ illum vndique amplectitur procedens. Alterum è mari rubro aduectũ viride pallescens. Sed rationabile est multis alijs formis spectari, secundum loca, vbi cõcrescit. Ego enim habeo Genuense stalacticum in fissuris lapidum subterraneorum cõcretum

Ex Ketmanno.

Stalacticũ.

cretum

cretũ ſubuiride; album Norwegicum, &c.

Alterum chalchanthi genus, ait Dioſcorides. *ſimplex ratione fit in ſpeluncis, poſtea tranſfuſum in excauatas ſcrobes concrementum capeſcit, quod pecton. i. concretitium proprie vocant.* Plinius *Fieri in Hiſpania è puteis ſtagniſuè id genus aqua habentibus. Decoquitur ea, admiſta dulci pari menſura, & in piſcinas ligneas funditur, Immobilibus ſuper has tranſtris dependent reſtes lapillis extenta, quibus adhæreſcens limus viteis acinis imaginem quandam vua reddit, exemptum ita ſiccatur diebus xxx.* Galenus verò 9. de ſ. med. facult. exquiſitiſſime tradit modum, quem ipſe vidit in Cypro, faciendi hanc chalcanthi ſpeciem, curioſi ipſum legant.

Vitriolum concretitiũ.

Tertia Vitrioli ſpecies

Circa tertiam Chalcanti ſpeciem ſcripſit Dioſcorides. *Tertium dicitur coctile, & in Hiſpania fieri ſolet: ſed inutile, & inualidiſſimum eſſe conſtat. Ratio parandi hæc eſt. Aqua madefactum decoquunt, mox in piſcinas transfundunt, & reſidere patiuntur: hoc certis diebus coaleſcit, inſ complares formulas digeſtum, teſſerarum ſpeciem reddentes, quæ racematim inter ſe cohæreſcunt.* ſed exactam vitrioli hoc modo parandi rationem legere licet apud Mattiolum, & Agricolam de metallis lib. 12. nec enim hic doceo Vitrioli parandi rationem; ſed vſum emeticum: tantum dicam, plures huius conſpici differentias. quoniam illud, quod Romanum dicitur, Bagnareæ conficitur, necnõ Maſſæ, in Germania pluribus locis paratur, in Vngaria, Sileſia, Pannonia, Anglia, Miſnia, Goslariæ, & alibi. ſed quod acrius linguam ſtimulat, aut acore quodam aſtringente fauces non ſine aliquo ſalſedinis ſtimulo in ima penetrante conuellit, laudat Mindererus, ita Dioſcor. optimum credidit cæruleum, graue, denſum, purũ, tranſlucẽs.

Matthiolus Agricola.

Porrò de Vitriolo plurima ſcripſi Epiſt. decade prima, & in dodecapotio, de eius ſpiritu item plura. de Vi vomitoria autem nunc agam. Chimici ipſum ſumme extollunt etiã hoc Aenigmate in literis maioribus. *Viſitabis interiora, Terræ, Rectificando inuenies, Occultum Lapidem, Veram Medicinam.* ſed hos nunc dimittam, Dioſcorides. *Latas ventris tineas necat, dracma pondere deuoratum, aut cum melle linctum; vomitus ciet, aduerſus hauſta fungorum venena ex aqua potum auxiliatur*, confirmat hæc Plinius lib. 34. c. 12. ſcribens. *Iunitur ad depellenda ventris animalia dracmæ pondere cum melle; purgat ſtomachum cum melle, aut aqua mulſa ſumptum.*

Vires.

Dubitatio.

Profectò dubitare licet, an Vitriolum habeat vim purgantẽ, quia ſumme aſtringere guſtu ſentitur. adeo vt ſcripſerit Plinius. *ſiſtit; & ſanguinem narium; item hæmorrhoidum, ſtringit cicatrices, nuperq. inuentum, Vrſorum in Brana, & Leonum ora inſpargere illo, tantaq. eſt vis in adſtringendo, vt non queant mordere.* ipſe Dioſcorides ait. *Valet adſtringere.* confirmauit hæc Gal. 9. de ſim. m. fac. ſcribens. *Cæterum mirari ſubit de hoc medicamento, quo pacto vehementiſſimæ adſtrictioni admiſta eſt caliditas non infirma. Conſtat ergo, quod omnium maxime condire, ſeruareq. carnes humiditas poteſt, nimirum caliditate humiditatem abſumens, atq. adſtrictione ſubſtantiam contrahens, atq. conſtipans: hoc enim opere nonnihil etiam humiditatis ipſius exprimit. Conſtringit verò, deſiceat, atq. contrahit in ſeſe ſubſtantiam carnis.* ex quibus conſtat Vitrioliũ eſſe ſumme adſtringens, ergo non poterit eſſe laxans.

Solutio.

Contra tamen experientia docet in eo eſſe ſubſtantiam quandam admiſtam irritantẽ facultatem Ventriculi expultricem ad Vomitum: vnde præcipuum Emeticum euadit, ſiue enim ſimplex, ſiue chymicè præparatũ offeratur, mirabiliter vomitum prouocat. Florauantus lib. 2. de peſte. c. 18. *ſi quis, inquit, peſte fuit correptus ante 24. horas. ℞. Vitrioli cyprij drac. j. tere ſubtiliter, & cum pauco iure calido aſſumat, & ſanabitur, quia ſurſum, & deorſum purgando ægrum ſanat.* Thomas Bouius in Flagello medico. *Ego*, ait, 17. *meis domeſticis Vitriolum crudum in vna aurora ad præſeruationem Peſtis propinaui.* Paræus lib. de Peſte cap. 25. refert ex Mattioli tract. de Lu Venerea Vitrioli drac. j. in aqua roſarum diſſoluti, & eb·biti Peſtem Vomitu, & deiectione è corpore exturbare. Mizaldus verò Cẽt. 6. diſtinct. 48. ait; *Si Vitriolum in aqua roſarum diſſoluatur, & rurſus iteratis vicibus ter, vel quater coaguletur, deturq. oboli pondere obſeſſo à Peſte, Vomitum concitabit, qui contagionem, ac morbum ſoluet.* Schuuenckfelt lib. 3. de foſſilibus Sileſiæ. ſcripſit. Aluum irritare, vomitumq. concitare modice potum. Mindererus libro de chalcantho cap. 8. hæc protulit. *Ex Vitriolo quoque paratur medicamentum vomitorium, quod Vitriolum album vomitiuum nominant. id ſic conficitur. Diſſolue Vitriolum album in aqua fæniculi, diſſolutum diligenter colas, ac aquam euapora vſq. dum id. quod in cucurbita reſtibile eſt, cuticulam contrahat, tum frigori expone vt cryſtallos gignat, quos rurſus in aqua Centaureæ ſoluas, iterumq. vt prius in lapillos cogas; hos tertia vice in aqua Roſarum odoratiſſima ſoluito, coagulato, tandemq. ſiccato. Vſus eius eſt verminationibus, febribus ſtomachalibus ex prauo nutricatu, putrido alimento, & corrupto victu profectis, datur his, qui fungis venenatis paſti ſunt, aut fructibus fucaceibus, ſeu horais, leguminibus, oleribuſq. ſeſe repleuerunt, commodum ſanè medicamẽtum militibus, quibus caſtrametationes diuerſæ ſæpe probum victum negant, quiq. putridas, ex paludibus quandoq. aquas potare coguntur. Datur ex iuſculo carnis, vino, vel cereuiſia. at vbi æger vomere incipit, commodum eſt, vt iuſculum pulli, caponis, aut aliud pingue ad manum ſit, de quo ægro ſæpe ſorbitio exhibenda, ſic enim facilius euomet, nec ita cum nauſea colluctabitur.* Profectò erat Romæ pictor quidã, qui puerulis vnius anni Epilepſia correptis exhibebat granum vnum, & ſemis Vitrioli Ciprij ex aqua Galegæ, maioribus ad grana ij. vomitus viſcoſorum

Floranãtus.

Ad peſtem.

Bouius.

Pareus.

Mattiolus.

Mizaldus.

Schuuenckfelt.

Mindererus

Vſus Vitrioli.

Ad puerorum Epilepſiam.

forum humorē validis sequebatur, & pueri sanabantur, & maximus erat ad ipsum muliercularum confluxus. Bonius in flagello. scribit se dedisse Vitrioli Romani drac. j. aqua communi dissoluti, & mellis partes æquales, ita propinabat. & tempore pestilentiæ sic exhibuisse ægrotantibus plurimis decem chalcanthi libras. mirabili iuuamento.

Gilla Vitrioli. Chimici proponunt Vitriolum præparatum, quod Paracelsus modo Gillam, modo Grillam vocauit. de quo nomine non est disputandū. ex Theophrasto ita parat Crollius. *Cristalli vitrioli, è Venere, seu Marte, preparati; resoluantur, in phlegmate acido. quod primo egreditur è destillatione Vitrioli vulgaris, & simul per octo dies circulentur. de hoc circulato liquore detur à scrup. j. ad dracmam semis. seu scrup. duos.* quæ dosis Hartmanno excedens visa fuit, vt quod vltra scrup. j. non debeat dari. Paracelsus videtur dedisse tres guttas, fortasse. granum j. & semissem. & Gillæ loco, Crollius proponit Vitriolum album vomitiuum; quod ita parat. *Solue Vitriolum album in aqua pluuiali, & euapora, donec quasi crusta appareat, postea per quatuor dies in loco frigido ponas, & concrescent Crystalli; quod eximes, & aquam iterum euaporabis, vt antea. Hic labor penitùs tertio reiteretur, coagulando, & dissoluendo, vltimo ter eodem modo procedatur cum aqua Rosarum. Crystalli tandem supra calorem lenem siccētur, & sponte redigentur in puluerem album, hoc lene est Vomitiuum, & cerebrum benigne expurgat.* non dissimili ratione parat Mindererus lib. de Chalcantho c. 8. vt supra transcripsi. nisi quod prima vice dissoluit Vitriolū in aqua fœniculi, secunda in aqua Centaurei, & tertia vice in aqua rosarum, vt supra dixi.

Vitriolum album.

Sal Vitrioli Angelus Sala in Hemetologia. Sal vitrioli parat, ex Vitriolo calcinato, vel ex Colcotare, seu de capite mortuo ab olei Vitrioli destillatione residuo. sed hoc minus efficax esse dicunt Crollius, & Hartman.

Vires. Quo ad facultates. Crollius proponit in febribus, lumbricis, morbis ventriculi, defluxionibus salsis, Peste, Doloribus dorsi. Sed Angelus Sala testatur Deum se non inuenisse præstantius vomitoriorum sale Vitrioli. vnde vocat Mannam Vomitoriorum. & subdit. Egregie valet contra Epilepsiam, aliaq. cerebri symptomata ex corruptis, & acribus è ventriculo sursum actis vaporibus orta. Contra squinantiam, Pleuresin, Febres pestilentiales, Lypothimiam a repletione humorum corruptorum, & bilis circa orificium Ventriculi existentem. Vermes enecat, hepar, lienem, & Renes deobstruit. Vrinarios meatus expurgat, resistit Catharris in pectora, & pulmonum organa prolapsis.

Manna vomitoria.

Cautio. E contra Hartman in Basilicam Crollij, subdit in exibitione vomitoriorum Vitriolatorum, cauendum ab asthmaticis, alijsq. pectoris affectibus. Vitriolum nimirum crudum venenum est, quia Asthma procreat, & suffocando necat. Verum enim verò scribit A. Sala in Hemetologia. pag 223. *Hoc ego scio, quod multi in Italia Musicam exercentes Vitrioli modicum per vices cum saccharo mixtum hauriant, ad pectus purificandum, pulmonumque organa quibus ad cantandum accuratius vtuntur rectificanda.* contra Hartman in Crollium. ait, *Qui Vitriolum crudum ad bassam vocem conciliandam vsurpant, in graues tandem morbos incidunt.* & addit. Experientia compertum est. Gillā hanc, seu Vomitum maximum nocere oculis, ita vt si sæpius ea quis vtatur, plenè visum amittat. addam ego teste Plinio Vitrioli puluerem ora Leonum adstringere, quia faucibus, & pectori nocet. *Nocumēta.*

Quid agendum. At vsus ego Vitriolo crudo, eius sale, vel præparato nunquam fui, vnde expertus non loquar; sed aliorum testimonio, & Vomitum prouocare, & ad multa ex prædictis conferre censeo; sed Germanis potius, quā italis conferre.

Quantum. Quantitas à Crollio proposita suæ Gillæ videtur esse nimia. dat enim Gillæ scrup. j. ad scrup. ij. vel rantundem eius salis. nec placuit Hartmanno, quia Paracelsus videtur dedisse granum vnum, & semis. tamen scrup. j. Arnaldus Kernerus in sua Tetrade; sed Angelus Sala in sua Hemetologia videtur scripsisse drac. semis ad vnciam dimidiā forte librarij errato. Quercetanus dedit grana 7. 8. 10. & scrup. j. Hartman in practica chym. Salis exhibet à drac. 5. ad drac. 1. sed Vitrioli albi scrup. duos. Vitrioli autem impræparati Diosc. dedit drac. j. cum quo fuit Plinius. & alij vt Mattiolus, Pareus, Florauantus, Bouius, &c. Mizaldus vero obolum, ex quibus patet quantum sit exhibendum tum Vitrioli crudi, tum præparati, salis, & Gillæ.

Quomodo. Dioscorides, & Plinius dederunt Vitriolum crudum cum melle, vel aqua. Paræus in aqua rosarum, Florauantus cum iure. Mindererus, & Sala ex iusculo carnis, vino, vel ceruisia. Quercetanus laudat sal ex colchotare cum sy. scyllitico. Crollius Gillam, & sal commendat in vino, ceruisia, iure carnium, saccharo, conserua rosarum, aqua cum melle, & similibus. addit Mindererus, vbi æger vomere incipit commodum esse, vt iusculum pulli, Caponis, aut aliud præpingue ad manum sit, de quo ægro sæpe sorbitio exhibenda, sic enim facilius euomet, nec ita cum nausea colluctabitur. Eiusdem autem cum Chalcantho generis esse Chalcitidem, Misy, Sory, & Melanteriam, non est dubitandum, nec non etiam similes habere facultates, Sory tamen ex Diosc. magis est stomacho inimicum, ut etiam odore graui Vomitum excitet.

De

De Vlmi foliorum liquore.
Cap. CXXXX.

NOtissima est Arbor, & valde procera Vlmus, cuius partes omnes, tum Antiquorum, tum recentiorum consensu astringere, dicuntur. & quia ex caudice gummi reddit, & in folijs vesicas producit, in quibus lentus continètur humor, qui siccatus in vermiculos vertitur, & inde in animalcula volantia dicta culices, & cinipedes. cum igitur tota planta folia, cortex, & rami vim habeāt, ex Diosc. spissandi. sicut etiā gummi, aqua, & succus, mirum non paucis videbitur, si inter vomitoria collocauero. licet enim, ex Diosc. *Crassior cortex in vino, aut aqua frigida vnciatim potus, pituitas trahit.* vnde deorsum potiùs, quam per vomitum educere dicetur. & quod præsentis loci est. liquor in vesicis circa folia genitus, qui siccatus in culices abit. summe adstringere videtur. si quidem Dioscorides docuit. *illitum nitorem inducere, faciemq. splendidiorem præstare.* cui subscribunt Ruellius, Rudius, Dodoneus, Castor, Schuuenckfelt, & alij, & addit Mattiolus. *Medetur puerorum enterocelis, si splenia, siue linteola in eo madefacta sæpe inguini partis ruptæ super imponantur, atq. inibi subfemorali, quod Italis vulgo brachiere vocatur, subligentur, & constringantur* quod confirmat Cæsalpinus, Rudius, Amatus, Franc. Alexandri, addens ex hoc liquore cum farina cicerculæ, aceto acerrimo, alijsq. quibusdam emplastrum parari. Dodoneus specificat ad Enterocelas non inueteratas. ex quibus infertur vim habere adstringentem, abstergentem, & conglutinantem. non ergo valere potest ad relaxandum Ventriculum, & Vomitum inducendum. quia etiam ad vulnera recentia conglutinanda mirabile est, experimentis Matthioli, Simeonis Paulli, Schuuenckfelt, & meis. quia mirabilia vidi, & faciem leuiter quidem vulneratam 24. horis conglutinatam, vt vix vestigium appareret. ergo iterum concludam adstringentis facultatis esse, minime autem aluum, & Ventriculum lenientis.

Vis Adstringens.

Vires liquoris vlmi.

Cortex. Tamen crassior cortex ad vnciæ pondus cum vino, aut aqua frigida pituitas trahit, ex Dioscoride, Ruellio, Castore Durante, Historia plantarum. & alijs.

De Vi vomitoria. Verum excitare Vomitum non nisi Dioscorides, & Paulus Aegineta scripserunt, nec ex professo capite de Vlmo; sed agentes de curatione Cerussæ epotæ. vbi scripsit Dioscorides. *Humor, quem Vlmi folia reddiderunt, cum tepida aqua, vt vomat, exhibeatur; aut eius gummi, quod arbor plorauit.* quod etiam referunt Paulus Aegineta, & Cæsalpinus. ecce quod hi vtuntur gummi, & liquore Vlmi ad Vomitum inducendum in his, qui Cerussam vorarunt. & cur non in alijs venenis? certe Senertus videtur hæc ipsa laudare ad acrimoniam relictam, nempe ad abstergendum, & conglutinandum. nec Auctores, qui de Venenositate Cerussæ curanda egerunt, huius liquoris meminere, vt Auicenna, Rasis, Albucasis, Haly abbas, Scribonius, Pet. de Ebano, Greuinus, Guainerus, Christ. de Honestis, Mercurialis, & alij.

Quid agendum. Equidem præmanibus non habui cerussam bibentem, nec hoc remedio vsus fuissē, quia alios vtentes non vidi, non audiui, nō legi. si quis voluerit data occasione experiri, liberum esto.

De Xyride, seu Spatula fœtida.
Cap. CXXXXI.

XYridis forma à Dioscoride & Neotericis clarissime descripta est, vt non opus sit tempus terere in ea describenda; dicitur autem spatula fœtida, à foliorum figura spatæ, & ab odore fœtido. eius facultates describentes Dioscorides, Galenus, & alij antiqui, de vi emetica, & solutiua, ne verbum quidem; immo contrarium asseruisse videntur, siquidem Diosc. *Radix, inquit, ex passo bibitur ad strangurias, & ad alui profluuia.* quod credidere posteri. quapropter si alui profluuia sistit, non potest aluum soluere, & mouere vomitum.

Nomen.

Dubitatur de vi solutiua.

Vis solutiua Contra autem Io. Bapt. Zappata libro de Secretis. mirè prædicat facultatem solutiuā, & vomitiuam Xyridis. dicens radicem valide purgare, bilem. phlegma, & humores tū crassos, tum aquosos, supra, & infra. vnde dicit se sanasse morbos, qua pituitosos, quales sunt Apoplexia, Epilepsia, Paralisis, Cōuulsio, Letargus, scirrus, & obstructio Hepatis, vel Lienis, Ventriculi imbecillitas, dolor colicus, & similes. quà etiam biliosos, vt potè phrenitis, Ophtalmia, Aurium inflāmatio, Angina, Peripneumonia, phlegmone Ventriculi, Hepatis, Renum, Vesicæ, Hæmorrhoidarum, & similium in toto corpore, addit se curasse hac radice plures ophthalmia, ferè obcæcatos; aliquot scrophulis vexatos, Epilepticos, stomachicos, podagricos, & lienis scirro obtentos. si hæc vera sūt, vt credo, poterit in vsum trahi hæc radix ad prædictos morbos.

Quid agendum.

Quantum. Ad quantitatem nucis Auellanæ offerebat Zappata.

Quomodo. Dabat decoctam radicem cum iure Gallinæ, piscium, Betarum, aut Maluæ. vel farinam siccæ cum aqua mulsa, vel radicem viridem manducandam.

Quando. Laudat etiam, & experientia didicit, conferre semel in hebdomada datam per tres, quatuor, vel quinque septimanas.

De Vomitorijs mixtis ex Hippocrate,
Cap. CXXXXII.

Vomitoria Hippocrat. EXplicatis Medicamentis simplicibus ad vomitum excitãdum aptis, debemus proponere ea, quæ Hippocrati in vsu fuere, seu quæ mixturata ei placuere. Et equidẽ reperio 2. de Morbis folio mihi. 207. seu nu. 53. in Erisipelate Pulmonis. hæc adhibuisse. *Allij capita, & Origani pugillum, quantum, tribus digitis apprehendi potest, duabus heminis vini dulcis affusis, & Aceti acerrimi hemina vna, & mellis quarta heminæ parte coquito, donec tertia pars reliqua fiat, deinde vbi hominem exercueris, & aqua tepida laueris, calidum hoc bibendum prabeto, dato etiam lenticula decoctum, melle, & aceto amistis, donec impleatur, deinde vomat.* Hoc *Examinatio.* Vomitorium nõ vt validum, quia fit ex Oximelite Vinoso incoctis allio, & Origano, quæ non sunt valida vomitoria; sed mediocria, & est medicamentum abstergens, non attrahens. & nimia copia ventriculum grauans, tota enim potio erit circa vncias x. nã hemina pendet vncias x. & insuper lenticulæ decoctum donec impleatur, quæ debet esse multa potio, & Vomitus debebit irritari, digito, penna, vel alio. Vere, & Autumno per plures vices hoc vomitorio vtitur in morbo, nempe, in quo Vomitus est frequẽs, & cũ conferentia, & vẽtriculus est repletus.

Aliud,

Hipp. de inter. affect. n. 7. in inflam. pulm. ait. *Mel, lac, & acetum, & aquam mixta in ollã* *Ad peripneumoniã.* *infusa tepefacito, & Origani capitati ramulis agitato, vbi verò tepida facta fuerint, bibenda dato, aut apprehensa lingua sensim per fistulam infundito; deinde conuolutum quietem habere iubeto. Postea si vomitus succedat, prompte vomat. si vero non succedat, irritatione per pennam facta vomat, & si quid pituitæ vomuerit, per dies quinque id facito, hinc enim lenior euadet. bibat autem hac exercitatus, si fieri poterit, & multa calida lotus, sin minus, saltem lotus.* Hæc potio est incidẽs, *Vomitoriũ abstersiuũ.* & abstergens. quantitatem non posuit Hip. aliam potionem paulo post laudat, & pro lacte salem substituit, quæ magis abstergens est. vt de int. affect. n. 30. in morbo Hepatico, vbi scripsit. *Si uerò etiam suffocatio accesserit, hæc dare oportet, quo uomat. Mel, aquam, Accetum, salem permista in ollam nouam infundito; deinde tepefacito, & Origani capitati ramulis una cum semine agitato. ubi uerò tepefacta fuerint, tepida ebibenda dato. Deinde stragulis iniectis contectũ finito, donec quam maxime exudarit. Et ubi uomitus ipsum apprehenderit, prompte uomat, irritatione per pennam facta. Si uerò uomere nõ possit, aquæ mulsæ tepidæ poculum duarum heminarum insuper bibat, & sic uomat. Et si quid pituita, aut bilis uomuerit, rursus idem facere oportet ad horas quatuor, proderit enim.*

Præterea 7. Epid. n. 53. *Epicharmi fillo accidit ex uia, & potu cruditas, Postridie mane anxietate oborta, ubi aquam, acetum, salem bibisset euomuit pituitam.* & tamen quarta obijt. potio autem fuit in secunda die data abstergens, ad cruditatem è uentriculo educendam.

Aliud.

Hipp. de salubri diæta n. 7. scripsit. *Sit Hyssopi quadrans* (alij semicotile i. unc. iiij. & semis) *contriti in congio aqua* (idest. lib. x.) *quem ebibat, acetum affundens, & sal aspergens, quo sit iucundissimum.* & præbet hyeme crassis, ad abstergendam à ventriculo pituitam. Galenus *Abstersiuũ.* autem in com. scribit. Incidentem esse potionem velle Hipp. & qua de causa, non est obscurum. Namq. homines crassi, quandoquidem humoribus sunt præditi prorsus *Galenus incidentem.* crassis, & frigidis, ac nonnulli etiam lentis; ideò potionem eorum incidentem vult esse. Cæterum quantam potionis, quam præscribit, copiam porrigat Hipp. non adeo exacte *De quantitate.* se posse dicere, ait Gal. quod mensura, quã congium vocant, non sit apud omnes eiusdem capacitatis. Si Atticum congium imperat bibere, non placuit Galeno, quia multa quantitas. Erat tamen maioribus in vsu, si quando vel lactis sero, vel eiusmodi aliqua ablutione vtendum statuissent, magna copia offerre. & subdit Hipp. *Bibat tardius primum, deinde uelocius.* & ex hoc colligitur multam fuisse potionem, quæ non vnica vice; sed pluribus haustibus ingerenda erat, & patet *De modo.* experiẽtia, quod qui pitissando potum assumunt plus ingerunt, quam qui affatim. Gal. in com. docuit. quod à principio si affatim bibisset, continuo vomuisset, prius quam omne ebibisset, atq. succos in Ventre contentos absterfisset. quibuscum vnà effunderentur, quos primæ venæ habent. Sin autẽ primo lentius, postea omnino bibat largius, ea ratione fiet, vt mediocri tempore continere possit, atque in tempore impetum ad vomitum capiet, quod tandem magis affatim bibat.

De Vomitorijs mistis ex Galeno.
Cap. CXXXXIII.

CIrcumfertur Galeni nomine liber de Dinamidijs, in quo multa ex Aetio potius deprompta apparent. in quo libro cap. de vitijs stomachi ponitur hoc Vomitorium.

℞. *Thapsia.* (scilicet radicum)
Cataputia. ana lib. semis,
Agarici. unc. iij,
Atriplicis sem,
Rapæ radicis an. unc. ij,
Croci. drac. iij.
Mellis, quantum sufficit,

Scripsit auctor valere ad Vomitum superius, & inferius. Verum non docuit quan- *Quid agendum.* titatem huius elect. exhibendam. Equidem

reor

reor hoc medicamentum purgare superius, & inferius bilem, & pituitam.

Verum quia pulueres sunt lib. j. vnc. vjj. & drac. tres, triplum mellis erit magis, & minus, circa libras quinque. vt tota compositio sit lib. vj. & semis. Sed medicamentorũ purgantium erũt doses paruæ. 266. quia *Quantum.* ad dracmam. Thapsiæ doses sũt 48. Agarici. 24. cataputiarum ad grana xv. doses. 192. Atriplicis, & rapæ. doses duas. ita toto electuario, quod pendet circa lib. vj. & semis, diuiso in doses 266. quælibet particularis dosis huius Vomitorij debebit esse à dracm. duabus, & semis ad drac. quinque.

Aliud.

℞. *Tapsiæ. vnc. nonem. Cinnamomi vnc. ij. & semiß. Mellis. q. s.* debebit apponi Mellis tripla pass. idest, vnc. 34. & tota compositio erit vnc. 44. doses purgantes n. 72. & ita diuiso toto electuario. quælibet dosis erit. à drac. circiter quinq. ad decem. Hoc elect. non *Quid agendum.* est in vsu, ualet ad ea, quæ diximus capite de Thapsia.

Aliud.

Scripsit idem Auctor. *Vomitus suauissimus, & sine angustia purgans choleram vstam.*

℞. *Thapsiæ. lib. semis.*
Castaneolæ.
Condisi.
Cinnamomi crassi. *Nõ est liber Galeni.*
Latyridum mundatarum.
Croci hortulani. an. vnc. iij.
Mellis. q. s. da in modum nucis cum calida.

Hic auctor multum amabat Thapsiam, quæ validissimum, & acerrimum est medicamentum. *Castaneola* est nux vomica, de qua supra lib. 2. c. 112. *Condisi.* est Strutum supra explicatum. c. 133.

Aliud.

℞. *Thapsiæ. lib. ij.*
Croci lib. j.
Condisi. vnc. iij.
Cinnamomi. vnc. iij.
Mellis. q. s. detur vt supra.

Medicamentum est validissimum, & non potest præparari, quia deficit Condisi, idest Strutium verum.

Aliud.

Vomitus sine periculo, scripsit Auctor.

℞. *Succi cicláminis.*
Atriplicis seminis.
Spermatis Genestellæ. an. vnc. iij.
Cinnamomi. vnc. semis.
Mellis. q. s.

Quantum. Si conficeretur hoc Electuarium Vomitiuum, non esset adeo validum, sed pituitã per vomitum educeret, & exhiberi posset. à drac. septem ad quatuordecim.

Aliud.

℞. Mellis cyathum. j.
Aquæ cyathos. ij.
Aceti ciathos. iij.

coque ad medietatem, deinde Raphanum ibi intingas, & manduca, & bibe de ipso oximelite.

Hoc est Vomitorium leuissimum ex mãducato raphano cum Oximelite. & hoc vtebatur Galenus ipse, vt patet 5. & 8. Methodi.

De Vomitorijs Græcorum, Aeginetæ, Oribasij, Tralliani, Actuarij.
Cap. CXXXXIV.

Paulus Aegineta lib. 3. cap. 14. de Epilepsia. ita nos docuit. *Vel etiam medicamento ex Veratro albo purgationem molieris, quod hæc recipit.* *Vomitoriũ Pauli.*

Baccarum Lauri purgatarum.
Piperis albi.
Alipiados.
Euphorbij.
Veratri albi. an. drac. viij.

Hoc totum datur cum passo, quod in cucurbita silvestri pernoctarit. probe vocuat per vomitum.

Gomarus autem in com. ait. Medicamenti huius pondera nimia esse: nam singularum rerum, quæ octo dracmarum pondere sumuntur, scrupulos, vel siliquas legendum putat: imo omnino siliquas legendas esse censet, vt sit totum medicamenti pondus duarum dracmarum, & siliquarũ quatuor. Ego autem confirmo pondus esse excedẽs, & hoc totum esse vncias octo, quas excedit additum passum, verum quis ferre potest tantam dosim? Veratri quaternas dracmas Themison dedit, quod fuit Plinio admirationi. & hic dat drac. octo? dicamus nos secundum nostram regulam in Antidotario positam, Veratri esse doses 34. Euphorbij doses 80. Alipiadis 24. quæ erunt doses. 128. tota cõpositio erit drac. 32. seu scrup. 96. semi scrupula 192. diuisa in partes n. 128. quælibet particula habebit pondere scrupuli semis, & grana sex. seu *grana xviij.* quomodo igitur exiberi poterit, vel totum, vel ad drac. ij. & siliquas quatuor? *Animadversio Cornarij.* *Vera dosis.*

Oribasius verò proponit Vomitorium octau. Collect. in fine, Ventri inungendum. hoc modo. *Epithema Vomitum ciens.* *Oribaß.*

Veratri albi denarij. viij.
Piperis. denarij. iiij.
Fellis Taurini. quantum ad excipiendum satis sit. admoueto. Quod medicamentum quia ore non assumitur, eius dosis poterit esse liberalior.

Alexander Trallianus, Pauli Aeginetæ Vomitorium videtur repetere; sed clarius scribens. Ad Epilepsiam medicamentum purgans ex Veratro albo. *Alexandri.*

Baccarum Lauri purgatarum.
Alipiadis.
Piperis albi.
Euphorbij.
Veratri albi. an. siliquas viij.

Hæc omnia contusa, singulaq. ponderata quemadmodum

modum etiam scriptum est, data vna Visc, ex Colocyntidis diluto, quod in hunc modum parabitur. Colocyntidem probe prius purgatā, vt nihil interni seminis, neque lanuginis relictum sit. Sapa repleto, smitoq. ipsam in calido cinere à vespere vsq. ad primum diluculum pernoctescere, atq. dato vt auxilium maximum, quod & vomitu plurima valde crassa, & viscosa recrementa purgat. Quare etiā vomitus adiuuari debet. cum ægri nausea premuntur, aut conturbantur, paulum mulsæ superbibendum dando, & si nauseantes nihil notatu dignum sursum eduxerit, etiam pinnis ad stomachi turbationem, vtendum est; copiosiorem adhuc mulsam propinando. ita enim minori cum molestia, recrementa, quæ stomacho infixa sunt, sursum emolientur,

Hæc Alexander refert supra positum Aeginetæ medicamentum; sed pro dracmis siliquas ponit, quarum quælibet pendet grana quatuor, & siliquæ octo valebunt, grana 32. & recte videtur sensisse Cornatus supra allatus.

Actuar. Actuarius 5. meth. c. 10. Ponit Vmbilicare deiectorium, quod idem. vomitum prouocat, si ventri superimponatur.

℞. Absintij.
Succi rad, Ciclaminis.
Colocynthidis medullæ. an. drac. x.
Rad. cucumeris sil.
Artemisiæ, sicearum.
Elaterij. an. drac. vj.
Farinæ lupinorum.
Chelidonij.
Sem. Violæ albæ, an. drac. vj.
Opoponacis siciliquus.
Ceræ. drac. v.
Terebinthinæ, drac. viij.
Olei cyprini. drac. j. vel q. s.

Hoc medicamentum licet valida medicamenta recipiat, tamen quia ad extra ponitur, non erit adeo vehemens. sicut & sequens quod addit ipse Actuarius. Emplastrum Cezananci, quod si super thoracem, aut Ventriculum datur, vomitum ciet, donec splenium abstuleris.

Aliud. *℞. Cocci Gnidij. drac. iij.*
Lapidis Alij siciliquus. i. g. iiij.
Veratri candidi. drac. iij.
Adipis Caprini. dr. v.
Elaterij.
Succi Tithymalli. an. drac. iij.
Amurcæ siciliquus.
Fellis Taurini, siliquus.
Spumæ nitri drac. v.
Farinæ lupinorum amarorum sextans.
Comarum Absinthij. Siciliquus.

Reliqua tunduntur, & incernuntur, deinde fel tritum, & Amurca induntur, liquefactusq., adeps infunditur, atq. in vnitatem redactis vtimur.

Hæc inunctio constat ex Medicamentis validissimis, non tamen validissime agere potest, quia externum est medicamentum.

De Vomitorijs mixtis ex Arabibus.
Cap. CXXXXV.

Haly abbas HAly abbas 10. pract. in Antid. c. 12. docet medicamentum per vomitum ducens bilem nigram, & bibitum Venenū.

℞. Salis indici.
Elaterij.
Boracis. an. p. j.
Sem. sinapi. p. ½

tere, cribra, misce cum s. melle, da cum decocto Anethi.

Hoc medicamentum, si detur totum erit nimia dosis. nec enim Elaterij pugillus unus ferri potest: quantū verò huius medicamenti sit exhibendum, nō posuit auctor, nec nos definire laborabimus, addendo quod pulueres similes ex elaterio non solent mensurari pugillis, dicerem erratum interpretis.

Aliud Haly Vomitorium. Addit idem Haly, Vomitorium pro febribus ducens choleram rubram: & nigram.

℞. Gummæ Quem querzodianicis vomitus.
Sem. Erucæ.
Raphani.
Anethi.
Atriplicis.
Salis indici, an partes æquales.

tere, cribra, misce, cum melle. da à drac. ij. ad drac. iiij. cum decocto Anethi, & melle mirabiliter vomitum prouocat.

Gummi istud ignotum nobis uidetur, an gutta gummi? reliqua uerò complere medicamentum abstergens.

Vomitorium aliud.

Aliud. *℞. Raphani concisi. drac. xx.*
Aneti. drac. x.
Salis indici, drac. v.
Seminis Melonum.
Medullæ Sermaqui. i. Atriplicis. *an. dr. iiij.*
Aquæ lib. iiij.

coque donec triens supersit.

Colaturæ adde Mel, Calengebonum cum melle circiter vnc. ij. plus minusue, sic tepidum bibatur, & Vomitus sequentur.

Aliud. Aliud.

Vomitus fortis educens phlegma, & alia paria.

℞. decoctum supradictum. adde.
Sal Herist.
Geledenegi.
Iasabeç in alio tabaphe iemenice. an. drac. j.

dissolue cum melle, & tepidum bibatur. per ociū debemus uoces arabicas interpretari.

Aliud. Aliud.

℞. Nucis Vomicæ.
Quem querezedi.
Sem. radicum. an. drac. ij.
Sem. Atriplicis. drac. iij.
Sinapi.
Salis indici an. drac. j.

Calēgebini. (i. Oximell.) *iij.* [illegible] *infuderis incisos* [illegible] *Anetho.*

Aliud

Aliud.

Aliud.

Vomitorium colera rubea.

℞. *Aquam Sumaci.*

Aquam Malua.

Aquam Anethi. in hac hordeum coque, & calengebinum foch aham, & sale iniecto tepida hac propina.

Rasis Vomitiuum.

Vomitorium Rasis in Antid. Cap. I.

℞. *Seminis Atriplicis. part. j.*

Salis. part. vj.

Mellis, aut manna, qua magis vomica est, & dentur ex eo quasi tres doses de semine atriplicis, sicut drac. iij. & vnius quarta.

Aliud.

Aliud.

Oximel prouocans Vomitum.

℞. *Radicum Cardi, que solet comedi. drac. ij.*

Pulpa Melonis. drac. ij.

Aceti.

Aqua. an. lib. j. infunde, & malaxa cum manu, & bulliat cum tantundem Penidiorum, aut duabus libris Mellis, & fac Oximel, & propina.

Hæc Vomitoria vim habent abstergendi.

De Vomitorijs Recentiorum.

Cap. CXXXXVI.

Nicolai.

Nicolaus Alexandrinus Græcus translatus à Nicolao Rhegino in Antidot. cap. 282. ponit Electuarium ad Vomitum prouocandum.

℞. *Thapsia. drac. centum.*

Elaterij.

Castaniola corticum.

Cataputiarum purgatarum.

Ellebori albi. an. drac. 27.

Xylocinnami.

Croci Hortensis.

Ellebori nigri.

Condisi.

Gongylidos feminis. (i. Rapæ.)

Chrysolochani. i. Atriplicis. *an. drac. xviij.*

Mellis. q. s.

Si autem fortiter volueris purgare dabis drac. iiij. si verò debiliter ij. vel iij. mane cum calida. Laudat Nicolaus hoc electuarium. quod purgat Melancholicos, Maniacos, Spleniticos, Hypocondriacos, & omnia mala, quæ ex cholera nigra sunt. Sed non potest confici, quia non habemus Castaniolam, Xylocinnamum, nec condisi. & esset validum medicamentum, in virtute valida exhibendum.

Aliud.

Aliud.

Quod sine angustia purgat omnes humores.

℞. *Cataputiarum purgatarum.*

Sacchari. an. drac. xij.

Hellebori viridis cum radicibus.

Asari viridis.

Sicidos.

Succi Anguriorum viridium. an drac. vj.

Xylocinnami.

Condisi.

Croci Aphricani. an. drac. iiij.

Radicis Gongilidon.

Sem. Chrysolochani. an. drac. ij.

Mellis violacei. q. s.

Confice sic, Elleborum, & Asarum contrita, & in phialas aqua pridie infusa lento igne ad medietatem decoque, & diligenter cola abiectisq. retrimentis succum Anguriorum decoctioni adiunge, & cum melle lento igne ad spissitudinem decoque, deinde Cataputias cum saccharo ad modum electuarij tritas terendorum addito puluere cum suprascripto melle confice, dabis ex eo drac. iij. mane ieiunis cum tepida.

Hæc Vomitoria videntur assimilari ijs, quæ in libello de Dinamidijs posita sunt. addit Nicolaus cap. 336. aliud Vomitorium, & est hoc.

Aliud. Externum.

Aliud.

Ad Vomitum optime expertum Alapsæ inductum, & stomacho impositum.

℞. *Olei Raphanini.*

Sicionij. an. vnc. xxiiij.

Elaterij.

Succi Ellebori. an. vnc. xij.

Cataputiarum purgatarum radicis, & seminis. an. vnc. vj.

Succi faba lupina.

Castaliola corticis. an. vnc. iij.

Succi Tithymali.

Sem. Chrysolocani. an. vnc. j.

Confice sic. Succos omnes, & Cataputias conquassatas, & seminum puluerem, in Rhaphanino, & Sicyonio oleo, quatriduo infunde, quarto verò ad lenes prunas ad medietatem decoque, cumq. bene coctum fuerit, diligenter cola, abiectisq. retrimentis ceram adde, & cum remissa fuerit in marmoream pilam funde, & addito Elaterij subtilissimo puluere tandem terendo commisce, donec coagulari cæperit, cumq. condensatum fuerit conde, & vsui reserua. Hoc est etiã Validum: sed non in vsu.

Arnaldi de Villanoua

Arnaldus de Villanoua in suo Antidotario. cap. 25. ponit quatuor Vomitoria composita.

Vomitorium Nicolai.

Scripsit auctor Vomitorium dici à Vomendo, eo quod purgat humores superiores, Nicolai, quia à Nicolao fuit compositum. purgat proprie coleram, & phlegma, datur hominibus delicatis cum sy. acetoso. Distemperatum stet per noctẽ sub dio, mane cum calida coletur per pannum, vt tota substantia remaneat, & propinetur colatura. Datur à drac. ij. vsq. ad iij. cum aqua calida; confert quotidianæ veræ, & tertianæ nothæ, sedat nauseam factam à superfluis, & acutis humoribus. Datum cum oxizaccara de mane liberat à quartana ex cholera adusta.

℞. *Corticis raphani.*

Rad. Tapsia collecta mense Iunij, vel Maij. an. vnc. iij.

Medulla Carthami. *vnc. j. & semis.*
Interioris nucis vomicæ. *vnc. semis.*
Succi radicis Assari. *vnc. j.*

Mel Assari nunc conficitur sic. adde iiij, vncias succi Assari in duabus libris Mellis despumati, & bulliat vsque ad consumptionem succi. Et si non poteris habere succum pone Tapsiæ,

Assari. *an. vnc. j. & semis.*
Medulla granorum Catapuliæ. *vnc. semis,*

contunde, & pone in aqua marina in qua bulliat vsq. ad consumptionem medietatis, & ponatur illa aqua in duabus libris mellis despumati, & coque vsq. ad consumptionē aquæ, cum tali melle cōfice cætera. Hoc vomitorium non fuit Nicolai Alexandrini, sed alterius, quia in ipsius antidotario non legitur: est medicamentum validum, sed non in vsu.

Aliud.

Aliud Patriarche, Vomitus Patriarchæ, qui datus cum tepida ante horam accessionis quotidianæ, vel tertianæ nothæ, amputat eam.

℞. Corticis radicis Tapsiæ. *lib. j.*
Sem. Carthami excorticati. *lib. semis.*
Canellæ.
Assari.
Granorum Catapuliæ excorticatorum,
an. vnc. ij.
Mellis q. s.

Dosis eius est vsq. ad drac. iij. seruatur per annum. crederem hoc Vomitorium esse valde aptū.

Aliud.

Aliud Patriarche, Alius modus Patriarchæ.

℞. Tapsiæ. *lib. iij.*
Assari. *lib. ij.*
Castaneola vomica. *lib. j.*
Canellæ. *vnc. viij.*
Sem. Atriplicis. *lib. j.*
Granorum Catapuliæ excorticatorum. *vnc. iij.*
Gummi Arabici. *vnc. iiij.*
Mellis q. s.

Dosis eius est vsque ad drac. ij. seruatur per annum. hoc videtur aliquanto validius superiore.

Aliud.

Vomitus Scarpellæ Vomitus Scarpellæ probatissimus cōtractis febribus interpolatis post septē accessiones.

℞. Corticis radicis Tapsiæ. *lib. j.*
Sem. Cartami excorticati, *vnc. iiij.*
Auellanæ,
Assari, *an. vnc. iiij.*
Granorum Catapuliæ excorticatorum, *vnc. j.*
Mellis q. s.

Conficitur sic. Tolle lib. semis corticis Tapsiæ, & vnc. ij. tere aliquantulū, & coque cum aqua marina vsq. ad consumptionem medietatis aquæ: deinde commisce aquam colatam cum duabus partibus mellis cocti, & despumati, & coque iterum vsq. ad consumptionem aquæ. quo facto adde Catapusiam cum aliquantulo melle. Deinde adde puluerem specierum, & commisce totum diligenter, & reconde, & si velis adde gummi arabici, & vrticæ. sic ad omnes quotidianarios, & tertianarios, ad superius cum calida, & ad inferius cum frigida. Dosis eius est ad drac. iij. seruatur per annum. Hoc Vomitorium est validum, & crederem post aliquod tempus à compositione esse exhibendum, vt malitia ingredientiū refrāgatur.

Aliud.

Vomitus Andreæ leuis, & suauis, qui purgat omnes humores sine labore, principaliter datus cum calida per superiorem regionem, & cum frigida per inferiorem. Dosis eius est quasi vnc. semis. *Vomitus Andreæ.*

℞. Corticis radicis Tapsiæ. *vnc. ß.*
Carthami excorticati, *vnc. iij.*
Cannellæ,
Gummi Arabici. *an. vnc. j.*
Succi Cucumeris agrestis, *drac. ij.*
Mellis Assari. q. s. ad incorporandum.

Confice sic. ℞. duas partes Mellis, & vnam succi Assari, & fac bullire simul: donec possit bene despumari, quo despumato, & colato incorpora puluerem specierum. denique reseruetur in optimo vase ad vsum per annum.

Ista porrò Vomitoria apud officinas, & Medicos non sunt hoc æuo in vsu, quia vomitum parum vtuntur, & parum ægros curāt. constat tamen ex his Antiquiores Medicos plurimum Vomitu vsos fuisse, quia præparabant Vomitoria in multa dosi, quæ pluribus debebat exhiberi. apud nos modo nullum est frequentius Vomitorium quam Diasarum Fernelij, positum lib. 7. meth. vnde ipsum in suis Antidotarijs reposuerunt Collegium Bergomense, Bertaldus, & alij. plurimique Medici ipsum laudant. *Iudicium.*

Fernelij Vomitorium.

Diasarum Fernelij.

℞. Sy. Menthæ,
Violarum. *an. vnc. viij.*

coquantur ad Mellis crassitiem. sub finem subducto igne, insperge.

Radicis Peponis arefactæ.
Seminum Raphani,
Vrticæ,

Maceratorum in aqua Rosarum, & arefactorum, & tritorum. an. vnc. j.

Radicis Asari contritæ, & cribra. vnc. ij.
Cinnamomi.
Sem. fœniculi vtriusq. an. drac. iij.

confice in Electuarium liquidum.

Dantur drac. iij. ex aqua Hordei, vel mulsa, vel sero lactis.

Commendatur à Fernelio ad omnis generis humores circum Ventriculum, & præcordia exuperantes vomitione ducendos, non continuato; sed ex interuallis facto impetu. Seni, atq. prægnanti tutum, ac facile.

Antidotarium Bergomēse pro rad. Peponum, ponit rad. Melonum. primo autem macerantur semina Raphani, & Vrticæ per 24. horas in aqua Rosarum, tum exiccentur,

vt teri, queant. tunc syrupis coctis ad Mellis spissitudinem in vase terreo, & ab igne, sublato inspergatur puluis ex prædictis.

Aliud.

Vomitorium Heurnij.

Vomitoriū Heurnij. Heurnius lib. 2. meth. ad praxim. cap. 21. hoc refert.

℞. *Brioniæ,*
Ciclaminis. *an, vnc, iij.*
Ellebori albi. *vnc. vj.*

Præparatio chimica. purgentur accuratè, & redigantur in puluerem: leniter siccentur in aere. His affunde aquam Vitæ dum duobus digitis superemineat. Digeratur aliquot diebus in balneo, hinc lente destilletur, dum nil vltra elabatur. Quod restibile fuerit iterum in puluerem redige, & huic extractam aquam iterum committe: id repetatur ter. Plumæ apicem huic liquori immerges, ac vino maluatico elues, quod propinatum illico vomitum irritabit.

Io. Hartmannus in suis adnotationibus in Crollium dicit hoc vomitiuum fuisse Baltas. Cunradini Medici in Styria. Verum ellebori minorem portionem sumit, videlicet. *Hartmanni*

Ellebori. *vnc. j.*
Brioniæ.
Ciclaminis. *an. vnc. ij.*

& in reliquis conueniunt.

Et hæc satis de Medicamentis Vomitorijs, tum simplicibus, tum mixtis, seu compositis. tacendo alias misturas, (quæ possunt esse infinitæ) aliorum scriptorum. sic etiam nos possemus multas compositiones nostro marte inuentas afferre; sed ab alijs relata, tanquā experta, maluimus proponere. *Conclusio.*

Finis Secundi Libri.

EMETICAE PETRI CASTELLI LIBER TERTIVS.

De ijs, quæ sunt agenda ante Vomitum, in Vomitu, & post Vomitum.

PARS PRIMA.

De Agendis ante Vomitum.

Ordo.

AGendi ordo requirit, vt postquam de Vomitu in vniuersali egimus primo libro. & de omnibus medicamentis vomitorijs in vniuersali, lib. 2. descendamus hoc 3. ad particularia, quæ sunt agenda circa ægrotantem, qui Vomitu eget, considerando, quæ sunt agenda ante quam Medicamentum Vomitorium assumatur, tū quæ mox assumpto medicamento, dum operatur, tum denique quæ sunt agenda post Vomitum.

Circa præparationem ad Vomitum debemus primo considerare res non naturales dictas Aerem, Cibum, potum, &c.

De Aere eligendo pro Vomituris.

Caput I.

Cur in Antyciram.

ANtiqui Corcyras mittebant Aegrotantes Veratrum assumpturos, vel quod ibi optimū reperiebatur Veratrum, vel quod Medici ibi optime preparabant, vel quod aer esset idoneus pro vomentibus. profecto Philippus Macedonum Rex Menecrati Medico superbia se Iouem vocanti, vt refert Aelianus de varia Hist. lib. 12. cap. 51. respondit, *Consulo vt ad Antyciram te conferas.* quod repetit etiam Horatius non semel.

Aer eligendus.

Primo autem Aer vniuersalis eligitur nō valde frigidus, proinde nec Aestate, nec Hyeme; nec in regione calidissima, nec in frigidissima. sed debet esse temperatus. Aetius ser. 3. c. 125. *Constitutio*, inquit, *idonea est serena, & calida, & insolata.*

Cubiculum.

Cubiculum vbi manet vomiturus debet habere Aerem tepidum, vt facilius succedat Vomitio. Odores suaues compescunt vomitum, fœtidi vires labefactant, ergo aer à vomituris inspirandus nullo sit præditus odore: post vomitum, vt recreentur spiritus, suaues odores erunt inducendi, floribus, suffumigijs, &c.

Odores.

Melius *Hominem*, inquit, *in domo temperata compone*, non autem frigida, (quoniam frigus humores intro compellit, quos foras ad cutim traxisse fuerit salubrius) neq. item calida, quod calor corpora resoluendo infirmat vires, ac deijcit.

De Vomitu à Cibo.

Cap. II.

Vomitus à cibo.

VOmitu, postquam Cibis fuerit repletus ventriculus sępissime Hippocrates, non raro Galenus, & alij Greci medici, vsi fuere. nec ad sanitatem solummodo conseruandam; sed & ad morbos depellendos, & ad assuefaciendos ægrotantes Helleborum assumpturos ad Vomitum facile ferendum. Et primo in sanis.

In sanis.

Hipp. lib. de salubri Diæta. n. 7. *Qui vero*, inquit, *Graciliores sunt, ac debiliores, à cibis vomitum faciant. hoc modo. Lotus calida prabibat meri heminam, deinde cibos omnigenos edat, & neq. dum cibum assumit, neque à cibo bibat. sed contineat se, donec quatuor stadia quis percurrat: deinde vina tria permixta ipsi in potu offerantur, austerum, dulce, ac acidum* (Triuerius legit acre. Hipp. posuit; αὐστηρὸν, γλυκὺν, καὶ ὀξύν.) *primum quidem meracius, & paulum, & per multum temporis spacium; deinde vero dilutius, & citius, & multum.* multa sunt mistera in his

Hp

Hippocratis verbis, quæ Martianum, Triuerium, Galenum, & alios multum vexarunt.

Difficultas. Alio igitur modo graciles, alio verò Obesi Vomitu vti debent, hi quidem ieiuni, illi verò repleti, sic alio modo fortes, alio debiles. *Lotus calida.* Triuerius *tepida* interpretatur, quia calida ferri nequit. tepida autem non modo ventrem ad vomitum aptum, sed vniuersum corpus insigniter laxat. profectò Galenus, & Martianus censent Hippocratem loqui de Balneo, quod certe calidum non potest esse, sed tepidum. verum ego *Tepida an calida.* considero Hipp. dicere *lotos, & illotos*. & censeo aliud esse lauari, aliud verò balneari, censeo etiam aliud esse tepida, aliud verò calida lauari. vt calidum à tepido potu clare seiunxi lib. 2. huius operis. c. 8. proinde censeo Hipp. velle lotos aspersione calidæ aquæ, non autem detentos in balneo tepido. & licet Galenus in com. dicat. *Calido balneo totum corpus calfit, humores colliquantur, vasa euadunt laxa*. & Martianus. *Balneum præcedens non modo corpus humectat; vnde vomitus facilior consequitur; verum etiam prohibet, ne à vomitus violentia vas aliquod in pectore rumpatur, prohibetq. vlterius, ne ab euacuatione gracile corpus exiccetur nimis*. tamen dico Calidum balneum præstare, quæ Galenus dicit, non autem tepidum. quæ autem profert Martianus tepido conueniunt; nam calidum roborat, tepidum relaxat. quod autem Hipp. diligens fuerit in separanda aqua calida à tepida, patet de inter. affec. n. 21. ad morbum à pituita. *multa calida bis in die lauet*. paulo post. *cum tepida χλιαρῷ aqua temperato*. & 2. de Dieta ad lassitudinem dicit. *oportet in balneo non valde multo, neq. nimis calida lauari*. ecce diligentiam Hipp. circa quantitatem, & qualitatem lotionis. calida igitur lauat Hipp. & multa, non autem pauca tepida, quia hæc relaxat, calida autem roborat. testem habeo Galenum 8. meth. c. 5. vbi ad Ephemeram ex cruditate. *Esto, inquit, abunde calens talium quodq. cum primum imponitur, quippe quæ tepida sunt omnia Ventriculi firmitudinem dissoluunt*. quod repetit Aetius ser. 5. cap. 68. & c. 78. replicat, tepida partium firmitatem exoluere, vnde oportet abunde calida esse, quæ pectori & stomacho in ardente febre imponuntur. ergo primo Hipp. roborat calido lauacro totum corpus, quod post cibum relaxari debet. & iure, quia sunt debiles, & graciles, nec possent ferre vomitum.

Calida, & tepida differunt.

Subdit Hipp. *prabibat meri heminam*. Triuerius tres cyathos. in com. tres Heminas, nec dicit Vini qualitatem, quam alias diligentissime exposuit, vnde dicemus quodcumque vinum merum validum sufficere. & cum Hemina sit mensura decem vnciarum. talis quantitas Vini erit primo assumenda, & si cum Triuerio legeremus chyatos tres, & in comm. tres heminas esset nimia potio. incipit autem à potu Vini meri, quod satietatem inducit. nam *famem Vini potio soluit*. 2. aph. 21. & ex Gal. in com. vinum meracius laxat vasa, humores colliquat, corpus calefacit. alij censent id fieri, vt venter, & stomachus firmentur. sed Triuerius, vt plus bibat vomiturus, nam Merum sitim parit, abstergit à ventriculo pituitam, concoquit, & roborat Ventriculum.

Omnis generis cibos ingerant. alias Hipp. præscribit olera acria, pinguia, dulcia, acida, alias vtitur salsis; sed hic nullum ciborum delectum facit. dummodo sint varij cibi. quod duplici fortasse ratione fecit. vel vt plus ingerant, & copia distendatur ventriculus; nam simplex, & vnius speciei cibus mox saturat. sed variorum ciborum plus assumitur. vel quia varij cibi non eodem tempore concoquuntur, ob id minori negotio euomuntur, sic facilitatur vomitus. qui alias molestus est gracilibus, in hyeme, in qua hic vult esse faciendum vomitum. nam sect. 3. aph. 6. *Graciles, & facile vomentes sursum purgare oportet vitantes hyemem*. vnde si Graciles licet facile vomentes, debent vitare hyemem. iure Hipp. facit tantam præparationem; ne lædantur à vomitu in hyeme. Gal. in com. *forte verò, ex cibis illis præscriptis diuersis qualitatib. vt hi ventrem confirment, illi vomitum irritent; alij succos abstergant impactos.* Sed nos debemus explicare Hipp. ex Hipp. qui 2. de Dieta in fine ait. *Corpus enim resiccatum, ab ingestis omnigenis edulijs, id, quod conducibile sibi ipsi est, sumit, vnumquodq. pars de singulis cibis; repletum autem, & humectatum; adeo per Vomitum euacuata, rursus excessum remittit. Aluus autem vacua existens reuellit, &c.*

Neq. dum cibum assumit, &c. primo Hipp. exhibet vinum in bona copia potandum: deinde dum comedit, prohibet omnino potum. vel ne cibi statim supernatent, vt censuit Gal. vel vt tempus nutritioni detur. Verum hoc, Triuerius inane esse, iure scripsit. quum non tam facile sequatur nutritio. sed dum subdit. *Ergo id temporis potius conceditur humorum in ventre concoctioni: neq. enim satis est merum in ventre fuisse: sed ipsum oportet humores incidere, abstergere, extenuare. Atq. vt hoc fiat, tempore indiget*: non placuit, quia si fieri ex ipso nequit nutritio breui tempore, neq. fiet concoctio, & actiones, quas memorat, dicentur præparationes, non concoctiones. Martianus ita sensit. *Potum verò prohibet inter cibum, quippe qui ciborum permixtionem accelerando præfatam turbationem minuere posset; potus enim cum cibis assumptus eos liquidiores reddit: vnde citius permiscentur simul*: neq. hoc mihi arridet. quia Hipp. non vult istam turbationem ab abstinentia potus; sed hanc postea inducet, à triplici, & copioso vino. melius mox subdit Martianus. *Addo etiam cibis solidioribus pituitam, aliosq. humores facilius inuolui, & admisceri, itaut cum eis extrahi possint facilius*: melius inquam; sed non optime. quia si præsumpsit

Expositiones variæ.

Melior expositio.

sumpsit

ſumpſit heminam Vini, pituita & alij humores vino ſunt diluti, & iam cibis commiſti, vnde aliquo tempore non eget. Ego cenſeo continere hominem à cibo ſine potu per aliquod tempus, vt magis poſtea bibat. & patet experientia, nam ſi quis plurimum cibi aſſumpſerit ſine potu, & à cibo ſine potu extiterit, rationabile eſt, augêri ſitim, & iſtum mox auide potaturum.

Noſtra ſententia.

Sed cōtineat ſe, donec quatuor ſtadia quis progrediatur, &c. Triuerius cenſet quatuor ſtadia hoc eſt dimidium, & paruum miliare pertrāſiri ſeſqui hora. ſed ſi *Stadium* eſt octaua mille paſſuum pars. ſeu centū viginti quinque noſtri paſſus. ideſt.. pedes noſtri 624. breuis erit tempus. ita quatuor ſtadia erunt dimidium miliare. At vna hora pedes conficit tria Miliaria i. ſex ſemimiliaria. & Hipp. requirer tempus inter horæ quadrantem, & ſemiquadrantem, & decipitur Triuerius cēſens eſſe tempus *vnius ſeſqui horæ*. quum nec ſit ſemi hora. nec etiam quadrans horæ; ſed ſexta tantum horæ particula.

De ſtadio.

Deinde Vina tria permiſta, &c. Galenus dicit diuinatores ſentire. *Auſterum ipſum adminiſtrare ob inſtrumentorum, per quæ vomitur, robur: dulce, vt vomitum concitet, ad hæc quod fundat humores dulce vinum; acidum, vt abſtergat, quæ ventri ſunt infixa.* Triuerius primo reprehendit Galenum vt negligentem in reddenda huius cauſa, deinde iactatur, ſe cauſam inueniſſe. ſed mihi cecutiſſe videtur, audiamus ipſum. *Polybus*, inquit, *non ſcripſit, Vina diuerſa; ſed dixit diligenter, primum auſtero, poſtea dulci, demum acri.* ſed phyſicus Triuerius cæcutiuit, nec diligenter legit verba Polybi, qui non dixit primo, ſecundo, & tertio loco eſſe bibenda illa vina. *Sed vinis tribus commiſtis vtendum eſt.* nec, dum in Vaſe aliquo miſcentur requiritur ordo. vnde ſi commiſta bibuntur non poſſunt ſecundum ordinem aſſumi; errat etiam, quia pro Vino acido, legit acre, quod eſt calidum. deinde Triuerius conatur reddere rationem, cur primo aſſumendū Vinum auſterum. nempe, quia vt ſiccum minus ſtomachum exoluit, nec ſitim extinguit, & locum alteri relinquit. 2. aſſumendum dulce, & dilutum, vt pote humidum, veruntamen ſua dulcedine nonnihil labefactat, nec tamen ſufficienter ventrem ſuperiorē prouocat. Tertio acre adijcit, id enim ſtomachum excitat, & quaſi expulſionis admonet. Verum hæc non merentur conſiderationem, quia falſo fundamento innixa, hæc ſimul miſceat, vt ſimul agant, non autem ſeparatim exhibet, vt ſeparatim agant.

Galeni neglectus.

Triuerij iactantia.

Refellitur.

Primum meracius, &c. hic alia difficultas vexat interpretes. Galenus enim hic fatetur, ſe multos interpretes legiſſe, potius diuinantes Hipp. mentem, quam proferentes. cur primum meracius? an *ne vires hominum gracilium proſternat, ideo primum eos confirmat, ac mox ad eientia vomitus progreditur?* Veruntamen, inquit Galenus, ad vires conſtituendas tempus, quod à cibo ſumpto dabatur, ſatis erat. an primo conatur retinere, & concoquere alimentum, deinde vomitum prouocare? Galeno id videtur abſonum. Mihi autem videtur hæc omnia ab Hipp. dici potius experientia, quam ratione probata. tria vina diuerſi ſaporis miſta ſimul turbant ventriculum, non dum potantur; ſed quando vētriculum alterare incipiunt. meracius vinū ſitim parit, in minori autem quantitate, & paulatim aſſumptū plus aſſumitur, & magis penetrat, vt parua pluuia profundius penetrat terram, quam impetuoſa. & dilutius aſſatim, & copioſius magis ſatiat, & ſitim extinguit, ſatiato ventriculo vomitus facilior ſuccedit.

Alia difficultas.

Cur tria vina.

Cur meracius.

Præterea idem auctor nu. 22. ita docuit. *Quibuſcumq. verò commodum eſt reuomere cibos, aut quibus alui non probum tranſitum habent, his omnibus conducit, ſæpe in die commedere, & omnis generis edulijs vti, & obſonijs varijs modis præparatis Vinumq. bibere duplex, aut triplex. quibus vero vomitus non conuenit, & venter humidus eſt, illis contraria facienda ſunt.* Experientia igitur nouit Hipp. quod varios cibos, & varia Vina aſſumere, conducit, tum ad vomitum, tū ad aluum prorritandam. & ratio eſt, quia contraria, contrarium faciunt, vnicus cibus, vnicum vinum, nec vomitum, nec aluum irritat. vnica aſſumptio alimenti facit, vt melius retineatur. ergo multiplex cibus, triplex Vinum & replicata commeſtio dilatant, relaxant, & ad vomitum diſponunt ventriculum, nec etiam aluum relaxant.

Ratio à contrario.

Hipp. 3. de Diæta. n. 3. *Hyeme*, inquit, *vtendum vomitib. à cibis omnis generis, à vomitibus ſenſim perueniendum eſt ad conſuetum cibum per tres dies, eoq. tempore laboribus leuioribus, ac paucioribus vtendum; à bubalis autem, & porcinis carnibus, aut alijs quicquid tandem modum exceſſerit, repletus vomat, & à caſeoſis, & dulcibus, ac pinguibus, eum, qui non eſt adſuetus repleri, vomere conducit, & ab ebrietate, ac ciborum mutatione, & regionum alteratione vomendum eſt.* Paulus autem lib. 1. cap. 42. cum Gal. 1. de Hum. 12. ſcripſit. *Qui ſibi eſſe vomendum propoſuerit, ſpectare debes, ne quibus veſcitur, aut acerba, aut arida ſint; ſed tum dulciora, tum liquidiora, tum deniq. acriora. euiuſmodi ſunt Raphanus, Eruca, Vetus ſalſamentum, Origanum viride, modicum cepæ, aut porri, puſana ex leguminibus confecta, & quæ mel mixtum habent, fercula ex fabis, vel ipſa integra deuoratæ, carnes pinguiores. è Vinis eligenda ſunt dulciora, cauſa eſt, quia ea magis ſuperfluitant, ac magis etiam ſi ſint, quam conſueuerunt, dilutiora. Non debet autem is, qui ad vomitum incitatus eſt, cogi, vt omnia accurate vomat; ſed vbi ſatis ſit euacuatus, tunc ceſſandum eſt, eumq. tantum vomuerit, quantum eſſe conſentaneum videatur, tum ventriculum, ceu vas quoddam lauet aquæ mulſæ potu, aut magna vi aquæ, & iterum vomat.* addit Paulus Aegineta. *Vomiturus*

Vomitus Hyemalis.

Aetius ſer. 3. c. 19.

turus non diu in mandendis cibis immorabitur, satis sit per coctionem mollia, flaccidaq. confert etiam Amigdalas melli intinctas commedere, ac placentas gustare; item Peponis, & cucumeris semen maceratum, detritumq. cum melle assumere, à Vomitu os colluat, faciemq. posca.

Quid agendum. Ex quibus colligemus ad Vomitum facilitandum in sanis, vt præseruentur à morbis, præcedere debere cibos omnigenos, dulces, acres, salsos, & varijs modis conditos, tum vt plus eorum deuoretur, tum vero, vt varietate satiatus ventriculus minus eos amplectatur.

Circa Cibos Igitur eliguntur ex Herbis, Olera acria, insipida, acida, dulcia, vt Beta, Brassica, Spinacia, Eruca, Nasturtium, Malua, Sinapi folia tenera, Origanum viride,

Ex radicibus, Raphanus, Rapa cum melle, & aceto; Cæpa, Porrum, Allium viride multum.

Ex fructibus, Ficus, Amigdalæ melle tinctæ, Cucurbitæ.

Ex seminibus, Fabæ, Phaseoli, Lenticula, & eorum ius. Ptisana ex leguminibus, ex hordeo confecta, cum melle. Cucumeris semen maceratum cum melle. Panis vetus exassatus, Placenta, Mellita pinguis. Maza ex oleo, & melle subacta, panis ex farina castanearum.

Ex carnibus, pingues, bubulæ, porcinæ, varijs modis conditæ, cum axungia; &c.

Ex piscibus salsamenta vetera.

Ex potabilibus, Vinum dulce, aliàs triplex austerum, dulce, acidum, aliquando merum præpotatum, aliquando vero plus solito dilutum, vel affatim post cibum, vel sæpe cum cibo, semper copiosius. Aqua tepida, Aqua Hordei, lenticulæ, faseolorum.

Quantum. In multa quantitate cibus debet assumi, vt Ventriculus repletus distendatur, & facilius expultrici cedat.

Quando. Aliquando in comedendo non bibat; sed post horæ quadrantem: alias sæpe bibere cũ cibis. aliquando etiã sæpe in die comedere.

Quomodo. Iubet Hipp. vt quandoq. bibant primo paulatim, & longo tẽporis interuallo: deinde celerius, & affatim, alias vult, vt bibat inter cibum frequenter, & quum cænabit, pocula large exhauriat, & dormiat parum, tum magno vini poculo epoto cum tepida aqua temperato vomat. circa manducationem nonnunquam consulit Hipp. esse parum immorandum, nonnunquam verò, vt longo tempore immoretur in cibis manducandis, & donec repletus fuerit. quod facit ob diuersas causas. Præterea eligit Hipp. cibos omnigenos, & varijs condimentis præparatos, tum vt plus ciborum assumatur, tum, vt natura varietate satiata, & eorum inæquali coctione molestata, eos facilius expellat, & minus retineat, vt nuper dixi.

De Vomitu in ægrotantibus post cibum.

Sectio II.

Non modo sani vomitu post cænã à morbis præseruantur, sed ab ijs detẽti eo curantur, siquidem Hipp. de int. aff. n. 21. ad morbum à pituita. Vomitus; inquit, post cibum facere oportet per duos, aut tres dies, itaut, & prandeat, & insuper quiescat. *Primum multa calida lauetur, quum vomitum facere voluerit, & edat Mazam oleo, & melle subactum, & panem exassatum veterem. hæc enim magis pituitam trahent. Obsonijs autem vtatur, & oleribus acribus; sed & pinguia, & dulcia, & acida omnia idonea sunt, vt permista assumantur; & oleribus omnibus viridibus vtatur, & bibat inter cibum frequenter modicum vinum dulce, & in fine placentam insuper edat, & mel, & ficus, & quum cænabit, pocula large exhauriat, & vbi iam repletus fuerit, parum dormiat, deinde experrectus vomat, magno vini poculo epoto, cum tepida aqua temperato, &c.* *Ad morbũ pituitosum.*

Hipp. 2. de Diæta ad lassitudinem, scriptũ reliquit. *Oportet autem primum quidem ipsum in balneo non valde multo, neq. nimis calido lauari, deinde exhibito à balneo molli vino in cæna offerre plurima, & omnigena edulia, & potu aquoso, vino vero molli, ac multo vti; postea longo tempore his immoretur, donec venæ repletæ attollantur: deinde verò vomat, & post modicam stationem molliter dormiat, &c.* reliquis considerandis alio loco hic omissis: consideremus tantum Hipp. requirere *plurima; & omnigena edulia.* nec non etiam *plurimum vinum molle.* *Ad lassitudinem.*

Deinde 3. de Diæta. ait, n. 8. in præparatis ad morbum. *calida lotum, cibis omnigenis expleto, ac vomere facito.* & n. 10. deinde, subdit, *à multis ingestis cibis primo quidem acribus, ac plurimis; deinde salsis, probe vomere faciemus.* tum n. 11. *Si verò,* inquit, *medicamentum bibere nolit, multa calida lotus à cibis dulcibus, ac salsis vomat.* præterea in morbo altero simili Ileo. scribit, *Vomitum faciat à dulcibus, & pinguibus, ac salsis, hisq. plurimis. moretur autem plurimum tempus in cibis vsq. ad vomitum.* libro autem de Insomnijs. n. 5. ita docuit. *vtatur Vomitu ab acribus, & salsuginosis, ac mollibus cibis.* præterea 2. de Morbis. n. 47. in Tabe. *A cibis vomitu vtatur.* & n. 53. in Erisip. Pulm. *A lenticula decocto, & à cibis vomat.* Ad Diarrheam ex multo cibo, & potu, ait. *Si verò non cessat, velis autem sedare, Vomitum à cibo, aut lenticula decocto facito, & confestim sursum reuelletur infernus secessus.* Deinde ad primam, secundam, & tertiam Tabis speciem, scriptum voluit. *Vomitum à cibis facere cogito.* *Ad præparatos ad morbum.* *In Ileo.* *In Tabe.* *In Erisipel. Pulm.* *Ad Diarrheam.*

Hipp. 2. de Morb. n. 15. ait. Vomitibus vtatur. pariter 3. de diæta n. 19. in diarrhea quadam. & n. 20. in siccitate alui præuia ad Ileum.

Et primo de Mor. Mul. n. 25. ad menses pituitosos. & n. 91. ad tenues Vteri [illegible]ones. *Ad Vteri fluxiones.*

scripsit. *Quum verò vomitum preparas multis, & acribus oleribus opus habes, quibus ipsam impleas, multis etiam cibis, & obsonio quodcumq. voluerit, & vt impleas ipsam multo vino aquoso, &c.* & nu. 101. vt Mulier in ventre concipiat. deinde Vteri ad coxam decurrerint. Vomitu à cibis vtitur. & alibi etiam commendat Vomitum à cibis, pro varijs morbis curandis.

Priscianus. Theodorus Priscianus ad Timot. lib. 2. ad dolorem capitis. *Post cibos*, inquit, *Vomitus prouocandus*. & pro Artriticis. ait. *Vomitus hos non longa per interualla multum iuuat, aliquādo post consuetos cibos*.

Soranus. & Soranus Ephesius. c. 7. de pectoris curatione. *Succurrit si quis post cænam plenus cibum, & potum maxime dulcem vomat, & materiā simul phlegmatis, & fellis emittat: sed sic vt ante Raphani radices minutas edat, idem Nasturtium, & Sinapi folia terna, atq. herba Ruta pariter trita sumenda accipiat. deinde aquam tepidam superbibat, & sic prouocet Vomitum, tunc ille humor noxius, qui vel amarus, vel salsus sentitur, reiectus plurimum subleuat. Certe si non potest vomere, ne stomachus lædatur, ieiunet die tota, & si necesse fuerit, & alia, vsq. dum humores malos conficiat, quia assiduè vomendo, solet stomachus corrumpi.*

Raphanus. Laudant Plurimi Raphanos, sic Aetius ser. 3. c. 119. *Dandi verò sunt Raphani ieiunis, qui tædium tulerunt, & à cæna prius vomuerunt. Sint autem Raphani valde acres, & secentur in tenues laminas, macerentur autem hæc frustula à Vespera in Aceto, & Melle, edat autem vomiturus ex his magnam copiā, & assidue superingerat Oximel. Deinde ad horas duas lente deambulet, & plurima aqua tepida hausta vomat, per digiti, aut pennæ irritamentum.*

Aurelianus contra Vomentes. Sed contra hunc vsum sæpius vomendi à cibis insurgit Methodicus auctor Cæl. Aurelianus lib. 5. c. 12. de Priapismo. vbi, *Aliqui*, inquit, *vomitum adhibendum volunt post Vespertinum Vinum*. deinde ait. *Vomitus post cibum vires tollunt, & quanquam corpori detrahant carnem, implent tamen necessariò caput*, (vapore non humore, vt lib. primo diximus) *atq. sensuales vias vexant, & gingiuas in putredinem mittunt, atq. os odore fædant, retrò stomachum limant, & ipsum hominem sibi met faciunt displicere: nam Græci dysarestesin vocant, cum inæqualitate febrili vicina. Est etiam improprium, atq. praua ratione æstimatum, ob corruptionem paruorum maiores corporis vexationes inferre. Sed si forte Vinorum fuerit excessa moderatio, tunc erit Vomitus adhibendus, eius enim vexatione maior est immodicæ sumptionis grauatio.* Sed vsus Vomitus laudandus, abusus vero vituperandus.

De Vomitu ex cibo in ordine ad Helleborum.
Sect. III.

Præparatio ad Elleb. IN præsenti considerandum à nobis est, quod pertinet ad assumptionē cibi pro assuefaciendo ægrotante ad Vomitum ab Helleboro, 2. quod pertinet ad cibum simul cū Elleboro sumptum. & iam quidem notum est, quod Hipp. antequam præberet Veratrum, ægrum ad Vomitum assuefacere tentabat, & hunc fuisse imitatos Antiquos.

Aetius. proinde Aetius ser. 3. cap. 127. *Victus ratio*, inquit, *accuratissima constituenda est his, qui Veratro purgandi sunt, attenuatis enim corporibus non citra periculum exhibetur. Diebus tribus antea abstineant à carnibus, aut reliquis crassi succi edulijs, ac potibus. Assuefaciant autem se ipsos ad Vomitū & ter, aut quater prius vomant à cæna, & aluus subducatur.*

Oribasius. Oribasius 7. collect. cap. vltimo ex Rufo. scriptum ita reliquit. De ijs autem, quæ purgationem antecedunt, sic statuendum est. Cum tibi Veratrum dandum esse videatur. Victus ratio est instituenda, ea vero est, vt qui difficulter vomant, ad vomitū assuefiant, tum spectandum est totius habitus robur. quia si qua re alia, robore præsertim ad hoc medicamentum opus est, at vomere, & à cæna, & ieiuni, & ex Origano, & ex Hyssopo, & ex Raphano, & ex Eruca poterunt: nec debebunt diutius vomitibus extenuari. satis enim erit, vt qui facilius vomit, ter euomat, primum à cæna, post ieiunus, postremum ex Raphano, aut aliquo ex ijs, quæ nunc memorauimus, ac magis etiā pituitoso, quam bilioso, vomitus à cæna cōuenit, tum biduum, aut triduum à vomitu intermittere. At qui difficulter vomit, longiore temporis spatio, & pluribus diebus assuefaciendus est: cum verò proximè ad sumendum medicamentū accesserit, frequentius vomere, debebit, post vltimum vomitum vnum diem intermittere, antequam Veratrum sumat. quo die clystere vacuetur, tū lauetur, tum exiguo cibo nutriatur, sequenti die Veratrum dandum, vbi placida vnctione ex Oleo vsi fuerimus.

Ex Archigene. Præterea lib. 8. c. 1. ex Archigene. inquit. Qui sumpturi sunt Elleborum, præparari debent, vt corpore robusto, & animo constāti sint, vt eorum humores ad fluēdum, ipsiq. ad vomendum faciles reddantur. Ne igitur superiora loca vitientur, venter est prius inaniendus, vt iam docui, post vero quatuor, aut quinque dierum refectionem, vomitus

Luna desinente. à cæna Luna desinente citatur, & transactis quinque diebus, alius vomitus citetur, & in mensis incremento corpus iterum erit reficiendum, tum aluo emollita, factaq. excretione, duo, aut tres vomitus à cæna, ita prouocantur, vt tertio quoque die singuli moueantur, atq. id sub lunam desinentem, vbi

autem ea inclinauerit, Raphanis vomitus prouocabitur, vt post vigesimam primam diem Elleborus detur. Qui verò mediocriter sit affectus, ita est regendus, vt accomodatus fiat, vt ad Vomitum proclinis reddatur, vt humores eius non crassi ex concretione fiant, vt ipse bono animo sit, vt elatamente vomitui à cœna sufficiat, commoto paululum ventre, & post triduum, aut quatriduum ex Raphanis vomitum cieat; vno vero, aut duobus diebus post, Elleborus detur; neq. maxime contraria censenda erunt. vt multi vomitus à cœna prouocentur, multæque attractiones ad inferna partes fiant, multiq. ex raphanis vomitus concitentur, ac deinde Elleborus detur. & hactenus Oribasius. ex Antiquis excerpsit.

Obiectio contra nos. Si quis obijceret me frustra ex Antiquis transcribere præparationes ad Helleborum assumendum, quia hoc aui nemo Helleboro Antiquorum more vtitur.

Defensio nostra. Respondeo me hæc scribere non vulgaribus, & negligentibus medicis; sed studiosis, & qui, quæ agunt, cum ratione se agere cupiunt: vnde considerando Antiquorum miram diligentiam in Helleboro dando, qui quidem vehementia omnia superat medicamenta, possumt etiam, & debent esse diligentes in medicamentis vomitorijs metallicis exhibendis. quę licet mitissime agere quandoque videantur: tamen decipiunt, & aegerum viuum post purgationem in corpore relinquit frequentia animi deliquia, inducit genuum imbecillitatem, corporis lassitudinem, atrophiam, & longissimam conualescentiam, vnde qui curantur ex metallicis medicamentis, post aliquod tempus, ob relictam in visceribus maculam, in peiora incidūt symptomata. quod ex Elleboro assumpto non accidit. nam post suam euacuationē nihil mali occulti in corpore relinquit. nec vitecera labefactat. nihi autem molestum esse Veratrum videtur, non nisi quia educit humores crassissimos, viscidissimos, & simul adhærentes, ob id in actu Vomitus actio fit molestissima; quare nos sequemur nostrum institutum.

Vomitoria cum cibis. Et diccmus sæpe Elleborum sumi cum cibo, & ita etiam cum cibo sumi posse alia vomitoria, & nos dedimus vtiliter. Hipp. 5. in 6. Epid. 29. *Veratrum epotum si celerius purgare vis, lauare, aut cibum sumere oportet.* & Galenus in com. *Cibum sumere, aut eo scilicet tempore, quo & Veratrum homo deuorauit, aut etiam in superiore victus ratione, vtuis, & illud quoddam propositum esse dicebamus, attenuate, videlicet succos, & crassiores humoribus in ventrem descendentibus expedire, in illis enim verbis, fluxa facere, quod in Aphorismis præcepit; hæc continentur.*

Contra Galenum. sed pace Galeni hic non rectè interpretatur Hipp. qui clare dixit, vt *celerius Veratrum purget*, esse *cibum sumendum*. non vt attenuentur humores, non vt viæ expediantur, quæ fieri nequeunt assumpto cibo, sed potius contrarium, idest incrassare humores, & obstruere vias. nec id intellexit Hipp. per fluxa facere. nec hic Hipp. voluit *superiorem victus rationē.* sed cibum solitum manducatum post Veratrum assumptum. quia cum expellitur cibi minus viscidi, cum ipsis educitur etiam viscida pituita admista. Dioscorides; *Dant,* inquit, *nonnulli in pultis sorbitione, aut copioso* *Ex Diosco.* *lenticulæ cremore, aut paucum antea cibum dari præcipientes, statim Veratrum offerunt, ijs præsertim, quibus strangulatus suspicio imminet, aut si valetudo corporis infirmat, hoc enim modo deiectio nihil periculi minatur, quod cibo mansis non intempestiue medicamentum corporibus offertur*, idem refert Actuarius.

Et Serapio ait. *Aeger sumat primo cibum aliquem ante, deinde sumat cum pulenta.* & legetur quæ ho. 2. cap. de Veratro diximus. Aduertas autem, quod cibus dari potest etiā cum alijs vomitorijs eadem ratione. sic Dioscorides de Thapsia. *Detur, inquit, in cibo, vel obsonio, quibus difficile est Vomere*, patet ergo dari vomitoria cum cibo ad facilitandum Vomitum.

De Vomitu excitando in Ieiunis. Cap. III.

Hipp. duplici modo vomitum fieri iubet, ante cibum, vel post cibum. superiori capite, cum eodem Hipp. de Vomitu post cibū loquuti fuimus, in hoc autem de Vomitu ante cibum verba facturi sumus, & quidem videmus plurimos medicaméta vomitoria, vtpote ex Antimonio, & alijs similibus ieiunos exhibētes sumere. sed in rei veritate facilior est vomitus post cibū. tamē Hipp. libro de salubri diæta n. 10. in sanis corporibus distinguit hanc operationem secundum uires, & corporum habitus, docens eos, qui ieiuni, *Ieiuni vomāt obesi.* & qui cibati uomere debent. Et quidem graciles, & imbecilliores, cibo prius repletos humectat, & roborat, mox uomitum excitat, e contra uerò obesos, validos, & facile uomentes, ieiunos uomere iubet, & illorū quidem paucitatem uirium cibo, & uini potu roborare cōnatur, quarum in gracilibus ex Galeno, maximam rationem habere cōuenit, Aliorum uerò ualidas uires non roborat, sed corpus excalefacere conatur fame, & labore, ut succus pituitosus, quo plurimo crassi abundant, liquescat. Quin etiam uasorum omnium apertio, & angustiorum meatuum raritas, hac maxime ratione paratur, quæ omnia ad facilem, minimeque molestum uomitum faciunt. scripsit autem Hipp. *Quicunq. homines crassi, & pingues sunt, & non graciles; ieiuni vomāt à cursu, aut ambulatione celeri, iuxta meridiem.* & contrarium dixerat de gracilibus. Si ergo ad sanitatem

tem tuendam pingues uti debent uomitu ieiuni existentes, quia, ut faciles ad uomitum non ægēt præhumectatione, vti graciles, nec roboratione, vt imbecilles, iure quæres, an morbo affecti eadem conditione vomere debeant.

Quæsitum. Profectò Hipp. 2. de Morb. n. 15. in aqua in cerebro, cum febre, doloribus, & varijs symptomatibus, primo purgat sursum, deinde deorsum, tum reficit cibis, & tandem ait,
In aqua in cerebro. *Postquam verò comederit iam cibos sufficiēter, Vomitibus ieiunus vtatur.* hic æger debet per plures dies roborari cibis, quando verò fuerit cibis refectus, & validus factus, tunc Hippocrates ieiuno, vt pote, valido, Vomitum imperat. ergo ægroto valido conuenit Vomitus ante cibum. qui nec sit gracilis, nec difficile vomens.

Oppositio. Sed contra Hipp. 4. aph. 6. *Graciles, & facile Vomentes, sursum purgare oportet, vitantes hyemem.* & aph. 7. ait. *Difficulter vomentes, & moderate carnosos deorsum, vitantes æstatem.* ecce quod graciles sunt faciliores ad Vomitum, quam carnosi; vnde si sunt faciliores, possunt etiam ieiuni vomere, & non egent cibo ad facilitandum vomitum. sed crassi nō debent vomere, quia difficilius ferunt vomitum. ergo hi, si debeant vomere, erunt potius adiuuandi cibis.

Solutio. Resp. aliud esse loqui de Gracilibus facile vomentib. aliud vero de ijsdem difficulter vomentibus. Hipp. in Aph. loquitur de Gracilibus facile vomentibus. in lib. de sal. diæta, sermonem habet de gracilibus debilibus, & difficulter vomentibus. quare in his humectandum corpus, roboranda virtus, & facilitandus est vomitus, cibis assumptis. cuius in facile vomente non est opus. vnde his conuenit Vomitus in æstate, quando bilis abundat. sic etiam in Aph. loquitur de Carnosis difficulter vomentibus. at lib. cit. de diæta, de crassis facile vomentibus.

Brasau. 4. aph. 13. videtur dicere. Si à remotis partibus tractione indigueris, ipsum sine cibo dare nihil impedit. aliter à remotis partib. non ita trahit. Quum vero à propinquis partibus ducere cupis, aut cum re, quæ naturam cibi habeat prebe, aut post cibum, aut in tali hora in qua ventriculus vacuus non sit. idem de alijs similibus medicamētis.

Præterea 2. de Mor. Mul. n. 3. Si cachexia post cessatas viten fluxiones accidat. *Talibus,* inquit. *si robusta fuerint, vomitus ciere oportet ieiunis.* ergo qui ieiuni vomere debēt, debent esse robustiores: & hac fortasse ratione 2. de Morb. n. 39. in Quartana Hippocrates ait. *Quum verò exacerbatio ipsum inuaserit, ieiunus medicamentum vt bibat.* & iam scimus nos. *in Accessionibus abstinere oportet &c.* & hic videtur velle in exacerbatione non debere esse ieiunum, ergo cibum sumpsisse. Verum melior sententia mihi videtur, asserens cibum in accessione non dari nutritionis gratia, sed ad facilitandam humoris crassi, viscidi, & in accessione commoti eductionem, præsupponit enim Hipp. Virum firmum, & se veluti sanum esse putantem, ergo nō erit vt debilis roborandus cibo. sed cibo erit abstergentius Ventriculus. iure igitur Sabus scribit. in Accessionibus abstinēdum esse, præterquam si vomitus pharmaco excitari debet. Nam cum in quartana peccet segnis, & crassa materia, quæ commotioni medicamentorum valde reluctatur, ea illo tempore, quo agitatur à natura, & à putredine alteratur, euacuāda erit. Quod cum sit tempore exacerbationis, eo tempore etiam erit euacuanda. & quia materia crassa, & viscida facile miscetur cum cibis, & ita mista facilius cū cibis euomitur, ideo post cibum Vomitoria sumenda, non autem à ieiunis, nonne difficilis vomitus Melancholiæ? hæc profectò in Quartana peccat, ergo hæc educenda. sed in ieiunis difficile euellitur, ergo ieiunis non dandum medicamentum vomitorium in Quartana.

De Exercitio, & Quiete ante Vomitum.
Cap. IV.

SVnt quidem contraria corporum motus, & quies: quod tamen vtrunq. Medicus Veratrum, vel aliud medicamētum vomitorium exhibiturus, diligenter considerare debet. & quidem quies ante Vomitum, motus in vomitu, & quies post Vomitum conuenire, videntur ex Aphorismis 13. 14. & 15. sectionis 4. & lib. de Veratri vsu. Tamē non modo quies; sed etiam motus aliquando ante Vomitum suum locum habent.

Et primo quidem, *Quies* sæpe ante vomitū ad ipsum confert. ita docente Hipp. 4. Aph. cit. 13. *His, qui non facile sursum purgantur, ante potionem corpora præhumectare oportet, uberiore cibo, & quiete.* Ergo quies ante Veratri potum est adhibenda: vt corpus humectetur, & inde facilior succedat vomitio; & Gal. in com. *De quiete quidem clarum est, sicuti enim exercitia sunt apta naturæ exiccare; sic quies (quæ ocium est, & ab exercitatione vacatio) seruat humiditatem,* sed prius Hipp. 2. de Diæta. 24. *Segnities, ac Ocium humectat, & corpus debile facit, anima enim quiescens humiditatem ex corpore non consumit. labor siccat, & corpus robustum facit.* & Mercurialis difficile intelligit, cur fiat, vt quies ipsa solum humectet, quia non exiccat. Nam potius quies humectat, quia retinentur excrementa illa, quæ motu euacuantur, quibusq. accumulatis planè humectantur corpora. ita enim esse declarant corpora in longa quiete, vt in carceribus detenta, in quibus ob humorum redundantiā pedes, ac vniuersa corpora inflantur, & tumescunt, ita vt indigeant purgatione. Verū

De Quiete ante Vomitum.

Mercurialis sententia.

secun-

secundum Mercurialis sententiam quies replet, & humectat corpus superflua humiditate, vt senes sunt humiditate excrementitia humidi, & sic possemus hoc modo dicere senectutem humectare corpora, cum verè exiccet; at secundum Galenum, illud humectabit, quod non aufert propriam humiditatem, illud me diuitem faciet, quod non tollit meam diuitiam. sed ego dicerem potius permittere me esse diuitem, non autem conseruare meas diuitias, multo minus addere, quare si quies humectat corpus, quia non siccat, erit humectatio per accidens, vt Galen. fatetur loc. cit. Ergo dicerem, Quietem positiue, & per se humectare corpora, quia; in quiete pinguedo generatur, quæ corpora humida facit; in quiete actiones concoctrices, & attractrices membrorum melius fiunt; vnde partes melius nutriuntur, & pinguescunt. in quiete humiditas attracta assimilatur, & non resoluitur; vnde quies per se humectat corpora, ut facit nox. si dixeris, Quietem ex Auicenna sufficient. lib. 2. c. 13. esse motus priuationem in eo, quod moueri solet. sic Plotinus Enn. 6. lib. 3. c. 27. ait. *Quies cum sit priuatio quadam, non est aliquod per se genus, motus autem non est priuatio simpliciter quietis; sed est actus efficax auferens aliquid, atq. afferens.* quare cum essentia quietis uideatur consistere in priuatione, non licet dicere Quietem agere, sed pati, ita nec quietem humectare; sed nō siccare, non agere. & tamen cum Nox sit priuatio luminis solis, seu umbra terræ, alterat omnia suis proprijs qualitatibus positiue, non autem priuatiue. sic quies debet habere suas proprias qualitates ut nox, nempe frigidas: & si sæpe requiritur quies, hæc nō requiritur solum ut cessatio motus, sed ut restauratio eius, quod ex motu deperditum fuit. sed restaurare, est agere, non autem pati, & restauratio, i. humiditatis consumptæ additio, fit alteratione, & actione, non autem passione, & priuatione aliqua; sed positione humidi. sic Hipp. docuit 2. de Diæta. n. 21. *Vmbra, & frigus moderate humectant, dant enim magis quam, accipiunt.* sed Vmbra est priuatio lucis; frigus uero priuatio caloris. sed hæc philosophica sunt. siue igitur Quies per se, siue per accidens corpora humectet, sat nobis est cum Hipp. scire; quod corpora sufficienter humectet, pro assumptione Veratri.

Motus ante Vomitum. Exercebat etiam Hippocrates non rarò homines præparatoriè ad Vomitum, cuius plurima apud ipsum habemus exempla. sic lib. de sal. diæta. n. 10. *Homines obesi ieiuni uomant. currendo, aut celeriter eundo meridie.* scilicet post cursum, aut ambulationem citam in meridie. rationem reddit Gal. com. 17. quia obesi, & crassi plurimo crasso, pituitosoque succo abundant, qui excalefactus cursu, uel celeri ambulatione, in meridie, (quando sol magis calefacit; unde corpora maxime excalefiunt) ualde liquescit, & funditur. adde quod corpore excalefacto, vasa aperiuntur, quæ à crasso succo erant obstructa, & angusti meatus rari fiunt. sic facilis redditur postea Vomitus.

Eodem modo 3. de Diæta. nu. 8. vbi cibi superant labores. ait. *Exercitatum in consuetis exercitijs citra lassitudinem calidaq. lotum, cibis omnigenis expleto, ac vomere facito.* & 2. de morb. 53. in erisipelate Pulmon. *Vbi hominem exercueris, & aqua tepida laueris, calidum hoc bibendum prabeto, &c. deinde vomat, &c.* & de inter. affect. n. 7. in inflam. pulm. ad Vomitum excitandum. *Bibat autem hac, inquit, exercitatus si fieri poterit. & multa calida lotus, sin minus saltem lotus.* declarauit id etiam Haly abbas primo pract. 12. scribens. *phlegmatici vomant post exercitium, vt liquescant humores; & subtilientur, & meatus dilatentur.*

De Exercitiorum differentijs, & effectibus loquitur Hipp. 2. de Diæta, nu. 27. 28. &c. de Deambulatione, de cursibus longis, curuis, circularibus, de concussionibus, commotionibus, alleuiationibus, lucta, fricatione, volutatione in puluere, micatione per summas manus, de follis, & manuum ad rythmum motu. pluribus tractat, quæ huc transcribere piget. satis sit dicere, quod hæc sunt exercitia antiquis consueta, & de aliquo ex his intelligit Hippoc. quum dicit, *exercitatum in consuetis exercitijs.* sic 3. de Diæta n. 16. ante Vomitum per aliquot dies præscribit, quod vtantur Cursibus plurimis curuis in vestitu: rectis autem tenuerentibus, & circularibus, exutis vestibus, frictione, & lucta modica, item Micatione per summas manus potius, quam folle. & deambulationibus ab exercitijs. similiter etiam agit n. 17. 19. 20. & de insomnijs n. 5. 6. tandem n. 16. scripsit. *Oportet cursibus circularibus & deambulationibus depurgari, & alimento molli, ac leni à Vomitu sensim nutriri.* *De differentijs exercitij.*

Nos si Hippocratis doctrinam sequi volumus, ante alicuius validi vomitorij exhibitionem considerare debemus; num æger quiete præparatoria ad vomitum egeat, an vero motu, & exercitio; si quidem si temperamentum fuerit pituitosum, habitus crassus, & obesus cum abundantia crassi, vliginosique succi, vt hic attenuetur, & fluidus fiat, eget præcedente exercitio, & corporis motu, vt materia expellenda, coquatur, incidatur, & educatur. *Quid agendum.*

Quantum exercitium, & quāta quies fuerit adhibenda, secundum vires ægrotantis, & humorum crassitiem, & alias qualitates erit dimetiendum. *Quantum.*

Sic qualia exercitia conferant. sed cōsueta dicebat Hipp. *Qualis.*

Quando sit exercendum iam diximus ante actum Vomendi, vel per dies aliquot, vel per horas. sic de ocio. *Quando.*

De

De Somno, & Vigilia ante Vomitum. *Cap. V.*

IN somno quiescit, tum corpus, tum anima: in Vigilia vero ambo exercentur magis, & minus. quum ergo quies corpori conducit, somnus adsit; quia Hipp. docuit lib. de Affect. n. 35. *quæ somnum inducunt, quietem sanguini inducunt*. ex qua quiete coctiones fiunt, & corpora alimento humectantur. & doctrina Hipp. fuit 2. de diæta 25. quod *Somni ieiunum attenuant, & frigefaciunt, si non longi fuerint, præsentem humiditatem euacuãtes. Qui verò magis calfaciunt, colliquant carnem, & corpus diffundentes exoluunt, ac debiles faciunt. A cibo verò sumpto calfacientes humectant, alimentum in corpus diffundentes. à matutinis autem deambulationibus somnus maxime siccat. Vigilia in exatiatis cibo noxia est, non permittens cibum liquari, ac concoqui; ieiunos autem attenuat quidem, Verum minus lædit*. cum ergo corpus humectandum est, ante Vomitum conferet somnus à cibo.

Somni munera.

Somnus ante vomitũ.

Hipp. de int. affec. n. 21. Pituita populatis. *Vbi iam repletus fuerit, parum dormiat, deinde exporrectus vomat*.

Profecto Somnus ex Hipp. 4. aph. 15. & libello de Veratrj vsu, est inducendus, quando Vomitũ sistere volumus. a somno enim omnes facultates sopiuntur, quiescunt fluxiones, sanguis ipse sistitur. vt docuit Hipp. vnde non videtur conducere ad Vomitum excitandum. tamen dicendum ante Vomitum prodesse ad præparandam materiam, quia Hipp. 4. aph. 13. ait. *Qui non facile sursum purgantur, ante potionem corpora prahumectare oportet, vberiore cibo, & quiete*. si ergo præhumectanda sunt, prius cibo, deinde quiete, patet somnum post cibum esse inducendum, quia corpus humectat ex Hipp. nuper citato, & etiam quoniam somnus quietem corpori inducit, & quies ab Hipp. requisita maxime habetur à somno.

Somnus humectat.

Motus excitat Vomitũ.

Contra verò in Vomitu excitando somnus, & quies nocent, Vigilia, & motus imperantur, sic Hipp. 4. aph. 14. *Vbi verò quis bibit Veratrum ad motus corporum magis ducere, quam ad somnos. declarat autem nauigatio, quod motus corpora turbat*. sic postea subdit. *Cum Veratrum magis ducere voles, corpora moueto; vbi vero sistere, somnum facito, & ne moueto*.

Quæsitum.

Sed hic quæri potest, an sumpto medicamento purgante somnus conferat. Brasauola com. Aph. citati somnum conferre censuit. primo quia somnus materias ad ventriculum trahit. 2. quia per somnum med. in fumos resoluitur, & per venas ad trahendas materias, quæ vacuari debent, penetrat, 3. quia in somno id, quod bonum est à malo segregatur, & coctio quædam quodammodo fit. 4. per somnum corporis vires simul cum medicamento ad prauas materias per suas conuenientes vias expellendas, impensius concurrunt.

Contra Fuchsius has rationes sic soluere conatur. Ad primum negat totum. nam somnus concoquit med. & eius vim frangit, & resoluit. & ego, non modo Hipp. nimiam purgationem sistit somno; sed neque fieri aliquam permittit, vidimus n. experientia, si æger ab assumpto medicamento dormierit, nullam sequi purgationem. Quod si à somno materię ad ventriculum traherentur, quodlibet medicamentum deiectorium à somno fieret vomitorium, repletus enim ventriculus per proximiorem partem se exonerare conaretur.

Ad 2. Respondet, licet consideretur in somno medicamentũ in fumos resolui, non possent ij in venas ferri, sed sanguinis motũ ad interiora sequerentur, quia ex Hipp. 5. in 5. Epid. 29. in somno sanguis, & spiritus intro magis repunt. dico ego in somno fit cõcoctio ob quietem, in vigilia vero, & motu externo, motus internus humorum, proinde in somno facultas expultrix otiatur, concoctrix laborat. & si somnus ex Hipp. quietem sanguini, & spiritibus inducit. quietem etiam inducet fumositatibus, sic nec moueri, nec penetrare poterunt.

Ad 3. Etiãsi in somno, fiat coctio, & separatio boni à malo. nam tamen ab assumpto medicamento conueniet somnus, tum quia actio naturæ à medicamento innouante, & corpus alterante impediretur; nam coctio fit quiete, medicamentum verò quietem impedit, retentricem relaxat, & expultricẽ ad motum irritat, & si trahit, profecto sine motu non trahet, Ex altero capite natura in somno suo naturali calore medicamentũ concoquere conabitur, sic medicamentum concoctum refractas habebit vires. & siquãdo venena in somno concoquuntur, & domantur, ita etiam purganti accidere poterit.

Ad 4. dicendũ in somno non posse actionem naturæ concurrere cum actione medicamenti, quia diuerso modo agũt. actio medic. est, vt irritet omnia membra ad motum, & ad expulsionem contentorum, contra somnus immodicos motus expultricis sedat, & quietem sanguini inducit, omnes fluxiones sistit. prohibet spirituum motum, & operationes sensuum exteriorum, & omnia quieta, & immota reddit. & in somno non solet fieri alius motus excrementorum nisi ad cutim per sudorem, aliæ autem excretiones per Vomitum, aluum. Vrinam, faciunt expergisci hominem. sed Hipp. præ omnibus est docens aph. 15. sect. 4. *Vbi vero sistendum esse censueris somnum conciliato, & haud moueto*. cuius rationém reddit Philoteus. quia somnus animalium, & vitalium facultatum quietem affert, atq. adeo easdem corroborat, quæ subinde robustiores factæ assumpti

medi-

medicamentum attractosq. ab ijs humores concoquunt. ergo tantum abest, vt somnus adiuuet med. actionem, vt concoquat, tum ipsum medicamentum, tum etiam ipsos humores attractos.

Quæstio. Sed hic sese insinuat alia Quæstio, cur pilulæ dentur eunti dormitum, cui quæstioni iam satis fecimus libello nostro de Aloe. sed Vomitoria non habent locum post cænam, quia somnus faceret deiectoria. sed alij admiscent purgantia cum somniferis, vt in doloribus colicis, quando intendunt, sedare somno dolores, & euacuare simul materiam peccantem, quod discutere non est huius loci. quia non vomitoria, sed deiectoria cum narcoticis miscent. nos autem nunquã legimus Vomitoria cum narcoticis mista profuisse, quia ex opposito agunt. nec simul, nec vnum post aliud; quia ex somno quies Vomitum sedat, & quies ex somno Vomitum excitare nequit.

Solutio.

De Repletione, & Inanitione ante Vomitum.
Cap. VI.

IAm constat, quod vomitus indicetur a repletione, oportet enim, vt adsit materia per vomitum euacuanda, quæ sit superflua, nec naturæ amica. sed hic consideramus repletionem, & inanitionem in ordine ad Vomitum. sic Hipp. ad assuefaciendum hominẽ ad Vomitum, ne elleborismus postea illi obsit, replet corpus pluri cibo, & potu, deinde imperat vomitum, vt supra pluribus ostẽdimus. ex 4. aph. 13. & libello de Veratri vsu, & alibi. Sic etiam ad facilitandum vomitum confert magis repletio ciborum, quã carentia in ventriculo, humores enim crassi misti cum cibis facile educuntur, qui per se soli, nimis ventriculo adhærentes educi nequirent, vel maximo cum Ventriculi conatu. Pariter etiam ad Abstergendum, & eluendum ventriculum confert ciborum, & potuum repletio, præcipue facultate abstergentium, quæ copia grauans ventriculum eius facultatem expultricem irritat.

Ad assuefaciendum.

Ad facilitandum.

Ad Abstergendum.

Qui ieiuni vomunt magis laborãt in Vomitu, sed cum euacuare per Ventriculum totum corpus studemus. non tamen materia in intestinis existens ad Ventriculum est trahenda. est profecto ad principium intestini crassioris valuula prohibens fæcum ascensum, ea tamen ob maximam vim Vomitus posset labefactari, & fæces ad Ventriculum trahi violenter. vnde iure Antiqui consuluerunt, vt intestina prius mundificentur. sic Oribasius 7. Collect. c. vltimo ex Ruffo. scribit primo assuefaciendum ægrum ad Vomitum frequentatis Vomitionibus. *Post vltimum vomitum vnam diem intermittere, antequã Veratrum sumat, quo die Clysteri vacuetur, tum lauetur, tum exiguo cibo nutriatur, sequenti die Veratrum dandum.* & lib. 8. c. 1. ex Archigene docuit. *Ne superiora loca vitientur, venter est prius inaniendus* deinde repetit, *aluum esse emolliendam.* Aetius vero ser. 3. c. 127. ex Antillo, & Possidonio. vult, quod *aluus subducatur.*

Ne trahatur mat. ad Ventriculum.

De Animi Accidentibus Vomiturorum.
Cap. VII.

ANimi Accidentia ex Gal. in Arte medic. sunt ex rebus necessario corpori occurrentibus, quæ diuersimode occurrentia, qua sanitatem conseruare, vel efficere, quã morbum producere, augere, minuere, & tollere solent. Qui igitur Elleborum, vel aliud validum Vomitiuum sunt assumpturi, magno aliquo animi affectu vires deijciente vexari, non debent. sed pacato esse animo, & viribus robustis. ob id Archigenes apud Oribasium lib. 8. c. 1. volebat, vt qui Elleborum sumpturi sunt, *corpore robusto, & animo constanti sint.* & paulo post ait *bono animo sit, & elata mente vomitui à cæna sufficiat.* Ruffus autem apud eundem lib. 7. c. 26. de superiori purgatione verba faciens ait. *neque timidi, neque ij, qui pusillo sunt animo; nam si in vlla re aliâ, tum vel maxime in hac forti animo est opus, quam ob rem, neq. mulieres, neq. pueri, neq. senes apti admodum sunt, vt per superiora purgentur. quippe cum hi timidi sint omnes.* & Herodotus apud eundem Oribasium lib. cit. 8. cap. 3. scripsit. non conuenire Elleborum *timidæ naturæ, nam in eiusmodi cum his, temerè datus eis fuisset Elleborus, maximi morbi sunt exorti.* Aetius serm. 3. c. 124. dicit ineptos esse ad Veratrũ *pusillanimes.* quapropter Medicus daturus alicui medicamentum vomitorium, prius considerare debet, patientis naturam circa animi affectiones.

Timiditas repugnat.

Fomenta Præparantia ad Vomitum.
Cap. VIII.

HIpp. ante Vomitum sæpissime præscripsit Vsum fomentorum. vt primo de Diæta n. 34. ad stolidos, ait, *confert, & fomentis vti, & vomitibus à fomentis.* tum n. 35. Desipientibus, stupidis, & melancholicis. *Fomentis vti, & à fomentis Veratris expurgari.* & pagina vltima. *Subfuriosos*, inquit, *conueniens est etiam Vere Veratris purgare fomentis antea præparatos.* & de Insomnijs n. 6. *Bonum est, & fomentis vti, à fomentis vero vomere.* & 2. de Morb. n. 12. in morbo capitis, & repletione. *Si morbus reuertatur fomento per totum corpus adhibito, postridie Veratrum bibendum dato.* & n. 39. ad Quartanam. *fomentis ipsi adhibitis Allium dato, &c.* & n. 49. Tabes dorsalis. *Si ab initio curandum susce-*

Vsus fomenti. *In stolidis. Melancholicis.* *Subfuriosis.* *Morbis capitis.* *Quartanæ.* *Tabi.*

susceperis, fomento per totum corpus adhibito medicamentum sursum purgans bibendum dato.

Præterea de inter. Affect. n. 11. in prima spetie Tabis. ait. *At si tibi visum fuerit, ante pharmacum fomentum adhibeto, & sic pharmacum dato. Si verò dare nolueris, facto fomento, vomitum ex cibis facere cogito*, & sic etiam curat secundam Tabis speciem. & n. 13. in tertia Tabis specie subdit. *Primum fomentum adhibeto, & vbi fomentum adhibueris, postridie aqua mulsa, &c.* & n. 34. in Tipho. *Veratrum ipsi dato, toti corpori antea fomento adhibito.* & n. 33. in alio morbo crasso. *Curare verò oportet iisdē quibus hidropicum, fomentis scilicet, & pharmacis.* & in Coxendice n. 54. si à mansione in Sole fuerit. *Corpus ipsius fomento humectetur*, deinde subdit. *Non multa aqua lauetur, & quum tibi bene habere visus fuerit, & corpore humidus esse, leni fomento vehementer foueto, magis enim remittit, & condensationem ex articulis humectat ac relaxat.* quo loco apparet aliud esse lauari, aliud vero fomento vti. præterea si adest *lene* fomentum debet etiam adesse *validum* fomentum. insuper *vehementer* foueri, & *debiliter* foueri. officium autem fomenti erit *humectare, & relaxare* condensationem ex articulis. deinde n. 55. ait. si verò à bile morbus fiat. *Postera verò, aut tertia die adhibito fomento lacte asinino cocto subpurgato*: & 56. si vero à pituita ægrotet. *Cnidium granum, adhibito prius fomento, bibendum dato.*

In Tipho.

In coxendice.

Lotio, & fomentum diuersa.

Fomentum lene, & validum.

Leni fomento, vehemēter fouere.

De Nat. Mul. n. 29. *Postquam autem fomentum adhibueris, lenticula decoctum bibendum dato, ac reuomendum.*

Et primo de Mor. Mul. 25. ad Menses pituitosos. *Has totas fouere oportet, & frequenter vomere.* paulo post addit. *Fomentum tamen semper purgationibus præmittendum est, prius id, quod ex fœniculo paratur.*

Ad menses pituitosos.

Deinde lib. 2. n. 49. in Vtero concluso. *Totam foueto.* libro autem de sterilib. n. 8. Si genituram non suscipiat mulier, &c. *Huic post fomentum toto corpori adhibitum, pharmacum bibendum dare oportet, & corporis purgationem primum facere siue sursum, & deorsum, siue deorsum solum, & siquidem sursum purgans pharmacum dederis, ante purgationem fomentum ne adhibeto; sed postea: at fomento prius facto, pharmacum deorsum purgans bibendum dato: si verò sursum purgāte non opus habere videatur, præmisso fomento deorsum purgans bibendum dato.* & eadem ferè verba repetit Hipp. lib. de superfœtati. n. 14. scribens. *Vteri stomachum præ caliditate genituram non suscipientem sic curato. Huic per totum corpus fomentum adhibere oportet, & pharmacum bibendum dare, & corpore primum purgatam, ac mundam reddere, siue superne, & inferne opus habuerit, siue supernè solum. Et si quidem superne purgans medicamentum dederis, fomentum ante purgationē non præmittas, verum fomentum adhibebis inferne purgaturus. Si verò supernè purgante medicamento non egere videbitur, præmisso fomento, inferne purgans bibendum dato.* & hic notandum, & diligenter causa inquirenda, quod cum Hipp. sæpissime ante Vomitum fomētum præscribat, cur modo vice versa negat ante Vomitum, iubet ante deiectorium. An nè nimis relaxetur os vteri?

In Vtero cōcluso.

Si geniturā nō suscipiat

Animaduersio.

Præterea de sterilibus n. 11. scripsit Hipp. *Vbi fomentum toti corpori adhibueris, medicamentum bibendum dato, sursum, ac deorsum purgans.* & de loc. in hunc n. 35. in Tabe. *Medicamentum potandum præbe elaterium deorsum purgans de cætero fometis vtere.* & n. 36. de Hydrope in puero. *fomentis vtendum.*

Aduertamus nos, quod Hipp. aliquando dicit simpliciter *fomentum adhibendū.* aliquando verò *totum corpus fouendum.* vnde aderit fomentum totius, & non totius corporis. aliàs in affectibus mulierum fomenta plurima præscribit pro solò Vtero fouendo.

Diuersitas fomentorū.

Aduertamus secundo, quod fomenta differunt à lauatione, & à balneo. sic 3. de Diæta n. 10. primo fouet, deinde multa calida lauat. postea 2. de Morb. n. 13. ait. *Si quidem frigus fuerit, præfoto, ac calida loto* n. autem 39. ad Quartanam. *Fomentis*, inquit, *ipsi adhibitis allium dato, &c. altera verò exacerbatione, vbi multa calida laueris, & stragula ipsi intexeris, donec exudet, statim Veratri albi radices, &c.*

Differentia fomenti, lotionis, & balneo.

De Inter affect. n. 47. in Voluulo scribit. *Intermedijs verò diebus vomitus faciat per sextam diem; verùm aliàs, atq. aliàs ante Vomitum, & pharmaci potum fomentum adhibere oportet, & per tertiam diem lauetur, si conducat.* & hic clare patet lauare post fomenta, & confirmatur mea sententia ex primo de Morb. Mul. nu. 91. vbi habetur. *Si toti ipsius corpori per tertiam, aut quartam diem fomentum adhibueris, & à fomentis statim vomitus fecerit. post Vomitus autem, & fomenta diætam, &c.* mox subdit. *& vt à fomentis ipsam laues multa calida, &c.*

In voluulo.

Aduertendum tertio, quod fomenta alia sunt mollia, alia fortiora. sic Hipp. 3. de Diæta n. 10. scriptum reliquit. *Verum oportet prouidere antequam ad morbos proueniant, & hoc modo curare, vt maxime mollibus fomentis hominem foueamus, aut si id fieri nequeat, multa calida lauemus, & corpus dissoluamus, &c.* mihi videtur hic Hippocrates innuere fomentum esse medicamentum fortius lauacro. & molle fomentum à calida lotione distinguere.

Fomēta mollia, & fortia.

Fomentum est fortius lauacro.

Vires, & facultates fomenti videtur indicasse Hipp. lib. de loc. in homine, n. 20. scribens. *Oportet pituitam innatam compactam, ac congelatam attenuare. aut fomento, aut medicamēto.* vnde postea n. 33. in Hydrope. *Siquidem*, inquit, *magis ad cutim secesserit* (f. fluxio) *externis partibus fomentum adhibebis.* & de Insomnijs n. 4. *Fomentis vti; nam per corporis cuticulā purgationem facere expedit, propterea quod in externa circumferentia offensio, ac læsio existit.* Ergo fomenta pituitam dissoluunt, & purgant per cutim. cum autem Hipp. 2. de Morb. n. 12. scripsisset in quodam capitis affectu. *Si verò*

Fomentum attenuat.

Fomenta purgant per cutim.

morbos reuertatur fomento per totum corpus adhibito; postridie Veratrum bibendum dato. Petrus Salius in suo 21. com. ait. *Monet per triduum ante Hellebori potionem totum corpus calido fomento fouendum esse. Sed ad quam intentionem? Monebat Hippocr. 4. aph. 13. eorum, qui non facile per superiora purgantur corpora ante Hellebori potionem pluri cibo, & quiete humectanda esse, humectata enim corpora facilius euacuantur, cum hinc ambitus facile solubilis euadat, & humores fluxioni, & euacuationi valde paratos habeat. Ad hanc similitudinem hoc in loco monet, per triduum totum corpus fouendum esse, s. vt hinc habitus laxior euadat, & humores ex calore fusi euacuanti medicamento facile cedant, & prompte educantur. Nec quietem sane, nec cibum humectantem in hunc vsum recepit, quoniam quies nequaquam sufficiens est ad proportionem tantae cachochymiae. cibus autem humectans inconuenit, tum quia debet esse copiosus, vnde potius natura grauis, quam vtilis tot malis his hauentibus foret, tum quia humiditate potius morbum, qui siccitate indiget, fouerer, quam quod humores praepararet. Cum igitur haec duo nusquam conueniant, hoc tertium machinatus est Hipp. ad praeparandum corpus ad Helleborismum.*

Diuersitas fomentorũ. Fomenta igitur alia sunt vniuersalia, alia particularia, alia humida, alia sicca, alia mollia, alia fortiora, alia calida, alia non calida, aliã Vaporosa.

Fomenta particularia vni alicui parti adhibentur, vt lateri, Ventriculo, Vtero, capiti, auri, oculo, &c.

In Pleuritide Thoraci. In Pleuritide Hipp. de Victu Acut. n. 11. multa nos docuit, scribens. *Caeterum in Pleuritide, siue ab initio sit, siue postea, calidis fomentis primum dolorem sedare tentandum. Ex calidis verò fomentis optima est aqua calida in vtre, aut in Vesica, aut vase aeneo, aut in fictili admota, verum molle quid antea ad latus supponere oportet, lenitatis ergo. Commode etiam spongia, mollis, magna, ex aqua calida expressa apponitur. Contegere verò stragulis ipsum fomentum oportet; nam & ampliore tempore sic sufficiet, & durabit, & simul ne ad vapor ad aegrotantis spiritum afferatur; nisi fortassis, & hoc ad aliquid commodum esse visum fuerit; aliquando enim ad aliquid commodat. Insuper autem, & Ordeum, & Eruum in Accto diluto, itaut paulo acidius sit, quam vt quis bibere possit, dissolutae, ac feruefacta, & in sacculis insuta consecta, apponere oportet, & Furfur eodem modo. Siccum autem fomentum praebent Sal, & Milium torrefacta; in laneis sacculis conuenientissimum; nam & leue, & lene est Milium.*

Ventriculo. Ventriculo verò etiam similia fomenta prosunt vt Ventri, Omentum Verucecis ex Oleis anodinis.

Vtero. Vtero multa fomenta adhibuit Hipp. de loc. in hom. n. 61. ex Vino scribens. *In Vinum grossos immittito, ipsumq. vinum calfacito & Cucurbitam circum osculum vasis, in quo calent, addito hoc modo: Cucurbitam per medium dissectam euacuato, & summitate ipsius modico recisa, velut in ventriculis fieri solet, hac ipsam vasi, velut operculum circumdato, quo odor per angustiam means ad vterum perferatur, insuper autem & calida aqua fouere, &c.* & 5. Epid. n. 7. curabatur, inquit, tepefactorijs vtriculis, & fomentis Erui per totum corpus: & hoc est per Eruum fomentum vniuersale. deinde n. 23. doloribus circa lumbos, & crura, & coxam ex laboribus obortis aquae marinae, & aceti calidi fomentum confert, ita vt vel aspergas, vel spongiam his imbutam adhibeas, deligare vero oportet lanis succidis, & pellibus agninis. & 2. de Morbis. n. 16. in Angina. post Cucurbitam affixam *fomentum ex aceto, nitro, Origano, & Nasturtij semine adhibeto.*

Fomentum Erui vniuersale.

Fomẽta per aspersionẽ.

Alio modo praeparat fomentum 2. de Morb. Mul. n. 38. *Cyperum tusum praeparato testa concha mensura, & calamum vnguentarium eadem mensura, & Iunci vnguentarij tantundem, Cumini item Aethiopici, & Anisi, & Ruta sicca, & Hyperici, ac Foeniculi seminis. Quum autem haec praeparaueris Vini austeri albi odoratissimi heminas sex in ollam infundito, & de contusis quadrantem inspergito, ac permisceto. Deinde vnguenti Aegyptij optimi, aut Amaracini, aut Irini, trium obolorum pondus affundito, permisceto, & molli fomento plurimo tempore foueto. Ante fomentum verò lauato, & duos, aut tres dies foueto,* & supra n. 34. docet fomentum Vterinum ex Allio decocto. deinde n. 35. aliud ex foeniculi radicibus. & n. 88. aliud docet ex Vino, foeniculo, &c. & n. 72. plura fomenta docet ad fluxum muliebrem. vt *Loliaceam farinam torrefactam in posca meraciore coquito, & linteo illitam pro fomento adhibeto.* & multa similia adiungit: praeterea ait. *Aut cum eo decocto furfures triticeos subigat, & panem faciat, eoque calido lana inuoluto foueatur, &c.* & tandem addit. *Sed & fomentum adhibendum est cum spongijs calidis, & mollibus lanis, si dolore vexetur, & cum vasis testaceis aqua infusa & cum vesicis olea calido plenis.* & de sterilib. n. 16. & 17. aliud fomentum Vterinum docet per Arundinẽ. & alia Vteri fomenta apud ipsum, & alios auctores legi possunt.

Aliud Vterinum.

Lauat ante fomentum.

Fomentum illitum.

Ex pane.

Fomentum per Arundinem.

Et ne longior sim circa fomenta, dico, fomenta dici quando panis, emplastrum, spongiae, lana, panni, Vtres, seu Vtriculi, Vesicae plenae liquore, sacculi repleti, Omentũ Verucecis, &c. imponuntur alicui parti, vel toti corpori, vt foueant, calefaciant, & diutius debent relinqui, vt calor imprimatur: aliud est autem quum pars aliqua, vel totũ corpus lauatur; aliud denique est, Balneum, in quo pars, vel totum in liquore illo manet per [illegible] tempus. sed de differentijs fotus per [illegible] per spongias, lanam, lintea. Glo[illegible] Vtriculos, cucurbitas, sacculos, [illegible] & per infinitas alias res leges [illegible] & [illegible], diligentissimum, & exquisitissimum [illegible] Aurelium Se[illegible] medicina, vbi haec distincte enumera[illegible] mirandum ingenium ostentans, [illegible] ex vngue leonem.

Lotio-

Lotiones, & Balnea præparantia corpus ad Vomitum. Cap. IX.

Dixi paulo ante differre lotionem à fomentis, & Balneum differre à lotione, lauatur facies frigida, non autem fouetur aqua frigida, sæpius autẽ iubet Hipp. vt sumptuti Elleborismum, inuentur, videlicet de salubri Dięta. n. 20. ait. *Calida loti prabibant meri beminam, &c.* & de inter. aff. ad morbum à pituita. *Primum multa calida lauetur, quum vomitum facere voluerit*. & 3. de Diæta. n. 8. In præparatis ad morbum. *Exercitatum in consuetis exercitijs citra lassitudinem, calidaq. lotum, cibis omnigenis expleto; ac vomere facito.* & n. 11. ad repletionem inquit. *Si curam celerem facere velis, Veratro purgandus est, &c. Si medicamentum bibere nolit, multa calida lotus à cibis dulcibus, ac salsis vomat*. deinde in Ructu acido. subdit, *tutior curatio, primum quidem calida lotus Vomitum faciat, &c.* & n. 13. *Si quidem frigus fuerit, prasolo, ac calida loto.* & 2. de Morb. n. 39. ad Quartanam. *Altera verò exhibitio ne vbi multa calida laueris, & fragula ipsi. tutteris donec exudet; statim Veratri albi, &c.* & n. 53. *Vbi hominem exercueris, & aqua tepida laueris; calidum hoc bibendum prabeto;* & libro de inter. aff. ad inflammat. Pulmonis. *Bibat autem hac exercitatus, si fieri poterit, & multa calida lotus, sin minus saltem lotus,* & n. 21. in pituita populari. *Primum multa calida lauetur, quum Vomitum facere voluerit*. & n. 47. in Voluulo scripsit. *Intermedijs verò diebus, Vomitus faciat per sextum diem verum alias, atque alias ante Vomitum, & pharmaci potum. fomentum adhibere oportet, & per tertium diem lauetur, si conducat.* ergo lauat Hippocrates 3. quoq; die, & 6. fouet. vnde rarius fouet.

Alibi etiam Hipp. meminit post fomentũ lotionis, vt primo de Morb. Mul. n. 91. *& vt à fomentis ipsam laues multa calida*. deinde si vteri ad coxam decurrerint. *multa calida lauato*.

Et ex his constat ante Vomitum Hippocratis morem fuisse corpora aliquando lauare aqua tepida, alias calida, & sæpe multa calida, interdum verò non multa aqua lauat, simplici lotione contentus.

Interdum Hippocrates negat corpus esse lauandum, vt primo de morb. mul. Si Vteri exciderint. vbi ita docet. *Veratro purgare oportet, & si non satis fuerit, etiam Vomitus facere, & non lauari*. credo, quia intendit Vterum sursum reuellere delapsum ob humiditatem; vnde fas est, corpus siccare, non autem lauacro humectare. sic 2. de morb. in morbo pituitoso. *Alias, atq. alias maximè tamen hyeme à lenticula decocto vomat, & calida quàm minimum lauet; sed & ad Solem apricetur*. scilicet volebat Hipp. corpus siccare.

Vsus fuit Hippoc. lotione ad calefaciendum corpus, nam inquit, *Atheuis virum cholera corripuit, &c.* & Veratrum bibit. *frigidus autem factus est, & lauabat infernè vsq. ad pudenda, calida valde multa, donec etiam superna partes calefacta sunt*.

Hippocrates 5. in 6. Epid. 29. *Veratrum epotum si celerius purgare vis lauare, aut cibum sumere oportet*. credo protinus lauandum, vel cibandum. Card. 2. aph. 9. & parum ante, & vbi Veratrum acceptum fuerit, & Gal. in com. *Lauacrum*, inquit, *humores fundit, ac si qua in parte contentum, duratumq. corpus fuerit, relaxat. Itaq. Veratro vtentes lauare conducit, neque multo ante, neq. multo post, quam ipsum acceperint; sed maximè quidem ante assumptionem nõnunquam verò, & illico postea fieri potest. Quod si purgatione, aut iam incipiente, aut mox inceptura hominem laues, humorum à purgante medicamento tractorum ad interiora inclinationem retrahes, ac retardabis. Quemadmodum igitur, quibus sanguis crassus est, ijs prius lotis nos venam rescindere, sic & in his, qui purgandi sunt, Balneo prius vti, præcepit, quo celerius simul, ac minus molestè purgatio fiat. ipse verò nunc solum vt celerius fiat memorauit. Salius autem fuerit, non eo dumtaxat quo medicinam assumit die, lauare hominem; sed etiam superioribus, quibus ad purgationem se se praparabat, ipse namq. Hippocrates, & id in Aphorismis præceperat, cum scripsit. Ad Veratra ijs, qui non facile purgãtur; prius humectare corpus oportet alimento, & quiete. Quod si quiete, & alimento, & omnino corpus humectare imperat, cõstat etiam, lauationibus nos pluribus vti in aquis potabilibus ipsum velle, si quidem, & ba humectant*. Petrus autem Salius 2. de Morbis. com. 23. in eadem fuit sententia, dum scripsit. *Cum in exhibendis bis pharmacis sursum purgantibus, corpus debeat esse laxatum, & humectatum, monet, si frigidior fuerit constitutio, quo tempore humores sunt concentrati, & meatus corporis adstricti, prius corpus fouendum, & aqua calida lauandum, vt hinc fundantur humores, & corporis meatus laxentur, indeq. facilis succedat pradictorum humorum euacuatio*.

Tandem de lauacro notandũ, quod Hippocrates de Victu Acut. n. 32. prohibet adhiberi, ne debilitet ægrum.

Balnei vsu præparat etiam corpora Hippocrates Elleborum sumpturorum, vt relaxentur, atq. humectentur. sic docuit 2. de Diæta ad lassitudinem in fine. *Oportet primum quidem ipsum Balneo non valde multo, neq. nimis calidè lauare, deinde exhibito à balneo molli vino, &c.* tandem vomitum imperat. & de loc. in hom. n. 40. *Iterum sic curare oportet. quum susceperis nutrito, & balneis, & pinguefacientibus, potibusq. ac cibis humefactato per tres, aut quatuor dies, postquam autem humectatum fuerit corpus purgato*. & 5. Epidem. *Pausania filium ex fungi crudi esu anxietas tenebat, strangulatio, dolor ventris, Aquam mulsam calidam bibere, ac vomere profuit, & balneum, in balneo fungum euomuit*. quem sequutus Haly abbas scripsit. *Phlegmatici vomant post balneum, vt liquefcat humor, & subti-*

Lotio multa calida.

Fouet, & lauat.

Fouet, & lauat.

Lauatio prohibita.

Lauatio calfacit.

Facultas lotionis.

Quando lauandum.

Ad faciliorem euacuationem.

Lauacrum debilitat.

Balneo lauat.

subtilientur, dilatenturque meatus.

Scribimus pro Hippocrateis. Nobis autem hæc presciuisse sufficiat, qui hoc æuo, nec fomentis, nec lotionibus, nec balneis ad præparanda corpora ad vomitum vtimur, quia nec in sanitate alijs de causis hæc ipsa adhibemus, ob id ad hæc non assueti sumus, adde quod nec Elleborum, nec alia valida Vomitoria in vsum trahimus, nisi admodum raro. tamen. si quis Hippocratis doctrinam scire voluerit, has subtilitates nouisse, ipsum iuuabit.

De Sudore excitando ante Vomitum. *Cap. X.*

Occasionem tractandi de sudore præparatorio ad Vomitum præbuit ipse Hipp. dum sæpe requirit hominem exercitatum in consuetis exercitijs, ex quibus necessario sequitur sudor, sic 2. de Morbis, in morbo pituitoso. ait. *Calida quam minimum lauetur, sed & ad Solem apricetur*. & de inter. affect. *Igne, ac vestibus concalefactus Vomat*. nam corpora per vomitum siccanda, non vult Hippocrates aqueis fomentis, lotionibus, aut balneis esse humectanda: sed sudor nimius exiccat corpora, motum humorum ad cutim excitat, vnde potius prohibet vomitum, sed intelligendum de sudore exclusiue, non inclusiue; sed vt ad principium sudoris incalescat corpus, quo humores incalescant, liquentur, & fluidi euadant, simulq. meatus laxentur, & dissoluantur. non autem vt nimio sudore effuso, & exalatis, atq. expulsis per cutim aquosioribus partibus, humores crassescant, & quasi siccentur, & sic essent inhabiliores ad vomitum ipsorum eductiuum. sic Hippocrati satis fuit. lib. de affect. n. 15. in doloribus circa ventrem æstate. *Vbi igne, ac vestibus concalefactus fuerit, vomat*, satis vnquam fuit, vt excalefactus fuerit, & de Inter. affect. n. 13. in tertia Tabis specie, *Deinde*, inquit, *Stragulis ipsum ad multum, ac quam longissimum tempus contegito. Si verò non sublimeat, & eum mere velit, vomat*. *Raro sudor ante Vomitum.*

Cur ante Veratrum sudandum. Aliquando tamen reperio, Hippocratem magnum in ægris excitasse sudorem, vt 2. de Morb. 39. in Quartana. *Vbi multa calida laueris, & stragula ipsi iniecexis donec exudet, statim Veratri albi radices, &c.* hic iam humectauit lauacro corpus, calore à stragulis excitato, & sudore intendit humores crassos dissoluere, Sed de int. affe, n. 30. in morbo Hepatico, *Tepida*, inquit, *ebibenda dato. Deinde stragulis iniectis contectum sinito donec quam maxime exudarit*. Huic dederat Hippoc. oximel cum sale ad Vomitum prouocandum *si suffocatio accesserit*. procurat sudorem. & vomitum per pennam irritat. sic fortasse bilis, & pituita educentur. sed sudor copiosus debet liquefacere humores rebelles, licet eos exiccet, & crassioris substantiæ reddat educto ichore.

De Corporum humectatione, *Cap. XI.*

Scripsit Hipp. 2. aph. 9. *Corpora quæcunq. quis purgare voluerit, fluida facere oportet*, deinde sect. 4. n. 13. inquit, *Ad Veratrum, his qui non facile sursum purgantur, ante potionem corpora humectare oportet, ampliore cibo, ac quiete*. Galenus in com. reprehendit eos, qui censebant Hipp. per fluida corpora intellexisse, quæ assuefacta erant ad vomitum, vel ad alui deiectionem, scilicet per quam partem Medicus purgare volebat, siue sursum, siue deorsum. vt alias nos diximus ab Hippocrate fuisse ægros assuefactos ad Vomitum, vnde censebant esse assuefaciendos ægros, vel ad vomitum, vel ad infernam deiectionem, reprehendit autem istos Galenus, quia censuit Hipp. aliquid maius hoc loco nos docere voluisse. & censet, ac si ita dixisset Hipp. *Siue per Vomitus, siue per alui subductionem purgare velis, postquam fluidum totum corpus effeceris, ita demum optime purgabis. Erit autem fluidum, omnibus meatibus referatis, & humoribus incisis, atq. extenuatis, si quis fuerit humor in corpore crassus, ac glutinosus.* *Corpora fluida.* *Galeni interpretatio.*

Nos autem non debemus simpliciter Galeno credere, qui doctissimus quidem fuit; sed homo, vt nos, sic reor, quod aliud sit corpora fluida reddere, aliud vero humores fluidos reddere, censeo enim Hippocratem loqui de corporibus solidis, ab ipso dictis partibus continentibus fluidis reddēdis, quæ distinguuntur ab humoribus, & partibus contentis ab Hipp. alias dictis. & modo lego Galenum interpretantem de humoribus fluidis reddēdis per extenuantia crassos humores, & incidentia tenaces, & aperientia meatus, quod non video, nec lego ab Hipp. vsitatum, vnde cognosco discrepantiam inter Hipp. & Galenum, & quod Gal. non bene nouerit mentem Hipp. *Contra Galenum.* *Galenus nō intellexit mentē Hip.*

Verum quia censeo idem esse corpora fluida facere, vt ait Sect. 2. ac corpora humectare, vt docuit sect. 4. Aphor. dico Hipp. corpora fluida, atque humida facere; tum multo cibo, tum quiete, quo autem modo Hipp. vsus fuerit pluri cibo ante Vomitum, satis diffuse ostendi supra cap. 2. sic per multum, & varium cibum, & potum, corpora laxa, fluida, & humida redduntur, vt coria humectata facilius tractantur, mouentur, dilatanturq. & in vehementi motu, qualis est in valido vomitu, ne particulæ ad vomitum concurrentes dirumpantur, & vt facile cedant, relaxentur, & viæ patentiores sint, opus est humectatione plurima. hoc sit exemplū ex primo de Mor. Mul. 9. *Cum verò vomitum* *Demonstratio.*

præparas, multis, & acribus oleribus opus habes, quibus ipsam impleas, multis etiam cibis, & obsonio quodcumque volueris, & vt impleas ipsam multo vino aquoso, & vt à fomentis ipsam laues multa calida. Galenus autem in expositione dicti Aph. non aduertit ad verba *pluri cibo*. sed relicta quantitate ab Hipp. requisita; transit ad cibi qualitatem scribens.

Negligentia Galeni.

Cibus verò non simpliciter copiosior est aptus natura humectare; sed quicumq. nullam habet fortem qualitatem, hoc est, neq. acerbam, neq. acrem, neq. salsam, neq. amaram. Forte autem, neq. simpliciter cibus hic, qui talis est, erit appellandus; sed hoc totum medicinalis cibus; sicuti illi, qui est cibus simpliciter, soli hoc inest ex omnibus, vt ex sua natura, non autem ex accidenti solidas partes animalis humectet, cum hoc ipsum non per se; sed ex accidenti aliquo faciat quies. Nos vero, vt videamus an Galenus perceperit Hipp. mentem, & vt discamus veritatem, consideremus an Hipp. præceperit omnium ciborum copiam, an tantum alimentorum humectantium, vt voluit Galenus. primo debemus scire quæ, & quot sint alimenta humectantia. deinde considerare, an Hipp. his solis vsus fuerit.

Alimenta humectătia.

Cal. & humid. in primo. Serapio ponit *cal. & hum. in primo.* Ciceram: faleonas, Amygdalas, Buglossum, Molocham, Sesamum, Iuiubas, Eringium, Orchides.

Frig. & humid. in primo. *Frig. & hum. in primo.* Endiuiam, Spinachia, Atriplicem, Maluam, Pruna, Cerasa.

Cal. & humid. in 2. *Cal. & hum. in 2.* Erucam, Nucem indicam.

Frig. & humid. in 2. *Frig. & hum. in 2.* Melones, Cucumeres, Citrulos, Cucurbitas, Malum Persicum, Armeniacum, Tubera, Blitum, & lactucam.

Cal. & humid. in 3. *Cal. & hum. in 3.* Zingiber.

Frig. & humid. in 3. *Frig. & hum. in 3.* Portulacam, & fungos.

Præter hæc sunt Animalium carnes, oua, lac, & pisces. quæ possunt dici humectantia.

Aq. bordei. De Aqua ait Galenus ipse Aph. 13. cit. *Aqua verò neq. epotata neq. extrinsecus occursans natura apta est solidas animalis partes humectare*, vinum exiccat. ergo solo potu Aq. hordei humectabimus corpora.

Hipp. de quantitate loquitur.

Modo videndum an Hipp. vsus fuerit prædictis cibis humectantibus ad præparanda corpora ad Vomitum. & si considerauerimus, quæ ex Hipp. supra cap. 2. excerpsi, reperiemus nequaquam prædictos cibos adhibuisse; sed omnigena cibaria, & triplex Vinum. Mazam cum melle, & oleo. Olera acria, pinguia, dulcia, & acida, ac salsa, proinde Raphanos acres, folia sinapi, nasturtiū, quæ hu mores inordant, & ad Vomitum præparant. & bene dicit Cardanus in com. dicti Aph. 13. dicens *Pluri cibo non qualitatem sed quantitatem nos intelligere volui*. vt decipiūtur alij, qui cum Galeno de qualitate interpretantur. quia Hipp. alias iubet ad satietatem cibum, & potum sumi. quod pertinet ad quantitatem. ergo. Corpora fluida esse facienda vult Hipp. multa copia ciborum, vt vasa distendantur, & ad motum faciliora sint. proinde Philotheus ait, emolliendos esse meatus, & partes ambientes, continentesq. laxandas, rarefaciendas, meatus aperiendos, & vasorum orificia amplianda, quæ operationes pertinent ad corpora solida, & sic corpora fluida redduntur. sed ad fluxiles humores reddendos alia consideratio est. nec est confundenda fluiditas humorum cum fluiditate corporum a philosopho, qui exacte, & distincte quæque considerare intendit.

Corpora fluida, non humores.

Sic corpora humida, & fluida fiunt pluri quiete, vt cap. 4. diximus. sic 7. aph. 67. legitur. *Si supra, sistere aluum, si verò infra, humectare.* & hic præparat vias, fluidas faciendo.

Quæ præparanda sint ijs, qui Helleboro purgandi sunt. Cap. XII.

ORibasius 8. collect. cap. 6. ex Antiquis sic nos docet. *Præparare debemus lectulum sublimē, itemq. alium, qui strata habeat, seu lineas ab angulo ad angulum producta: & tertium quoq. pensilem; spongias quoq. & poscam, & Melicratum diuersis modis confecta: quorum vnum Hyssopum incoctum habeat, aliud Origanum, aliud Rutam, aliud deniq. Thymum. Oleum cyprinum, melinum, irinum, rosaceumq. Emplastra. Ellebori dilutum, Cucurbitulas, cuneolos, pennam digitalia, clysteres, fomenta, Absinthium, Vinum, cibos glandulam.*

Res necessaria præparāda ex Oribasio.

Aetius vero ser. 3. cap. 132. scriptum reliquit. *Præparantur porrò ipsis ad opem ferendam lancinationibus, animi deliquijs, & conuulsionibus hæc. Aqua calida, & frigida, decoctum Hyssopi, mels Ruta, pulegium, acetum, mala, panis calidus, vinum, pullus gallinaceus coctus, oleum commune, & Sycionium, sal, Galbanum, Castorium, cremor Veratri, Oleum Cyprinum, aut irinum, aut narcissinum penna, sternutatorium, cucurbitula dēurgesa, lectica, seu ferculum, lectus stratum molle habens, Clyster.* & hæc omnia exacte considerare debemus, ad quid valeant, & cur Antiqui ea præparata habebant ante vsum Hellebori. quod procul dubio efficiebatur, ad tollenda nocumenta, quæ à Veratri vsu euenire solebant.

Ex Aetio.

De lecto. Sectio I.

HIc auctor requirit tres species lectulorum: sed Aetius vno tantum lecto satisfit. igitur Oribasius ex Antiquis primo vult præparari lectulum sublimem, secundo alium lectum, qui strata habeat seu lineas ab angulo ad angulum producta. Tertio ponit lectum pensilem. nec est contendū sine causa tres lectos ab antiquis præparatos fuisse.

Lectus sublimis.

Lectus

Lectus sublimis facile innotescit, est enim lectus vulgaris per quatuor, vel tres palmos supra terram, vt distinguatur ab humili lecto, qui humi ponitur, & credo Turcarum humilem esse lectum, Christianorum vero sublimem.

Lectus humilis. Crederem hunc lectum eligi ad vomitum prouocandum, ex hoc enim lecto propensi facilius euomunt, quam in lecto humili, & terreno. Oribasius lib. 8. cap. 6. ait. post assumptum Veratrum. si validi sunt sedeant. *Stratum depressum.* *Si infirma sunt vires persuadebimus, vt in strato aliquo humi depresso vsq. ad duas, aut tres horas decumbant.* paulo post addit. Hæc omnia ideo facienda sunt, ne citius, quam par est Medicamentum euomatur. *Lectus pensilis.* *Postea vero ægrotos in lectulo pensili, aut aliquo alio sublimi loco collocatos vomere permittemus.* Oribasius item deinde addit. *si non debito tempore purgari incipiat in sublimi lectulo, qui deorsũ vergat, collocabimus.*

De alio lecto scribit Oribasius. cum vomere nequeant. *Si verò ne ita quidem euacuabuntur, eos in lectulo collocabimus, cuius strata* *Lectus angularis.* *angularia sint, & ipse sit pensilis, eosq. agitabimus, & concutiemus, & ibidem eos adhortantes, & iubentes, vt vomere contendant.* iste lectus angularis erit quadratus, sic habebit angulos. sed strata debet habere ceu lineas, fortasse erit lectus ex fascijs, seu lineis confictus, & pensilis leuior enim est, quam ex lana, vidi confectum pensilem lectum ex Rete, in medio latiore, facta ex cordis, & in summitatibus terminabatur in vnicam cordam, qua appendebatur, sic facile mobilis lectus erat per transuersum. quomodo infantibus paratur sublimis, & pendens lectulus.

Tertia species lecti est lectus pensilis, de quo Oribasius scripsit. *Est autem adnotandum, in ijs, qui in lecto pensili statuuntur, motum versus pedes, aut caput cieri, in ijs verò, qui vomere non possunt, in latera, in quo casu pensilis quoq. inæqualis esse debet, vt motus nauigationi similis efficiatur,* & Aetius. perseuerante purgatione. *lecto pensili reclinati commoueantur.* paulò post subdit. *assidue per lectum pensilem agitentur.*

Mulieres infantulis solent parare lectos pensiles, sursum, & deorsum; vel ad dextram & sinistram ad somnum cõciliandum. sed de forma lecti, mobilis, & pensilis egit etiam Santorius in prima fen. Auic.

De Spongijs. Sectio I I.

Quid sint Spongiæ notum omnibus est; horum vsus mechanicus ad nos nõ pertinet, nec etiam quos habeat apud Medicos vsus. solum considerandum, ad quid in Vomi- *Foměta ex spongijs.* tuns præpararent Antiqui spongias reperio quid in Oribasium ex Antyllo transcribentem ad magnum singultum sedandum partes extremas vinculis excipere, easq. calefacere, tum fomentis, tum in aquam calidam infundendo; sed fomenta cum spongijs fieri solent. si verò immodici sudores superuenerint. ait. *Corpus spongijs aqua frigida, aut posca imbutis, & expressis, abstergendum.*

De Posca. Sec. I I I.

Posca vtebatur Antyllus perfundendo corpus nimio sudore relaxatum. *Posca contra sudorẽ.* est autem posca mixtum ex Aqua, & Aceto, & secundum quod Posca recipit plus, & minus Aceti validioris, vel debilioris, dicitur etiam Posca diluta, posca meraca, & mediocris. vbi notabimus Erratum in libro de Dinamidijs Galeno falsè tributo vbi legitur. *Poscam sic fac. ℞. Aquæ partes 4, Vini tres, & coquantur.* Galenus autem in sputo sang. 5. meth. dedit Poscam dilutam. & Hipp. lib. de Nat. mul. n. 101. facit fomentum ex posca meraciore influxui muliebri. Oxycratum vocant græci.

De Melicrato. Sec. I V.

Melicratum, & Hidromel Græcè, latine est Aqua mulsa, *Hidromel duplex.* scilicet mistum ex aqua, & Melle. duplex. aliud coctum, aliud verò crudum. Coctum in vsu est Polonis Medonem vocant, potens est, & validum, & quandoque inebriat. Antiqui pro Vomitu vtrumq. parabant, tum coctum, quia ex Dioscoride, datur imbecillis, & hominibus elanguescentis pulsus, & ijs, qui immodico sudore digeruntur, hoc igitur Vini loco esse potest ad roborandas vires; tum etiam crudum, quia ex Dioscoride. *Crudo vtimur cum molem deiectionem, aut vomitionem incitare volumus, & ijs, qui venena sumpserunt ex oleo.*

Quo ad præparationem scripsit Dioscorides. *Præparatio.* *Fit duabus pluuiæ aquæ veteris ad vnam mellis partem additis, & insolatis. Alij fontanam aquam adijciunt & ad tertias partes decoquunt, & reconduut.* Verum hoc modo paratum erit tympus valde densus. ex Mesue. *Ex Mesue.* *Fit è libra laudatissimi mellis cum Aquæ fontanæ libris octo in vase fictili vitreato lento igni decocta, despumatáq. verum linteo percolata. Verum si aqua hæc paulo post bibenda erit, aquatior fiat, & statim à sublata spuma percoletur. Nam quæ longa coctione inlapij consistentiam acquirit, diutius quidem seruari potest, sed ægrius penetrat in remotas corporis partes, &c.* sic Antidotarium Augustanum, & alia Antidotaria cum Mesue ponũt Mellis lib. j. Aquæ lib octo. Sed Antiqui cum Dioscoride Mellicratum parabant. Palladius *Palladij.* enim lib. de Agricultura Mense Iulij titulo 7. de Hydromelite scripsit. *Inchoantibus caniculatibus diebus aquam puram pridie sumis ex fonte. In tribus aquæ sextarijs, vnum sextarium non* despu-

despumati mellis admisceš. ac diligenter per carenarias dusfum quinque horarum spatio continuo per inuestes pueros curabis agitare vasa ipsa concutiens, Tunc 40. diebus, ac noctibus patieris esse sub cælo. sic etiam Dionisius Vticensis lib. 8. Agriculturæ. parat crudum, sed in Vmbra ponit per x. dies foramine relicto ad perspirationem. nos credemus Hippocratem velle Mellicratum Antiquo modo paratum, sicut, & sequaces datores Ellebori.

Quale mellicratum sumendum.

Præterea Antiqui quatuor Mellicrati species requirebant cum Hyssopo, cum Origano, cum Ruta, cum Tymo. sed videntur esse superflua, quia, vt diximus aliàs Hyssopus, & Origanum parum differunt. ita etiam Ruta, & Thymus sunt similis facultatis, & facultate calida. nec ex Oribasij scriptis colligere queo quando in Elleborismo vterentur Mellicrato Rutaceo, quando vero ex Thymo, vel alijs. sed obseruemus, quæ retulit Aetius ex Antyllo, & Possidonio. & ait. *His verò, qui circa mediam purgationem singultiunt, aquam mulsam damus, aut decoctum Rutæ, & aquam tepidam in potu.* deinde subdit. *Perseuerante vero purgatione oportet dare aquam mulsam calidam absorbendam, in qua decocta est Ruta.* Oribasius autem ex Antyllo ita refert. *His autem in media purgatione, cum singultu vexantur, Melicratum, in quo Ruta sit incocta sorbendum damus.* postea addit. si non sequatur purgatio. *Melicratum in quo Hyssopum, aut Origanum, aut Thymum incoquatur, sorbendum dabimus.* non multo post ita docuit. *Quoniam nonnulli difficulter vomunt, & ideo suffocantur, & sæpe etiam voce priuantur; id circo strangulationem sedabimus continua Melicrati sorbitione, in qua Ruta præcipue sit incocta, siu minus aliquid eorum, quæ prædicta sunt, idq; paulatim; & continenter propinabimus.* Demum ad Singultum scribit. *Si verò fuerit contentus, & vehemens, & multis os vibret, & quatiat, & conuulsiones inducat, in primis Melicratum dabimus; quod in singulis ictibus calidius absorbeatur, parum autem Rutæ simul decoquatur, aut per se succus exprimatur, & singulatim, aut ex Melicrato, aut calida aqua sorbendum exhibemus.* Et hæc de Melicrato, tum simplici, tum composito ad Vomitum adiuuandum.

Quadruplex.

Ad singultum.

Ad strangulationem.

De Oleo Cyprino; Sect. V.

Oleum, & Vng. cyprinum.

Nec Hippocrates, nec Dioscorides Olei Cyprini meminere, sed Galenus 4. de composit. med. per g. dicit differre Oleum Cyprinum, & Vnguentum. proposuit autem aliquot pharmaca ex Asclepiade lib. eodem & 8. 5. ad stomachi affectiones, & 2. per genera c. 2. de Emplast. Andromachi. Oleum Cyprinum astringere cum caliditate scripsit. & lib. 4. c. 7. emollire dixit, sed quid hoc nobis conducit, si nescimus eius præparationem? Ergo ex eodem Aetio explicari debemus Olei cyprini compositionem, qui sermone primo Oleum Cyprinum sic descripsit. (licet Nicolaus Alexandrinus c. 713. multo copiosius confecerit) & hunc sequutus est Nicolaus Mirepsius à fuchsio translatus.

Ex Aetio.

℞. Olei sextarios xxv.
Cyperi.
Helenij.
Iridis, an. lib. j.
Sampsuci.
Hissopi. an. quadrantem.
Sem. Viticis.
Salutæ. an. quadrantem.
Floris Cypri, seu Ligustri. lib. j.

Et hoc duabus cocturis coquitur. Nam reliquæ omnes species Vino odorato rigatæ pridie, postea oleo infarctæ coquuntur ad horas sex. sequenti die Oleum excolatur, & affusa aqua pura tertia Olei parte flos cypri imjcitur, vna cum tenerioribus ramulis non contusis, si vero siccus sit, contusis, atque ita coquitur hora vna.

Calefacit Cyprinum non instrenue, estq; tenuium partium, & ad vteros amplius perfrigeratos valde commodum. Nam crassos in ipsis humores attenuat. Cæterum vbi copia fuerit herbarum viridium Cyprinum sic præparatur.

	Nicolaus.
℞. Olei sextarios xv.	sextar. 60. semis.
Cyperi.	
Helenij.	
Iridis. an. semissem.	an. vnc. iij.
Sampsuci.	
Hyssopi.	
Saluiæ. an. sextantem.	vnc. j.
Viticis folior. Virid. sextantem.	
Fol. Citri viridium quincuncẽ.	v. iij ÷
Chamælibani viridis. trientem.	vnc. ij.
Fol. Lauri virid. quincuncem.	vnc. ij.
Cypri florum dextantem.	vnc. vj.
Opobalsami semissem.	vnc. iij.

Oribasius ex Antiquorum sententia 8. Collect. refert Cyprinum Oleum conferre ad Vomitum excitandum digitis eo inunctis, & in os immissis. Aetius verò ex Antyllo, & Possidonio. ser. 3. c. 133 ait. Penna Cyprino intincta irritandum esse Vomitum.

Hoc Oleum Cyprinum nõ est in vsu. nec parari potest, quia desideratur Opobalsamũ. ideo nec quid sit Cyprus, vel chamælibanũ, & alia declarare aggredior. Antidotarium Romanum docens modum parandi Olea per impressionem. ponit Cyperi, seu Alchanæ flores ad vnc. iiij in lib. j. Olei, & tertio repetit infusionem.

De Oleo Melino, seu e Cydonijs. Sec. VI.

Debemus sumere Oleum Melinum ex Cydonijs paratum, vt iubet Aetius serm. 1. sed quia præstantius est, quod nunc in Officinis paratur, & in Antidotario Romano clare describitur, super quod legitur etiam nostrum commentum, ideo de eius præparatione hic verba non faciemus. laudauit ipsum Aetius ad partum refrigerandum, & multum adstringendum, vt stomacho familiare ipsum proposuit pro eo inflammato, & debili irrigandum, & in epithematis impositum, ac potum.

Oleum Melinum præstantius.

Ad sistendũ Vomitum.

Tamen ad Vomitum adiuuandum Oribasius proponere Oleum Melinum, aliquis censere posset, sed aliter se res habet; Quia è contra corrigit nocumenta Vomitus. nam Aetius. ser. 3. cap. 118. ex Oribasio. scribit. *Oleum melinum, & Vinum calefactio & in hoc linteum tinctum ventri admouet*. ad purgationis excessus fortasse etiam in nimio sudore, hoc oleo corpus. iniungebant.

De Oleo Irino. Sec. VII.

Hoc oleum ex iridis radice cōponitur. Dioscorides quidem proponit Vnguentum irinum; sed nos sequemur descriptionem Olei irini ab Aetio allatam, qua censeo vsos Antiquos in Vomitu, & ipsum Aetiũ.

Ex Aetio.

℞. Iridis.
Aspalathi.
Cyperi.
Helenij. an. lib. v.
Opopanacis semissem. quidam verò quadrantem.
Anchusæ sextantem.
Olei sextarios. xxx.
Aquæ. sextarios. xv.

contunduntur omnia crassius, & macerantur biduo, deinde coquuntur horis sex, tum inijcitur Opopanax Vino præmaceratus, ac tritus.

Aliquando ad prædicta additur.
Floris iunci odorati
Ligni Balsami.
Nardi celticæ. semissis.
Cassiæ. quadrans.

aduertendum, quod Cyprus, & Cyperus differunt.

Vis huius calfactoria est: sed non actis, præterea perfrigeratis partibus commodat, roborandiq. ac molliendi vim quandam possidet.

Vsus Olei.

Vtuntur tamen hoc Oleo Oribasius, & Aetius veluti Cyprino ad Vomitum incitādum. Penna, digito, vel digitali eo inuncto in guttur immissis ad vomitum prouocandum. sed vsui etiam esse potest perfrigeratis extremis, & conuulsis.

De Oleo Rosaceo. Sec. VIII.

Oribasius simpliciter scripsit *Oleum rosaceum* esse præparandum pro Vomituris. sed hoc duplex est completum, & Omphacinum. quorũ compositio, & in nostro Antidotario Romano extat, & omnibus pharmacopeis nota est. quærimus vsum in vomituris, vel vomentibus. quod ex Aetio serm. primo. *refrigerat, humectat, mitigat, & somnum inducit*. sed loquitur de Omphacino. quod aliquantulum etiam adstringit, & in vsu erit ad inunctiones, & frictionẽs, prout paulo post dicemus. ita Oleum ros. completum relaxat magis, & lenit.

Facultas Olei rosacei.

De Oleo communi. Sect. IX.

Iubet etiam Aetius, vt sint in promptu Oleũ Narcissinũ, & Oleum Sycioniũ. Et quidem Oleum commune non modo secundum Regiones differt, & species, verum etiã secundum ætatem, & secundum maturitatem, & denique secundum præparationem; vnde diuersas facultates sortitur.

Regiones quidem diuersas diuersæ facultatis Olea producere, perbelle docuit Galenus scribens. *Ex agresti Oliua oleum expressum squalidissimum est ex omni Olei genere, & post Istricum quoque; deinceps illis est Hispanum. Pinguissimum est Libycum, & Cilicium: simul autem pingue, & tenue Sabinum. In medio comprehensorum omnium sunt, tum id, quod per Cycladas insulas nascitur, tum quod per Graciam, Asiamque.* sed Plinius lib. 15. art. *Principatum in hoc quoque bono obtinuit Italia toto Orbe, maxime agro Venafrano, eiusq. parte, quæ Licinianũ fundit oleũ. Vnde & Liciniæ gloria præcipua oliua. Reliquũ certamen inter Istriæ terram, & Beticæ par est. Vicina bonitas Prouincijs est, excepto Africæ frugifero solo.*

Diuersitas Olei ex Regionibus.

Species autem Oliuarum plures sunt. licet duas tantum proposuerit Dioscorides. Agrestem nempe, & satiuam. Plinius posuit. Pausiam, Orchitem, Radium, Liciniam, Culminiam. Neuiam, Cotum, Cuminiam, Contiam, Sergiam; meminit etiam Oliuæ Aegyptiæ carnosissimæ. Decapolis verò Syriæ per quam paruarum nec cappari maiores carne tamen commendatæ. Columella Oliuarũ decem genera numerauit. sed multo plura reperiri non est dubitandum. nam alij numerant Aethiopicam, Boemicam, Indicam &c. & ita secundum diuersas plantarum, & fructuum formas necesse est diuersum exprimi succum Oleosum.

Genera oliuarum.

Variant

Ætas Olei. Variant etiam Vires olei ob ætatem. nam recens præstat ad cibum, quo autem vetustius, ex Dioſc. ac pinguius, eo ad medicamenta aptius est. Vetus enim magis calfacit, & vehementius diſcutit.

Maturitas Oliuarum. Differt ſecundum maturitatem ex Oliuis immaturis omphacinum, ex Maturis completum.

Qualitates. Differt denique Oleum colore, ſapore, & Viribus ſecundum diuerſas præparationes. nam aliud Oleũ præbet Oliua ex arbore manu decerpta. vt docuit Plinius. aliud vero per ſe decidens. aliud item exprimitur ex Oliua coaceruata, & ex ſe incaleſacta. aliud in tabulato ſparſa ſeruata, aliud verò ſtatim decerpta.

Oleum Sicyonium. Ita etiam Dioſcorides docet candidum Oleum parare admiſta aqua, &c. ſic lotum, & illotum differt.

Sicyonium verò Oleũ à Sicyonia regione, vbi maximè fieri conſueuit, cognomen accepit, hoc Aetius in promptu adeſſe pro Elleboriſmis iuſſit. eius parandi ratio apud Dioſc. hæc erat. *In lebetem oris lati, ſtanno inductum, funditur noui olei albi, quod crudæ Oliuæ reddiderunt, congius vnus, aquæ ſemicongius. Lanti id igne coquitur, leniter mouendo: vt vbi bis efferbuit, & ſubtracto igne refrixit, innatans oleum concha decapulatur, & adiecta noua aqua conferueſcit, & reliquis, vt diximus, peractis, reponitur.*

Sed in Antidotario Noſtro Romano legetis aliud Oleum Sycioniũ. quod ℞. Olei dulcis, partem vnam. Radicis Cucumeris Aſinini contuſæ. ſucci eiuſdem radicis. an. part. ſemis. decoq: omnia ſimul in duplici vaſe ad ſucci conſumptionem. cola, exprime, & reconde. Quod oleum in vſu eſſe poterit ad Vomitum excitandum.

Facultas Olei. Ex his præmiſſis modo conſiderandum, quæ ſint vires prædictorum oleorum, quæ in Helleboriſmis adhiberi poſſint. ex Dioſcoride habemus, quod vtile ſtomacho ſit, eo, quod aſtringat. & ſudores ſiſtat. item quod calefaciat, à perfrictionibus corpus tueatur, ipſumque promptius ad obeunda munera reddat. Vetus autem Oleum magis calefaciet, & vehementius diſcutiet. è Silueſtri oleum magis aſtringit. Sicyonium Aetij magis calefacit, febri, ac neruorum vitijs prodeſt. Galenus dixit eſſe humidum, & moderate calidum (illud vero ex cucumere ſolutiuum eſt) ſed omphacinũ aſtringere, & refrigerare.

Vſus Oleorum. Aetius docet horum oleorum vſum in Helleboriſmis, vt perſeuerante purgatione demus aquam cum oleo. aut penna oleo linita vtamur. in contractionibus autem crurum, & manuum liniamus fortiter illinendo, ac calfaciendo, & fricando extrema, & muſculos in ſuris. Sit autem oleum Sicyonium Aetii, aut quoddam ex mollientibus, & laſſitudinem, ac dolorem eximentibus Acopis appellatis. & ſubdit Aetius. oleo multo dulci totũ corpus maxime verò contractas partes illinamus. Et Oribaſius ex Antyllo. tranſcripſit. Oleum Sicyoniũ, & vetus, & ex Acopis, quæ calfaciunt, & molliunt lenire cõtractiones ſoluere. Quare valde vtile erit oleum in Elleboriſmo.

Sed vt oleum ſit Vomitorium ſupra lib. 2. c. 60. docuimus.

Oleum narciſſinũ Aetij. De oleo autem Narciſſino dicam. Dioſcoridis miſturam eſſe abſolutam, & accipiẽdum oleum Narciſſinum ab ipſo Aetio traditum lib. 1. quod fit ſolis floribus Narciſſi in oleum dulce impoſitis, & inſolatis, & ter reiterata infuſione, ac inſolatione. hoc dicit valere, vt Anethinum; ſed eſſe calidius, & hoc vtendum in cauſis frigidis tendinum, & muſculorum, quia mollit, & humectat.

De Emplaſtris. Sect. X.

Quæ Emplaſtra. ORibaſius ſcriptum reliquit, ex Anthylli doctrina in promptu debere eſſe Emplaſtra, quibus ſuccurramus ſymptomatibus in Helleboriſmis ſuperuenientibus. nos modo dubitamus, de qualitate iſtorum Emplaſtrorum Oribaſius quidem Emplaſticis vtitur ad cohibendos nimios ſudores, ſed Emplaſtra Ventriculum Vomitu laxatum roborantia admouere licebit.

De Hellebori diluto. Sect. XI.

ORibaſius iubet in promptu debere adeſſe poſt aſſumptũ Verattrum etiam Veratri dilutum cremorem vocat Aetij interpres, parabatur ex Aetio hoc modo.

Ellebori cremor. ℞. Hellebori ramentorum. dra. v.
Aquæ pluuialis Heminam ſemis.

macerentur ad triduum, deinde colentur, & calefiant, vaſe duplici, & exhibeatur totus cremor. aliud autem eſt decoctum. dabant ex Aetio, & Oribaſio hanc aquam ſenibus, & pueris, & iis, qui laxiorem corporis habitum habent, qui leuem morbum habent, & qui facile ſtrangulantur.

Vt proſit. Sed in iis, qui iam Helleborum in ſubſtantia aſſumpſerunt, ſcribunt iſti. *Si vero valde vexentur à ſtrangulatione, cremoris Veratri cyathos tres, aut quatuor offeremus, Nam ex qualitate adiuuat purgationem.* & addit Oribaſius reprobanda eſſe alia vomitoria, quia Ellebori dilutum eiuſdem qualitatis cum Helleboro eſt, & eius purgationem adiuuat. ſed alia vomitiua, cum diuerſæ qualitatis ſint, ſtomachum ſolum irritant, Helleborum verò non commouent.

medicamentum attractosq. ab ijs humores concoquunt. ergo tantum abest, vt somnus adiuuet med. actionem, vt concoquat, tum ipsum medicamentum, tum etiam ipsos humores attractos.

Quæstio. Sed hic sese insinuat alia Quæstio. cur pilulæ dentur eunti dormitum, cui quæstioni iam satis fecimus libello nostro de Aloe. sed Vomitoria non habent locum post cænam, quia somnus faceret deiectoria; sed alij admiscent purgantia cum somniferis, vt in doloribus colicis, quando intendunt, sedare somno dolores, & euacuare simul materiam peccantem, quod discutere non est huius loci. quia non vomitoria, sed deiectoria cum narcoticis miscent. nos autem nunquã legimus Vomitoria cum narcoticis mista profuisse, quia ex opposito agunt, nec simul, nec vnum post aliud; quia ex somno quies Vomitum sedat, & quies ex somno Vomitum excitare nequit.

Solutio.

De Repletione, & Inanitione ante Vomitum.
Cap. V I.

IAm constat, quod vomitus indicetur a repletione, oportet enim, vt adsit materia per vomitum euacuanda, quæ sit superflua, nec naturæ amica. sed hic consideramus repletionem, & inanitionem in ordine ad Vomitum. sic Hipp. ad assuefaciendum hominẽ ad Vomitum, ne elleborismus postea illi obsit, replet corpus pluri cibo, & potu, deinde imperat vomitum, vt supra pluribus ostẽdimus. ex 4. aph. 13. & libello de Veratri vsu, & alibi. Sic etiam ad facilitandum vomitum confert magis repletio ciborum, quã carentia in ventriculo, humores enim crassi misti cum cibis facile educuntur, qui per se soli, nimis ventriculo adhærentes educi nequirent, vel maximo cum Ventriculi conatu. Pariter etiam ad Abstergendum, & eluendum ventriculum confert ciborum, & potuum repletio, præcipue facultate abstergentium, quæ copia grauans ventriculum eius facultatem expultricem irritat.

Ad assuefaciendum.

Ad facilitandum.

Ad Abstergendum.

Qui ieiuni vomunt magis laborãt in Vomitu, sed cum euacuare per Ventriculum totum corpus studemus, non tamen materia in intestinis existens ad Ventriculum est trahenda. est profecto ad principium intestini crassioris valuula prohibens fæcium ascensum, ea tamen ob maximam vim Vomitus posset labefactari, & fæces ad Ventriculum trahi violenter. vnde iure Antiqui consulunt, vt intestina prius mundificentur. sic Oribasius 7. Collect. c. vltimo ex Ruffo. scribit primo assuefaciendum ægrum ad Vomitum frequentatis Vomitionibus. *Post vltimum vomitum vnam diem intermittere, antequã Veratrum sumat, quo die Clysteri vacuetur, tum lauetur, tam exiguo cibo nutriatur, sequenti die Veratrum dandum.* & lib. 8. c. 1. ex Archigene docuit. *Ne superiora loca vitientur, venter est prius inaniendus* deinde repetit, *aluum esse emolliendam.* Aetius vero ser. 3. c. 127. ex Antullo, & Possidonio. vult, quod *aluus subducatur.*

Ne trahatur mat. ad Ventriculum.

De Animi Accidentibus Vomiturorum.
Cap. V I I.

ANimi Accidentia ex Gal. in Arte medic. sunt ex rebus necessario corpori occurrentibus, quæ diuersimode occurrentia, qua sanitatem conseruare, vel efficere, quã morbum producere, augere, minuere, & tollere solent. Qui igitur Elleborum, vel aliud validum Vomitiuum sunt assumpturi, magno aliquo animi affectu vires deijciente vexari non debent. sed pacato esse animo, & viribus robustis. ob id Archigenes apud Oribasium lib. 8. c. 1. volebat, vt qui Elleborum sumpturi sunt, *corpore robusto, & animo costanti sint.* & paulo post ait *bono animo sit, & elata mente vomitui à cæna sufficiat.* Ruffus autem apud eundem lib. 7. c. 26. de superiori purgatione verba faciens ait. *neque timidi, neque ij, qui pusillo sunt animo; nam si in vlla re aliud, tum vel maxime in hac forti animo est opus, quam ob rem, neq. mulieres, neq. pueri, neq. senes apti admodum sunt, vt per superiora purgentur. quippe cum hi timidi sint omnes.* & Herodotus apud eundem Oribasium lib. cit. 8. cap. 3. scripsit non conuenire Elleborum *timida natura, nam in eiusmodi cum his, serius datus eis fuisset Elleborus, maxime morbi sunt exorti.* Aetius tetrab. 3. c. 124. dicit ineptos esse ad Veratrũ *pusillanimes.* quapropter Medicus daturus alicui medicamentum vomitorium, prius considerare debet, patientis naturam circa animi affectiones.

Timiditas repugnat.

Fomenta Præparantia ad Vomitum.
Cap. V I I I.

HIpp. ante Vomitum sæpissime præscripsit Vsum fomentorum. vt primo de Diæta n. 34. ad stolidos, ait, *confert, & fomentis vti, & vomitibus à fomentis.* tum l. 35. Despicientibus, stupidis, & melancholicis. *Fomentis vti, & à fomentis Veratris expurgari.* & pagina vltima. *Subfuriosos*, inquit, *conueniens est etiam Vere Veratris purgare fomentis antea præparatos*: & de Insomnijs n. 6. *Bonum est, & fomentis vti, à fomentis vero vomere*. & 2. de Morb. n. 12. in morbo capitis, & repletione. *Si morbus reuertatur fomento per totum corpus adhibito, postridie Veratrum bibendum dato*, & n. 39. ad Quartanam. *fomentis ipsi adhibitis Allium dato, &c.* & n. 49. Tabes dorsalis. *Si ab initio curandum suscе-*

Vsus fomenti.
In stolidis.
Melancholicis.
Subfuriosis.
Morbis capitis.
Quartanæ.
Tabi.

susceperis, fomento per totum corpus adhibito medicamentum sursum purgans bibendum dato.

Præterea de inter. Affect. n. 11. in prima spetie Tabis. ait. *At si tibi visum fuerit, ante pharmacum fomentum adhibeto, & sic pharmacum dato. Si verò dare nolueris, facto fomento, vomitum ex cibis facere cogito*, & sic etiam curat secundam Tabis speciem. & n. 13. in tertia Tabis specie subdit. *Primum fomentum adhibeto, & vbi fomentum adhibueris, postridie aqua mulsa, &c.* & n. 34. in Tipho. *Veratrum ipsi dato, toti corpori antea fomento adhibito.* & n. 33. in alio morbo crasso. *Curare verò oportet iisdē quibus hidropicum, fomentis scilicet, & pharmacis.* & in Coxendice n. 54. si à mansione In Sole fuerit. *Corpus ipsius fomento humectetur*, deinde subdit. *Non multa aqua lauetur, & quum tibi bene habere visus fuerit, & corpore humidus esse, leni fomento vehementer foueto, magis enim remittit, & condensationem ex articulis humectat ac relaxat.* quo loco apparet aliud esse lauari, aliud vero fomento vti, præterea si adest *lene* fomentum debet etiam adesse *validum* fomentum. insuper *vehementer* foueri, & *debiliter* foueri. officium autem fomenti erit *humectare*, & *relaxare* condensationem ex articulis. deinde n. 55. ait. si verò à bile morbus fiat. *Postera verò, aut tertia die adhibito fomento lacte asinino cocto subpurgato:* & 56. si vero à pituita ægrotet. *Cnidium granum, adhibito prius fomento, bibendum dato.*

In Tipho.

In coxendice.

Lotio, & fomentum diuersa.

Fomentum lene, & validum.

Leni fomento, vehemēter fouere.

De Nat. Mul. n. 29. *Postquam autem fomentum adhibueris, lenticula decoctum bibendum dato, ac reuomendum.*

Et primo de Mor. Mul. 25. ad Menses pituitosos. *Has totas fouere oportet, & frequenter vomere.* paulo post addit. *Fomentum tamen semper purgationibus præmittendum est, prius id, quod ex fœniculo paratur.*

Ad menses pituitosos.

Deinde lib. 2. n. 49. in Vtero concluso. *Totam foueto.* libro autem de sterilib. n. 8. Si genituram non suscipiat mulier, &c. *Huic post fomentum toto corpori adhibitum, pharmacum bibendum dare oportet, & corporis purgationem primum facere siue sursum, & deorsum, siue deorsum solum, & siquidem sursum purgans pharmacum dederis, ante purgationem fomentum ne adhibeto; sed postea: at fomento prius facto, pharmacum deorsum purgans bibendum dato: si verò sursum purgāte non opus habere videatur, præmisso fomento deorsum purgans bibendum dato.* & eadem ferè verba repetit Hipp. lib. de superfœtati. n. 14. scribens. *Vteri stomachum præ caliditate genituram non suscipientem sic curato. Huic per totum corpus fomentum adhibere oportet, & pharmacum bibendum dare, & corpore primum purgatam, ac mundam reddere; siue superne, & inferne opus habuerit, siue supernè solum. Et si quidem superne purgans medicamentum dederis, fomentum ante purgationē non præmittas, verum fomentum adhibebis inferne purgaturus. Si verò supernè purgante medicamento non egere videbitur, præmisso fomento, inferne purgans bibendum dato.* & hic notandum, & diligenter causa inquirenda, quod cum Hipp. sæpissime ante Vomitum fomētum præscribat, cur modo vice versa negat ante Vomitum, iubet ante deiectorium. An nè nimis relaxetur os vteri?

In Vtero cōclusa.

Si geniturā nō suscipiat

Animaduersio.

Præterea de sterilibus n. 11. scripsit Hipp. *Vbi fomentum toti corpori adhibueris, medicamentum bibendum dato, sursum, ac deorsum purgans.* & de loc. in hunc n. 35. in Tabe. *Medicamentum potandum præbe elaterium deorsum purgans de cætero fometis vtere.* & n. 36. de Hydrope in puero. *fomentis vtendum.*

Aduertamus nos, quod Hipp. aliquando dicit simpliciter *fomentum adhibendū.* aliquando verò *totum corpus fouendum*. vnde aderit fomentum totius, & non totius corporis. aliàs in affectibus mulierum fomenta plurima præscribit pro solò Vtero fouendo.

Diuersitas fomentorū.

Aduertamus secundo, quod fomenta differunt à lauatione, & à balneo. sic 3. de Diæta n. 10. primo fouet, deinde multa calida lauat. postea 2. de Morb. n. 13. ait. *Si quidem frigus fuerit, præfoto, ac calida loto* n. antem 39. ad Quartanam. *Fomentis*, inquit, *ipsi adhibitis allium dato, &c. altera verò exacerbatione, vbi multa calida laueris, & stragula ipsi iniexeris, donec exudet, statim Veratri albi radices, &c.*

Differentia fomenti, lotionis, & balneo.

De Inter affect. n. 47. in Volúulo scribit. *Intermedijs verò diebus vomitus faciat per sextam diem; verùm aliàs, atq. aliàs ante Vomitum, & pharmaci potum fomentum adhibere oportet, & per tertiam diem lauetur, si conducat.* & hic clare patet lauare post fomenta, & confirmatur mea sententia ex primo de Morb. Mul. nu. 91. vbi habetur. *Si toti ipsius corpori per tertiam, aut quartam diem fomentum adhibueris, & à fomentis statim vomitus feceris. post Vomitus autem, & fomenta diætam, &c.* mox subdit. *& vt à fomentis ipsam laues multa calida, &c.*

In voluulo.

Aduertendum tertio, quod fomenta alia sunt mollia, alia fortiora. sic Hipp. 3. de Diæta n. 10. scriptum reliquit. *Verum oportet prouidere antequam ad morbos prouentant, & hoc modo curare, vt maxime mollibus fomentis hominem foueamus, aut si id fieri nequeat, multa calida lauemus, & corpus dissoluamus, &c.* mihi videtur hic Hippocrates innuere fomentum esse medicamentum fortius lauacro. & molle fomentum à calida lotione distinguere.

Fomētamollia, & fortia.

Fomentum est fortius lauacro.

Vires, & facultates fomenti videtur indicasse Hipp. lib. de loc. in homine, n. 20. scribens. *Oportet pituitam innatam compactam, ac congelatam attenuare. aut fomento, aut medicamēto.* vnde postea n. 33. in Hydrope. *Siquidem*, inquit, *magis ad cutim secesseris* (s. fluxio) *externis partibus fomentum adhibebis.* & de Insomnijs n. 4. *Fomentis vti; nam per corporis cuticulā purgationem facere expedit, propterea quod in externa circumferentia offensio, ac læsio existit.* Ergo fomenta pituitam dissoluunt, & purgant per cutim. cum autem Hipp. 2. de Morb. n. 12. scripsisset in quodam capitis affectu, *Si verò*

Fomentum attenuat.

Fomenta purgant per cutim.

morbos reuertatur fomento per totum corpus adhibito; postridie Veratrum bibendum dato. Petrus Salius in suo 21. com. ait. *Monet per triduum ante Hellebori potionem totum corpus calido fomento fouendum esse. Sed ad quam intentionem? Monebat Hippocr. 4. aph. 13. eorum, qui non facile per superiora purgantur corpora ante Hellebori potionem pluri cibo, & quiete humectanda esse, humectata enim corpora facilius euacuantur, cum hinc ambitus facile solubilis euadat, & humores fluxioni, & euacuationi valde paratos habeat. Ad hanc similitudinem hoc in loco monet, per triduum totum corpus fouendum esse, s. vt hinc habitus laxior euadat, & humores ex calore fusi euacuanti medicamento facile cedant, & prompte educantur. Nec quietem sane, nec cibum humectantem in hunc vsum recepit, quoniam quies nequaquam sufficiens est ad proportionem tantæ cacochymiæ. cibus autem humectans inconueniens, tum quia debet esse copiosus, vnde potius natura grauis, quam vtilis in malis his hauimbus foret, tum quia humiditate potius morbum, qui siccitate insurget, foueret, quam quod humores præpararet. Cum igitur hæc duo nusquam conueniant, hoc tertium machinatus est Hipp. ad præparandum corpus ad Helleborismum.*

Facultas fomenti.

Diuersitas fomentorū.

Fomenta igitur alia sunt vniuersalia, alia particularia, alia humida, alia sicca. alia mollia, alia fortiora, alia calida, alia non calida, alia Vaporosa.

Fomenta particularia vni alicui parti adhibentur, vt lateri, Ventriculo, Vtero, capiti, auri, oculo, &c.

In Pleuritide Thoraci.

In Pleuritide Hipp. de Victu Acut. n. 11. multa nos docuit, scribens. *Cæterum in Pleuritide, siue ab initio fiat, siue postea, calidis fomentis primum dolorem soluere tentandum. Ex calidis verò fomentis optima est aqua calida in vtre, aut in Vesica, aut vase æneo, aut testaceo indita, Verum molle quid antea ad latus supponere oportet, lenitatis ergo. Commode etiam spongia, mollis, magna, ex aqua calida expressa apponitur. Contegere verò stragulis ipsum fomentum oportet; nam & ampliore tempore sic sufficiet, & durabit, & simul ne vapor ad ægrotantis spiritum afferatur, nisi fortassis, & hoc ad aliquid commodum esse visum fuerit; aliquando enim ad aliquid commodat. Insuper autem, & Ordeum, & Eruum in Aceto diluto, ita vt paulo acidius sit, quam vt quis bibere possit, dissoluta, ac feruefacta, & in sacculis consuta, apponere oportet, & Furfur eodem modo. Siccum autem fomentum præbens Sal, & Milium torrefactum, in laneis sacculis conuenientissimum; nam & leue, & lene est Milium.*

Ventriculo.

Ventriculo verò etiam similia fomenta prosunt vt Ventri, Omentum Veruecis ex Oleis anodinis.

Vtero.

Vtero multa fomenta adhibuit Hipp. de loc. in hom. n. 61. ex Vino scribens. *In Vinum grossos immittito, ipsumq. vinum calfacito & Cucurbitam circum osculum vasis, in quo calet, addito hoc modo: Cucurbitam per medium diffectam euacuato, & summitate ipsius modice recisa, velut in ventriculis fieri solet, hanc ipsam vasi, velut operculum circumdato; quo odor per angustiam means ad vterum perferatur, insuper autem & calida aqua fouere, &c.* & 5. Epid. n. 7. curabatur, inquit, tepefactorijs vtriculis, & fomentis Erui per totum corpus: & hoc est per Eruum fomentum vniuersale. deinde n. 23. doloribus circa lumbos, & crura, & coxam ex laboribus obortis aquæ marinæ, & aceti calidi fomentum confert, ita vt vel aspergas, vel spongiam his imbutam adhibeas, deligare vero oportet lanis succidis, & pellibus agninis. & 2. de Morbis. n. 26. in Angina. post Cucurbitam affixam *fomentum ex aceto, nitro, Origano, & Nasturtij semine adhibeto,*

Fomentum Erui vniuersale.

Fomēta per aspersionē.

Alio modo præparat fomentum 2. de Morb. Mul. n. 28. *Cyperum tusum præparato testa conchæ mensura, & calamum unguentarium eadem mensura, & Iunci vnguentarij tantundem. Cumini item Aethiopici, & Anisi, & Rutæ siccæ, & Hyperici, ac Fæniculi seminis. Quum autem hæc præparaueris Vini austeri albi odoratissimi heminas sex in ollam infundito, & de contusis quadrantem inspergito, ac permisceto. Deinde vnguenti Ægyptij optimi, aut Amaracini, aut Irini, trium obolorum pondus affundito, permisceto, & molli fomento plurimo tempore foueto. Ante fomentum verò lauato, & duos, aut tres dies foueto.* & supra n. 24. docet fomentum Vterinum ex Allio decocto. deinde n. 25. aliud ex fœniculi radicibus. & n. 88. aliud docet ex Vino, fæniculo, &c. & n. 72. plura fomenta docet ad fluxum muliebrem. vt *Loliaceam farinam torrefactam in posca meraciore coquito, & linteo illitam pro fomento adhibeto.* & multa similia adiungit. præterea ait. *Aut cum eo decocto furfures triticeos subigat, & panem faciat, eoque calido lanæ inuoluto foueatur, &c.* & tandem addit. *Sed & fomentum adhibendum est cum spongijs calidis, & mollibus lanis, si dolore vexetur, & cum vasis testaceis aqua infusa & cum uesicis oleo calido plenis.* & de sterilib. n. 16. & 17. aliud fomentum Vterinum docet per Arundinē; & alia Vteri fomenta apud ipsum, & alios auctores legi possunt.

Aliud Vterinum.

Lauat ante fomentum.

Fomentum illitum.

Ex pane.

Fomentum per Arundinem.

Et ne longior sim circa fomenta, dico, fomenta dici quando panis, emplastrum, spongia, lana, panni, Vtres, seu Vtriculi, Vesicæ plenæ liquore, sacculi repleti, Omentū Veruecis, &c. imponuntur alicui parti, vel toti corpori, vt foueant, calefaciant, & diutius debent retineri, vt calor imprimatur: aliud est autem quum pars aliqua, vel totū corpus lauatur; aliud denique est, Balneum, in quo pars, vel totum in liquore illo manet, per [illegible] tempus. sed de differentijs fotus per [illegible] per spongias, lanam, lintea. Glomos [illegible] Vtriculos, cucurbitas, sacculos, Vasa fictilia, & per infinitas alias res, leges [illegible], diligentissimum, & exquisitissimum, Marcum Aurelium Se[illegible] medicina, vbi hæc distincte enumerat [illegible] mirandum ingenium ostentans [illegible] ex vngue leonem.

Lotio-

Lotiones, & Balnea præparantia corpus ad Vomitum. Cap. IX.

Dixi paulo ante differre lotionem à fomentis, & Balneum differre à lotione, lauatur facies frigida, non autem fouetur aqua frigida, sæpius autē iubet Hipp. vt sumptum Elleborismum, lauentur, videlicet de salubri Dieta. n. 20. ait. *Calida loti prohibeant meri hominum, &c.* & de inter. aff. ad morbum à pituita. *Primum multa calida lauetur, quum vomitum facere voluerit*, & 3. de Diæta. n. 8. In præparatis ad morbum. *Exercitatum in consuetis exercitijs citra lassitudinem, calidaq. lotum, cibis, omnigenis expleto; oc. vomere facito.* & n. 11. ad repletionem inquit. *Si curam celerem facere velit, Veratro purgandus est, &c. Si verò medicamentum bibere nolit, multo calida lotus à cibis dulcibus, ac salsis vomat*, deinde in Ructu acido. subdit, *tutior curatio, primum quidem calida lotus Vomitum faciat, &c.* & n. 13. *Si quidem frigus fuerit, prafoto, ac calida loto.* & 2. de Morb. n. 39. ad Quartanam. *Altera verò exacerbatione vbi multa calida laueris, & stragula ipsi iniexeris donec exudet, flotim Veratri albi, &c.* & n. 53. *Vbi hominem exerceueris, & aqua tepida laueris, calidum hoc bibendum prabeto:* & libro de inter. aff. ad inflammat. Pulmonis. *Bibat autem hæc exercitatus, si fieri poterit, & multa calida lotus, sin minus saltem lotus*, & n. 21. in pituita populari. *Primum multa calida lauetur, quũ Vomitum facere voluerit.* & n. 47. in Voluulo scripsit. *Intermedijs verò diebus, Vomitus faciat per sextum diem verum aliàs, atque aliàs antè Vomitum, & pharmaci potum. fomentum adhibere oportet, & per tertium diem lauetur, si conducat.* ergo lauat Hippocrates 3. quoq; die, & 6. fouet. vnde rarius fouet.

Alibi etiam Hipp. meminit post fomentũ lotionis, vt primo de Morb. Mul. n. 91. *& vt à fomentis ipsam laues multa calida.* deinde si vteri ad coxam decurrerint. *multa calida lauato.*

Et ex his constat ante Vomitum Hippocratis morem fuisse corpora aliquando lauare aqua tepida, alias calida, & sæpe multa calida, interdum verò non multa aqua lauat, simplici lotione contentus.

Interdum Hippocrates negat corpus esse lauandum, vt primo de morb. mul. Si Vteri exciderint. vbi ita docet. *Veratro purgare oportet, & si non satis fuerit, etiam Vomitus facere, & non lauari.* credo, quia intendit Vterum sursum reuellere delapsum ob humiditatem; vnde fas est, corpus siccare, non autem lauacro humectare. sic 2. de morb. in morbo pituitoso. *Aliàs, atq. aliàs maxime tamen hyeme à lenticula decocto vomat, & calida quam minimum lauet; sed & ad Solem apricetur.* scilicet volebat Hipp. corpus siccare.

Vsus fuit Hippoc. lotione ad calefaciendum corpus, nam inquit, *Athenis virum cholera corripuit, &c.* & Veratrum bibit. *frigidus autem factus est, & lauabat susferne vsq. ad pudenda, calida valde multa, donec etiam superna partes calefacta sunt.*

Hippocrates 5. in 6. Epid. 29. *Veratrum epotum si celerius purgare vis lauare, aut cibum sumere oportet.* credo protinus lauandum, vel cibandum. Card. 2. aph. 9. & parum ante, & vbi Veratrum acceptum fuerit, & Gal. in com. *Lauacrum, inquit, humores fundit, ac si qua in parte contentum, duratumq. corpus fuerit, relaxat. Itaq. Veratro vtentes lauare conducit, neque multo ante, neq. multo post; quàm ipsum acceperint; sed maxime quidem ante assumptionem nõnunquam verò, & illico postea fieri potest. Quod si purgatione, aut iam incipiente, aut mox inceptura hominem laues, humorum à purgante medicamento tractorum ad interiora inclinationem retrahes, ac retardabis. Quemadmodum igitur, quibus sanguis crassus est, iis prius lotis nos venam rescindere, sic & in his, qui purgandi sunt, Balneo prius vti, præcepit, quo celerius simul, ac minus moleste purgatio fiat. ipse verò nunc solum vt celerius fiat memorauit. Satius autem fuerit, non eo dumtaxat quo medicinam assumit die, lauare hominem; sed etiam superioribus, quibus ad purgationem se se præparabat. ipse namq. Hippocrates, & id in Aphorismis praeceperat, cum scripsit. Ad Veratra iis, qui non facile purgantur, prius humectare corpus oportet alimento, & quiete. Quod si quiete, & alimento, & omnino corpus humectare imperat, cõstat etiam, lauationibus nos pluribus vti in aquis potabilibus ipsum velle, si quidem, & hæ humectant.* Petrus autem Salius 2. de Morbis. com. 23. in eadem fuit sententia, dum scripsit. *Cum in exhibendis bis pharmacis sursum purgantibus, corpus debeat esse laxatum, & humectatum, monet, si frigidior fuerit constitutio, quo tempore humores sunt concentrati, & meatus corporis adstricti, prius corpus fouendum, & aqua calida lauandum, vt hinc fundantur humores, & corporis meatus laxentur, indeq. facilis succedat prædictorum humorum euacuatio.*

Tandem de lauacro notandũ, quod Hippocrates de Victu Acut. n. 32. prohibet adhiberi, ne debilitet ægrum.

Balnei vsu præparat etiam corpora Hippocrates Elleborum sumpturorum, vt relaxentur, atq. humectentur. sic docuit 2. de Diæta ad lassitudinem in fine. *Oportet primum quidem ipsum Balneo non valde multo, neq. nimis calido lauare, deinde exhibito à balneo molli vino, &c.* tandem vomitum imperat. & de loc. in hom. n. 40. *Iterum sic curare oportet. quum susceperis nutrito, & balneis, & pinguefacientibus, potibusq. ac cibis humefactato per tres, aut quatuor dies, postquam autem humectatum fuerit corpus purgato.* & 5. Epidem. *Pausania filium ex fungi crudi esu anxietas tenebat, strangulatio, dolor ventris, Aquam mulsam calidam bibere, ac vomere profuit, & balneum, in balneo fungum euomuit.* quem sequutus Haly abbas scripsit. *Phlegmatici vomant post balneum, vt liquefcat humor, &* subti-

Lotio multa calida.

Fouet, & lauat.

Fouet, & lauat.

Lauatio prohibita.

Lauatio calfacit.

Facultas lotionis.

Quando lauandum.

Ad faciliorem euacuationem.

Lauacrum debilitat.

Balneo lauat.

subtilientur, dilatenturque meatus,

Scribimus pro Hippocraticis.

Nobis autem hæc præsciuisse sufficiat,qui hoc æuo, nec fomentis, nec lotionibus, nec balneis ad præparanda corpora ad vomitum vtimur, quia nec in sanitate alijs de causis hæc ipsa adhibemus:ob id ad hæc non assueti sumus, adde quod nec Elleborum, nec alia valida Vomitoria in vsum trahimus, nisi admodum raro. tamen. si quis Hippocratis doctrinam scire voluerit, has subtilitates nouisse, ipsum iuuabit.

De Sudore excitando ante Vomitum.
Cap. X.

OCcasionem tractandi de sudore præparatorio ad Vomitum præbuit ipse Hipp. dum sæpe requirit hominem exercitatum in consuetis exercitijs, ex quibus necessario sequitur sudor, sic 2. de Morbis, in morbo pituitoso. ait. *Calida quam minimum lauetur, sed & ad Solem apricetur.*& de inter.affect. *Igne, ac vestibus concalefactus Vomat*, nam corpora per vomitum siccanda, non vult Hippocrates aqueis fomentis, lotionibus, aut balneis esse humectanda: sed sudor nimius exiccat corpora, motum humorum ad cutim excitat, vnde potius prohibet vomitum, sed intelligendum de sudore exclusiue,non inclusiue; sed vt ad principium sudoris incalescat corpus, quo humores incalescant, liquentur, & fluidi euadant, simulq. meatus laxentur, & dissoluantur. non autem vt nimio sudore effuso, & exalatis, atq. expulsis per cutim aquosioribus partibus, humores crassescant, & quasi siccentur, & sic essent inhabiliores ad vomitum ipsorum eductiuum. sic Hippocrati satis fuit. lib. de affect. n. 15. in doloribus circa ventrem æstate. *Vbi igne, ac vestibus concalefactus fuerit, vomat.* satis nunquam fuit, vt excalefactus fuerit, & de Inter. affect.n.13. in tertia Tabis specie. *Deinde*, inquit, *Stragulis ipsum ad multum, ac quam longissimum tempus contegito. Si verò non substineat, & eum mere velit, vomat*.

Raro sudor ante Vomitum.

Aliquando tamen, reperio, Hippocratem magnum in ægris excitasse sudorem, vt 2. de Morb. 39. in Quartana. *Vbi multa calida lauetis, & stragula ipsi iniexeris donec exudet, statim Veratri albi radices, &c.* hic iam humectauit lauacro corpus, calore à stragulis excitato, & sudore intendit humores crassos dissoluere. Sed de int. affe. n. 30. in morbo Hepatico, *Tepida*, inquit, *exibenda dato, Deinde stragulis iniectis contectum sinito donec quam maxime exudarit*. Huic dederat Hippoc. oximel cum sale ad Vomitum prouocandum *si suffocatio accesserit*. procurat sudorem, & vomitum per pennam irritat, sic fortasse bilis, & pituita educentur. sed sudor copiosus debet liquefacere humores rebelles, licet eos exiccet, & crassioris substantiæ reddat educto ichore.

Cur ante Veratrum sudandum.

De Corporum humectatione.
Cap. XI.

SCripsit Hipp. 2. aph. 9. *Corpora quæcunq. quis purgare voluerit, fluida facere oportet*, deinde sect. 4. n. 13. inquit. *Ad Veratrum, his qui non facile sursum purgantur, ante potionem corpora humectare oportet, ampliore cibo, ac quiete*. Galenus in com. reprehendit eos, qui censebant Hipp. per fluida corpora intellexisse, quæ assuefacta erant ad vomitum, vel ad alui deiectionem, scilicet per quam partem Medicus purgare volebat, siue sursum, siue deorsum. vt alias nos diximus ab Hippocrate fuisse ægros assuefactos ad Vomitum, vnde censebant esse assuefaciendos ægros, vel ad vomitum, vel ad infernam deiectionem. reprehendit autem istos Galenus, quia censuit Hipp. aliquid maius hoc loco nos docere voluisse. & censet, ac si ita dixisset Hipp. *Siue per Vomitus, siue per alui subductionem purgare velis, postquam fluidum totum corpus effeceris, ita demum optime purgabis. Erit autem fluidum, omnibus meatibus reseratis, & humoribus incisis, atq. extenuatis, si quis fuerit humor in corpore crassus, ac glutinosus*.

Corpora fluida.

Galeni interpretatio.

Nos autem non debemus simpliciter Galeno credere, qui doctissimus quidem fuit; sed homo, vt nos, sic reor, quod aliud sit corpora fluida reddere, aliud vero humores fluidos reddere, censeo enim Hippocratem loqui de corporibus solidis, ab ipso dictis partibus continentibus fluidis reddēdis, quæ distinguuntur ab humoribus, & partibus contentis ab Hipp. alias dictis. & modo lego Galenum interpretantem de humoribus fluidis reddēdis per extenuantia crassos humores, & incidentia tenaces, & aperientia meatus, quod non video, nec lego ab Hipp. vllatum, vnde cognosco discrepantiam inter Hipp. & Galenum, & quod Gal. non bene nouerit mentem Hipp.

Contra Galenum.

Galenus nō intellexit mentē Hip.

Verum quia censeo idem esse corpora fluida facere, vt ait Sect. 2. ac corpora humectare, vt docuit sect. 4. Aphor. dico Hipp. corpora fluida, atque humida facere; tum multo cibo. tum quiete, quo autem modo Hipp. vsus fuerit pluri cibo ante Vomitum, satis diffuse ostendi supra cap. 2. sic per multum, & varium cibum, & potum, corpora laxa, fluida, & humida redduntur, vt corpora humectata facilius tractantur, mouentur, dilatanturq. & in vehementi motu, qualis est in valido vomitu, ne particulæ ad vomitum concurrentes dirumpantur, & vt facile cedant, relaxentur, & viæ patentiores sint, opus est humectatione plurima. hoc sit exemplū ex primo de Mor. Mul. 9. *Cum verò vomitum*

Demonstratio.

præpa-

præpares, multis, & acribus oleribus opus habes, quibus ipsum impleas, multis etiam cibis, & obsonio quodcumque volueris, & vt impleas ipsum mulso vino aquoso, & vt à fomentis ipsam laues multa calida. Galenus autem in expositione dicti Aph. non aduertit ad verba *pluri cibo*. sed relicta quantitate ab Hipp. requisita; transit ad cibi qualitatem scribens. *Cibus verò non simpliciter copiosior est aptus natura humectare; sed quicumq. nullam habet fortem qualitatem, hoc est, neq. acerbam, neq. acrem, neq. salsam, neq. amaram. Forte autem, neq. simpliciter cibus hic, qui talis est, erit appellandus; sed hoc totum medicinalis cibus; sicuti illi, qui est cibus simpliciter, soli hoc inest ex omnibus, vt ex sua natura, non autem ex accidenti solidas partes animalis humectet, cum hoc ipsum non per se; sed ex accidenti aliquo faciat quies.* Nos vero, vt videamus an Galenus perceperit Hipp. mentem, & vt discamus veritatem, consideremus an Hipp. præceperit omnium ciborum copiam, an tantum alimentorum humectantium, vt voluit Galenus. primo debemus scire quæ, & quot sint alimenta humectantia. deinde considerare, an Hipp. his solis vsus fuerit.

Negligentia Galeni.

Alimenta humectantia.

Serapio ponit *cal. & hum. in primo.* Cicer, faseolos, Amygdalas, Buglossum, Melochiam, Sesamum, Iuiubas, Eringium, Orchides.

Frig. & hum. in primo. Endiuiam, Spinachia, Atriplicem, Maluam, Pruna, Cerata.

Cal. & hum. in 2. Erucam, Nucem indicam.

Frig. & hum. in 2. Melones, Cucumeres, Citrulos, Cucurbitas, Malum Persicum, Armeniacum, Tubera, Blitum, & lactucam.

Cal. & hum. in 3. Zingiber.

Frig. & hum. in 3. Portulacam, & fungos.

Cal. & humid. in primo. Frig. & humid. in primo. Cal. & humid. in 2. Frig. & humid. in 2. Cal. & humid. in 3. Frig. & humid. in 3.

Præter hæc sunt Animalium carnes, oua, lac, & pisces. quæ possunt dici humectantia.

Aq. hordei.

De Aqua ait Galenus ipse Aph. 13. cit. *Aqua verò neq. epotata neq. extrinsecus occursans natura apta est solidas animalis partes humectare*, vinum exiccat. ergo solo potu Aq. hordei humectabimus corpora.

Hipp. de quantitate loquitur.

Modo videndum an Hipp. vsus fuerit prædictis cibis humectantibus ad præparanda corpora ad Vomitum. & si considerauerimus, quæ ex Hipp. supra. cap. 2. excerpsi, reperiemus nequaquam prædictos cibos adhibuisse, sed omnigena cibaria, & triplex Vinum. Mazam cum melle, & oleo. Olera acria, pinguia, dulcia, & acida, ac salsa. proinde Raphanos acres, folia sinapi, nasturtiū, quæ hū nores mordant, & ad Vomitum præparant. & bene dicit Cardanus in com. dicti Aph. 13. dicens *Pluri cibo: non qualitatem sed quantitatem nos intelligere volumus*. vt decipiuntur alij, qui cum Galeno de qualitate interpretantur. quia Hipp. alias iubet ad satietatem cibum, & potum sumi. quod pertinet ad quantitatem. ergo. Corpora fluida esse facienda vult Hipp. multa copia ciborum, vt vasa distendantur, & ad motum faciliora sint. proinde Philotheus ait, emolliendos esse meatus, & partes ambientes, continentesq. laxandas, rarefaciendas, meatus aperiendos, & vasorum orificia amplianda, quę operationes pertinent ad corpora solida. & sic corpora fluida redduntur. sed ad fluxiles humores reddendos alia consideratio est. nec est confundenda fluiditas humorum, cum fluiditate corporum à philosopho, qui exacte, & distincte quæque considerare intendit.

Corpora fluida, non humores.

Sic corpora humida, & fluida fiunt pluri quiete, vt cap. 4. diximus. sic 7. aph. 67. legitur. *Si supra, sistere aluum, si verò infra, humectare.* & hic præparat vias, fluidas faciendo.

Quæ præparanda sint ijs, qui Helleboro purgandi sunt. Cap. XII.

ORibasius 8. collect. cap. 6. ex Antiquis sic nos docet. *Præparare debemus lectulum sublimē, itemq. alium, qui strata habeat, ceu lineas ab angulo ad angulum producta: & tertium quoq. pensilem; spongias quoq. & poscam, & Melicratum diuersis modis confecta: quorum vnum Hyssopum incoctum habeat, aliud Origanum, aliud Rutam, aliud deniq. Thymum. Oleum cyprinum, melinum, irinum, rosaceumq. Emplastra. Ellebori dilutum, Cucurbitulas, cuneolos, pennam, digitalia, clysteres, fomenta, Absinthium, Vinum, cibos, glandulam.*

Res necessaria præparāda ex Oribasio.

Aetius vero ser. 3. cap. 132. scriptum reliquit. *Præparantur porrò ipsis ad opem ferendam lancinationibus, animi deliquijs, & conuulsionibus hæc. Aqua calida, & frigida, decoctum Hyssopi, mel, Ruta, pulegium, acetum, mala, panis calidus, vinum, pullus gallinaceus coctus, oleum commune, & Sycionium, sal, Galbanum, Castorium, cremor Veratri, Oleum Cyprinum, aut irinum, aut narcissinum penna. sternutatorium, cucurbitula de uersa, lectica, seu ferculum, lectus stratum molle habens, Clyster*, & hæc omnia exacte considerare debemus, ad quid valeant, & cur Antiqui ea præparata habebant ante vsum Hellebori. quod procul dubio efficiebatur, ad tollenda nocumenta, quæ a Veratri vsu euenire solebant.

Ex Aetio.

De lecto. Sectio I.

HIc auctor requirit tres species lectulorum: sed Aetius vno tantum lecto fuerit. igitur Oribasius ex Antiquo primo vult præparari lectulum sublimem, secundo alium lectum, qui strata habeat ceu lineas ab angulo ad angulum producta: Tertio ponit lectum pensilem. nec est ecsolendū sine causa tres lectos ab antiquis præparatos fuisse.

Lectus sublimis.

Lectus

Lectus sublimis facile innotescit, est enim lectus vulgaris per quatuor, vel tres palmos supra terram, vt distinguatur ab humili lecto, qui humi ponitur, & credo Turcarum humilem esse lectum, Christianorum verò sublimem.

Lectus humilis. Crederem hunc lectum eligi ad vomitum prouocandum, ex hoc enim lecto propensi facilius euomunt, quam in lecto humili, & terreno. Oribasius lib. 8. cap. 6. ait. post assumptum Veratrum. si validi sunt sedeant, *Stratum depressum.* *Si infirma sunt vires persuadebimus, vt in strato aliquo humi depresso vsq. ad duas, aut tres horas decumbant.* paulo post addit. Hæc omnia ideo facienda sunt, ne citius, quam par est Medicamentum euomatur. *Lectus pensilis.* *Postea vero ægrotos in lectulo pensili, aut aliquo alio sublimi loco collocatos vomere permittemus.* Oribasius item deinde addit. *si non debito tempore purgari incipiat in sublimi lectulo, qui deorsu vergat, collocabimus.*

De alio lecto scribit Oribasius. cum vomere nequeant, *Si verò ne ita quidem euacuabuntur, eos in lectulo collocabimus, cuius strata* *Lectus angularis.* *angularia sint, & ipse sit pensilis, eosq. agitabimus, & circumuertemus, & ibidem eos adhortantes, & iubentes, vt vomere contendant.* iste lectus angularis erit quadratus, sic habebit angulos. sed strata debet habere ceu lineas, fortasse erit lectus ex fascijs, seu lineis confictus, & pensilis leuior enim est, quam ex lana, vidi confectum pensilem lectum ex Rete, in medio latiore, facta ex cordis, & in summitatibus terminabatur in vnicam cordam, qua appendebatur, sic facile mobilis lectus erat per transuersum, quomodo infantibus paratur sublimis, & pendens lectulus.

Tertia species lecti est lectus pensilis, de quo Oribasius scripsit. *Est autem adnotandum, in ijs, qui in lecto pensili statuuntur, motum versus pedes, aut caput cieri, in ijs vero, qui vomere non possunt, in latera, in quo casu pensilis quoq. inæqualis esse debet, vt motus nauigationi similis efficiatur;* & Aetius. perseuerante purgatione. *lecto pensili reclinati commoueantur.* paulo post subdit. *assidue per lectum pensilem agitantes.*

Mulieres infantulis solent parare lectos pensiles, sursum, & deorsum; vel ad dextram & sinistram ad somnum conciliandum. sed de forma lecti, mobilis, & pensilis egit etiam Santorius in prima sen. Auic.

De Spongijs. Sectio II.

QVid sint Spongiæ notum omnibus est, horum vsus mechanicus ad nos nõ pertinet, nec etiam quos habeat apud Medicos vsus. solum considerandum, ad quid in Vomi- *Fomēta ex spongijs.* turis præpararent Antiqui spongias reperio quidem Oribasium ex Antyllo transcribentem ad magnum singultum sedandum partes extremas vinculis excipere, easq. calefacere, tum fomentis, tum in aquam calidam infundendo; sed fomenta cum spongijs fieri solent. si verò immodici sudores superuenerint. ait. *Corpus spongijs aqua frigida, aut posca imbutis, & expressis, abstergendum.*

De Posca. Sec. III.

POsca vtebatur Antyllus perfundendo corpus nimio sudore relaxatum. *Posca contra sudorē.* est autem posca mixtum ex Aqua, & Aceto, & secundum quod Posca recipit plus, & minus Aceti validioris, vel debilioris, dicitur etiam Posca diluta, posca meraca, & mediocris. vbi notabimus Erratum in libro de Dinamidijs Galeno falsè tributo vbi legitur. *Poscam sic fac. ℞. Aquæ partes vj. Vini tres, & coquantur.* Galenus autem in sputo sang. 5. meth. dedit Poscam dilutam. & Hipp. lib. de Nat. mul. n. 101. facit fomentum ex posca meraciore influxu muliebri. Oxycratum vocant græci.

De Melicrato. Sec. IV.

MElicratum, & Hidromel Græcè, latine est Aqua mulsa, scilicet mistum ex aqua, & Melle. duplex. aliud coctum, *Hidromel duplex.* aliud verò crudum. Coctum in vsu est Polonis Medonem vocant, potens est, & validum, & quandoque inebriat. Antiqui pro Vomitu vtrumq. parabant, tum coctum, quia ex Dioscoride, datur imbecillis, & hominibus elanguescentis pulsus, & ijs, qui immodico sudore digeruntur, hoc igitur Vini loco esse potest ad roborandas vires; tum etiam crudum, quia ex Dioscoride. *Crudo vtimur cum molem deiectionem, aut vomitionem incitare volumus, & ijs, qui venena sumpserunt ex oleo.*

Quod ad præparationem scripsit Dioscorides. *Preparatio.* *Fit duabus pluuiæ aquæ veteris ad vnam mellis partem additis, & insolatis. Alij fontanam aquam adijciunt & ad tertias partes decoquunt, & ita recondunt.* Verum hoc modo paratum erit syrupus valde densus; ex Mesue. *Ex Mesue.* *Fit è libra laudatissimi mellis cum Aquæ fontanæ libris octo in vase fictili vitreato lento igni decocta, despumataq. verum linteo percolata. Verum si aqua hæc paulo post bibenda erit, aquatior fiat, & statim à sublata spuma percoletur. Nam quæ longa coctione in lapidis consistentiam acquirit, diutius quidem seruari potest, sed ægrius penetrat in remotas corporis partes, &c.* sic Antidotarium Augustanum, & alia Antidotaria cum Mesue ponūt Mellis lib j. Aquæ lib octo. Sed Antiqui cum Dioscoride Mellicratum parabant. Palladius *Palladij.* enim lib. de Agricultura Mense Iulij titulo 7. de Hydromelite scripsit. *Inchoantibus canicularibus diebus aquam puram pridie sumis ex fonte. In tribus aquæ sextarijs vnum sextarium mellis* despu-

despumati mellis admisces. ac diligenter per carenarias diuisum quinque horarum spatio continuo per inuestes pueros curabis agitare vasa ipsa concutiens. Tunc 40. diebus, ac noctibus patieris esse sub cœlo.

Quale mellicratum sumendum. sic etiam Dionisius Vticensis lib. 8. Agriculturæ. parat crudum, sed in Vmbra ponit per x. dies foramine relicto ad perspirationem. nos credemus Hippocratem velle Mellicratum Antiquo modo paratum, sicut, & sequaces datores Ellebori.

Præterea Antiqui quatuor Mellicrati species requirebant cum Hyssopo, cum Origano, cum Ruta, cum Tymo. sed videntur

Quadruplex. esse superflua, quia, vt diximus aliás Hyssopus, & Origanum parum differunt. ita etiam Ruta, & Thymus sunt similis facultatis, & facultate calida. nec ex Oribasij scriptis colligere queo, quando in Elleborismo vterentur Mellicrato Rutaceo, quando vero ex Thymo, vel alijs. sed obseruemus, quæ retulit Aetius ex Antyllo, & Possidonio, & ait. *His verò, qui circa mediam purgationem singultiunt, aquam mulsam damus, aut decoctum Rutæ,*

Ad singultum. *& aquam tepidam in potu.* deinde subdit. *Perseuerante vero purgatione oportet dare aquam mulsam calidam absorbendam, in qua decocta est Ruta.* Oribasius autem ex Antyllo ita refert. *His autem in media purgatione, cum singultu vexantur, Melicratum, in quo Ruta sit incocta sorbendum damus.* postea addit. si non sequatur purgatio. *Melicratum in quo Hyssopum, aut Origanum, aut Thymum incoquatur, sorbendum dabimus.* non

Ad strangulationem. multo post ita docuit. *Quoniam nonnulli difficulter vomunt, & ideo suffocantur, & sæpe etiam voce priuantur; idcirco strangulationem sedabimus continua Melicrati sorbitione, in qua Ruta præcipue sit incocta, sin minus aliquid eorum, quæ prædicta sunt, idq. paulatim, & continenter propinabimus.* Deinde ad Singultum scribit. *Si verò fuerit contentus, & vehemens, & multis os vibret, & quatiat, & conuulsiones inducat, in primis Melicratum dabimus, quod in singulis ictibus calidius absorbeatur, parum autem Rutæ simul decoquatur, aut per se succus exprimatur, & singulatim, aut ex Melicrato, aut calida aqua sorbendum exhibemus.* & hæc de Melicrato, tum simplici, tum composito ad Vomitum adiuuandum.

De Oleo Cyprino. Sect. V.

Oleum, & Vng. cyprinum. NEc Hippocrates, nec Dioscorides Olei Cyprini meminere, sed Galenus 4. de compos. med. per g. dicit differre Oleum Cyprinum, & Vnguentum, proposuit autem aliquot pharmaca ex Asclepiade lib. eodem & c. 5. ad stomachi affectiones, & 2. per genera c. 2. de Emplast. Andromachi. Oleum Cyprinum astringere cum caliditate scripsit. & lib. 4. c. 7. emollire dixit, sed quid hoc nobis conducit, si nescimus eius præparatio-

Ex Aetio. nem? Ergo ex eodem Aetio explicati debemus Olei cyprini compositionem, qui sermone primo Oleum Cyprinum sic descripsit. (licet Nicolaus Alexandrinus c. 713. multo copiosius confecerit) & hunc sequutus est Nicolaus Mirepsius à Fuchsio translatus.

℞. Olei sextarios xxv.
Cyperi.
Helenij.
Iridis. an. lib. j.
Sampsuci.
Hissopi. an. quadrantem.
Sem. Viticis.
Saluiæ. an. quadrantem.
Floris Cypri, seu Ligustri. lib. j.

Et hoc duabus coctuns coquitur. Nam reliquæ omnes species Vino odorato rigatæ pridie, postea oleo infarctæ coquuntur ad horas sex, sequenti die Oleum excolatur, & affusa aqua pura tertia Olei parte flos cypri injicitur, vna cum tenerioribus ramulis non contusis, si vero siccus sit, contusis, atque ita coquitur hora vna.

Calefacit Cyprinum non instrenue, estq. tenuium partium, & ad vteros amplius perfrigeratos valde commodum. Nam crassos in ipsis humores attenuat. Cæterum vbi copia fuerit herbarum viridium Cyprinum sic præparatur.

	Nicolaus.
℞. Olei sextarios xv.	sextar. 60. semis.
Cyperi.	
Helenij.	
Iridis. an. semissem.	an. vnc. iij.
Sampsuci.	
Hyssopi.	
Saluiæ. an. sextantem.	vnc. j.
Viticis folior. Virid. sextantem.	
Fol. Citri viridium quintuncē.	v. iij ÷
Chamælibani viridis. trientem.	vnc. ij.
Fol. Lauri virid. quincuncem.	vnc. ij.
Cypri florum dextantem.	vnc. vj.
Opobalsami semissem.	vnc. iij.

Oribasius ex Antiquorum sententia 8. Collect. refert Cyprinum Oleum conferre ad Vomitum excitandum digitis coniunctis, & in os immissis. Aetius verò ex Antyllo, & Possidonio. ser. 3. c. 133 ait. Penna Cyprino intincta irritandum esse vomitum.

Hoc Oleum Cyprinum nō est in vsu. nec parari potest, quia desideratur Opobalsamū. ideo nec quid sit Cyprus, vel chamælibanū, & alia declarare aggredior. Antidotarium Romanum docens modum parandi Oleū per impressionem. ponit Cyperi, seu Alchanæ flores ad vnc. iiij. in lib. j. Olei, & tertio repetit infusionem.

De Oleo Melino, seu e Cydonijs.
Sec. V I.

Debemus sumere Oleum Melinum ex Cydonijs paratum, vt iubet Aetius serm. 1. sed quia præstantius est, quod nunc in Officinis paratur, & in Antidotario Romano clare describitur, super quod legitur etiam nostrum commentum, ideo de eius præparatione hic verba non faciemus, laudauit ipsum Aetius ad parum refrigerãdum,& multum adstringendum, vt stomacho familiare ipsum proposuit pro eo inflammato, & debili irrigandum, & in epithematis impositum, ac potum.

Oleum Melinum præstantius.

Ad sistendũ Vomitum.

Tamen ad Vomitum adiuuandum Oribasius proponere Oleum Melinum, aliquis censere posset, sed aliter se res habet; Quia è contra corrigit nocumenta Vomitus. nam Aetius. set. 3. cap. 118. ex Oribasio. scribit. *Oleum melinum,& Vinum calefactum,& in hoc linteum tinctum ventri admonet.* ad purgationis excessus fortasse etiam in nimio sudore, hoc oleo corpus. iniungebant,

De Oleo Irino. Sec. V I I.

Hoc oleum ex iridis radice cõponitur. Dioscorides quidem proponit Vnguentum irinum; sed nos sequemur descriptionem Olei irini ab Aetio allatam, qua censeo vsos Antiquos in Vomitu, & ipsum Aetiũ.

Ex Aetio.

℞. Iridis.
Aspalathi.
Cyperi.
Helenij. an. lib. v.
Opopanacis semissem. quidam verò quadrantem.
Anchusæ sextantem.
Olei sextarios. xxx.
Aquæ. sextarios. xv.

contunduntur omnia crassius, & macerantur biduo, deinde coquuntur horis sex,tum inijcitur Opopanax Vino præmaceratus, ac tritus.

Aliquando ad prædicta additur.
Floris iunci odorati
Ligni Balsami.
Nardi celticæ. — semissis.
Cassiæ. — quadrans.

aduertendum, quod Cyprus,& Cyperus differunt.

Vis huius calfactoria est: sed non acris. præterea perfrigeratis partibus commodat, roborandiq. ac molliendi vim quandam possidet.

Vsus Olei.

Vtuntur tamen hoc Oleo Oribasius, & Aetius veluti Cyprino ad Vomitum incitãdum. Penna, digito, vel digitali eo inuncto in guttur immissis ad vomitum prouocandum. sed vsui etiam esse potest perfrigeratis extremis, & conuulsis.

De Oleo Rosaceo. Sec. V I I I.

Oribasius simpliciter scripsit *Oleum rosaceum* esse præparandam pro Vomituris. sed hoc duplex est completum, & Omphacinum. quorũ compositio, & in nostro Antidotario Romano extat,& omnibus pharmacopeis nota est. quærimus vsum in vomituris, vel vomentibus. quod ex Aetio serm. primo. *refrigerat, humectat, mitigat, & somnum inducit.* sed loquitur de Omphacino. quod aliquantulum etiam adstringit, & in vsu erit ad inunctiones,& frictionẽs, prout paulo post dicemus. ita Oleum ros. completum relaxat magis, & lenit.

Facultas Olei rosacei.

De Oleo communi. Sect. I X.

Iubet etiam Aetius, vt sint in promptu Oleũ Narcissinũ, & Oleum Sycioniũ. Et quidem Oleum commune non modo secundum Regiones differt, & species, verum etiã secundum ætatem, & secundum maturitatem, & denique secundum præparationem; vnde diuersas facultates sortitur.

Regiones quidem diuersas diuersæ facultatis Olea producere, perbelle docuit Galenus scribens. *Ex agresti Oliua oleum expressum squalidissimum est ex omni Olei genere,& post istricum quoque; deinceps illis est Hispanum. Pinguissimum est Libycum,& Cilicium: simul autem pingue, & tenue Sabinum. In medio comprehensorum omnium sunt, tum id, quod per Cycladas insulas nascitur, tum quòd per Græciam, Asiamque.* sed Plinius lib. 15. art. *Principatum in hoc quoque bono obtinuit Italia toto Orbe, maxime agro Venafrano, eiusq. parte, quæ Licinianũ fundit oleũ. Vnde & Liciniæ gloria præcipua oliuæ. Reliquũ certamen inter Istriæ terram,& Beticæ par est. Vicina bonitas Prouincijs est, excepto Africæ frugifero solo.*

Diuersitas Olei ex Regionibus.

Species autem Oliuarum plures sunt. licet duas tantum proposuerit Dioscorides, Agrestem nempe,& satiuam. Plinius posuit. Pausiam, Orchitem, Radium, Liciniam, Culminiam. Neuiam, Cotum, Cuminiam, Contiam, Sergiam. meminit etiam Oliuæ Aegyptiæ carnosissimæ. Decapolis verò Syriæ per quam paruarum nec cappari maiores carne tamen commendatæ. Columella Oliuarũ decem genera numerauit. sed multo plura reperiri non est dubitandum. nam alij numerant Aethiopicam, Boemicam, Indicam. &c. & ita secundum diuersas plantarum, & fructuum formas necesse est diuersum exprimi succum Oleosum.

Genera oliuarum.

Variant

Aetas Olei. Variant etiam Vires olei ob ætatem. nam recens præstat ad cibum, quo autem vetustius, ex Diosc. ac pinguius, eo ad medicamenta aptius est. Vetus enim magis calfacit, & vehementius discutit.

Maturitas Oliuarum. Differt secundum maturitatem ex Oliuis immaturis omphacinum, ex Maturis completum.

Qualitates. Differt denique Oleum colore, sapore, & Viribus secundum diuersas præparationes. nam aliud Oleū præbet Oliua ex arbore manu decerpta. vt docuit Plinius, aliud vero per se decidens. aliud item exprimitur ex Oliua coaceruata, & ex se incalefacta, aliud in tabulato sparsa seruata, aliud verò statim decerpta.

Oleum Sicyonium. Ita etiam Dioscorides docet candidum Oleum parare admista aqua, &c. sic lotum, & illotum differt.

Sicyonium verò Oleū à Sicyonia regione, vbi maximè fieri consueuit, cognomen accepit, hoc Aetius in promptu adesse pro Elleborismis iussit. eius parandi ratio apud Diosc. hæc erat. *In lebetem oris lati, stanno inductum, funditur noui olei albi, quod cruda Oliua reddiderunt, congius vnus, aquæ semicongius. Lenti id igne coquitur, leniter mouendo: vt vbi bis efferbuit, & subtracto igne refrixit, innatans oleum concha decapulatur, & adiecta noua aqua conferuescit, & reliquis, vt diximus, peractis, reponitur.*

Sed in Antidotario Nostro Romano legetis aliud Oleum Sycioniū. quod ℞. Olei dulcis, partem vnam. Radicis Cucumeris Asinini contusæ. succi eiusdem radicis. an. part. semis. decoq: omnia simul in duplici vase ad succi consumptionem. cola, exprime, & reconde. Quod oleum in vsu esse poterit ad Vomitum excitandum.

Facultas Olei. Ex his præmissis modo considerandum, quæ sint vires prædictorum oleorum, quæ in Helleborismis adhiberi possint. ex Dioscoride habemus, quod vtile stomacho sit, eo, quod astringat, & sudores sistat. item quod calefaciat, à perfrictionibus corpus tueatur, ipsumque promptius ad obeunda munera reddat. Vetus autem Oleum magis calefaciet, & vehementius discutiet. è Siluestri oleum magis astringit. Sicyonium Aetij magis calefacit, febri, ac neruorum vitijs prodest. Galenus dixit esse humidum, & moderate calidum (illud vero ex cucumere solutiuum est) sed omphacinū astringere, & refrigerare.

Vsus Oleorum. Aetius docet horum oleorum vsum in Helleborismis, vt perseuerante purgatione demus aquam cum oleo. aut penna oleo linita vtamur. in contractionibus autem crurum, & manuum liniamus fortiter illinendo, ac calfaciendo, & fricando extrema, & musculos in suris. Sit autem oleum Sicyonium Aetii, aut quoddam ex mollientibus, & lassitudinem, ac dolorem eximentibus Acopis appellatis. & subdit Aetius. oleo multo dulci totū corpus maxime verò contractas partes illinamus. Et Oribasius ex Antyllo transcripsit. Oleum Sicyoniū, & vetus, & ex Acopis, quæ calfaciunt, & molliunt lenire cōtractiones soluere. Quare valde vtile erit oleum in Elleborismo.

Sed vt oleum sit Vomitorium supra lib. 2. c. 60. docuimus.

Oleum narcissinū Aetij. De oleo autem Narcissino dicam. Dioscoridis misturam esse absolutam, & accipiēdum oleum Narcissinum ab ipso Aetio traditum lib. 1. quod fit solis floribus Narcissi in oleum dulce impositis, & insolatis, & ter reiterata infusione, ac insolatione. hoc dicit valere, vt Anethinum; sed esse calidius, & hoc vtendum in causis frigidis tendinum, & musculorum, quia mollit, & humectat.

De Emplastris. Sect. X.

Quæ Emplastra. ORibasius scriptum reliquit, ex Anthylli doctrina in promptu debere esse Emplastra, quibus succurramus symptomatibus in Helleborismis superuenientibus. nos modo dubitamus, de qualitate istorum Emplastrorum Oribasius quidem Emplasticis vtitur ad cohibendos nimios sudores, sed Emplastra Ventriculum Vomitu laxatum roborantia admouere licebit.

De Hellebori diluto. Sect. XI.

ORibasius iubet in promptu debere adesse post assumptū Veratrum etiam Veratri dilutum cremorem vocat Aetij interpres, parabatur ex Aetio hoc modo.

Ellebori cremor. ℞. Hellebori ramentorum. dra. v. Aquæ pluuialis Heminam semis. macerentur ad triduum, deinde colentur, & calefiant, uaso duplici, & exhibeatur totus cremor. aliud autem est decoctum. dabant ex Aetio, & Oribasio hanc aquam senibus, & pueris, & ijs, qui laxiorem corporis habitum habent, qui leuem morbum habent, & qui facile strangulantur.

Vt prosit. Sed in ijs, qui iam Helleborum in substantia assumpserunt, scribunt isti. *Si vero valde vexentur à strangulatione, cremoris Veratri cyathos tres, aut quatuor offeremus. Nam ex qualitate adiuuat purgationem.* & addit Oribasius reprobanda esse alia vomitoria, quia Ellebori dilutum eiusdem qualitatis cum Helleboro est, & eius purgationem adiuuat. sed alia vomitiua, cum diuersæ qualitatis sint, stomachum solum irritant, Helleborum verò non commouent.

De Cucurbitulis, & Cuneolis.
Sect. XII.

Ebent esse in promptu multæ Cucurbitulæ diuersorum generum, vt succurrere iis possimus symptomatibus, quæ ab assumpto Helleboro succedunt. Primo autem si nausea adfuerit,& periculosum sit,ne assūptum medicamentum nimis festinanter euomatur, consulit ex Anthyllo Oribasius, vt Cucurbitulas ex multo igni dorso, & ori ventriculi applicemus.

Cucurbitulę

Deinde Cucurbitularum vsus erit in maximo, & frequenti singultu conuulsiones afferente, & scribit Oribasius, aliis non cōferentibus, *si ita quoque molestia perseueret, per totam spinæ longitudinem cucurbitulas applicabimus. Si verò admodum ossea spina fuerit, dorso prius perūcto cucurbitulam sub magna colli vertebra affigemus: eamque deducere sensim, & deorsū in spinam trahere conabimur, eamque ad eum locum perducta fuerit, vbi ventriculus adiunctus est, aliam quoque admouebimus prope vertebram, & ita eam etiam deducemus, atque ita primam ablatam iterum superius applicamus; nam sæpenumero cucurbitula admota stomachum à singultu contractum, & veluti contortum dirigunt, & in suum statum redigunt*, quod idem Aetius quoque refert.

Ad singultum.

Præterea in nimio purgationis excessu Aetius,& Oribasius ex Anthyllo, vtūtur cucurbitulis, tum Hypocondriis, tū verò dorso admotis, & vi etiam auulsis.

Ad nimiam purgationē.

Cunei, & Cuneoli sunt parua frustula lignorum vel buxeorum, vel alterius ligni, item omnia ossea, ad longitudinem sex, vel septem latorum digitorum, ad latitudinem vnius digiti, ex vna parte angustiora, ex altera latiora scalpelli in modum. Horum Cuneolorum vsus nullus alius est, nisi ad aperiendum os, ita Oribasius scripsit. *Si voceis, ac sensus expertes fiant, cuneolis eorum dentes diducemus in vtramq; partem, & pennas immittimus, &c.* aliquādo medicamēta, vel cibum.

Cuneorum vsus.

De Pennis, Digitalibus, & Loris.
Sect. XIII.

AD vomitum excitandum digitum, vel pennas qua si commque oleo aliquo inūctas imponit quæcumq; muliercula; sed in Elleborismis pennarum delectus faciēdus est, vnde Oribasius docet, *vt pennas Anserinas ex cauda ollo, aut decem cyprino; aut irino intinctas* indamus.

De pennis Anserinis.

Ad prorritandum etiam vomitū Anthyllus, & Possidonius vtebantur digitalibus, quæ descripsit Orib. dum ait. *Conjunntur digitalia ex corio Carthaginensi, aut alio quouis mollissimo ad longitudinem digitorum decem, aut duodecim instar digiti, ex his spatium ictuum digitorum lana impletur, reliquum verò, quod quaternum digitorum est, inane relinquitur, vt digitis aptetur: hæc igitur antedictis vnguentis intincta in stomachum immittemus*, & horum digitalium plurics Aetius meminit. & sunt valde apta ad incitandum Vomitum.

Digitalia.

Sed Scribonius Largus proposuit *Lorum vomitorium*, quod paucis est notum, & indicat rem ex corio, seu loro confectam ad vomitum irritandum aptam. vnde vel erit digitale prædictum, vel frustrum lori ad palmi longitudinem, & vnius digiti latitudinē, vel planum, vel contortum. Igitur Scribonius c. 188. vbi loquitur de Opio poto, curandis ægris, scriptum reliquit. *Adiuuari porrò debent, qui biberunt aqua cum oleo in vinum admixtis sæpius datis, & frequenter reiectis per pinnam, aut Lorum vomitorium*. Hæc autem quilibet, qui legit, statim agnoscit Lorum hoc esse Pinnæ substitutum. Vnde eodem modo, ac pinnam agere, nempe vt pinna prouocat vomitum in os, & fauces immissa, ita etiam faciat lorum, quod ab vsu vomitorium cognominatur.

Lorum Vomitorium.

Profectò *Lorum* apud Latinos, vel corrigiam, vel cingulum, vel hebenam, vel retinaculū indicat. Sic Hippocrates sæpe vsus fuit loro ex corio bubulo, vel alio. Lorum etiam dicitur id, quo serui cædebantur. hinc illi serui, qui alios loris cedere destinati erant, & semper secum lora ferebant *Lorarij* dicebantur. Semper autem per lorum intelligitur quid ex corio animalium cōfectum. Sic apud Catonem *Loreus* funis cap. 3. legitur, & Plinius lib. 18. cap. 31. *Antiqui*, inquit, *funibus, vitilque loreis ea detrahebant*. vnde constat *lorum vomitorium*, fuisse aliquid factum ex corio aliquo, & pinnæ instar, ac vice ad uomitum prouocandū concinnatū.

Lorū quid.

Lorarij.

Loreus funis.

Sed an esset planum, vel contortum, nō clarè constat, constat solum, quod sæpe lora contorquere in funis modum, vel aliter solerent antiqui. Qua ratione iidem *Loripedes* vocabant eos, qui in Lori contorti modum contortos pedes habebant, ut apud Plautum, & Iuuenalem clare constat. Nè dixeris Loripedes, habuisse pedes loris constrictos, ad obliquos dirigendos, vti nunc puerorum pedes districtos loris sursum alligare solemus. Crederem igitur *lorum vomitorium* fuisse frūstum lori ex corio ad palmi longitudinem, & digiti latitudinem, quod fuerit, uel planum, & latum, uel in se contortum candelæ in modum, flexile quidem, & rumpi ineptum quia talis est natura corij, quod inunctum aliquo unguine in guttur immitteretur, vt solet digitus, penna, & quid simile ad irritandam ventriculi expultricem facultatem ad vomitum. Sic autem ego parare soleo *Lorum vomitorium*, sumo corium rubrum Turcicum, uel Belgicum, seco in

Loripedes.

Lorum vomitorium.

fru-

frustra tenuia ad paloni longitudinem, ut uertantur in tenuissimas candelas, & quia rotunda ex quadratis efficere, intendo: ideo ea madefacio, postea tabula parua leui superposita voluo, vt contorqueantur, & rotundam formam acquirant: siccati sino, his pro candelis vtor in meatu vrinatio immissis ad carunculam exterendam; nam hæc candela siccata dura est, & uncta facile immittitur, in meatu autem permanens humectatur, & tumefit, sic meatum dilatat, carunculam siccat, & exterit, ut gentianæ radix in fistulis; sed hæc candelula coriacea, & loracea dum extrahitur, abrumpi nequit, ob lentorem.

Obiectio. Dicere quis posset, *lorum vomitorium* idem esse, ac *digitale* uomitorium, quia vtrumque ex loro fiebat, usus idem. nempe, ut pinna ad protitandum uomitum. ergo materia, forma, & usus idem loti uomitorij, & digiti uomitorij.

Solutio. Sed responderi posset, formam, & figuram uariare; nam digitalia habebant formam digiti, lorum autem habenæ, uel candelulæ.

De Clysteribus, glandulis, fomentis, & Absinthio. Sect. XIV.

Clysteres in omnibus fere morbis cõferunt, sed diuersimode parati, & cum Oribasius, & Aetius iubeant, ut in Elleborismis sint in promptu Clysteres: à nobis est nũc quærendum, quis debeat esse usus Clysteriorum. audiamus Oribasium transcribentem. *Si periculum, quod ex suffocatione imminet,* *Clyster acri or reuellẽs.* *nullo ex dictis remedijs sublenetur, acerrimo clysteri transfigemus, intermissionem enim periculi præbet, & tempus nobis suppeditat, vt alijs vti remedijs possimus.* & idem confirmauit Aetius. reuellere igitur conabantur Antiqui materiam cum impetu in fauces irruentem.

Grandulæ. Glandulas autem præparatas debere esse iubet Oribasius. sed non docet, quando his utendum, & cur; sed nos dicemus eundem habere usum, ac clysteres; sed multo debiliores esse, ut anum tantum irritare possint ad fæces detrudendas; sed ex ualidis compositas aliquid attrahere posse, cõcedimus, & ualentius reuellere.

Fomenta. De Fomentis ab Oribasio ex Antyllo requisitis sentiemus. quod non solum conferant, ut supra diximus, ad præparanda corpora ad Elleborum sumendum; sed etiam eo assumpto, & ad Accidentia ab eo orta corrigenda. sic Oribasius in maximo singultu conuulsiones excitante tãdem partes extremas calfacit, tum fomentis, tum in aquam calidam infundendo. quod si contractio musculorum acciderit, qui in cruris sura sunt, itemque in femoribus, & brachijs, & musculis masticatoribus, & in extremis pedibus, & potius etiam in manibus, idem Oribasius sedare conatur copiose fouendo, quem sequitur etiam Aetius ex Antyllo, & Possidonio.

Absintium. Præterea Oribasius iubet in promptu esse Absinthium. quo vtitur dupliciter ad supprimendum uomitum. Primo ne assumptum medicamentum nimis cito euomatur antequam uentriculum sua qualitate inficiat, vt igitur aliquandiu in uentriculo cõtineatur. parum aquæ feruentis per interualla sorbendum offert. sique uehementer stimulẽtur, parum succi Absinthij, aut eius decocti addemus. Secundo Oribasius, & Aetius si fuerit nimia purgatio, ut compescatur uomitus. censent. Summe uomitũ cohibere Absinthij potionem.

De Vino, & cibis. Sec. XV.

Denique Oribasius Vinum, & cibos debere adesse consulit. Aetius uero, Aquam calidam, & frigidam, Acetum, mala, panem calidum, Vinũ, pullum Gallinaceum coctũ. *Aqua calida, frigida: Acetum. Vinum. Panis calidus. Pullus coctus. Ius Gallinæ* Nam Oribasius docet casum uinum Alimentis, & Vino esse recuperandum. Nos utimur iure Gallinaceo, quo antem modo patientes sint nutriendi, dicemus patt. 3. dũ agemus de ijs, quæ sunt facienda post Vomitum; nunc autem agimus de præparandis ante Vomitorij exhibitionem.

PARS SECVNDA.

De ijs, quæ sunt facienda in Vomitu, & simul.

De Correctione Accidentium superuenientium.

POstquam assumptum fuit Veratrum, medicamentū vomitiuum fortissimum, cuius exemplo nobis innotescit aliorum medicamentorum Emeticorum actio. primo debet Medicus efficere. vt assumptum medicamentum aliquantisper in uentriculo retineatur, & donec incipiat in Ventriculo eius facultas actuari: nam si id illico euomeretur, nihil vtilitatis ab eo assumpto patienti proueniret. Ideo primo curandum, ut qui medicamentum sumpserunt, uomitum per aliquod tempus cohibeant, ut puta per tres, uel quatuor horas.

Intētio Medici.

Quid faciendum statim assumpto medicamento. Caput I.

ORibasius lib. 8. c. 6. & Aetius ser. 3. c. 132. ex Antullo, & Possidonio transcribunt. *Si facile purgentur ij, qui Helleborum biberunt; hæc postea faciemus. vbi medicamentum biberint, aquam frigidam ori colluendo, aut absorbendam dabimus. Si quæ vires constent, eis persuadebimus, vt sedeant: si infirmæ sint, vt in strato aliquo humi depresso vsque ad duas, aut tres horas decumbant, & odoramenta quoq. per interualla offeremus, & aquam frigidam ad os colluendum exhibebimus; mentemq. aliqua lepida fabella abducemus, extremas partes confricabimus, & vinciemus. Hæc omnia ideo facienda sunt, ne citius quam par est, medicamentum euomatur.*

Ne cito vomitus irritāpat.

Si vero antequam tempus opportunum sit, uomitum irritare, metusque sit, ne medicamentum reijciant prius quam vllum ab eo fructum ferant, vt ipsum contineant, hæc faciemus.

Aquam frigidam dabimus ad os perpetuo colluendum, si non sedetur perturbatio, posicam: & extrema valde constringemus, & fricabimus, & Muriam, quantum parui mystri magnitudinem compleat, per interualla in os indemus: aut vt Capparim ex muria in ore contineant, sileantque nulloq; motu cieantur, vel vt sedentes valde sursum versi collocentur, imperabimus. Si ne ita quidem leuentur, cucurbitulas ex multo igne dorso, & ori ventriculi applicabimus, & parum aquæ feruentis per interualla sorbendum offeremus, sique vehementer stimulentur, parum succi absinthij, aut eius decocti addemus. Nemo enim ita proclinis ad vomitum est, neque stomachum ita habet auersum, qui non à duabus, aut tribus ex his remedijs leuetur. Nos autē hoc æuo, ne medicamenta purgantia, etiam leuia euomantur, Solemus aspergere aquā frigidam in faciem, os aqua frigida colluere, & uola manuum percutere aquam frigidam in uase lato positam. mandere limonis, uel aranciorum frustula, vuam immaturam, pira, poma, Mespilum tricoccon, cepam quoq. item fructus in aceto conseruatos, nempe capparim, vuam, fæniculum, oliuas, pruna, persica, citrulos, & huiusmodi. sed mirabiliter nauseam compescit, & medicamenti odorem tollit frustrum carnis salitæ porcinæ, tunc super prunas assatæ, suo enim odore tollit medicinarum odorem, & suo salso sapore uincit medicamēti assumpti saporem. confert etiam odorare Acetum rosaceum, & eo nares, ac labia inungere, item fricare extrema, &c.

Mos nostratium.

Ad hoc etiam facit, quod docuit Mesue in canonib. scribens. Si Medicamentum assumptum fuerit abominabile, aut stomachus fuerit imbecillis, ob idq. uomitus timeatur, a corporis, & animi motibus, quātum potes, abstine, donec in medicamentum ipsum natura undique agat, aliter in naturam non acturum: odoretq. æger flores, & alias plantarum partes suauiter olentes, mentham, sampsuchum, citri folia, & fructum, apium, Absinthium, cydonia, maccianum, rosas, bolum aqua rosarum & aceto aspersum, lutum, quo panni abluuntur, rosis recentibus, & aq. rosatum nutritum. Extrema quoq. fricuisse, & uinculis dolorificis adstrinxisse, manus item ac pedes aquæ calenti multum mordenti imposuisse iuuat. Sic etiam medicamentum stipticum mordere, & quasi lambendo bibere, faciem aqua rosata, uel alia redolente leuiter aspergere, gaudere, delicias curare præsertim nausea incipiente, hæc enim uomitum prohibent.

Si contra uero interdum medicamenti actio nimis retardatur, & nec nausea, nec Vomitus apparet. ideo subdit Oribasius. *Si verò contra propter robur stomachi, aut aliquam aliam causam non debito tempore purgari incipiant, in sublimi lectulo, qui deorsum vergat, collocabuntur, & vt digitos in ore conijciant, iniungemus, & vt gurgulionem, & tonsillas vnguium latitudine contingant, ita enim, potissimum vomitus irritabitur. præterea iubebimus, vt tibias, & poplites quāplurimum possint, extendant, & flectant, itemque spinam, & vt vtriusque manus pugnos in ventrem impingant, aut nos impingemus, si ipsi per se non poterunt: si verò ne ita quidem euacuabuntur; eos in lectulo collocabimus, cuius strata angularia sint, & ipse sit pensilis, eosque agitabimus, & concutiemus,*

Ad Vomitum irritandum.

Pugnos in vētrem impingere.

mus, vt ibidem eos adhortantes, & iubentes, vt vomere contendant, & in eam rem incumbant: eorumque digitos irino, aut cyprino inungemus. Noui etiam, qui scammonij liquore digitos inungerent, & ita purgationem concitarent. Sed si ita non sequatur purgatio pēnas anserinas ex cauda octo, aut decem cyprino, aut irino intinctas indemus. aut etiam digitalia. & de his etiam supra loquuti sumus. Scribonius Largus proponit lorum uomitorium, de quo etiam paulo ante verba fecimus.

Neq. hic valent, quæ proponit Mesue in Canonib. si Medicamentum benignum nō euacuauerit: sed praua symptomata induxerit, proponens adstringentia, vt cydonia, mastichem, &c. deinde balanos, & clysteres ad inferiora trahētes, & tandem phlebotomiam, primū ex brachij interna, deinde uena malleoli, quia Mesues loquitur de medic. infra purgante, nos autem de Vomitorio. & debemus uomitum retardantem excitare, non autem Naturam diuertere.

Vsus lecti pensilis.

Addit Oribasius. *Est autem adnotandum, in ijs, qui in lecto pensili statuuntur, motum versus pedes, aut caput cieri, in ijs vero, qui vomere non possunt, in latera, in quo ea in pendulis quoque inæqualis esse debet, vt motus nauigationi similis efficiatur.*

Porro quum ab assumpto medicamento æger per tres, uel quatuor horas à Vomitu se continuerit, & iam tempus idoneum cēseatur ad Vomendum: iubet Oribasius, ut *ægros in lecticulo pensili, aut aliquo alio sublimi loco collocatos vomere permittamus; Primum namque calor stomachum, & gulam inuadet. deinde saliua, & humor in os confluet, quibus sputo reiectis, iterum pituitam obuolutam reijciunt, tum interiecto spatio partem cibi & medicamenti cum pituita euomunt, idemque interiecto spatio faciunt, cumque medicamentum atq. cibum euomuerunt, pituitam cum exigua bilis portione reiectant: tum cum multa bili pituitam, & denique bilem puram vomunt.* (Aetius addit. Sæpe etiam uenter inferior subducitur, quando, sanè etiam tolerabilior purgatio contingit.) *leniter etiam in tempore intermedio singultiunt, & habent aliqui faciem ferme face succensam, & rubentem tum vena attollentur pulsusque rarissimus fiet. Vbi vero purgatio processerit, probum colorem vultus acquiret, pulsus densus, maiorque reddetur, ac singultus cessabit, & longiore spatio interiecto, & paulatim voment, His autem in media purgatione, cum singultu vexantur, melicratum, in quo Ruta sit incocta sorbendum damus, ad finem verò tepidam aquam dantes paululum intermittimus: tum vt aquam ipsam, & si quid eidem adiaceat euomant, imperabimus, totum verò corpus aliquo pingui valde vngemus, & interiecto duarum horarum interuallo lauabimus, & cibum stomacho idoneum offeremus.* & sic completa est operatio Ellebori.

Principium Vomitus.

Processus purgationis.

Gal. 3. de facile parab. 166. ex Basilio Iāto Melitinoto scriptum reliquit. *Quando autem vomis, caueto, ne aquam prius, aut postea biberis: dumq. vomis oculos velato, & deligato. stansque vomito loco edito, aut super fluuium.* Hipp. autem de int. aff. n. 7. si non prompte succedat uomitus ait, *irritatione per pennam facta vomat.* deinde n. 13. *Si verò vomitus non sequatur tempore iam aliquo interposito, aqua tepida poculo magno superingesto vomat irritatione per pennam facta.* deinde clarius n. 30. *Prompte vomat irritatione per pennam facta. Si verò vomere non possit: aquæ mulsæ tepidæ poculum duarum heminarum insuper bibat, ac sic vomat.* aliter docet 5. in 6. Epid. *Eum qui Veratrum bibit, si citius purgare volueris, lauare oportet, aut comedere.* quæ confirmans Paulus lib. 7. c. 10. inquit. Quod si Vomitus lēte oboriatur mulsa potui data, uomere æger cogendus est, pinnis oleo madidis in os demissis, si nec sic quidem proficiatur, in balneum deduci debet. ad eandem intentionem Alexander lib. 1. cap. 18. de Lapide Armeno ad Melanch. Mulsam adhibet. Sed Haly Abbas, 2. pract. c. 56. proponit decoctum Anethi cum melle, & sale. Et concludam hoc caput ex l. 1. ad Glau. 14. Qui ex Vitiosis humoribus os uentriculi uellicantibus dissoluuntur, hos post aquæ calidæ, aut hydrælei potum fac euomere. quod si difficulter euomant, prius concalefacere oportet, quæ os uentriculi circumstant loca, & manus & pedes, quod si neq. hoc modo possunt euomere; digitos, aut pennas demittendo, irritare oportet, quod si neque sic euomant, rursus his oleum calidum, quam optimum exhibendum. Solet autem sæpius oleum non solum ad uomitum irritare; sed etiam uentrem molliorem facere, & hæc Galenus.

Animaduersio.

Irritatio per pennam.

Mulsæ.

Balneum.

Nec pertransire queo Hippocratis diligentiam. quia uarias exhibet potiones. aliquando sumenda vult, tardius primum, deinde uelocius. aliquando primo paulatim. deinde affatim. aut citra res alias calidum, alias uerò tepidum, & hæc erunt exempla.

Hip. de sal. dieta. 5. 18. Sit Hyssopi quadrans contriti in cōg o aquæ, quem ebibat, acetum effundens, & sal aspergens, quo sit iucundissimum, bibat *tardius primum, deinde velocius.*

Gal. in com. Nam à principio si affatim bibisset, continuo uomeret prius quam omne ebibisset, atque succos in uentre contētos abstersisset, quibus cum una effunderētur, quos primo uenæ habent. Sin autem primo lentius postea omnino bibat largius, ea ratione fiet, ut mediocri tempore continere possit, atque in tempore impetum ad uomitum capiet, quod tandem magis affatim bibat.

T, 20. In potu triplex uinum miscebis, austerum, dulce, & acidum, primum meracius, & paulatim, longoq. temporis interuallo, deinde dilutius, celerius, & affatim.

Gal. in com. Proinde dilutius bibere uinum celerius, & affatim, de his, qui cupiūt vomi-

vomitum, non absonum uideatur, dictum esse, quandoquidem his, qui retinere uolsit, & concoquere alimentum, contraria conferunt, meracius, paulatim, ac tractim. Quare autem, quæ omnino retentioni sunt contraria, hæc offerat prima iam iam vomituris, non habeo, quod probabile afferam. ait Galenus.

2. de Morb. 53. Erisipelas Pul. calidum hoc bibendum præbet.

At de int. aff. 7. ubi vero tepida facta fuerint, bibenda dato, aut apprehensa lingua, sensim per fistulam infundito.

Hipp. de Aff. inter. num. 17. in Tabe. 3. Hæc citra respirationem bibere iubeto.

De int. aff. 30. M. Hepaticus. Vbi tepefacta fuerint, tepida bibenda dato, &c. si uero Vomere non possit Aq. mulsæ tepidæ poculum, &c.

De affec. 15. Doloribus Ventris in æstate tepidam bibendam dato.

Massaria. cap. de Cholera. Vbicumque imminet periculum Vomitus abstinendum est à rebus tepidis: contrà uerò vbicumq; intenditis prouocare vomitū perpetuo utēdum est tepidis.

De Symptomatib. superuenientib. Elleborismo.
Cap. II.

NOn semper à vomitorijs, & alijs medicamentis purgantibus assumptis succedit benigna expurgatio, & qualis à nobis desideratur, vel enim (vt adnotarunt antiqui, & ob id superuenientium correctionem docent Oribasius, Aetius, Mesue, Auicenna, & alij) medicamentum assumptum nimis cito euomitur, & antequam in Ventriculo actuari potuerit. uel nimis tardè operatur. aliquando uero superueniunt, strangulatio, singultus, contractio, delirium, animi defectus, exolutio, calor nitium, immoderati sudores, & addit Mesue, angustiam, uentris tormina, æstuationem corporis, capitis dolorem, uertiginem, scotoma, seu oculorum obtenebrationem, pandiculationes, & oscitationes excitari. aliquando uero nimia sequitur euacuatio. aliquando etiam febris. *Symptomata super venientia.*

De Cephalalgia in purgatione.
Cap. III.

QVia hic agimus non modo de Helleboro; sed de omnibus medicamentis uomitorijs; ideo de omnibus symptomatibus, quæ ab assumptis medicamentis nomitorijs prouenire possunt agendum est; Quod si Cephalalgia ex Mesue prouenire potest ex medicamento infra purgante, rationabile est, multo magis posse excitari à medicamento sursum ducente, ad caput vergente, caput implente. quando igitur Mesue scribit. *Dolor capitis à purgatione fit, vaporibus in caput sublatis à medicamento purgante, præsertim violento, aut imperfecte vacuante, aut materiam mouente quidem in capite; sed non educente: aut à causa aliqua externa superueniente, vt capitis calore, frigore, & similibus: eius autem doloris curatio est quoq. in promptu, causa ipsius cognita.* *Doloris capitis causæ.*

Si enim à uapore est sursum ascendente, excitatus capitis dolor, indicatio erit reuellendi uaporem illum caput petentem, aut deriuandi, uel à capite repellendi eum, aut uias intercipiendi, per quas ad caput fertur, aut denique euacuandi materiam, à qua uapores eleuantur. *A vapore,*

Mesues autem docet, si fuerit dolor *ob vaporem sursum ascendentem*, hunc ad contraria reuellendum esse. plurimis quidem remedijs; sed sectam malleoli uenam esse remedium præstantissimum.

Si uerò uapor ille *iam sit elatus*, idemque *calidus*, humeralem uenam incidimus.

Si autem frigidus fuerit uapor curandus quomodo alij dolores à causa frigida.

Verum si materia est commota, tandem quando cocta erit uacuetur purgatione idonea. *A Materia.*

Si postremo dolor capitis pendebit ab intemperie aliqua, hæc alterantibus contrarijs erit tollenda. & ad has indicationes explendas nōn tempus teram in afferendis particularibus remedijs, quia loquitur Mesue de post purgatione; sed si dum Vomitur dolor capitis à fuerit, hic cessebit, cessato Vomitu, & pro remedio erit ligatura, & contrictio capitis, & frontis. Hartmam ab assūptis uomitorijs chimicis. Apponit capiti, & fronti linteum madefactum aq. Lactucæ, & Rosarum, cum aceto, & oleo rosatum. *Ab intemperie,*

De Vertigine. Cap. IV.

SVccedere solet quandoque vertigo non modo assumpto medicamento deorsum purgante, de quo egit Mesue. Sed magis à Vomitiuo sursum ducente, & caput replente vaporibus à materia in uentriculo commota eleuatis. de quibus alibi egimus.

Scripsit autem Mesue. *Vertigo inde accidit, quod interdum vapores à medicamento moti, & sublati caput petunt: ibique motum rebus agitatis proprium excitant, qualis est aquæ in gyrum commotæ, vel in vorticibus circumactæ ob alterius occursum, qualis item est rerum leuium venti vertiginosi turbinoso flatu circumactarum. Vertigo autem à vaporibus in nobis fit, quando hi in cerebri ventriculis, & arterijs circum acti vna secum spiritus circumagunt, & maxime quo loco nerui sensuum* *Causa vertiginis.*

fluxus opifices oriuntur. Quapropter immaginatur æger omnia super se ipsum volui, & terram sub pedibus tremere, & moueri, læditur igitur Cerebrum per consensum, & non per propriam, & primariam passionem, nempe à vaporibus eleuatis à materia in Ventriculo existēte. Ergo quando medicamentum quodlibet commouet, & exagitat materiam in vētriculo existentem, nec eam sursum, uel deorsum educit, uapores praui commoti in caput elati, & spiritibus animalibus commisti, lædunt ipsum cerebrum, eiusq actiones deprauant, sic spiritus aduena in cerebro existens in gyrum commotus immaginatrici obijcit, quod externa moueantur. Sed hic Mundinus cēset, quod Vertigo differat à Scotomia, eo quod in Vertigine sit læsio uirtutis sensitiuæ, non motiuæ: sed in scotomia esse motum gyratiuum, in quo nō solum virtus sensitiua, sed etiam motiua lædatur.

An Vertigo differat à scotomia.

Negatur.

Videtur autem errasse, quia Scotomia nomen græcum latine vertitur Vertigo. cū uero duplicē faciat affectum, alterum ad sēsum, alterum ad motum spectantem possemus dicere cum Capivacceo. quando cerebrum afficitur secundum partes anteriores, ubi est sedes facultatis Imaginatricis, & circumrotantur spiritus animales, fieri deprauatam imaginationē, quod omnia externa circumuoluantur, & communicata oculis affectione, ipsi quoque obtenebrantur. quod si uitium impertiatur origini neruorum, & ultimo uentriculo, motus quoq. corporis lædetur. sed Mesue ipse Theorem. 3. tex. 5. per scotoma explicat oculorum obtenebrationes.

Modo ad Curationem uertiginis à Medicamento excitatæ. Mesues ita docuit. *Illud autem symptoma hoc modo curabis: si abundet sanguis, humeralem incide; scarificata item auium cartilago, cucurbitulæ ceruicibus affixa, & cruribus, ad id admodum conducunt: & præter hæc victus ratio tenuis, quæ sanguinem minuat, post hæc omnia aqua dulcis balneo lauabis.* Quæ uerba Mesuæ de sanguinis missione sano modo sunt intelligenda: uel enim Vertigo percipitur in ipsa medicamenti operatione, uel remanet post purgationem. Si Vertigo adfuerit in ipsa humorum commotione, & dum fit Vomitus, in illo instanti non debet fieri ea phlebotomia, quia duæ euacuationes diuersæ eodem tempore fieri non debent. & cessata purgatione, cessabit commotio Vaporis ad caput, & per consequēs ablata causa, auferetur uertigo.

Curatio.

Distinctio.

Sed si Vertigo post purgationem, tum sursum, tum deorsum, remanserit. tunc discutiendum, an plenitudo sanguinis uertiginem efficiat, quod si sic, demendus, alias nequaquam.

Vertigo post purgationē.

At *Victus ratio tenuis.* post multam à Med. euacuationem conuenire non uidetur. sed *Balneum* aquæ dulcis corpus humectando, poterit fortasse vapores caput petentes reprimere, retundere, & reuellere; sed debiliter.

Pergit Mesue, *Si autem uertigo est ab humorum copia, uacuentur uomitu, aut potius detractione; post hæc cerebrum his, quæ affectui quoque conueniunt, roborandum est.* raro post medicamenti operationem potest remanere humorum copia: sed solum cum medicamentum parum eduxerit: unde supplenda euacuatio. Roborantia autem Cerebrum erunt primo repercutientia frigida, & adstringentia fronti adhibita. Oleum Rosaceum, aqua Rosacea, acetum Rosaceum, & ex his Oxirrhodina, & alia fronti applicata.

Ab humorum copia.

Repercutientia.

Et addit Mesue. *Frictio quoque partium inferiorum, & alia quæuis in contrarium reuulsiua prodest.* fatetur Mesue summum remedium in hac uertigine esse reuulsionem, quę cum multipliciter fiat, ut docuimus nos lib. de consultandi ratione. includentur cucurbitulæ, & alia plurima remedia.

Reuellentia

Et iterum docet hæc. *Prouidendum quoque est, partibus his, uapores in cerebrum transmittentibus, ut Ventriculo, hepati, lieni, folliculo fellis, & alijs.* Optime loquitur Mesue: sed nimis breuiter. Quo modo efficere poterimus, ne Ventriculus, Hepar, lien, & fellis uesica transmittant uapores ad caput? non nisi reuellendo, ergo. satis fuit dixisse esse reuellendum. si uero fuerit intro aliqua materia euacuanda. satis supra de euacuatione fuit determinatum.

Tandem ait. *Postremo, quod in capite reliquum est uaporum, id resoluendum est,* & hic clara est proposita indicatio; sed remedia obscura. Verum loquitur de Vertigine relicta post purgationem, & nos curare intendimus uertiginem, dum uomitur tantum contingentem.

Resoluentia

De Visus imbecillitate. Cap. V.

SI quandoq. à medicamentis infra purgantibus facultas uisiua læditur, probabile magis est, à uomitu uiolento lædi oculos; unde aliqui ante uomitum oculos fascia comprimi iubent, ne isti lædantur; manifestum enim experientia est, in uomitu rubescere, tumescere, & prominere oculos. & ab ipsis lacrymas excuti, quia dum membranæ cerebri cum alijs peritonęi, & pectoris membranis societatem, & unionem habeant, simul omnes consentiunt, & ad motum concurrunt, quia ex Hipp. consensus unus, conspiratio una, consentientia omnia. ob id cum inferiores membranæ in Vomitu constringantur omnes, etiam membranæ cerebri constringentur. & oculi ex membranis Cerebri conflati simul quoque con-

Oculorum præseruatio.

constringuntur, & laborant. Ergo in Vomitu multa uaporum copia caput, & oculos replet, parum in alui deiectione, & tamen ex hac non raro uisus imbecillitas prouenit. de qua exactè Mesue.

Causa imbecillitatis visus. Qui ita docuit. *Visio fit imbecilla post purgationem, interdum ab oculi partium siccitate immodica superfluæ euacuationi succedente: interdum ab humore in nerui optici cauitate coacto, quem medicamentum liquauit, & non uacuauit: interdum à uapore crasso turbido, quem medicamentum ad caput, & uidendi instrumenta sublevat.* & hæc sunt causæ, secundum Mesuem, imbecillitatis uisus à medicamēto purgante deorsum assumpto. & nos dicemus à superfluo Vomitu ex ualidissimo medicamento fieri uisus imbecillitatem non modo à siccitate, ob nimiam euacuationem, quia fit etiam conuulsio ab Elleboro ob nimiam euacuationem, & siccitatem neruorum. uerum etiam à materia commota in Cerebro, nec dum euacuata; unde neruus opticus fuit obstructus, commouetur n. uehementissime materia in cerebro existens a uehementi motu, qui in Vomitu fit. Nec non etiam imbecillitas Visus procedit ex Vomitu ob crassum uaporem caput. & oculos petentem in uentriculi sursum commotione. addamus imbecillitati facultatem uisiuam à nimia resolutione spirituum animalium. qui ad uisionem requiruntur.

Indicatio in siccitate. Vt hoc symptoma tollamus, cuiq. causæ erit metodice occurrendum; unde si imbecilla reddita fuerit uisio ob siccitatem prædictam, ratio postulat, & Mesue monet, ut humectantibus utamur. præcipue sex rebus non naturalibus dictis id præstantibus, in particulari autem proba nutritione, ex cibo, & potu, ac Aere facultate humectante præditis, tum actu, tum potentia, somno, quiete, tum corporis, tum animi, præterea, Balneo, & cæteris corporis rotum, & oculos præsertim humectantibus.

Obstructio opticorum. Si uero humor in capite existens à ualido Vomitus motu fuerit liquatus, & in opticos neruos impulsus, debet tolli, & per conuenientem regionem expurgari. Ego repellerem, reuellerem, deriuarem, & euacuarem: frigidis ad oculos actu. frictionibus, &c. reuellerem. Errhinis, causterijs ad nucham, timelea auribus deriuarē. & proprietate aptis euacuarem. sed Mesue, (nescio, qua intentione) scripsit. *Distillato quoque in oculum succo chelidonij, et fœniculi, et felle Perdicis, aut Ericij, aut Aquilæ, aut Capræ, aut*

Contra Mesuem. *Collirio ex fellibus.* quia hæc omnia calida sunt, & resolutina humoris tenuis in superficie oculi, immo ut calida, & rarefacientia ab imo ad superficiem attrahent, unde attrahent à neruo optico in ipsas membranas exteriores. nequaquam autem poterūt resoluere humorem in neruo optico impactum, qui mea sententia, potius debet retrocedere, quam procedere ad interiora oculi.

Ad hæc ex eodem Mesue, si ex uapore crasso, & turbido caput petente, genito à materia à medicamēto commota imbecillis reddita fuerit uisio. *Humor, inquit, est uacuandus, à quo tenuato uapor attollitur, et uapores sursum ascendentes sunt tum repellendi, tum ad inferiora reuellendi, per horum frictionem, et exercitationem. In oculum uerò dicta Collyria instillanda.* sed hic aduertendum, quod nos loquimur, de his, quæ fiunt in Vomitus actu; at Mesue uidetur loqui, de post purgatione, & de materia commota, nec dum purgata. ergo. erit perficienda incæpta purgatio, ut totus humor peccans, & commotus educatur. & sic ablata causa, uapor tolletur. qui si remanserit, tum quidem repelli, ac reuelli poterit. sed ad quid collyria dicta instillāda, quæ non repellunt, sed potius attrahūt? Postremo addit Mesue, *Ad hæc salubre est, ieiuno quidem uetriculum excrementis purgare Hieræ picræ infuso, aut Aloes, aut Absinthij decocto, aut Oxymellite Scillino: Post pastum uero uapores à cibo eleuari solitos prohibere Coriandro præsertim, et Cydonio, et similibus. Postremo adhibe oculis, quæ ipsos corroborent, et tergeant, quantum tibi uidebitur.* Porrò hæc curatio à Mesue tradita nihil ad nostram rem facit, qui loquitur de uisus imbecillitate post medicamentum assumptum non bene operans, sed læsionem uisus relinquens, ob id iterum purgat. sed nos loquimur de Vomitu, qui dum fit, non raro obest uisui. ergo. quid agendum?

Dico, quod alio modo debet curari læsio oculorum relicta ab actione medicamenti, alio uerò modo dum fit Vomitus, & læsio est in fieri. quia cessata operatione medicamenti uomitorij credibile est, quod etiam cessabit, læsio oculorum. ut igitur consulamus, ne lædantur oculi, qui in uomitu ob consensum cum uentriculo, ualde grauātur, iubet Auicenna 4. p. doc. 5. cap. 10. *In hora uomendi oportet, ut oculi ligentur, superpositis: plumacolis*, seu pilis duabus. alij scribunt *cum plicis manutergiorum*. Gentilis habet *cum plicis duabus*. intentio igitur Auicennæ fuit strictè ligare oculos ipsos comprimendo; unde haud contentus fuit simplici fascia, sed ut fortius comprimerentur oculi, plures linteolos in puluini, seu paruarum pilarum depressarum formam aptari uoluit, & oculorum deligationem proposuit etiam Gal. 3. de facile parabilib. ut nos paulo ante cap. scilicet primo scripsimus.

Contra Mesuem. (right margin) — *Quid agendum.* — *Oculorum deligatio.* — *à Vapore crasso.*

De Singultu. Cap. VI.

LOqui debemus de Singultu, quatenus uomētibus superuenit. & quidem Mesue de correctione Medicamentorum. de hoc singultu; ita nos docuit in uniuersum in

Quid Singultus. Mesue.

ordine ad singultum post purgationem. *Singultus*, inquiens, *est Ventriculi motus conuulsorius à re ipsa noxia excitatus.* (scilicet cum Galeno de diff. sympt. & lib. 7. aph. 3.) *seu est partium Ventriculi motu violento aggregatarum contractio. Is autem medicamento purganti, aut interuenit, aut succedit.*

Causæ.

Interuenit quidem nunc medicamenti purgantis ratione, nunc ob materiæ per ipsum motæ naturam. Medicamenti ratione; quia ipsum aut suo calore immodico, & acrimonia mordet ventriculum, aut siccitate eundem corrugat, & coarctat. Ob materiæ verò per medicamentum motæ naturam: cum ipsa in ventriculum effusa, aut calida, acris, mordax, suo cursu conuulsionem excitat, aut crassa, frigida eundem grauat, & replet, aut in flatum est soluta crassum, replentem, ac extendentem ipsius tunicas. Succedit autem singultus actione medicamẽti purgantis ob siccitatem ab immodica euacuatione excitatam, & eam aut nondum consumatam, aut confirmatæ proximam, quæ Hippocrati signum est lethale.

Locus affectus.

Et ita Mesue exquisitissimè docuit differẽtias singultus causarum, sed in loco affecto nos, vt à Galeno, ita quoque à Mesue dissentimus, lib. enim primo huius Emeticæ. cap. 1. Gulam fecimus singultus subiectum.

Quid sit singultus.

Vnde dicimus, singultum esse motum expulsiuum fibrarũ Oesophagi, ad expellendum id, quod ipsum Oesophagum, quomodocumq. vel per se, vel per accidens, substantia, vapore, qualitate actuali, uel potentiali molestat. Sed in nostro casu, quando consideramus singultum ab assumpto Elleboro. iam scimus Elleborum esse medicamentum vomitorium,

Concurrentia ad Vomitum.

& ad Vomitum efficiendum scimus etiam concurrere Os, Oesophagum, os Ventriculi, & ipsum Ventriculum totum, cui etiã fauent Membranę Capitis, Pectoris, Abdominis, & eorum musculi. Sic ex Hipp. vomitum denunciat aliquando labij inferioris concussio. tum Oris saliuatio, & multum sputum. Sic Aetius lib. 3, cap. 133. *Prima perceptio caloris*, inquit, *circa stomachum, & fauces contingit. Deinde saliua multa in os colligitur. & reijcitur.* Quod etiam ex Antyllo refert Oribasius lib. 8. Collect. c. 6. Tertio accedit Nausea insurgẽte ore Ventriculi, Tãdẽ fit uomitus toto uentriculo commoto.

Indicatio Mesue.

Modo ad quid agendum deueniemus. Profecto Mesue indicationes quasdã proposuit ad singultum tollendum, à medicamento factum his verbis. *Singultus, quem medicamentum purgans per se excitauit, curatur his uicissim adhibitis, quæ ipsius uirtutem alterant. ob materiæ vero naturam factum curabis, blande acrimoniam ipsius frangentibus, donec ipsa materia uacuetur, quando etiam uestigia ab ipsa impressa alterare oportet. Factus verò singultus à siccitate non consumata, humectantibus iuuatur; quin & interdum sanatur. A siccitate autem veluti sigillò impressa, & consumata propinqua, vix sanatur, ut inquit Hipp.*

Hæc porrò à Mesue tradita Singultus curatio ad rem nostram non facit. sed potius auscultabimus Aetium l. 3. c. 133. *His uero qui circa mediam purgationem singultiunt, aquam mulsam dabimus, aut decoctum rutæ, & aquam tepidam in potu. Deinde purgatos lauabimus, & alimentum stomacho gratum exhibebimus. Perseuerante uerò purgatione, oportet dare aquam mulsam calidam absorbendam, in qua decocta est ruta, aut aquam cum oleo. Penna quoque cyprino, aut irino oleo, aut aliquo simili tracta irritantur, & lecto pensili reclinato commoueantur.*

Vbi vero incipiunt purgari mitigandus est singultus, uelut ab ea dictum est. Si uero uiolentus fuerit singultus, sternutatione vtemur, & cucurbitis per totam spinam, & maxime circa magnæ scapularum verticulæ detrahentes ipsas ad spinam. perseuerantes enim cucurbitę sæpe corrigunt stomachum contractum, & ueluti contortum à singultu. ligabimus etiam extremas partes, & fouebimus immissas in aquam calidam.

Oribasius.

Oribasiũ ex Antyllo transcribentem talia uerba. *Quoniam plerosque ac fermè omnes eos, quibus elleborus datus sit, singultus corrigit. non omnibus tamen periculum inuehit: ideo fit, ut qui leniter, & maiore spatio interposito intercurrit. eum ita sinamus: quandoquidem non*

Qualis sint singultus curandus.

sit futurus inutilis, cum stomachum prorritet, & quasi recordationem excretionis ei suggerat. Si verò fuerit contentus, & vehemens, & multis os vibret, & quatiat, & conuulsiones inducat. In primis Melicratum

Melicratum

dabimus, quod in singulis ictibus calidius absorbeatur; parum autem Ruta simul decoquatur. aut per se succus exprimatur; & singulatim aut ex Melicrato, aut calidæ aquæ sorbendum exhibebimus. Si non subleuentur remedio vtemur, quod

Sternutatorium.

sternutamentum cieat; si verò ita quoq; molestus persuerat, per totam spinæ longitudinem cucurbitulas applicabimus;

Cucurbitulæ.

si uerò admodum essent spinæ fuerit, dorso prius peruncto. vnam cucurbitulam sub magna colli vertebra affigemus, eamq; deducere sensim & deorsum in spinam trahere conabimur: cumque ad eum locum perducta fuerit, vbi ventriculus adiunctus est, aliam quoq; admouebimus prope vertebram, & ita eam etiam deducemus. atque ita primam ablatam iterum superius applicabimus: nam sæpe numero cucurbitula admota stomachum à singultu contractum, & ueluti cõtortum dirigunt, & ad suum statum redigunt. Præterea verò partes extremas vinculis excipiemus, easque calfaciemus, tum fomentis, tum in aquam calidam infundendo, ad hæc etiam pauores quosdam machinamur, & contumelijs eos incessimus, & vt magnas inspirationes edant, edicimus: atque etiam ut longo tempore spiritum intra trahant, & ut longo tractu respirent.

Antylli methodus.

Intentio autem Antylli uidetur fuisse, sedare singultum, uel euacuantibus causam singultus, uel reuellentibus humores oesophagum petentes. Et quidem singultus causam tollere conatur Melicrato calido, uel cum Ruta, irritato uomitu. si non successerit, reuellentibus vtitur, primo sternutatorijs, deinde cucurbitulis, ad superficiem trahendo; uinculis, & calidis etiã fomentis

ad partes extremas. recurrit deniq. ad Animi affectus, & utitur pauoribus, & contumelijs: denique magnas fieri inspirationes, & respirationes iubet. forte quia aspera arteria, per quam fit inspiratio, & respiratio, contigua est cum œsophago, & hoc commoto illa mouetur, ideo alterato motu arteriæ poterit alterari motus œsophagi, & hoc modo sedati singultus.

De Conuulsione. Cap. VII.

DVpliciter cōsiderabitur à nobis Conuulsio, uel dum fit Vomitus, uel post purgationem. scripsit Oribasius. *Quemadmodum singultus omnes inuadere, ita contractiones quoque consueuerunt, quarum uehementes, quæ præsertim*

Quæ conuulsiones.

musculis accidunt, qui in cruris sura sunt. itemque in femoribus, & brachijs, & musculis masticatorijs, & in extremis pedibus, & potius etiam in manibus. & loquitur in ipso actu vomitus. Mesue verò exacte causas inuestigauit. & inquit: *Conuulsio in purgatione ipsa interdum accidit, interdum post ipsam. Quæ autem in purgatione accidit, interdum fit ob materiam multam à medicamento commotam, non tamen vacuatam; sed ad neruos, & musculos aliquando procumbentem, eosq; replentem, & uillos ipsorum extendentem. Quo fit, ut nerui, & musculi in latum aucti breuiores euadant, longitudine scilicet naturali tum minuta. Quapropter ceu cordis tensis vincta partes motu contrahuntur dolorifico multum, qualiter arcuum cordæ breuiores reddita. Porro ad hāc conuulsionem propensi sunt magis, quibus est corpus impense plenum, & meatus in eo angusti, quibus item nerui sunt humidiores, qui denique uino sese multo frequenter ingurgitant. fit item conuulsio hæc interdum à uapore turbido, crasso, quem cum flatu inflammante medicamentum ad neruos substulit. Fit etiam à frigore uehementi neruos, & musculos corporis purgatis lædente, cogente, densante. Quapropter hi uersus principium suum contrahuntur. Nonnunquam fit à medicamenti qualitate uenenosa neruos, & musculos feriente, quam vt hi à se expellant, aut ut omnino uitent, contrahuntur. Quæ uerò ex siccitate cōuulsio ab Hippocrate ceu lethalis damnatur, ea potissimum intelligitur, quæ fit à siccitate consumata.*

Mesua. *Causæ.*

Mesue relinquitur.

Et omnia quidem, quæ à Mesue dicta sunt, probabilia sunt. sed nos loquimur de conuulsione, quæ fit in uomitu ab assumpto medicamento uomitorio, præcipue Veratro albo, de cuius curatione agere nunc intendimus.

Curatio ex Mesue.

Sed prius uideamus, quæ Mesue docet de Conuulsione à Medicamento purgante, tam sursum, quam deorsum, quia dicit. *Recte autem curabitur, si repente materiam commotam uacuaris: idque uel medicamenti uim adiuuando, acquisita scilicet, & facultate plenitudinem uacuatura: quin & superdato ualenter purgante alio, si opus esse tibi uidebitur. Post hac noxas neruoso generi impressas corrige, ipsumque robora, & spinalem medullam, & cerebrum, & corpus reliquum. Si autem à uaporibus elatis conuulsio fiat, curabis dicta uictus ratione, & dictis omnibus remedijs, quæ uapores in contrarium reuellere possunt. Si à qualitate uenenosa, curabis per ea, prius dicta, quæ malignitatem hanc cito de corpore detrudunt; ad hæc tum ea, quæ neruos, & musculos à noxis indidem acceptis uindicant, tum per ea, quæ ipsos roborant.*

Curatio ex Aetio.

Sed circa Conuulsiones ab Elleboro procedentes exquisitissime ex Antyllo loquuti sunt Aetius serm. 3. c. 133. & Oribasius 8. Collect. c. 6. scribentes. succedentes contractiones crurum, maxime; & manuum sedabimus copiose ungentes, comprimentes, calfacientes, fouentesque. quin huiusmodi contentiones compressio musculorum manibus facta sūmopere adiuuat, nam qui in eorum ventribus collectus est spiritus, qui contractionis est auctor, manuum compressu eliditur.

Frictio.

Inunctio.

Pro inunctionibus autem. sit oleum Sycionium, & uetus, & ex Acopis, quæ calfaciunt, & molliunt, lassitudinem, ac dolorem tollunt. Sed & Castorium vnguento admiscebimus, & in potu exhibebimus, tum per se, tum cum melicrato, & melicratum copiosum cum ruta absorptum obtundere, ac leuare contractiones solent.

Balneum.

Sed maxime omnium contractos iuuat Balneum, qua propter si purgatio abunde successit, vt in plerisque eorum, qui uehementer contrahuntur, contingit. in balneo si affuerit, sin minus in scapham, aut solium immissos lauabimus, & iterum, & tertio, ac quendam etiam uno die octies lotum uidimus, non eo die quidem, quo elleborum sumpserat; sed consequente. nam secundo die uehementi contractione correptus balnei auxilio fuit leuatus. Ita ut oleo multo dulci totum corpus maxime uerò contractas partes illinamus. Sit autem aqua probe temperata; ut in ipsa diutius manere possit.

Nutritio.

Porro ubi cessauit conuulsio, ac purgatio, statim nutrire oportet, panem exhibendo uino diluto madefactum, aut in Omphacomelite, his, qui ualde sunt euacuati. Si uero caloris sensus circa stomachum post cibū contigerit, ipsum omphacomeli aqua calida temperatum bibendum dabimus. Aliquando uerò etiam cum frigida mixtum secunda die dabis, cibi uerò postea boni succi omnes sint, & uinum tenue, ac ualde uetus.

Butyrum.

Præterea Haly 2. pract. cap. 56. *Si autem*, inquit, *ex ellebori porrectione, aut aliorum, spasmus acciderit, patienti propinabimus lactis pinguedinem, ac butyrum, Hordei aquam, membraq. liniäs cum ol. violaceo, & alba cera.* Sic etiam Paulus lib. 7. cap. 10. ait, *si uellicatum, aut conuulsionem experiatur, Hydraleon potui dabitur, simul & in aluum ab inferiore parte indetur, quod alioquin in his, qui Helleborum assumunt, nonnūquam*

quam

quã fieri solet. unde medicamenti coacervationem facilius ferunt.

Prognosis. Profectò Hipp. 5. Aph. 1. scripsit *Conuulsio ab Helleboro lethalis*, deinde Aph. 5. subdit *Ex superflua purgatione conuulsio, aut singultus superueniens, malum*. Ergo dicetis. ista cõuulsio in vomitu est incurabilis. Respõdeo ex Gal. in Com. Conuulsio non solum accidit ob summam repletionem, uel inanitionem, uerum etiam ob humores acres, uellicãtes genus uenosum. igitur si conuulsio superuenerit nimiæ purgationi, nempe ob siccitatẽ, malum. Si uero initio p rgationis, quando non facta est neruorum summa exiccatio ab immodico uomitu, uel à repletione uen- *Ratio.* triculi, uel ab humorum motu accidere poterit, proinde sanabilis erit affectio. Etenim cum à proprietate elleborus albus à neruis trahat uiscidam pituitam eorum alimẽtum, & pariter excrementum; dum se exinanire sentiunt, conuelluntur.

De Strangulatione. Cap. VIII.

SVffocari uidentur plurimi ex his, qui Helleborum album sũpserunt. ideo scripsit Oribas. lib. 8. Collect. c. 7. ex Herodoto. *Qui periclitantur,* *Accidentia* *ne suffocentur, ij in principio purgationis modicum saliuę expuunt: cum autem uehemens uomendi appetitus excitatur, nihil excernunt, facies intumescit, oculi exeruntur, colligantur, constipantur partes ad respirationem pertinentes eum spirandi difficultate coniunctæ. nõnulli vero linguam exerunt, & copioso sudore madescunt, alij dentes concutiunt, eisq. mens tentatur. Cum igitur imminens periculum cognoscamus, nulla interposita mora, quam primum succurrere debemus.* *Vomitus prouocandus.* *Vnguenta enim pennis obuoluta indemus, & dabimus operam; ut pituitam quæ locis deglutitionis insidcat, atq; inhæreat, euellemus; atq. ego quidem in quodam. qui suffocatione correptus inibi erat, ut moreretur (nam dentibus contractis ita conciderat, ut faciunt iugulata ostiæ) ore cuneolis aperto, & dentibus obfirmatis, ne eos clauderet, manum inieci, & contractis in orbem neruis, qui ad deglutitionem sunt, manui adhærescentem pituitam extraxi, quæ etiam absterſa, indiuidua permansit.* Equidẽ *Causa.* censeo ægros suffocari, non quidem quod ratione uentriculi debilis difficulter uomãt, vt censuit Oribasius lib. 8. c. 6. ex Antillo. sed quia materia uiscida, in modum glomeri coacta, tota simul per Oesophagum exire sine suffocationis periculo, nequit, si ergo lædit, quia ualde uiscida, incidenda, quod ego aliquoties absorpto Aceto præstiti.

Melicratum Oribasius lib. 8. Collect. c. 6. ex Antyllo scripsit. *Strangulationes sedabimus continua melicrati sorbitione, in quo Ruta præcipue sit incocta; sin minus aliquid aliud eorum, quæ prædicta sunt, idq: paulatim, & continenter propinabimus; itemque stomachum proritabimus in lectulo* (Aetius assidue per lectum pensilem agitat) *pennam* *Penna.* *vehementius immittendo. si uero ualde admodum perturbentur, diluti Ellebori cyathos tres, aut quatuor offeremus.* *Dilutum ellebori.* *Quæ verò ad uomitum prouocandum adhiberi solent, reprobamus, uel ob hanc causam; quod ellebori dilutum eiusdem qualitatis cum elleboro est, & purgationem adiuuat. at quæ uomitum prouocantia dicuntur, cum diuersæ qualitatis sint, stomachum solum irritant, elleborum uerò non commouent. Si periculum quod ex suffocatione imminet, nullo ex his remedijs subleuetur, acerrimo clysteri rem transigemus,* *Clyster Galbanum.* *intermissionem enim periculi præbet, & tempus nobis suppeditat, ut alijs uti remedijs possimus. Dabimus quoq: Galbani tres obolos, quos deglutiant.* (non ut uomitum concitemus, ait Aetius; sed ut strangulationem sedemus) *Sed si ne ita quidem sequatur leuatio, ut duos uetustissimæ urinæ cyathos sorbeant cogemus;* *Vrina vetus.* *hæc enim ambo uomitum non eiicent, & suffocationem subleuant.* addit Aetius, sternutamentum forte conuenire. *Sternutatio.* Verum enim uero equidem censeo à nullo medicamento, nisi ab elleboro albo timendam esse suffocationem, quia nullum aliud crassos, & adhærentes humores trahit, qui simul coacti per angustum œsophagũ exire nequeũtes ferè suffocant.

De Aphonia, & Casu virium. Cap. IX.

AB assumpto Valido vomitorio, quale Elleborus, nonnunquam. obseruatur ægrotans vocem amittere, sensus in eo deficere, vires corruere, nec quidquam educi per Vomitum. Mesues multas adduxit causas, *Causa uocis amissæ.* ueluti sunt immodica euacuatio, Medicamenti assumpti malignitas, uel ob excitatam ab eo intemperiem, uel ob naturæ fatigationem, propter ipsius cum natura contrarietatem. & alia. sed in Vomituris omnia referenda sunt ad os uentriculi læsum, obstructum, alteratum, & ad copiosam, uiscidam, & conglomeratam pituitam adhe- *Vera causa.* rescentem. Si quidem Oribasius lib. 8. Collect. cap. 6. inquit. *Si uocis, & sensus expertes fiant, cuneolis eorum dentes diducemus in utranq. partem, &c. pennas immittemus, aut digitalia indemus, & quod sternutationem excitet, afferemus, ac præsertim elleboro ipso ad id utemur, sin secus, Euphorbio, aut aliquo alio consimili; quandoque enim sternutantes, uorticem quemdam pituitosum simul eiecerunt, qui cum stomacho inesset, & suffocationis, & amissæ uocis causam afferebat, si uerò, & uocis, & sensus priuatio ita perseueret, uestimentum aliquod admodum firmum, & robustum extendemus, & ex duabus partibus tenendum iuuenibus robustis, & alijs, qui contra sese sint constituti, ac* *In alternm proiectio.* *iubebimus, ut ipsum uestimentum, sublime à terra extendant, tum in eo reclinabimus hominem, qui elleborum sumpsit; ac quandoque in sublime tolle-*

mus eodem etiam uestimentum circum uertemus; quandoque uerò in latus utrumq; deuoluemus, alijs id latus, quod prope eos sit, attollentibus; alijs uerò deprimentibus. ac tunc quidem scire conuenit, nisi homo bis quassationibus, & commotionibus à sensus priuatione non subleuetur, eum non esse praterea sensum recuperaturum. Nostri per iocum accipiunt linteum forte, uel lecti cooperimentum laneum, quod à nostris dicitur *Coperta di lana*, in quod proijciunt hominem, & quatuor uiri fortes ex quatuor lateribus simul unà eleuant linteum, ita homo in altum proijcitur, bis, ter, & quater, ita ludũt, & alludunt aliquem, & *dare la coperta* uulgo dicitur. hoc uiolento motu, & cõmouetur corpus, ut in Naui. quod discimus ab Hip. 4. aph. 14. & de Veratri Vsu. *Cum biberit quis Helleborũ,ad motiones quidē corporum ducere magis; ad somnos uerò atq. quietem minus. Indicat autem nauigatio turbari motione corpus.* & aph. sequenti. 15. replicat. *Cum noles Helleborum magis ducere, moue corpus, cum uerò sistere, somnum inducito, nec moueto.* Verum enim uero motus iste non conuenit in syncope, & casu uirium, ex imbecillitate facultatis uitalis, uel animalis. sed solummodo ad irritandam facultatem expultricem Ventriculi.

Motus.

Etenim si anima deficiat ob assumptum medicamentum, iubet Paulus Aegin. lib. 7. c. 20. naribus, quæ odorem mouent, admoueri, & consimilibus uires recolligere. Oribasius autem lib. 8. Collect. c. 6. alimentis, & Vino recuperare conatur. Auicenna verò 4. p. doct. 5. cap. 15. *& Interfectioni uocis,* inquit, *quæ accidit post ipsum, confert ligare extrema, & stringere ea, & superponere stomacho pãnem infusum oleo, in quo cocta fuerit Ruta, & cucumer asininus, & dare ei bibendum mel cum aqua calida.* & Hippoc. de loc. in hom. n. 45. Si Vomens debilis fuerit somnificum medicamentum à Vomitu præbet.

Syncopi.

Somnificum.

Ad nimium sudorem ob Vomitorium assumptum, Cap. X.

OB nimios, copiosos, ac violentos Vomitus, adeo laborantes patiuntur, ut maxime sudent, & ob nimium sudorẽ exoluantur, ita enim incalescit, ex concitato motu totũ corpus, ut pori cutis dilatentur. imbecilli, adeo euadant, ut relaxati, sudorem diaphoreticum transmittant. profectò hi sudores sunt compescẽdi. & Autyllus, qui hos plures obseruauit, nos docuit referẽtibus Oribasio, atque Aetio. Sudores immoderatos sistendos esse corporis uentilatione, & flabellis uentulum excitando, corpusq; spongijs aqua frigida, aut posca imbutis, & expressis abstergendo. utemur etiam pulullorum adstringentium, & meatus obducentium inspersione, linimentis, & stipantibus, & emplasticis. Ego tandem conuocatus ad ægrotantem, quia medicamento quodam purgante chynuco assumpto à mane ad noctem sudauerat, & moribundus, iudicabatur ex pulsus defectu, & aphonia. flabellis, & panis mica in Vino niue refrigerato in uitam reuocaui.

Sudores sistendi.

Flabellis.
Spongijs.
Pulueribus

Ad nimium Vomitum sedandum. Cap. XI.

HYpercatharsis, siue immodica à medicamento purgante euacuatio, plures habere potest causas, ueluti est Pharmaci uitium, assumentis natura, & aliquid externum. & Pharmacum quidem ueluti Veratrum, Elaterium, Thapsia, Stibium, Præcipitatum, &c. quod uel est *natura deleterium*, & uenenosum, uel per accidens, ut corruptum, marcidum, non bene collectum, repositum, præparatum, ueluti Turbit nigrum, Agaricus niger, Colocinthis unica in planta sua, & ut mineralia imperitè parata. uel *quantitate* nocuum, ob nimiam dosim, uel *male præparatum*, ut ex Mesue Colocinthis nimis crasse tusa, ex Auriquis Veratrum puluerizatũ, à Neotericis Hydrargirum, Antimonium, non depurata.

Causa.

Si uero Hypercatharsis referenda fuerit in Assumentis naturam, uel eius corpus excrementis ad fluendum paratissimis redundabit, uel uenarum facultas retentrix erit imbecilla, uel uasorum orificia consueto erunt latiora, unde facilis purgatio, & difficilis cohibitio.

Si denique nimiæ purgationis causa aliqua externa adfuerit, hæc uel erit Aer Australis, ut faciat constitutionem calidam, & humidã, quæ poros aperit, rarefacit, atque humores ad fluendum aptos reddit, uel cõstitutio Aquilonia, quę fluxiones quà comprimendo, quà exprimendo excitat. Praterea Aquæ frigidæ largior potus, & alij errores in assumendis, admouendis, educendis, & faciendis, hypercatharsim promouere possunt.

A Nobis autẽ, ut huic immodicæ euacuationi uires prosternenti occurramus, cuilibet causæ sumpta propria indicatione, erit resistendum.

Indicatio.

Vnde si aliquod pharmacum casu aliquo fuerit deprauatum, corruptum, marcidum, & redditum uenenatum, & læserit assumentem, indicatio erit, ipsum expellendi, & corpus roborandi. Aetius, & Oribasius ab elleboro immodicas purgationes, aquæ ualde calidæ potu sistere, conantur.

Ad Elleborum.

Dioscorides de Elateriò. *Porrò,* inquit, *his qui eximie uacuantur, continue uinum, & oleum dare conuenit, etenim uomendo restituuntur. Quod si uomitiones non finiantur Aqua frigida, polenta, posca, poma, & quæ stomachum densando corroborant,*

Ad Elaterium.

rant, offerenda sunt. Ita etiam Alexander lib. 1. c. 18. ad Hypercatharsim ex assumpto lapide Armeno frigidam laudat. sed tum calida, tum frigida Vomitum sistere potest, ut eũa excitare, ueluti supra lib. 2. nos diximus. *Ad lapidẽ armenum.*

Ad Tithymalos. Arduinus ad Tithymalos assumptos proponit abstergentia frigida, ut est aqua hordei cum sacchard, uel sy. uiolaceo, & similia.

Multi autem in his casibus, adiuuant Vomitum, cum aqua, & oleo communi, postea propinant oleum amigd. dulc. cum modico facchari. item lac recens mulctum, butyrum recens, coctum, uel crudum, & aquã hordei. macilaginem Psillij, Oleum sesaminum, Ius Gallinæ.

Mesue ad frangendam mali medicamenti uim utitur abluentibus, detergẽtibus, uel comprimentibus; *Abluentia.* Abluentia sunt Aqua calida, Aqua Hordei, Mucilago sem. Psyllij, uel cydoniorum. *Detergentia* Detergentia autem erunt saccharum rubrum, Mel, decoctum uuarum passarum, hydromel, & similia. *Comprimẽtia.* Cõprimentia uero, ut Cydonia, silnestria poma, pyra, Mastiches, Myrobalani, & similia. Verum Rufus, ut scribit Mesue, primum propinabat mucaginem proposito affectui idoneam cum aqua tepida, & pauco oleo Amygdalino, horis postea duabus aliquid comprimens exhibebat, sic medicamẽti uirtutem totam à corpore expellebat.

Aqua. Addit Galenus, aquam calidam lauare, expurgare, medicamentumq; purgatorium, etiam si alicui parti hæserit, deturbare: frigidam uerò, quod uillis uiscernm adhæret, magis impingere. *Serum.* Serum denique lactis Caprini cum melle, & pauco sale medicamentum probe expellit, ut ait Ioannitius, sic nullum eius manet uestigium.

In hac nimia purgatione Aetius, & Oribasius testantur Absintij potionem egregie uomitum ab Elleboro supprimere. *Absintium* fortasse etiam Menta id præstabit, quia H.pp. 2. de Diæta n. 14. *Menta.* *Menta*, inquit, *calfacit, & urinam ciet, & uomitus sistit*. Ego in Vomitu compescendo summe confido in uncijs tribus. uel quatuor succi Agrestæ, semel, uel bis potatis, ut experientia iterata didici. *Omphaciũ* Auic. proponit Emplastra ex astringentib. & roborantibus stomachum.

Item quia dum superfluit Vomitus, multa materiæ copia ad uentriculum fluit, ea est reuellenda ad cutim, ad artus, & ad alias partes, *Reuulsio.* proinde Aetius, & Oribasius ex Antyllo, laudant extremarum partium ligaturas dolorosas, uehementes frictiones, & ualidas cucurbitulas, tum hypocondrijs, tum dorso admotas, & ui etiam auulsas. ita quoq; Paulus lib. 7. c. 10. docuit, si perseueret euacuatio cucurbitulas stomacho defigendas, & artus uinculis esse excipiendos. Auic. ligaturas commendat.

Mesues uero reuellere nos docet ad opposita, & ad cutim, & ad Vesicam, ad artus, ad aluum. Balneis, frictionibus, uinculis dolorificis, cucurbitulis, diureticis, aluum prouocantibus; Frictiones autem fiant primum lenes, post etiam ualentiores, ne tamẽ ægrũ lædant, identidemq; repetantur, donec multus repetatur sudor, idemq; frequentissimus tergendus est, hoc enim modo promptius effluit, cum in poris diu relictus, cõcrescat, & alterum, uel sudorem, uel uaporem exitu prohibeat. fricuisse etiam extrema multum iuuat, *Frictiones*

De Balneo ad Hypercatharsim. Cap. XII.

BAlneũ an conueniat in Hypercatharsi, nunc disputandũ est. Alexander Trallianus lib. 1. cap. 8. in superpurgatione à lapide armeno assũpto, clarè probat Balneũ scribens. *si purgationem copiosiorem fieri contingat, ut etiam conuulsiones superueniant (multis enim hoc accidit) & si non animaduersione dignum quid euacuatum fuerit, quod agri neruos habeant natura sicciores, imbecilliores que, aquam liberaliter superfundito, multoque utitor hydreleo*. *Balneũ probatur.* post pauca addit. *postquam uires receperit, ad balneum ipse ducendus, quod aerem habeat temperatum, concedendumque, ut non modo in calida solio; sed etiam frigida labro diutius immoretur*.

Sed ex ijs, quæ nos ex Hipp. cap. 9. attulimus de Balneo ad adiuuandum uomitum uidetur posse inferri, *An Balneũ conueniat.* quod Balneum, non solum non possit sistere superfluum uomitum; sed quod aptissimum sit ad uomitum irritandum, augendum, & adiuuandum. nec nisi refectis uiribus proposuit Alexander. & Mesue quidem canone 3. Balneum proposuit ad reuellendum naturæ motum. scribens. *Præstantissimum autem inter hæc est Balneum, præsertim ex aqua dulci, cui Camamelum, absinthium, sampsucus, folia enim poros dilatant, & corpus roborant. Ne autem cum imperitis quibusdam adstringentia incoquas: corpore enim densato materia, & uapores intro compelluntur, qua res fluorem auget.* *Vt reuellẽdum.* *Præcipuo igitur studio poros rarefac, & foras, quibus potes modis, attrahe, ut per cutim materiæ, & uapores acres expirent: id quod sudor in balneo, uel aqua calentis uapore præstabit*. Balneum igitur indicatur tanquam remedium reuellens à centro ad circumferẽtiam, ideo sedans naturæ motum ad Ventriculum.

Verum enim uerò in usu Balnei ab assumpto medicamento purgante, maxima cautio est adhibenda, quia Balneum ante Medicamentum pręparat corpus ad faciliorem uomitum efficiendum. & in uomitu retardante, & difficili, eum adiuuat Balneũ.

Tamen in nimio uomitu irruentibus cum impetu humoribus ad uentriculum, & irritato toto corpore ad expellendum contentã

ad

mus eodem etiam uestimentum circum uertemus; quandoque uerò in latus utrumq; deuoluemus, alijs id latus, quod prope eos sit, attollentibus; alijs uerò deprimentibus. ac tunc quidem scire conuenit, nisi homo his quassationibus, & commotionibus à sensus priuatione non subleuetur, eum non esse praeterea sensum recuperaturum. Nostri per iocum accipiunt linteum forte, uel lecti cooperimentum laneum, quod à nostris dicitur *Coperta di lana*, in quod proijciunt hominem, & quatuor uiri fortes ex quatuor lateribus simul unà eleuant linteum, ita homo in altum proijcitur, bis, ter, & quater, ita ludũt, & alludunt aliquem, & *dare la coperta* uulgo dicitur. hoc uiolento motu, & cõmouetur corpus, ut in Naui. quod discimus ab Hip. 4. aph. 14. & de Veratri Vsu. *Cum biberit quis Helleborum, ad motiones quidẽ corporum ducere magis: ad somnos uerò atq; quietem minus. Indicat autem nauigatio turbari motione corpus.* & aph. sequenti. 15. replicat. *Cum noles Helleborum magis ducere, moue corpus, cum uerò sistere, somnum inducito, nec moueto.* Verum enim uero motus iste non conuenit in syncope, & casu uirium, ex imbecillitate facultatis uitalis, uel animalis. sed solummodo ad irritandam facultatem expultricem Ventriculi.

Motus.

Etenim si anima deficiat ob assumptum medicamentum, iubet Paulus Aegin. lib. 7. c. 20. naribus, quae odorem mouent, admoueri, & consim[i]libus uires recolligere. Oribasius autem lib. 8. Collect. c. 6. alimentis, & Vino recuperare conatur. Auicenna uerò 4. p. doct. 5. cap. 15. *& Interfectioni uocis,* inquit, *quae accidit post ipsum, confert ligare extrema, & stringere ea, & superponere stomacho pãnum infusum oleo, in quo cocta fuerit Ruta, & cucumer asininus, & dare ei bibendum mel cum aqua calida.* & Hippoc. de loc. in hom. n. 45. Si Vomens debilis fuerit somnificum medicamentum à Vomitu praebet,

Syncopi.

Somnificum

Ad nimium sudorem ob Vomitorium assumptum, Cap. X.

OB nimios, copiosos, ac uiolentos Vomitus, adeo laborant patientes, ut maxime sudent, & ob nimium sudorẽ exoluantur, ita enim incalescit, ex concitato motu totũ corpus, ut pori cutis dilatentur, imbecilli, adeo euadant, ut relaxati, sudorem diaphoreticum transmittant. profectò hi sudores sunt compescẽdi. & Antyllus, qui hos plures obseruauit, nos docuit referẽtibus Oribasio, atque Aetio. Sudores immoderatos sistendos esse corporis uentulatione, & flabellis uentulum excitando, corpuśq; spongijs aqua frigida, aut posca imbutis, & expressis abstergendo. utemur etiam puluillorum adstringentium, & meatus obducentium inspersione, linimentis, & stipantibus,

Sudores sistendi.

Flabellis. Spongijs. Pulueribus

& emplasticis. Ego tandem conuocatus ad aegrotantem, quia medicamento quodam purgante chymico assumpto à mane ad noctem sudauerat, & moribundus, indicabatur ex pulsus defectu, & aphonia. flabellis, & panis mica in Vino niue refrigerato in uitam reuocaui,

Ad nimium Vomitum sedandum. Cap. XI.

HYpercatharsis, siue immodica à medicamento purgante euacuatio. plures habere potest causas, ueluti est Pharmaci uitium, assumentis natura, & aliquid externum, & Pharmacum quidem ueluti Veratrum, Elaterium, Thapsia, Stibium, Praecipitatum, &c. quod uel est *natura deleterium*, & uenenosum, uel per accidens, ut corruptum, marcidum, non bene collectum, repositum, praeparatum, ueluti Turbit nigrum, Agaricus niger, Colocinthis unica in planta sua, & ut mineralia imperitè parata. uel *quantitate* nocuum, ob nimiam dosim, uel *male praeparatum*, ut ex Mesue Colocinthis nimis crasse tusa, ex Antiquis Veratrum puluerizatũ, à Neotericis Hydrargirum, Antimonium, non depurata,

Causa.

Si uero Hypercatharsis referenda fuerit in Assumentis naturam, uel eius corpus excrementis ad fluendum paratissimis redundabit, uel uenarum facultas retentrix erit imbecilla, uel uasorum orificia consueto erunt latiora, unde facilis purgatio, & difficilis cohibitio.

Si denique nimiae purgationis causa aliqua externa adfuerit, haec uel erit Aer Australis, ut faciat constitutionem calidam, & humidã, quae poros aperit, rarefacit, atque humores ad fluendum aptos reddit, uel cõstitutio Aquilonia, quae fluxiones quà comprimendo, quà exprimendo excitat. Praeterea Aquae frigidae largior potus, & alij errores in assumendis, admouendis, educendis, & faciendis, hypercatharsim promouere possunt,

A Nobis autẽ, ut huic immodicae uacuationi uires prosternenti occurramus, cuilibet causae sumpta propria indicatione, erit resistendum.

Indicatio.

Vnde si aliquod pharmacum casu aliquo fuerit deprauatum, corruptum, marcidum, & redditum uenenatum, & laeserit assumentem, indicatio erit, ipsum expellendi, & corpus roborandi, Aetius, & Oribasius ab elleboro immodicas purgationes, aquae ualde calidae potu sistere, conantur.

Ad Elleborum.

Dioscorides de Elaterio. *Porrò,* inquit, *his qui eximie uacuantur, continue uinum, & oleum dare conuenit, etenim uomendo restituuntur. Quod si uomitiones non finiantur Aqua frigida, polenta, posca, poma, & quae stomachum densando corroborant,*

Ad Elaterium.

rant, offerenda sunt. ita etiam Alexander lib. 1. c. 18. ad Hypercatharsim ex assumpto lapide Armeno frigidam laudat. sed tum calida, tum frigida Vomitum sistere potest, ut etiã excitare, ueluti supra lib. 2. nos diximus.

Ad lapidẽ armenum.

Ad Tithymalos. Arduinus ad Tithymalos assumptos proponit abstergentia frigida, ut est aqua hordei cum sacchato, uel sy. uiolaceo, & similia.

Multi autem in his casibus, adiuuant Vomitum, cum aqua, & oleo communi, postea propinant oleum amigd. dulc. cum modico sacchari. item lac recens mulctum, butyrum recens, coctum, uel crudum, & aquã hordei. macilaginem Psillij, Oleum sesaminum, Ius Gallinæ.

Mesue ad frangendam mali medicamenti nim utitur abluentibus, detergẽtibus, uel comprimentibus; Abluentia sunt Aqua calida, Aqua Hordei, Mucilago sem. Psyllij, uel cydoniorum. Detergentia autem erunt saccharum rubrum, Mel, decoctum uuarum passarum, hydromel, & similia. Cõprimentia uero, ut Cydonia, siluestria poma, pyra, Mastiches, Myrobalani, & similia. Verum Rufus, ut scribit Mesue, primum propinabat mucaginem proposito affectui idoneam cum aqua tepida, & pauco oleo Amygdalino, horis postea duabus aliquid comprimens exhibebat: sic medicamẽti uirtutem totam à corpore expellebat. Addit Galenus, aquam calidam lauare, expurgare, medicamentumq: purgatorium, etiam si alicui parti hæserit, deturbare: frigidam uerò, quod uillis uiscerum adhæret, magis impingere. Serum denique lactis Caprini cum melle, & pauco sale medicamentum probe expellit, ut ait Ioannitius, sic nullum eius manet uestigium.

Abluentia. *Detergentia.* *Comprimẽtia.* *Aqua.* *Serum.*

In hac nimia purgatione Aetius, & Oribasius testantur Absintij potionem egregie uomitum ab Elleboro supprimere, fortasse etiam Menta id præstabit, quia H. pp. 2. de Diæta n. 14. *Menta*, inquit, *calfacit, & urinam ciet, & uomitus sistit*. Ego in Vomitu compescendo summe confido in uncijs tribus. uel quatuor succi Agrestæ, semel, uel bis potatis, ut experientia iterata didici. Auic. proponit Emplastra ex astringentib. & roborantibus stomachum.

Absintium *Menta.* *Omphaciũ*

Item quia dum superfluit Vomitus, multa materiæ copia ad uentriculum fluit, ea est reuellenda ad cutim, ad artus, & ad alias partes, proinde Aetius, & Oribasius ex Antyllo, laudant extremarum partium ligaturas dolorosas, uehementes frictiones, & ualidas cucurbitulas, tum hypocondrijs, tum dorso admotas, & ui etiam auulsas. ita quoq; Paulus lib. 7. c. 10. docuit, si perseueret euacuatio cucurbitulas stomacho defigendas, & artus uinculis esse excipiendos. Auic. ligaturas commendat.

Reuulsio.

Mesues uero reuellere nos docet ad opposita, & ad cutim, & ad Vesicam, ad artus, ad aluum. Balneis, frictionibus, uinculis dolorificis, cucurbitulis, diureticis, aluum proritantibus; Frictiones autem fiant primum lenes, post etiam ualentiores, ne tamẽ ægrũ lædant, identidemq; repetantur, donec multus repetatur sudor, idemq; frequentissimus tergendus est, hoc enim modo promptius effluit, cum in poris diu relictus, cõcrescat, & alterum, uel sudorem, uel uaporem exitu prohibeat. fricuisse etiam extrema multum iuuat.

Frictiones

De Balneo ad Hypercatharsim. Cap. XII.

Balneũ an conueniat in Hypercatharsi, nunc disputandũ est. Alexander Trallianus lib. 1. cap. 8. in superpurgatione à lapide armeno assũpto, clarè probat Balneũ scribens. *si purgationem copiosiorem fieri contingat, ut etiam conuulsiones superueniant (multis enim hoc accidit) & si non animaduersione dignum quid euacuatum fuerit, quod ægri neruos habeant natura sicciores, imbecillioresque, aquam liberaliter superfundito, multoque mitior hydeleo*. post pauca addit. *postquam uires receperit, ad balneum ipse ducendus, quod aerem habeat temperatum, concedendumque, ut non modo in calida solio; sed etiam frigida labro diutius immoretur*.

Balneũ probatur.

Sed ex ijs, quæ nos ex Hipp. cap. 9. attulimus de Balneo ad adiuuandum uomitum uidetur posse inferri, quod Balneum, non solum non possit sistere superfluum uomitum; sed quod aptissimum sit ad uomitum irritandum, augendum, & adiuuandum. nec nisi refectis uiribus proposuit Alexander. & Mesue quidem canone 3. Balneum proposuit ad reuellendum naturæ motum. scribens. *Trastantissimum autem inter hæc est Balneum, præsertim ex aqua dulci, cui Camæmelum, absinthium, sampsucus, folia enim poros dilatant, & corpus roborant. Ne autem cum imperitis quibusdam adstringentia incoquas: corpore enim densato materia, & uapores intro compelluntur, quæ res fluorem auget. Præcipuo igitur studio poros rarefac, & foras, quibus potes modis, attrahe, ut per cutim materia, & uapores acres expirent: id quod sudor in balneo, uel aqua calentis uapore præstabit*. Balneum igitur indicatur tanquam remedium reuellens à centro ad circumferẽtiam, ideo sedans naturæ motum ad Ventriculum.

An Balneũ conueniat. *Vt reuellẽdum.*

Verum enim uerò in usu Balnei ab assumpto medicamento purgante, maxima cautio est adhibenda, quia Balneum ante Medicamentum præparat corpus ad faciliorem uomitum efficiendum. & in uomitu retardante, & difficili, eum adiuuat Balneũ.

Tamen in nimio uomitu irruentibus cum impetu humoribus ad uentriculum, & irritato toto corpore ad expellendum contentã

ad

ad ventriculum hic excedés, & noeuus motus est compelcendus per Balneum, reuellendo ad cutim: sed credo Balnei aliquam differentiam esse habendam, quia tepidum balneum relaxat, calidum, & frigidum roborant, ego crederem hic opus esse calidiori balneo, calidi enim est attrahere, & rarefacere.

Calidū, uel frig. balneū.

Post purgationem uerò, siue sursum, siue deorsum, quia reuulsione opus non est, vituperamus lauacrum cum Mesue scribente. *At uero uulgus medicina imperitum omnes à medicamento indiscriminatim lauat, ignorans balneum foras trahere (ut Gal. ait 4. aph.) & materiæ reliquias uirtute medicamenti purgantis ad intestina omnino repentes, in oppositum mouere, ac facultate sua ad totum corporis habitum reuocare: tunc quidem facile erit iuuare, ut promptius reperet, uel saltem exolueretur, nunc autem diffic.lo. Præterea damnandum est balneum, licet ipsius uirtute attractio materiæ ad exteriora, eaq. ignobilia speretur: ipsa enim transmittitur ab ignobilibus partibus intestinis ad ignobilem cutim: sed per partes nobiles hepar, & uenas, cum præsertim natura melius uacuet propinqua, maxime si uiæ adsint conuenientes. Materia enim uacuanda est per partem, ad quam magis declinat, præcipue si ea erit idonea, inquit Hippocrates, Errant igitur omnes sine discrimine post sumptum medicamentum lauantes, obstructionesque, & cutis uitia excitant. Re uera autem balneum nequaquam salubre est post medicamentum purgatorium, nisi cum immodice uacuat: tunc enim auertendo materiam, fluorem sistit. Postquam uero in balneo diu sudatum est, adstringentibus uires sunt firmandæ, ne laxata purgando uiscera materias recipiant, & ut materia ad oppositum conuertantur. Si uerò hæc non contulerint, corpus eius totum pannis lineis aqua infusis tandiu in balneo undiq: percutiat, donec ipsa cutis rubeat, & infletur, tunc fricetur, ut sudet. Sedere autem in balneo super calidos lateres, aut lapides leues, raros; alij uero hypocondria, uentrem, lumbos calefacere la id multum confert.* Hoc autem nostro æuo balneorum usus desijt, remanet tantum apud Turcas; ideo de balneis apud nos obsoletis, non est ut exquisitius agamus, sat fuit, quæ Antiquis in usu erant in memoriam reuocasse.

Quando balneum repellit.

Erratum.

Quando conceditur.

De Vinculis. Cap. XIII.

Vincula dolorifica etiā à Mesue, & Auicenna proponuntur: dolorem enim in articulas excitando, quibus adaptantur, reuellere fluxiones uidentur, sicut enim alias humorum fluxiones hæc reuellunt, ita motum humorum ad Ventriculum retrahere rationabile est. Quoniam Cæl. Aurelianus Tard. Pass. lib. 2, c. 13. in curatione fluoris sanguinis. *conuenit*, inquit, *etiam articulorum tenacior ligatura, si fluor uehemens fuerit; arctationi enim; & adstrictioni articulorum patientes consentiunt partes.* Sed paulo post diuersas medicorum opiniones retulit. scribens, *Item de ligationibus pugnauerunt, si quidem Xenophon, & Dionysius, & Herophilus primo libro curationū, & Erasistratus probant articulorum faciendam cōstrictionem. Herophilus uerò capitis, & brachiorum, & femorum. Erasistratus magis inguinum, & alarum. Etenim laxatione tempus sanguinis approbat fieri retentionem. Asclepiades verò ad ipsum scribens libros Parasceuesticos, ligationem excludit, eamq: negat esse, neque Erasistrato congruam dicens occludi ligatione non posse sub discrimine uenulas (quod Græci diaphragma esse vocant) uel uinciri eas, quæ supra diaphragma esse videntur. Omnes etiam nostræ sectæ principes id approbasse uidentur; impressa etenim, inquiunt, ligatura uexat, non impressa inutilis esse perspicitur. Item Antipater 3. lib. Epist. ait, teneri materiam quidem ligatione, sed cum fuerit indulta, uel relaxata in repentinum, atque immodicum fluorem uenire. Siquidem ubstinentiæ causa altiora pendendo latere potius, quam teneri uidentur.* & hæ sunt diuersæ antiquorum de ligaturis opiniones in sanguineis fluxibus; sed concludit Aurelianus. *Ligationes uerò non tam ad diuertendam materiam, ut supra memorauimus, quam ad densitatem, seu arctationem faciendam adhibēdas probamus, siquidem imprimendo coerceant; sed mediocriter adhibendas, ut moderatione cessante, uexare potius, quā curare uideamur.* Sic Aretæus. lib. 6. c. 2. ad eundem affectum ita docuit. *Succurrendum est etiam extremorum deligaturis, pedum quidem supra malleolos, & genua, manuum verò supra brachiale, & cubitum, fascia ipsa lata sit, quo sit ualidior, neque dolorem moueat constrictio.*

Ad reuellendum.

Diuersæ opiniones.

Ad diuertendum.

Intercipiendo.

Modos ligandi.

Præterea, quia in Cholerica passione laudatur extremorum ligatura ad reuellēdum, ita etiam in superfluo uomitu à medicamēto conuenire uidetur. siquidem C. Aurelianus, lib. tertio, docuit. *Conuenit etiam articulorum ligatio, qua cum fuerit densa phthisicum consentire stomachum cogit. sed ne ex his ligamentis superiora torpescant, erunt sæpius commutandæ ligationes.* & apud Gal. 8. de comp. med. locor. c. 4. ex Archigene ad eximendum dolorem stomachicis, scribitur. *ligaturas insuper extremarum partium fortiter adhibe.* uerum lib. de ven. sect. aduer. Erasistrat. c. 8. disputat Galenus membrorum deligaturas multitudinem absq: uenæ sectione attrahere ad se posse. & irridet Erasistratum ad plenitudinem demendam, iussisse Deligationes laneis uinculis circa alas ipsas, ac inguina faciendas. In summa in purgationis excessu à Veratro Aetius serm. 3. cap. 134. ex Antyllo, & Possidonio laudat extremarum partium ligaturas. sicut etiam Oribasius lib. 8. Collect. c. 6. tandem dicam ligaturas articulorum, & extremarum partium dolorosas, ratione doloris ad se attrahere fluxionē alio irruentem. sic probantur, in Capitis affectibus Cephalalgia, Phrenitide, Lethargo, Vertigine, Caro, Catalepsi, Mania, Melancholia,

Ligaturę circa alas.

Quibus morbis prosit.

cholia, Apoplexia, Catarrho, Angina, à Paulo, Actio, Aretæo, Auicenna, & alijs, ut in methodo consultandi scripsi, ita Galenus 13. meth. c. 11. *Vbi partes*, inquit, *circa caput phlegmone laborant, excogitatum est, artus vincire, quippe ipsum, quod phlegmone infestatur vinciendum non est*. & Hipp. 2. de Morb. 20. Si è naribus fluat sanguis *venas, & in brachijs, & in temporibus, splenijs suppositis deligato*. Sed in nostro casu, in quo succi ad ventrem confluũt habemus magistrum Galenum. de Cucurbit. c. 2. inquientem. *In uentrem si quid defluxeris ad manus detrahendum est*. & de Humor. com. 14. *Cum morbus, ait, stomachum petit, tunc manus, ac pedes violenter sunt vinciendi*. ob id Oribas. ex Galeno transcripsit: Vincula artuum reuellere, ubi succi in uentrem inclinant.

Nos ex his colligere debemus cur fiant extremorum ligaturæ, ubi, quales, quamdiu, quibus uinculis.

Dico igitur, quod uincula non modo reuellunt fluxiones alio irruẽtes ob dolorem, qui ad se trahit fluxiones, ita ut fluxio tunc uergat ad partes dolentes: sed maxime eo quod constringantur uenæ, & arteriæ, quo minus libere sanguis, & spiritus fluere per corpus possint, hinc circulatio sanguinis retardatur, proinde fluxiones quoq. retardantur; vnde non modo fit reuulsio; sed etiam interceptio quia vasa constricta angustantur. Sed quæres, qua ratione. dico nec Venas, nec Arterias constrictas dolere, proinde has ob dolorem non attrahere. sed fluxum sanguinis sedare: immo coaceruare circa ligaturam, & ibi facere plenitudinem; sed dolore affici musculos, & carnem constrictam: unde fiet attractio ad carnem dolentem; sed extra venas. sic Cel. Aurelianus vt supra. censuit, vinculis, tum coarctari uasa, tum dolore trahere.

Circulatio sanguinis.

Solent Mulieres in Sicilia post partum, ne vterus lædat partes superiores, fasciare supra ventrem arctissime. & uidimus sæpe fascia laxata in syncopem, & suffocationẽ enixas incidisse, qua fasciatura, nil reuellitur; sed vaporum ascensus prohibetur, interceptione quadam uiarum constrictarum ita Hipp. de M. Mul. 19. *Si Vteri*, inquit, *ad Hepar conuersi strangulauerint. Tumorem ab Hepate cum manu infra leniter detrudito, & præcordia cum fascia deligato*. ita Antiqui fasciabãt Alas, inguina, femora. At in superfluo vomitu vt fiat reuulsio à Ventriculo ad extremas partes, debemus trahere in contrarium. vt supra talos, & genua, & supra brachialia uersus cubitos, & supra cubitos uersus humeros, ut consuluit Aretæus in Angina. alij cõstringunt nodos articulorum. Porrò Albertinus Bottonus lib. de Mor. mul. fuit ualde diligens in præscribendis ligaturis. sic in suppressis mensibus. c. 32. dicit ligaturas dolorosas attrahendi vim habere sanguinem ad vterum, & admouendas non supernis partibus, quia tunc maior suppressio fieret; sed infernis potius, & infra genua, nempe pedibus, & digitis primum, deinde supra nempe in coxis, hoc enim ordine primo agent reuellendo, deinde deriuando, & hoc quidem videtur descriptum ab Aegineta de mensib. suppressis scribente. *Vbi statum mensium tempus propinquũ est, infernæ partes vinculis, tribus, quatuorue diebus constringentur cum instat tempus eruptionis tollitur ligatura*, & hoc accidit, quia coarctatis vasis, sanguis, retentus postea maiore impetu sursum fluit. Verũ in mensibus superfluis non ligat superiora tantum, sed scribit: *In primis extremi artus ab alis; & inguinibus vinculis excipiuntur*, ecce ligat partes ambas superiores, & inferiores, quæ doctrina mihi non satis est, quia si vera esset reuulsio, & deriuatio, deberent potius ab utero retrahere ad partes dolentes, nequaquam autem impellere, sed posita sanguinis circulatione, partibus inferioribus arctatis, (quia sanguis à corde non descendit per uenam cauam ad pedes, sed à pedibus ad cor fluit) sanguis non poterit ad vterum ferri, nec menses prouocare: sed si diceremus ab arteria descendente nutriri Vterum, & ab ea repleri; sequitur cõstrictis arterijs inferioribus, ut sanguis descendere nequeat, in utero superabundare, & per eius uenas exitum quærere. Fonseca ueritate ductus cogitur dicere. quod sanguis, qui deorsum uergit, sursum trahitur, qui uero à magnis uenis crurum ad uterum regurgitat, continetur.

Vbi.

Idem Bottonus postea in sistendo menstruorum nimio fluxu cap. 52. sic loquitur. *Ligatura in immoderato profluuio usum habent, tãquam materia auxilij reuellentis. Reuellunt autẽ, ratione, qua dolorosæ; nam ratione doloris attractio fit ad partem dolentem. Locus autem patet, quia non erunt admouendæ infernis partibus, quia fluxũ augerent; sed superius potius, vt digiti in primis ligari possunt, manus deinde, & brachia. Sed circa locum difficultas oritur, quia Hipp. 2. de mor. mul. nu. 2. & Auic. in cap. proprio, loquentes de loco, in quo ligaturæ faciendæ sunt, statuere videntur, præter supernas partes, ligandas etiam esse infernas, poplitis videlicet, & supra genua. Pro cuius difficultatis resolutione notandum est, quod dum sermo est de ligaturis in immoderato profluuio menstruorum, uel de illis loquimur, ratione qua vno, & eodem tempore vtrisq; extremis partibus admouẽtur, supernis, inquam, & infernis. uel in diuersis temporibus, Si primo modo cum Hipp. statuendum erit, quod hunc fluxum immoderatum sistere poterunt: experientia enim compertum habetur, quod id mobile raptum habens ad determinatum locum, si eodem tempore ad contraria vtrinque trahatur, immotum manere. A pari eandem materiam, quæ hoc profluuio ad inferiora mouetur, si ad loca contraria vtrinq; trahatur, immobilem fieri, qua ratione profluuium sistitur, hoc autem contingit, quando vno, & eo-*

Ad sistendũ fluxum mẽstruorum.

& eodem tempore, utraq; partes inferna, et superna, ligantur. Si autem diuersis temporibus ligabuntur, procul dubio materia, quæ erat immota, ad motum trahentes mouebitur; vt cum Gal. lib. de præcog. ad Posthu. si ligentur partes infernæ, tantum abesse, ut profluuium sistatur, quod potius augetur, contra contingit, si supernæ partes tantum ligatæ fuerint. ab his enim materia, uel sursum trahetur, uel saltē illius motus ad inferiora impedietur. Cæterum illud in praxi obseruandum est, ut dum ligantur ambæ partes contrariæ, talis ordo seruetur, ut non eodem

Ordo ligādi.

tempore ambæ ligentur; sed priori loco superiores; deinde inferiores: hoc enim ordine sanguis, qui propensus est, ut ad inferiora magis moueatur, sistitur inprimis; & ad contrarium locum facilius euocatur; quam si eodem tempore utræq; partes ligarentur. Præterea id etiam obseruandum erit, ut ob propinquitatem, quam maiorem habet sanguis ad inferiora; quam ad superiora, ligatura partium superiorum paulò ualidior fiat, in inferioribus uerò, paulo

remissior ligatura.

remissior: ratione enim maioris doloris in supernis partibus facti, maior etiam attractio ad superiora; quam ad inferiora fit. quod minime contingeret, si ambæ ligaturæ essent æquales, quamuis enim ratione æqualis doloris materia magis ad vnam, quam ad alteram partem moueri non deberet, tamē ob propensionem, quam ad inferiora magis habet, quam ad superiora, fluxus iste minime sisteretur. Alterum, quod in praxi obseruandum est, respicit ordinem seruandum in solutione earumdem ligaturarum, non enim vno, & eodem tempore solui debent; sed priori loco soluendæ erunt ligaturæ inferiores, deinde superiores: hac enim ratione, sanguis, qui procliuior magis erat in infernas partes, melius sistetur, & ad superiora magis mouebitur.

Tempus soluendi.

Sed perbelle quidem doctissimus vir ratiocinatur, Verum an venarum ductus tales sint, ut ipse imaginatur hæreo ut credam. & irrideo nomen reuulsionis. nam in reuulsione debet fieri attractio. & dubio procul dolor potest facere attractionem; sed ligatura constringit vias per quas fluere deberēt humores: impedito fluxu, impeditur attractio, & necessario impeditur reuulsio. ergo ex ligaturis nulla reuulsio; sed fluxionum interceptio. hæc enim necessario sequitur uasorum angustiam, & compressionem à uinculis, & ligaturis. & sicut ligatura in phlebotomia intercipit fluxum consuetum sanguinis, quo minus fluere per consuetam uenam possit, sed per sectam partem, ita aliæ ligaturæ sistūt humorum motus, & quietem sanguini inducunt, quo fit, ut fluxiones sisti uideantur, ut Antiqui apud Aurelianum cognouerūt. & equidem ubicunque factas ligaturas, uel prope, uel remotè motum humorum sistere, & dolorificas quidem etiam arterias cōprimere, non dolorificas uero solummodo uenas: ob id minus efficaces dicas. Galenus uerò primo de Hum. 14. docet. *Cum morbus Thoracem petit, tunc manus, & pedes adhibita ui sunt uinculis excipiēda, ut quod molestum est, illuc reuellatur.* Vnde Bottonus uidetur tot Auctorum loca cōsiderasse. Profecto Hipp. plures simul partes ligat, ut etiam patet 2. de Morb. 20. ubi ait, *Si e naribus fluat sanguis Venas, & in brachijs, & in temporibus, splenijs suppositis deligato.* sic etiam Paulus ad Hęmorrhagiam *Sūmas partes,* inquit, *uinculis excipere, præsertim brachia, & femora: sicut in Venæ sectione fieri solet.* immo Gal. de facile parab. ad Sol. c. 13. in Hæmorrhagia. *Et penis extremū papiro deliga in mulieribus uero mammarum pupillas similiter.* quod repetit Paulus.

Non fieri reuulsionem.

Quales.

Si de qualitate ligaturarum, determinandum est, fortes, uel leues, seu dolorificæ, & non dolorificæ proponuntur. & auctores plurimi dolorificas magis laudant, censentes ratione doloris attractionem fieri, & fluxionem ferri ad partem dolentē, & doloris causa uexatam. sed si ligatura uasa cōstringit, motum humorum intercipiet, non autē iuuabit. ergo. per uenas, uel arterias nulla fieri poterit ad partem dolentem humorum attractio. sed an nè dolor trahit tanquam cucurbitula? uerum non trahet per uenas constrictas; sed per capillares uenas, & porositates ad partes dolentes carnosas, musculosas, propinquas unde etiam phlegmone ibi fieri poterit: sed hoc non est fluxiones primario reuellere; at intercipere.

Quamdiu.

Si diutius uincula arcta, & dolorifica vni parti adhæserint, ob impeditum sanguinis: & spirituum motum, pars aliqua emori, poterit, ut ego aliquoties uidi, ob arctam ligaturam diutius permanentem mortificatam manum, ut postea eam abscindere coactus fuerim. Paulus, ait subinde repetita uincula, iubent igitur experti scriptores uincula sæpius solui, & iterum paulo superius, uel inferius alligari.

Quibus.

Hippocrates 2. de mor. mul. n. 2, In fluxu muliebri coercendo. *Et manus ipsi deligato,* inquit, *ita ut lana sordida ipsas circumdes, & laqueum immittas; supra cubitos, & ad poplites supra genua.* circumdat lana manus, & Gal. de facile parabilibus. constringit *Papyro* præterea Hipp. ut dixi splenijs suppositis. & Paulus ad tussim in febre. *ligatura ualida in longum porrecta tussim exacte cohibet, dico autem per medias partes, extremasq;* & Alexander in diarrhæa. *Extremas corporis partes nempe brachia, & crura fascijs lineis, aut laneis deligare debent.* sic etiam Fonseca consentit Hipp. *lana suposita* deliganda esse extrema. sed lana est mollis, & ob mollitiem dolorifica ligatura esse non poterit, ut pariter *splenijs suppositis,* quare erit ligatura compressiua, non autē dolorifica. tandem dicam fascias non debere esse nimis latas; sed digiti latitudine, ut in uenæ sectione adhiberi solet. & esto uel linea, uel lanea, uel sericea, uel bombicina, ex Papiro antiquitus fiebat; sed maxime probatur ex serico crasso, dicto filaticcio. Aretæus probat fasciam latam, ut minus dolorificam

Ligatura cōpressiua nō dolorifica.

Modo

Scribonius contra fasciaturas. Modo audite Scribonium Largum. cap. 84. in fluore sang. *Et vetandum artus constringere, quod plerique medicorum faciunt ignorãtes, quod incitatur sanguinis eruptio musculorum compressione. Quandoquidem nimia constrictio in vtrãque partem exiget aque subiectam materiam sicut vtrem si quis medium laqueo constrinxerit, animaduertet in vtramque partem excludere subiectum liquorem. Et si superforatus casu fuerit, incitatione eiaculabitur, quod in eo erit. Eadem ergo ratione cum sanguis eruptus est, qui constringunt ui magna artus exprimentes, sanguinem uenis subiectum cogunt magis erumpi per uulnus, Huius rei argumentum est, si quis super laqueum percusserit Venam in brachio, qua est animalis, animaduertet, æquè incitari sanguinem ex ea parte, quam ex inferiore loco cum percussa est uena. Et hoc per se quidem si non viderant Medici merito essent culpandi, quod negligentes in ancipiti casu hominum essent. Cum præsertim Asclepiades etiam pluribus vsus sit argumentis in hac re: neq; ei quisquam contradixit, quis enim aduersus veritatem dicere potest?* *Falsum.* sed bonus Scribonius errauit, & nos contradicemus Asclepiadi. nec enim Animal uenosum seu infinitis canaliculis conflatum assimilari debet vnicæ cauitati, quam Vter habet. in Animali uenæ sunt ueluti riuuli ad Cor fluentes, & quidem uenæ inferiores usque ad *Cõtra Scribonium.* Cor à pedibus ascendunt, & uenæ superiores à manibus usque ad cor descendunt, & propter infinitas ualuulas fluor naturalis regredi nequit. unde alio modo se habet Vter compressus ligatura in medio, alio verò modo vena ligata, in aliq. parte: undę fluxus sanguinis intercipitur. immo ipse Scribonius, qui aliorum negligentiam notat, se stolidum fuisse ostendit in suo exemplo de vena secta, quia debuisset aduertere, quod ad *Error Scribonij.* phlebotomiam faciendam ligatò brachio uersus manum inflatur Vena; & secta fluit sanguis; sed uersus humerum delitescit vacua uena, & secta sanguinem non emittit. & ipsius uerbis uena superior deberet plus sanguinis eiaculare. sed antiquis ignota fuit sanguinis circulatio, quam probant doctissimi uiri, Harueus, Conringius, Borellus, & alij plurimi.

Remedia alia. Sciendum tandem, quod chimici, qui exhibent Vomitoria Antimoniata, Mercuriata, & Vitriolata proponunt etiam aliquot remedia, in nimio Vomitu. ita Hartman, tum in Practica, tum in Basilica chimica de Vitriolatis. ait. *Si Vomitus nimius à dictis hisce subsequatur, præsentaneum est remedium potus lactis cocti cum pane, uel, coclear unum Syrupi de Mastiche cum spiritu eiusdem. uel Theriaca antiqua, statimque cibum, aut panem tinctum uino grosso exhibere. Ventriculo imponatur Emplastrum de crusta panis, item plantis pedum. uel Cataplasma ex fermento, & menta. Nil hisce proficientibus præsentaneũ, & certũ remediũ est, si offeratur pillula vna Laudani opiati.* *Astringentia.* Crollius autẽ ad nimiũ vomitum compescẽdum proponit Theriacam recentem, & plantis pedum panem tostum aceto madefactum, & Rob. de Cidonijs assumptum; addit Hartman succum Cydoniorum crudum. ego addo succum Granatorum, uel acetetæ; Oleum Vitrioli, uel sulphuris cum Sy. de rosis siccis, uel mirtino, citoniorum, & ore sumpta.

De Narcoticis. Cãp. XIV.

VLtimum remedium in superpurgatione cẽsetur esse Narcoticum. ita Hipp. de loc. in hom. n. 45. nos docuit scribens, *Si susceperis uinosum uomentem, uomitum ne sedato, uomitus enim euacuationem sedat. facilius autem uomitus postea sedabitur. Si uerò debilis fuerit, qui hæc patitur, somniferum medicamentum à uomitu præbebis.* *Narcotica Vomitum sistunt.* sic etiam C. Celsus retulit. *Vbi uerò nutrineris, quies, & somnus ægro induci debent.* Aetius uerò sic exarauit suis scriptis. *Si uerò adhuc perseuerauerint uomitus, utemur somniferis dolorem sedantibus, nam talia resiccandi ui prædictas purgationes sistunt, & somnus excretiones sistendi vim habet. succedit tamen somnus sua sponte probe purgatis per Veratrum multus, & profundus, si non periculum imminet, quibus sanè in tantum concedere oportet, quantum somno tenentur.* & eadem retulit Oribasius ijsdem uerbis. sed Mesue de imbecillitate uentriculi post mediũ. *Somnus,* inquit, *post purgationem uentriculum, & corpus reliquum emendat, & pristino vigori maximè restituit. omnes enim uentriculi molestias ex uacuationis agitatione proficiscentes sedat.* & iterum ait, canone 4. *Molestam autem humorum in corpore agitationem, & fluctuationem quiete, & somno sedamus: cum enim uacuationem ab elleboro immodicam sistere uoles, somnum impera, & quietem, inquit Hipp. corporis scilicet, ac animi, vt Heben Mesue interpretatur, idq; sensuum obiectis celebribus, & iucundis homini adhibitis.* *Somni vires.* *Somnus etiam inducendus est animum demulcentibus melodijs, & cantionibus, & musicis omnibus instrumentis, ad hæc remedijs somnificis, & reliquis delirium sedantibus. Somnus enim profundior, & quies omnes humorum agitationes maximè sedat, vt contrà indicat nauigatio turbari motione corpus, ut inquit Hippocr.* *Causa Somni.* Et paulo post subdit ipse Mesue.

Vltimum profugium *Humores verò congelare, & narcoticis uti perfugium est ultimum, tuncq; solum, quando prædicta omnia nihil contulerunt, & curatio prope deplorata est. Narcotica autem fortia tibi utenda sunt, qualia antidotus Theriaca, & Philonis, & similes. At uerò grauissimè errant, qui horum affectuum initio narcoticis utuntur: hæc enim uere non curãt: sed uelut congelatam materiam tutus cohibent, quæ non multo post impetu meliore ruit. quam prius, relictis in corpore per hæc congelationis, & mortis quibusdam rudimentis.* *Nocumenta narcoticorũ* *Vera autem curatio fuerit causæ fluorem excitantis ablatio, partibus interea, & facultatibus nos gubernationibus in unum reductis,*

ductis, & roboratis. ubi uero necessitas inuitat, præsertim, quando prædicta omnia non contulerint, narcoticis uti cogimur, prius tamen castigatis secundum modos, & conditiones, quibus ipsorum nocumenta emendantur, eaque quamplurima: uita enim sunt omnino contraria (congelant namque, & stupefaciunt, & mortificant) præcipue si simplicia sint, & eo magis si sint recentia. Deinde Mesue proponit modum corrigendi Narcotica tripartitum. primo enim conatur congelationem resoluere castoreo, pipere, croco, 2. roborat facultates principales, & spiritus restaurat, nempe, spica, Doronico, Zedoaria. 3. quæ materias agitatas, & de parte in partem fluentes sistunt, & cohibent docens ut Mirrha, Thus, sandaraca, & similia, & subdit. *Verum tamen si Narcoticis abstinere potes, præstantius quidem fuerit, sin uti cogaris, potui ne da, sed emplastra adhibe, aut si per hæc parum proficitur, balanis, aut clysteribus. quod si potui dare cogaris, cum præmeditatione, & caute dabis, idque antiquatum potius, quale scilicet minus est noxium, uirtute narcotici coctione, & rerum aliarum mixtione cocta, & fracta. Vespere autem dormituris tempestiue datur, quia somnum concilias agitationes sedantem. Dant item nonnulli mane, præsertim, quando ægrum insomnia non torquent, tuncque minus crebram desurgendi necessitatem, morsum excrementorum obtundendo faciunt, Sed narcoticorum usus est fugiendus mox à cibo, & in plenis corporibus, aut impuris. purgatis autem est tutior. Caue item ea dare diebus simul multis; sed tempus interpone, quo roborantia dabis, quæ uitæ seruant thesaurum. adde quod narcotica oculis quoque, & sensorijs alijs nocent, nisi horum noxam studiose uites, ut dando tam paruam quantitatem, quæ uiribus nostris non officiat. Pauco enim, & sæpe quam multo semel uti, præstat. Quod autem ad dolorum insultus attinet, ante hos narcotica adhibere est satius; quanquam interdum in ipsa commotione uiolenta, ut colico dolori uehementi exhibere oporteat, quod significauit Galenus dum colico dolori multum uehementi. interdum necessariam magis esse dicit, per stupefacientia falsam curationem, præsertim cum magna est doloris intentio, quã ueram, ne uires interim resoluantur, & collabantur.* & hęc narcotica vult esse tuta, bene correcta, & usitata. & ecce quod Mesue timet Narcotica, & coactus eis utitur. sed Galenum, & communem scolam sequutus, ergo fas erit, ut Galenum ipsum loquẽtem audiamus.

Correctio Narcoticorum.

Mesuæ timiditas.

Narcotica oculis noxia.

Galeni sententia.

Galenus autem 12. meth. c. p. opinionẽ suam de Narcoticorum usu clarissime exposuit hisce uerbis. *Quippe si fas est ijs remedijs, quæ morbum sanent, utendo, quod optamus efficere, abstinendum à sopientibus medicamentis est, quæ uocant Anodyna. Sin ex uigilijs uiribus resoluendis, ad mortis discrimen æger tendit, tum profecto tempestiuè eiusmodi medicamentis utare, scilicet nõ ignarus, corporis habitum non nihil ex his lædendum; læsionem tamen, quam mortem potius eligẽdam, Nam si hæc admodum magna non sit, saltem postea spatio longiore eam sarcire licebit; sin ita est immodica, ut nec prolixo spatio persanari queat; ac certe hanc ipsam eligendam potius reor, quam ut homo pereat. Hac nimirum persuasione ipse quoque tametsi omnium maxime ab usu grauiter sopientium abhorrens, aliquando tamen ea, & colicis exhibeo, & ijs, qui uel oculorum, uel auriũ uel aliarum partium uehementissimo dolore cruciantur, interim uerò, & cum æger ex tenui destillatione, uigilijs, & uehementi tussi urgetur, pauxillum eiusmodi medicamenti offero, facile noxam eius, si quis semel est usus, spatio emendatum iri ratus. Porrò dissident inter se medicamenta, quippe quæ plurimum sopientium in se habent, ea ad præsens quidẽ magis sunt efficacia, cæterum ualentem, & remedijs rebellem in ægrotantis corpore frigiditatem relinquunt, quæ horum in se habent minus, calefacientium uerò sibi admistorum plurimum, ea quanto sunt ad præsens minus efficacia, tanto in futurum minus noxia.* Hic Galenus fatetur se timere frigiditatem impressam à narcotico, & eius noxas, ob id non nisi coactum ea exhibere. deinde paulo post de ijsdem medicamentis narcoticis loquens hæc subiungit. *Ergo sicut cauendus est, quoad fieri potest, eiusmodi medicamentorum usus etiã si necessitas urget, nec admodum noctua sunt offerenda, quod frigida, quæ in his sunt; præualentes uires adhuc habeant. nec ita antiqua, ut spem nostram frustentur; sed uti comprehensum est, tandiu dimittenda sunt, quoad uiolentia refrigerantium, ab eorum, quæ calefaciunt ui, mitigatur. Et talium quidem medicamentorum usus, eorum, qui aduersus symptomata pugnant, et proprius potissimum ubi ex frigida causa dolor est excitatus: obsunt enim talia plurimum toti affectui, ac curationi contumacem eum reddunt.* Hæc Galeni opinio etiam innotescit 7. de comp. medic. loc. c. 2. ubi de Papaueris decocto scribit. *Frigidioribus minimum dabis, calidioribus amplius.* item 5. de simp. med. facult. c. 19. ait. *facultas eorum, quæ falso Anodina dicuntur, frigidorum est, quæ absoluta ptentia frigore partem obstupefaciunt; est autem stupor paulominus quam insẽsibilitas, sensuũue priuatio.* Deinde sic refert.

Galeni inexperientia.

Narcotica frigida.

Narcotica noxia.

At ea, quæ Καρωσεαν, scilicet soporem, epota moliuntur, ac proinde anodyna, et ὑπνωτικα hoc est somnum conciliantia, à plerisque appellantur, temperiem sortiuntur, uel summe aduersam ijs, quæ re uera sunt anodina; refrigerant siquidem omnia corpus, et sensum eo usque obstupefaciunt, ut si paulò liberalius ebibantur mortem afferant. Et 3. de comp. med. loc. c. 1. de Medicamentis Heræ ad aures scriptum reliquit. *Dico per Opium mitigari solum dolores, nihilque iuuari affectiones. Verum per accidens, non primario etiam affectiones inde opem sentire, quis dicere possit: sedato enim dolore, et somno consequente, natura affectiones dolorem efficientes concoquit.* & lib. 8. de comp. med. loc. c. 4. loquens de medicam. Stomachicis Asclepiadis ita scribit. *Quemadmodum in Antidotis colicis appellatis, et à quibusdã Anodinis. qualis est Philonis antidotus, scopus componendi pharmacum, est stupefacere sensum dolentiũ.*

Somnifera esse frigida.

Opij vires.

Quo

Philonium.

Quo uerò non cum magno detrimento id fiat, et ut per altum dolentium corporum frigiditas celeriter penetret, calefacientia miscentur, quæ refrigerantium stupefactionem deducere possunt, cum illa ipsa per se tardi transitus existant. Hæc igitur ubi quis inaudiuerit. quantitatem consideret simplicium pharmacorum, quæ in compositione miscentur, ex hac enim sciet, num magis, aut minus, efficere possit compositum pharmacum ea, quæ promittit. Si namque refrigerantia plura apparuerint, sensum affectorum magis obtundit, et quantum caloris in ipsa particula fuerit, etiam hunc extinguit, ubi uerò calefacientia fuerint aucta, minus quidem hæc efficiet ipsum pharmacum. innocẽtius autem reddetur.

Multa falsa à Gal. scripta.

Nosse enim oportet corpora uiuentium mortificationi simile quippiam perpeti ab omnium ex Opio, et hyosciamo, et Mandragora compositorum pharmacorum usu, nimirum causis dolorem infligentibus insensibilibus factis, et multi sanè, qui assiduaté talia accipiunt, ad immedicabilem frigiditatem particulas perducunt. & 3. Meth. med. cap. 2. *Oculorum doloribus,* inquit, *nihil aliud adhibet Medicorũ uulgus, quam medicamenta hæc, quæ ex Opio, et Mandragora, et Hyosciamo fiunt, maximam planè oculorum perniciem, ut pote, quæ nulla re alia sublati ad præsens doloris, speciem præstant, quam quod ipsum sensum enecant. Multosq; nosti ab eiusmodi medicamentorum usu, cum liberalius fuissent admota, nunquam postea naturalem sensum recepisse; sed ex his principio quidem obscurè, atque ægrè uidisse, tempore uerò suffusione, uel pupilla nimia dilatatione, uel tabe, uel corrugatione occupatos.*

Opium oculis inimicũ.

Et lib. 2. de comp. med. loc. c. 1. de medicamentis Apollonij ad dolorẽ capitis scripsit. *Raro cogimur pharmacis ex Opio uti, cum uidelicet præ doloris uehementia homo de uita periclitatur, quamquam, et tunc solidæ partes ex eius usu offendantur; adeo ut post hæc, correctione opus habeant, sic et ex ipso collyria detrimento fuerunt, adeo ut debilem oculum reddiderint, et uisus hebetudinem induxerint, uelut etiam auditus grauitatem inducunt quæcumq; ad uehementem aurium dolorem ex Opio composita sunt.* Et primo de Victu Acut. com. 34. ait Galenus. *Nempe eorum, quæ ex Opio, Hyosciamo, et Mandragora, conficiũtur, medicamentorum usus dolorificam Pleuritidis affectionem non sanat: sed sensum tollit, enecatque.*

Lædunt partes.

Lędunt oculos.

Quando autem Hippocrates 2. in 6. Epid. tex. 5. docuit. *Excitare, stupefacere.* Galenus in commento subdit. *At stupefacere in solis uehemẽtibus doloribus interdum ex usu fuerit cum Medicamenta ex Opio, Mandragora, et Alterco exhibemus; nam ipse dixit, stupor uerò moderatus dolorem soluit, quod si quis potentioribus, aut pluribus medicamentis stupefactorijs utatur, refrigerantur, extinguunturque corpora.* deinde 5. in 6. Epid. com. 13. *Nonnunquam,* inquit, *id ipsum totum affectum peiorem reddit, quemadmodum in Coli doloribus antidota ex Opio, et Alterco, et Mãdragora, et Styrace composita; ita namque membra circum refrigerantia, ut iterum ab ijsdem causis offendantur, paratiora efficiunt.* Et item 6. Epid. com. 5. ait. *Quin etiam cum hæc modus alius indolentiæ effector est, scilicet, qui sensum hebetat, ac stupefacit, in quo prudentia non uulgaris est, stupefactorio medicamento alia permiscere, neque eo solo uti. Quem enim præterit à Philonio medicamine doloris sine stupore sensus imponi? stuporem uerò, & torporem papaueris succus, & Alterci semen efficiunt. Hæc si sola perpauca exhibeantur dolorem sedare non poterunt, quod si tantum ex istis detur, quantum acceptum sedare dolorem possit, insigni noxa membrum dolens afficietur; igitur ne ipsum magnifice offendatur, neque sensus obtorpeat, aliorum medicaminum mistio à Philone excogitata est.*

Tolleratur Opium.

Affectus peior redditur

Philonium.

& lib. 2. ad Glauconem. c. 6. de Tumore flatuoso, & dolente. ait. *Quod si etiã post hæc dolores permanserint, medicamentis, ex Opio uti non dubitabis, quale est Philonij Tarsensis, quamuis scires aliquam noxam ex huiusmodi medicamentis membris patientibus necessario affuturam. Sed certe ei, quod magis urget, obsistendo, hominẽ, qui ex nimio dolore Syncopa corripitur, parua cum noxa saluare eliges. Nam, & sequentibus deinceps diebus noxam membro ex medicamento contractam emendare licebit. Vocantur igitur huiusmodi medicamenta Anodina, quoniam dolorem sedant, & dolorem quidem sedant, non tamen dispositiones penitus sanant: sed uim sentiendi obstupescere faciunt. Maxime uerò, atque citissime ex potu horum medicamentorum laborantes dolore liberantur, ubi intestina gracilia patiuntur; sicut ex ijs, quæ sedi imponuntur, crassorum intestinorum passiones, præsentaneum habent remedium.* sed copiosissime. de his Narcoticis loquutus fuit Gal. 12. Meth. med. cap. 8. in curandis doloribus talia proferens. *Si mordens humor est, qui affligit, aduersissima huic sunt, quæ extenuant, & calfaciunt. Postulat namque huius generis affectus, si modo curandus est, ut ea, quæ contristant, uacuentur. Si id omnino fieri nequeat, ut per Epicrasim sanetur, sin id quoque fieri non possit, ut, quæ torporem inferant, medicamenta exhibeantur. Quæcumque sunt reliquorum communia, minus tamen hos affectus, quam alios lædunt. Quippe tenuis substantiæ, & calidarum uirium, plurimi talium humorum sunt, quæ autem ex Opio, & Alterco, & eo modo frigidis composita medicamenta sunt, simul omnino, & refrigerant, & siccant. quæ ratione non solum ut sensui torporem inducentia salutaria sunt; sed etiam ut humorum tenuitatem cogentia, atque crassantia, præterea uehementem calorem refrigerantia. Vbi uerò crassi glutinosiq; humores exuperant, alienissima sunt, quæ torporem inducunt, cauendusq; magnopere in eiusmodi affectibus eorum usus est. Sed nec alioqui comitatur eiusmodi succos, modo soli sint, dolor uehemens. Si uerò ex accidẽti aliquo coniunctus his altuosus spiritus est, qui ex ijs, quibus continetur, corporibus, erumpere prorsus non potest, grauissimis omnino doloribus, qui ita se habent, cruciantur. Porrò accidit id illis, duplici ex causa, uel obstructione, uel calore; nam & obstructio spiritum cohibet, nec exire permittit, & crassa, glutinosaq: cum calefiunt, flatuosum spiritũ gignere solent. Eiusmodi sanè affectus ijs, qui se cibis natura frigidis, & consistentia crassis, ac gluti-*

Quomodo Gal. concedat Narcotica.

Noxa corrigenda.

In extrema necessitate.

Narcotica frigida, & sicca.

Cautio.

Retentio spirituum.

Duplex intestinorum tunica.

nostis referserunt, quoniam in ipsis intestinorum tunicis flatuosus spiritus continetur, potissimum inciditur. Nam cum hæ duplices sint, ubi medio earum spatio eiusmodi collectus humor est, is flatulentum mutatur spiritum. Sane is & crassus, & frigidus, & tardi motus est. Vbi igitur tum retinetur, tum tunicas distendit inceus, unde oritur, tum intestini partes, quas contingit, uehementer refrigerat, duplici occasione affliguntur, qui sic laborant. Ac ad tempus quidem, ubi torporem faciens medicamen biberunt, prorsus indolentes redduntur; cæterum affectus his omnino fit maior; nam, & intestinorum tunicæ medicamentorum frigiditate densiores minusq; flatui transmittendo habiles redduntur, & humor ipse tum crassior, tum ad motum ineptior euadit. Itaq; & spatio longiore ad ægri curationem, & medico, qui egregiè in arte sit exercitatus, est opus. Nisi .n. certa ratione postmodum curationem aggrediatur, uerendum erit, ne succi secundo in flatuosum spiritum uersi, eundem dolorem renouent: unde rursus stupefacientium aliquid medicamentorum, exhiberi sit opus, eadem scilicet necessitate urgente: ac pari modo tertio, & quarto, & sæpe deinceps, quo ad homo insanabilis effectus in malum totius corporis habitum perueniat, & post longa tandem tedia pereat.

Noxa flatuum. *Noxa narcoticorum.*

Opinio Galeni distat à veritate.

Ecce quantum Galenus de medicamentis opiatis scripsit, omnia eius uerba ad amussim transcribere uolui, ut quilibet mecum totã ipsius opinionẽ colligere queat. Quæ quidem tum ab Hippocrate, tum a ueritate distare mihi uidetur. Verum quia ego cum Hipp. sentio. Galeni sententiam in capita redigam, ut & facilius, quis eam intelligat, & nos ipsam considerare, & si opus fuerit, refellere, possimus.

Galeni opinio in capita. *Quod Narcotica sint frigidissima.*

Primo censet Galenus Opium cęteraque Narcotica medicamina, id efficere ob frigidam, quam possident qualitatem. ob id potenter, hæc refrigerare asserit. & inde partes refrigeratas relinquere, & ideo quasi mortificatas, quod expressit Galenus locis supra citatis, uidelicet. 5. de simpl. medic. fac. 19. & 12. meth. med. c. 1. & 8. item de comp. med. loc. lib. 8. c. 3. & 2. in 6. Epid. tex. 5.

In extrema necessitate.

2. Galenus se Opiatorum acerrimum hostem patefacit fateturque iis tantummodo uti, extrema necessitate coactum; ut legitur 12. meth. c. 1. citato, & item 2. de comp. med. loc. cap. 1.

In tenuibus destillationibus.

3. Galenus Opiata, & Narcotica adhibenda esse concedit in tenuibus tantum destillationibus, ut 12. meth. med. c. 1. & 8. edixit.

Inimica humorib. crassis.

4. Hypnotica inimicissima esse humoribus crassis ac frigidis retulit 12. meth. ca. 8.

Nocere oculis.

5. Nocere oculis protulit 3. meth. med. cap. 2. & lib 2. de comp. med. loc. cap. 1.

Auribus obesse.

6. Auribus obesse scripsit. 2. de comp. med. loc. c. 1. & denuo lib. 3. cap. 1.

Ad Symptomata tantum.

7. Ait Galenus Narcotica in usu tantum esse, ut occurramus symptomatibus. quod patet 12. meth. cap. 1. & 8. item 3. de cõp. med. loc. cap. 1. nec non 2. ad Glauc. c. 6.

Semper relinquere partes læsas.

8. Censuit Narcotica semper relinquere partes læsas. vt exarauit. 12. meth. med. ca. 1. & 8. & item 2. ad Glauc. cap. 6. nec non 8. de comp. med. loc. cap. 3. præterea 5. in 6. Epid. tex. 13. & 6. in 6. Epid. com. 5.

Augere morbos.

9. Augere morbos, ipsosque contumaciores reddere. 12. meth. c. 1. & 8. sic 1. de simpl. med. fac. 19. & 2. ad Glauc. cap. 6. & 7. in 6. Epid. com. 5. & 5. in 6. Epid. com. 13. & 6. in 6. Epid. com. 5. & deniq. 8. de comp. med. loc. c. 3.

Compositione calidorũ corrigi.

10. Quod ea composita Narcotica, quæ plura calida impedientia obtinent, sint tutiora, ut 12. meth. cap. 1. & 8. de com. med. loc. c. 3.

Gal. ignorauit Nat. Narcoticorum.

Equidem ex Gal. hisce monumentis colligo ipsum rerum Narcoticarum parum amicum fuisse; immo hostem, fortasse quia praua, & nocua esse imaginabatur; uerum potius ego dicerem ipsum narcoticorum naturam omnino ignorasse, censuit enim narcotica ob summam frigiditatem agere, non autem ob qualitatem occultam, specificam, & spirituosam. Vnde peccans circa Temperamentum, peccauit consequenter circa alias Opiatorum qualitates, quæ autẽ de his scripsit, potius à sua imaginatione, & suppositis pendent, quam ab experientia. Verum profecto est, quod infiniti penè sequaces Galenici, tanquam pecudes eiusdẽ fuere sententiæ, nihil amplius de narcoticorum natura inuestigantes. Tamen aliquot docti, & uere phisici, quales Capiuacceus, Rudius, &c. de re hac non parum dubitarunt, unde in eam uenere sententiam, quod opium sit heterogeneum, & alteram quidẽ eius substãtiam crassam esse in gradu quarto frigidam, unde somnus, & stupor oriebãtur, alteram uerò tenuem simul mistam esse calidam in gradu tertio, à qua Opium erat amarum, & calefaciebat. quod proposuerunt, ut Galeni dicta tuerentur.

Opium heterogeneum.

Opium esse calidum.

Fuere, & alij subtiliores naturæ arcanorum inuestigatores, qui in uerbis, magistri non iurarunt; hi Opium reuera calidum, minime uero frigidum iudicarunt, immaginati somnum, & stupefactionem membrorum à qualitate occulta prouenire. ita Thomas Erastus Paracelsi hostis, Platerus insignis practicus, Quercetanus, Doringius lib. de Opio. Petreus, Libauius, Senertus, & non pauci alij chimici. Doringius hoc usus fuit argumento. *Quodcumq. fauces incendit, Situm introducit. Animos efferat. Somnia turbulenta generat; ad venerem inflammat. Pruriginem excitat, Odore suo totum corpus promptissime penetrat. Sudorem largiter procurat. Durities emollit. Humores corporis noxios purgat; id necessario calidum sit oportet.*

Doringij argumentum.

Opium prædicta omnia præstat; quemadmodum præmissa abundè commostrant.

Ergo Opium calidũ, non verò frigidũ sit oportet.

Sane

Calidæ ſomnum inducere.

Sane quia iam ſatis conſtat Niuem, & glaciem frigidiſſima ſomnum non efficere. ſed è contra vinum copioſum, ac potens, Crocum, Mirrham, Styracem ſuis calidis uaporibus caput replendo, ſomnum inducere. cenſebo medicamenta narcotica, nec ut calida, nec ut frigida operari; ſed ſanguinis, humorum, ac ſpirituum motum ſiſtendo, non quidem frigiditate hæc condenſando; ſed ut Torpedo piſcatorum manus ſtupefacit, ut coagulum lac coagulat, & Remora piſcis nauim ſiſtit, & ut Magnes lapis ferrum retinet. Verum huiuſmodi ſanguinis quies ſomnū primo inducit, & ex hoc corporis refrigerationem.

Pharmacorum diuiſio.

Ergo ad Hippocratem ſummum Medicorum magiſtrum erit recurrendum, & cū eo ſentiendum, qui fuit, ut dicitur, & *fallere, & falli neſcius*. Hic igitur lib. de Affect. n. 35. Medicamentorum diuiſionem breuiter deſcriptam reliquit. *Quacumque uerò pharmaca*, inquiens, *in potu dantur, & non purgant, neque bilem, neque pituitam, ea, quum in corpus ingreſſa fuerint, uim adhibere oportet, aut frigefacientia, aut calefacientia, aut ſiccantia, aut humectantia, aut contrahentia, aut diffundentia. Quæ uerò ſomnum faciunt, ea quietem ſanguini exhibere oportet.*

Vis coagulatiua.

Hoc ex magno Præceptore diſcitur, medicamenta ſoporifera, nec ut calida, nec ut frigida, ſomnum inducere, à quibus narcotica diſtinguūtur; ſed quia ſanguinem ſiſtūt, nec præſtantius in ſanguine, ſpiritu, & fluxionibus ſiſtendis reperitur remedium ipſis narcoticis, vt dicemus. Hæc enim ſanguinis, internorumq. ſpirituum motum ſiſtūt coagulante facultate, ut in lacte coagulum operatur, quod neq: ut calidum, neq: ut frigidum, neq: ut adſtringens, neq: ut aperiens lac coagulat: ſed propria uirtute coagulatiua, quæ uis in diuerſis eſt rebus tum calidis, tum frigidis, ut in Antidotario meo oſtendi. annot. in conſ. Hamech. Ergo in Opio facultas adeſt ſanguinis congelatiua, quæ eius motum ſiſtit, ut Remora piſciculus quālibet magnam nauim à curſu ſiſtit, ut dicitur.

Sanguinis quies.

Coriandum

Styrax.

Myrrha.

Somnus autem ſanguiniſq: quies tantam inter ſe ſortita ſunt ſympathiam, ut alter alterius cauſa ſit. nam ſanguinis quies ſomnum inducit, & ſomnus quietem ſanguinis efficit. Porro quod ſanguinis quies ſomnū producat, iam cum Hippocrate diximus. *Quæ ſomnum faciunt, quietem ſanguini inducunt*. Nec quod huiuſcemodi medicamina calida, uel frigida ſint, refert, quia ſcripſit Hipp. 2. de Diæta. n. 14. *Coriandrum calidum eſt, & aluum ſiſtit, & ructum acidum ſedat, & ſomnum conciliat, ſi poſtremum edatur*. Dioſcorides etiā de Styracis oleo ſcripſit. *calefacit uehementer, & mollit, uerum caput dolore afficit, aggrauatq: & ſoporem adfert*. De Mirrha autem ſcribit, *calfacit, cohibet, ſoporem gignit*.

Somnus refrigerat.

Sed his dimiſſis ipſe Hipp. 2. de morb. n. 8. ſcripſit. *Dum autem ſanguis non mouetur, fieri non poteſt ut non etiam corpus quieſcat, ac torpeat.* igitur ſanguinis quies cū corporis, animiq: quiete iungitur. Quod confirmat Hipp. lib. de flatibus. num. 20. *Quum corpus inuaſerit ſomnus, ſanguis frigeſcit; à natura enim ſomno frigefaciendi uis eſt: infrigidato autem ſanguine languidiores fiunt eius meatus; quod hinc palam fit, quod corpora aggrauata reclinantur; omnia enim grauia natura ad fundum deferuntur*: ait etiam Hipp. 2. de Diæta n: 23. *Somni ieiunum attenuant, & frigefaciunt.* Ergo ſomnus cauſat frigiditatem in ſanguine, minime autem frigus eſt ſomni cauſa. refrigeſcit autem ſanguis, quando motus diminuitur, quia motus eſt cauſa caloris, ablata cauſa aufertur calor, ablato calore Animales, & vitales ſpiritus diminuuntur; unde corpus minus ſpirituoſum, ac aereum grauius fit. Pariter etiam ſomnus omnes alios facultatis naturalis motus, nempe attractiuum, & expulſiuum ſiſtit. Quapropter hæc ſciens Hipp. 4. Aph. 14. & in Epiſt. de Veratri vſu ſcripſit. *Vbi quis Elleborum biberit, ad motus quidem corpus magis ducere oportet, ad ſomnos autem, & quietē minus*. quia ſomnus ſanguinis, & humorum motum ſiſtens, ſiſtit etiam naturæ à medicamento irritatæ expulſiuum motum. idem etiam Theriaca recenti operantur Medici. quæ poſt propinatum medicamentum purgans exhibita, tum humorum motum, tum purgationem ſiſtit. immo motum ſiſtens ſomnum inducit. Nec parum miror quorundam Medicorum, qui medicamenta opiata cum ſolutiuis miſcere ſatagunt, ut poſt ſomnum ſuccedat euacuatio, cum ſint omnino contrarij effectus, & facultates.

Somnus ſiſtit motus internos.

Contra miſcentis opiata cum ſolutiuis.

Haud equidem ignoro, nonnullis Medicis placuiſſe in doloribus præſertim colicis, narcotica ſolutiuis miſcere, cēſentibus poſt ſomnum, & dolorum ſedationem, actuari excrementorum purgationem, uti fuere Raſis, Gattinaria, Arculanus, Franc. Pedemontanus, Fauentinus in Empirica, Hollerius, Gualterius Bruel, Gerardus, Rondeletius de morb. lib. 3. c. 36. Saxonia. Taliacotius. Corteſius, Senertus, & alij. immo Eraſtus diſp. 4. in Paracelſ. pag. 244. ſcribit. *Raro Narcotica vſurpari abſque purgantibus*. & pag. 248. miſcet Aloe cum opio, &c. Tamen obſto, quia oppoſita, & contraria omnino ſunt purgantia, & purgationem ſiſtentia; inducentia humoribus quietem, & inducentia motum. natura non poterit eodē tempore duobus oppoſitis dominis ſeruire. unde maxime angetur, & uel nulli obediet, uel potentiori quid clarius experimento Theriacæ? quæ exhibita, dum med. purgās agere incipit, illico purgationem ſiſtit, uel ergo falſum experimētum docuit Galenus, & cum eo ſequaces, uel male iungētur cōtrario motu agentia, quia ſe inuicem refrā-

gunt,

gunt, nec purgatio, nec somnus, nec doloris sedatiò obtinebitur. & Hipp. ut purgationem sistat, somnifico utitur.

Quam eandem doctrinam altero Hippocratis textu confirmabò. scilicet de loc. in hom. nu. 45. *Quum susceperis uinosum uomentem, uomitum ne sedato. Si uerò debilis fuerit, qui hæc patitur, somnificum medicamentum à uomitu prabeto.* Ecce quod Hipp. vomitum sedare intendens, idest, uentriculi motum expulsiuum, narcoticum exhibet. quia sanguinem sistit. quod idem confirmari potest ex eo, quod paulo post n. 48. scripsit. *Tristes, anxios, & ægrotos, ac se strangulare uolentes, Mandragoræ radice mane in potu data curabis.* Hæc enim sanguinis spirituumque motum sistit, & somnum inducit. Retulit autem Dioscorides huius radicis infusæ vinum dari, *ijs, qui secari, aut amburi debent, si quidem nullo tunc afficiuntur dolore, sed veterno quodam pressi torpescant.* Ergo dicamus medicamenta narcotica, & soporifica somnum inducendo, nec non corporis, sanguinis, humorum, & spirituum motum sistendo, omnes fluxiones sedare, omnes catarrhos, omnes naturæ motus, quà expulsiuos, quà attractiuos, & omnes humorum separationes ad inuicem, quæ secundum Hippocratis sententiam multorum morborum causæ existunt. quãdoquidem tunc nocent humores, cum ab alijs sunt seiuncti, ut è contra, tunc bene se habet corpus, quando humores sunt interse bene uniti. ut alter alterum non superet, mistus enim humor alijs, per se nihil agere potest.

Omnes fluxiones sedare.

Hinc est, quod Hippocrates optime sciẽs etiam febres tertianas, & quartanas ab humorum separatione pendere, & quod nisi bilis à sanguine esset seiuncta, febrim non induceret, uoluit ipsas medicamentis narcoticis curare, ut patet lib. de affect. num. 8. *Si uerò pharmaco non uidebitur opus habere, medicamenta in potu exhibeto, quibus febris: aut trasmutetur. aut deficiat.* Hipp. 1. distinguit alterantia à purgante pharmaco; non purgantium autem, quæ ad febres apta sint, duas constituit differentias, uel febrem transmutant, uel cessare faciunt.

Febrem finiunt.

Sanè morborum transmutatio pluribus fieri potest modis. uel ex vno morbo in alium fit transitus. Vt ope nostra tũ Hipp. tum Celsus iubent ex morbo ueteri fieri recentem. & Apoplecticis procurari febrem, uel aliud simile Naturæ opere fit. de quibus transmutationibus exquisitissime egit Stephanus Rodericus à Castro lib. *quæ ex quibus.* Fit etiam transmutatio materiæ, & morbi ab uno loco ad alium. *Erisipelas ab intro vergi ad extra, bonum.* Transmutatur etiam morbus remedijs alterantibus contrarijs calidis, frigidis, humidis, siccis, adstringentibus, relaxantibus, aperientibus, &c. Transmutãtur etiam fluxiones in cõtrarium motum *sursum, deorsum, &c.* & de loc. in hom. n. 34. docet, transmutationem fieri, uel à medicamentis, uel à cibis corpore fortioribus.

Morborum transmutatio.

Modo dimissis transmutantibus medicamentis, loquamur de altera spetie, quæ febrim deficere, ac cessare facit. huius autẽ num. sequenti 19. meminisse uidetur Hipp. scribens. *Vim porrò habent medicamenta in his febribus, ut potis his corpus in loco fit, in consueta caliditate, ac frigiditate, & neq: præternaturam calefiat, neque frigefiat.* & hic profectò de medicamentis specificis loquitur, ad febres conferentibus, quæ nec calefaciunt, nec refrigerant, sed corpus in suo naturali tẽperamento conseruant. & hic docere intendit Hipp. tunc corpus sanum esse, in suo loco consistere, & in suo naturali temperamento, quando humores inter se misti remanent. & ideo de Nat. hum. num. 6. dixit. *Sanus equidem maxime est, ubi temperamentum hac inter se habuerint moderatum, tum facultate, tum copia, & ubi maxime fuerint permixta.* ita etiam de Vet. med. nu. 28. *temperamentum, & moderatio contingit frigido à calido, & uicissim calido à frigido. ubi uerò seorsim utrumque secretum fuerit, tunc affligit.* Illud igitur remedium, quod humorum separationẽ impedit, corporis temperamentum, & moderationem conseruabit; & eo mediante corpus in suo loco, & in sua naturali caliditate, frigiditate, humiditate, &c. remanebit: nec calorem. aut frigus contrarium, & præternaturam ipsum acquirere permittet. Sed quæso, Num aliud remedium reperitur, quod humorum separationem impediat, nisi illud, quod tum sanguinem, tum omnes animati corporis motus sistit? Ergo Opium (ab Hippocrate vocatum Papaueris somnifici succum) Mandragoræ radix, & Hyosciami semen, illa erunt medicamenta, quæ febrim deficere faciunt. ob id magnus Medicus Hipp. 2. de Morb. n. 39. ad Quartanam tale medicamẽtum præscripsit, *Seminis Hyosciami Milij magnitudinem, Mandragoræ tantundem, & succi Sylphij trium fabarum magnitudinem, & trifolij tantundem in uino meraco bibet.* & huius medicamẽti uicem, mea sententia, supplebunt alia narcotica, Philonium, Theriaca, pillulæ de cinoglosso, Laudanum Theophrasti, Nepente Quercetani, &c. cum quibus erit cortex radicis indicæ febrifugæ Chinachina, quæ ad drac. 1. cũ Vino sumpta febres tertianas, & quartanas cessare facit & est temperamẽto frigido, ut narrant Indi.

Febrim cessare faciens

ad Quartanam.

Porrò, quando scripsit Hipp. *neq. præternaturam calefiat, aut frigefiat.* intelligit calorẽ præter naturam, & morbosum, qui à materia, uel acri, uel salsa, uel amara pendet, non autem intelligit simplicem caliditatem, quia de Veteri med. dixerat. nu. 27. *neq. à calido, neq. à frigido simpliciter ægrotamus; sed à calido acri, à calido salso, à calido amaro.* quod si calor iste præter naturam ab humorũ separatione pro-

procedit. Illud solum medicamentum, ne corpus calorem præter naturam acquirat, prohibere potent, quod sanguinem sistendo, humorum separationem impedit.

Dici etiam posset huiuscemodi medicamina nec calorem præternat. nec frigus in corpus inducere, ut intelligamus, quod licet aliquando aliquem calorem, uel frigiditatem, in corporibus gignere uideantur, nō esse timendum, & ideo Narcotica abominanda. Quandoquidem medicamenta Hipnotica, siue calida, siue frigida fuerint, licet aliam caliditatem, uel frigiditatem non quidem preter naturā, inducere uideantur; sed simplicem, & leuem quandam qualitatem, quæ quidem cito resoluatur, nec in corpore alterationem permanentem, & nocuam relinquat, inducunt.

Mea sententia, Nec erraret, mea sententia, qui diceret, medicamenta somnifera consuetam caliditatem, ac frigiditatem in corpore seruare, absque eo, quod calorem, aut frigus præter naturam id acquirat. nempe quod nō operentur narcotica ratione caloris, uel frigoris, sed ratione facultatis somnificæ, quæ sanguinem, & alia in corpore concreta sistit, & coagulat, qua propter Hipp. Opium uocauit *Papaueris succum somniferum*. nec dixit unquam Hipp. medicamenta calida, uel frigida, aut moderate, aut excedenter sanguinem congelare; sed somnifera.

Nonne Rudius, Capiuacceus, & alij, opium Heterogeneum faciunt frigidum in 4. & cal. in 3. ob diuersas mistas substantias? ergo si frigiditas superat vno tantū gradu caliditatem, quæ tamen per se est maioris actiuitatis, sequetur has qualitates nō dominari in mixto: sed refractas parum agere, unde actio erit ea, quæ actuatur ab altero agente non elementari.

Argumentum à contrario, Vtigitur Anacardi, Euphorbium, & cantarides sua spiritus commouendi, & humores segregandi facultate febres excitare possunt, ita ob contrarias facultates spiritus, & sanguinem sistendi, & humorum separationem prohibendi, Medicamenta narcotica ad febres finiendas sufficient.

Narcotica prohibēt separationem Sanè, uti pharmaca purgantia manifestè humores separāt, aliter eos determinatè nō euacuarēt, ita Narcotica purgationē prohibēdo, indicant, quod simul humorū separationem prohibeant, & eorundem vnionem, ac quietem retineant; Ideo concludā, quod si Narcotica aliquando febrim exstinguere non uideantur, nec sua frigiditate febris calorem contemperare, tamen causam auferendo, quæ est continua humorum segregatio, & materiæ separatæ augmentum prohibendo, tandem efficere, ut paulatim febris deficiat, ueluti separata materia consumitur. & huiusmodi hypnotica nec calorem naturalem refrigerant, nec concoctionem impediunt; quia ex Hipp. à febricitantibus assumpta naturale temperamentum, cōseruant, & bonum, non autem malum, superfluum, & præternaturam, qualis est febrilis, conseruant. immo ipsum non naturalem prohibent. & hæc dixisse uolui ex Mente Hippocratis, quem sequor, quamuis sciam Galenicis quibusdam, qui in uerbis magistri iurarunt, hæc probatum non iri. sed sequor ego Galeni magistrum, & interpretor. *Contra Galenum.*

Profecto sane, ut hæc Hippoc. opinio clarius innotescat, rationes Galenicæ in cōtrarium adductæ soluendæ erunt. Vnde.

Ad primum dicam, falsum esse, quod opium, stupefacientia, & composita narcotica, vt philoniū, Triphera, Requies, Theriaca, & Mitridatum, ac similia, ob excedētem frigiditatem inducant somnum, dolores sedent, fluxiones sistant, & partes mortificent. quia è contra, certissima experientia cōstat, Vinum potens, Aquam ardentem, Styracem, Mirrham, Coriandrum, Crocum, & similia ualde calida, ob copiosos uapores ad caput transmissos uehementem somnū inducere. non igitur à solo frigore inducitur somnus; sed etiam à calore. unde & tantum calida, quantum frigida somnum inducunt, sequitur præter caliditatem. & frigiditatem esse, uel aliud Ens soporiferum, uel somnificam non tion esse solius frigiditatis proprium effectum. *Ad primū Galeni.* *Somnifica vis à quo.*

Inter autem medicamenta Narcotica composita experior, quod, quæ calidiora sunt, magis soporifera inueniuntur: sic Philonium potentius est Requie Nicolai, & sint hæc pro exemplo. Philonium continet Euphorbiū. Castoreum. Piper, Pyrethrū, & alia calidissimā, & dosis eius est drac. 1. quæ continet Opij solum granum unum, & semis. at Requies cōponitur ex omnibus frigidis, & datur ad unciā unā, ut in Antidotario scripsi, & quælibet vncia cōtinet, quinq; & semis. uel 7. grana Opij. & tutius sumitur vncia una Requiei. cum 7. granis Opij rebus frigidissimis refracti. quam dracma 1. Philonij continens solum granum unum, & semis Opij rebus calidissimis refracti: nam tota Requies compositio pendet. vnc. 16. dracm. 1. grana 15. & suscipit Opij g. 90. & secundum Romanos g. 108. unde quęlibet uncia habebit g. 7. opij, & tantundem Mandragoræ, & hyosciami. unde constat, quod si calida adiuuant uim opij, & frigida refrangunt, opium non esse frigidum. *Narcotica cōposita calidiora magis somnifica.*

Si quātitatis gradus calculare noluerimus in Philonio licet diuersa ratione, ut alibi diximus fieri possit calculatio cum Alchind. Arnaldo, Auerroe, Forliuiensi, Montano, Fallopio, de Touar. Iuberto, & alijs. nunc dicamus cum Valesio, quamquam optimam esse eius calculationem non asseramus.

Caliditatis partes 70. frigiditatis 21.

Sicci-

Siccitatis	68.	humiditatis	14.

ecce calidæ partes triplum superant, frigidas putatas opij. & Hyosciami. unde tale medicamentum dicetur calidum, non autem frigidum.

In requie Nicolai.

Caliditatis partes	34.	frigid.	63.
Humiditatis,	25.	siccit.	72.

Et in hoc crasso calculo, considerate, quod hoc mistum est frigidius Philonio, & securius. Requies frigidior cum 7. granis triũ Narcoticorũ datur ad vnc. 1. tutissime, Philonium calidissimum ad drac. 1. continens g. 1. opij. datur moleste, & cum ardore faucium. Quare si Opium melius corrigitur frigidis, quam calidis, erit potius calidum, quam frigidum. Sic de Theriaca, & Mitridato dicendum. aliqui enim calculatores, vt M. Oddus in meth. med. compon. dicit esse calidam in secundo gradu, & siccam, & tamen in qualibet Theriacæ dracma vnum tantum granum Opij ingreditur. & Mitridati quælibet, dracma continet opij granum unum, & semis.

Opium tutius frigidis mistum.

Secundo aio. à frigido dolores tolli non posse. quia ille dolor, qui à causa frigida efficitur, à Narcoticis (frigidis putatis) exacerbari deberet, quia intemperiem frigidam augere, apta nata essent, & tamen contrarium experimur, scilicet dolores in causa frigida, & frigidissima, pariter, ac à causa calida narcoticis sedari, ut paulo post probabo.

Frigidis doloribus prosunt.

Tertio. Sistere fluxiones non potest esse effectus frigiditatis, nec enim frigidissima Nix, id operatur semper. (quia, & ego Niue quandoq; sanguinis fluxum firmaui) deberent enim humores in Glaciem congelascere, totumque corpus in frigidissimam glaciem uerti. & tamen post narcotica corpus calidum, & fluxionem sedatam cernimus. Nec partium mortificatio à frigore proprie efficitur, experimur enim externam frigiditatem sæpissime calorem reuocare, vt tractatio niuis manibus clarè demonstrat. Ergo uera mortificationis causa erit, caloris innati, & internorum spirituum resolutio, uel suffocatio. quemadmodum Arsenicum calidum, & siccum operatur. Vera igitur doctrina est, (quam Magistrorum Magister Hippocrates docet) Narcotica non agere à primis qualitatibus, uel calidis, uel frigidis, sed à uirtute specifica, & spirituali, cuius est sanguinem, & spiritus cõgelare, ueluti coagulum lac coagulat, Magnes retinet ferrum, Remora Nauim, Torpedo piscatorum manus. & similia. & omnes operationes, quæ ab Opio, tanquam narcotico, procedunt, ab ista uirtute pendent specifica, ut quietis sanguinis auctore. cæteri effectus primarũ qualitatum ab ipso opio pendent, uti misto elementari, calido, & sicco.

Non est frigidi fluxiones sistere.

Vera causa mortificationis.

Essentia narcotici.

Dicendum igitur Opium, & omnia Narcotica somnum inducere, quia sanguinis, & spirituum animalium motum sistũt. hinc cerebrum cessat operari circa sensus exteriores. Ab eadem sanguinis, & humorum quiete sedantur dolores, quoniam spiritus semper mobiles, ab Hipp. dicti *impetum facientia*, quiescunt, hinc cessat doloris causa. Eadẽ de causa omnes fluxiones, ab omnibus partibus, & omnium humorum tam calidorũ, quam frigidorum, tum tenuium, tum crassorum sistuntur, & simul humorum segregationem prohibet, quæ morborum ex Hip. causa censetur.

Reductio ad vnum.

Mortificatio autẽ membrorum fit à congelatione, & defectu spirituum innatorum. & quidem hæc à Narcoticis fieri potest. dũ quantitate excedunt. fieri etiam potest à frigiditate; sed poros condensante, & spiritus non coagulante, sed expellente. At dico à calore potissimum causari, quum, uel multus sanguis in vna particula coactus suffocatur, & simul spiritus naturales suffocat, ne moueri possint. uel quũ calor externus, internos spiritus resoluit. hinc putredo cũ humiditate iuncta oritur. Quid, anne ipse ignis, licet calidus, & siccus partem aliquã mortificare non ualet? certe ualet, calorem naturalem, & spiritus insitos resoluendo. exemplo sint Arsenicum, sublimatum, & aliqua alia uenena calida, quæ carnẽ mortificant. ergo. Membrorum mortificatio, minime à solis narcoticis producitur. Quod si Narcotica corpus refrigerare appareat, sũmus Præceptor Hippocrates non dixit, ob frigidum temperamentum id præstare. sed quia somnum inducunt, ut legitur lib. de flat. nu. 20.

Mortificatio

Ad secundam Galeni oppositionẽ Respondemus. Galenum, dum se Narcoticorum acerrimum hostem declarat, non posse simul, & partem contrariam exercere, & simul litis Iudicem esse, quare ut suspectum allegamus, & quod potius odio, quam ueritate, de Opio, loquatur. & patet quia, fatetur, se adhibere Narcotica; sed coactum. at quis Galenum coegit? an Morbus atrox, contra quem nullum aliud agnouit remedium? quis eum inuitat? an utilitas, quæ ab vsu narcoticorum recipitur? Ergo inuito Galeno in extremis necessitatibus narcotica prosunt. & quia in extremis necessitatibus illi sunt ueri amici, qui opem suam ferunt. Narcotica succurrentia erunt uera amica. Verum enim uero non licet eorum benignitate abuti; sed solum quando necessaria sunt, ea conuocare; non alio tempore, ne irascantur nobiscum, & amica fiant inimica, oportet.

In Galenũ.

Ad 3. debemus considerare, quod Galenus Narcotica concedit solummodo in destillationibus tenuibus, & calidis, quia hæc, ut frigida, & sicca agere opinabatur. uerum si Opium *concoquit*. Hyosciamus *insaniam* gignit.

gignit, Solanum furiosum, Mandragora, & Datura *dementant*. hæc profectò insania non à frigidis; sed à calidis uaporibus ortum ducit, nec enim vnquam quis dixit, à frigore, à niue, & similibus deprauari imaginationem, sed potius minui, uel auferri. at contra calori id tribuunt. præterea cum Opium potius calidum, quam frigidum esse videatur, uidetur etiam in fluxionibus calidis, tenuibus, & acribus non conuenire.

Opium calidum.

Opiata noxia destillat calidis.

Probabilius autem in destillationibus calidis, & tenuibus medicamenta narcotica cum calidissimis aromatibus cōposita prohibenda esse, apparet. Etenim Theriaca est medicamentum opiatum; & soporiferum: & tamen Galenus eam dicit calidissimam, prohibetque eius usum pueris, temperamētis calidis, & tempore æstiuo. Immo exhibet quartanarijs; quibus ex Hipp. non conueniunt medicamenta refrigerantia. Ecce quod Theriaca, & Mitridatum eiusdem facultatis, medicamenta narcotica præclara, in fluxionibus tenuibus, & calidis non conueniunt. Ergo si hæc famigerata non conueniunt, Cur alia Narcotica, vt Philonium, & infinita, quæ apud Galenum, Aetium, Nicolaum, & alios auctores scripta reperiuntur, valere dicetis?

Teriaca noxia tenuibus humorib.

Experimētum.

Verum enim verò contrarium experientia demonstrat, & Teriacam in fluxionibus calidis, & tenuibus prodesse constat. Ergo dicemus fluxiones sistere neq; ut calidam, neq; ut frigidam, sed uirtute Opij coagulantia sanguinis.

Ad 4. Si Galenus, & eius sequaces Medicamenta narcotica tum simplicia, tum composita, in humoribus frigidis, & crassis, noxia esse nolunt. in contrarium ego Hippocratem, & rationem, cui molti subscripsere, adducam. audite Dioscoridem scribentem de radice Mandragoræ. *Strumas, atque tubercula cum aqua dissipat*. quæ tamen Galenus ipse 3. aph. 26. *Ex materia pituitosiore, & frigidiore oriri*. testatur. Hippocrates autem *à pituita* scripsit. lib. de affect. Multi autem Chirurgi. à pituita crassa, & humore melancholico, atq; contumaci.

Hippocrat. contra Galenum.

De compositis autem narcoticis idem apparet. Quia C. Celsus in doloribus iliacis cum inflammatione, non exibet Narcotica, exhibet uero in dolore colico genito *post frigora, cruditatesque* Colicon Cassij, & docet *digerendo spiritum, dolorem leuare*, iste Hippocrates latinus dicit, spirituum resolutionem dolorem leuare; sed spirituum digestio, calore resoluente fit. ergo credemus, narcoticum Celsi esse calidum, & dolores frigidos tollere. lib. autem 5. cap. 25. præscribit *Catapotia anodina* nec solum ad inducendum somnum, sed etiam ad *concoquendum* valere asserit. Et equidem hucusq; semper credidi à calore adiuuati coctionem. non autem à frigore, quare etiam credam ista catapotia anodina esse calida. Deinde loquens Celsus de alio Catapotio. *ad inducendum somnum, quod vulua dolens prohibuit*. subiungit. *id tamen in febre periculose datur*. ergo calidum censuit. recipit autem opij, & sem. cicutæ. p. 32. Croci, Anisi, & Mirrhæ p. 34. exhibens ad lupini magnitudinem .i. ad grana 8. quodlibet catapotium continebit g. ij. opij, & tantundem sem. Cicutæ, & calidum valde fatetur, vnde febricitantibus periculosum, si enim frigidissima essent ista duo, compositum esset ad frigidum tendens, & febribus vtile. Deinde ad Tussim duo medicamenta narcotica instituit, alterum ad Vrinæ difficultatem. quod si diceres illi tantum tussi mederi, quæ à fluxione tenui pendet, nō aptabitur Vrinæ difficultati ab alia causa pendenti.

Narcotica spiritus digerunt.

Celsi sententia.

Scribonius.

Scribonius Largus cap. 142. quoddam opiatū Collyrium ad Tenasmum commēdat, qui à pituita crassa fieri solet, vnde si narcotica pituitam crassam superant, non erunt frigida. ducimur enim experimentis in simplicium uiribus indagandis. præterea idem auctor. c. 147. & 148. opiata exhibet ad vlcera, dolorem, & tumorem Vesicæ, quę à pituita fieri solent.

Marcellus.

Marcellus Empiricus. cap. 26. Colicam Bassi etiam à Scribonio positam. dicit leuare flatus. & ad *stomachi imbecillitatem ualere*. ergo nec membra debilitat, nec frigida esse potest. inde scribit Antidotum Cosmianum non modo intestinorum periculosos flatus tollere, uerum etiā omnibus prodesse morbis, & præcipue Hidropicis. recipit Opium Mandragoram, Cicutam, Hyosciamum, & multa aromata. Postea alteram Philonidis Colicam affert. *graues, & inueteratos dolores sedans*. quos à calida causa produci, nefas est, dicere. quia Hipp. 1. In 6. Epid. initio ait. *Dolores ueteres frigidi, recentes calidi*.

Ipsemet autem Galenus 9. de comp. med. loc. c. 4. ex antiquis Medicis. 17. electuaria Opiata ad Colicos trāscripsit. inter quę Isotheon laudat etiā *ad stomachicos*. Fæsius vertit, qui *cibum retinere nequeunt*. illud autem Sigonis. *ad inueteratos splenes, & hepaticis*. vt plurimum etiam dolores colici à materia frigida, & crassa pendent.

Philonium.

Sanè Philo vniuersaliter pronunciauit, suum Electuarium omnibus fluxionibus, & doloribus prodesse, non autem calidis tantum. & ipse Galenus Philonium explicans fatetur, multa calida in ipsum ingredi, *qua nocentes humores discutere possunt, & extergere uiscosos, & secare crassos, & ventosos flatus attenuare, & euacuare*. nec dicit Galen. ibi adesse, quæ humores tenues incrassent, & biliosos refrigerent. haud enim negare potest à Philone compositum fuisse pharmacum, vt præcipue humoribus crassis, & viscidis obstaret. ideo rationabiliter Nonius Medicus antiquus Philonio vsus fuit in doloribus à pitui-

Ad dolores à pituita.

pituita frigida, non autem ab humoribus acribus, & mordacibus. sed prius fortasse Alexander Trallianus lib. 10. scripsit. *At Philonium Antidotum dolores sane ex frigida causa contractos mitigat, non medetur. biliosa autem, & cachochymia, quæ humorum prauitas est, affectos, non solum lenit; sed etiam maxime iuuat. si modice exhibeatur.* Ecce Trallianus cum Galeno sentire vult, sed negare impos est. doloribus frigidis prodesse Philonium. Verum errauit.

Error Traliani.

At ego quidem, qui mei iuris sum, & nulli addictus sectæ, quiq; nullorum scriptis fidens veritatem quæro, inuenio Galenum, & plerosq; fateri, Theriacam esse pharmacum opiatum, & ratione opij somnum inducere, fluxiones sedare, narcoticam esse, & dolores sedans. considerabo nunc, an in doloribus colicis, uel à causa calida. uel à frigida conueniat. scripsit A. Trallianus. *Theriaca ad dolores ex pituita, & vitreo humore nascentes, magnificè facit, ego subinde cum in bis illam obtulissem successum consequutus sum.* & P. Aegineta lib. 3. cap. 43. in causa frigida. *Si dolor, inquit, non conquieuerit ipsis medicamentum Diasron pipereon, vel Theriaca.* & hic non solum Theriacam exibet, sed substituit, vt æqualem Diapiperi. ergo calidam facultate censuit. consideremus modo ea, quę de Theriaca scripsit Andromacus.

De Theriaca.

Quod sit Calida.

Non si quis cupidis expressa papauera labris
Hauserit, exitium pocula sumpta ferent.
Non si quis gelida complenerit ora Cicuta.
Si quis Hyosciamum, siue Aconita bibat.
Non si Cantharides, aut præsens morte venenum
Colchi tuum sumat, feruida Thapse tuum.

Ecce, Andromacus Theriacam commēdat tam in venenis frigidis, quam in calidis, licet narcotica sit. immo eam extollit ad Hydropicos, Asthmaticos, Empiematicos, Paraliticos, ad dolores colicos, & Vesicæ, nec non ad alios morbos, quibus medicamenta frigida conuenire non solent, cum ab humoribus frigidis, & crassis ortum ducant, id ipsum fatetur idem quoque Galenus ad Pisonem c. 15. aiens. *Subuenit eum difficultate spirantibus, quando pituita quædam crassa meatibus pulmonis insidens, hominem inspirare, probibet, facile enim ipsam, & dissecat, & ad expulsionem præparat, cum & compacta attenuet, & tenacia diuidat.* paulo post subdit, *Tardam ventris concoctionem, & imbecillitatem sanat, ipsum calefaciendo, & vim eius corroborando.* Cōuenit igitur Theriaca medicamentum narcoticum, & opiatum morbis à frigiditate ortis, & à pituita crassa. Sed si iuuat Theriaca, conferet etiam Mitridatum. & si hæc cur non Philonium, quod proxissime accedit ad eius crasim. Auerroes autem tractatu de Theriaca scribit, conferre Paraliticis, Apoplecticis, Epilepticis, & flatuositatibus genitis ab humoribus *præter naturam, non omni tamen ventositati, sed illi tantum quæ est, sicut illa, ex qua generantur dolor colicus, & dolor stomachi violentus, quoniam istæ ægritudines factæ sunt ex melancholia existente in fine malitiei, & phlegmate, quod multum elongatur à phlegmate naturali: sed ægritudinibus, quæ factæ sunt ex phlegmate, & melancholia non existentibus multum extra rem naturalem, si confert Theriaca, vel non, ad hoc inquirendum studium est necessarium durum multum. Et hæc quidem dicimus propterea, quia concordant omnes in Theriaca, quia non confert ægritudinibus generatis ex sanguine, & colera. Restat ergo certificare, quod dictum est. Si Theriaca confert egredientibus terminum naturalem, exitu, scilicet, multo, & vtrum curentur à Theriaca, sicut curat ea, quælibet ex medicinis, siccis, vel non.* Bonum est etiam Hipp. auctoritatem addere, qui 2. de Morb. n. 39. Mandragoram, & Hyosciamum exhibet ad Quartanā, quæ ab humore melancolico, frigido, & crasso fit. & tamen dixit. de loc. in hom. num. 38. *Febris perfrigeranda est, præterquam si quartana existat.* ergo concludendum erit, ex hoc capite Medicamēta Narcotica tum simplicia, tum composita exhiberi posse in morbis, & humoribus frigidis. contra illud quod ex Galeno supra positum fuit.

Galenus dat Theriacam ad pituitā.

Narcotica ad morbos frigidos.

Teriaca noxia in morbis calidis.

Narcotica ad quartanam.

Ad 5. Galenus valde quæritur, quod narcotica sint oculis noxia. Verum ipse 4. de comp. med. loc. docet nos. CXXV. collitia Opium, Hyosciamum, & Mandragorā recipientia, quæ si oculis nocerent, male nos docuisset, quare ipsemet fatetur vtiliter ab antiquis vsitata fuisse. Præterea apud Scribonium, Aetium, & Marcellum Antiquos multa alia collyria opiata, & laudata leguntur. ergo non tantum noxia. immo Dioscorides hæc narrauit de Opio. *Fictili nouo torretur ad oculorum medicamenta, dum mollius; atq; rufius appareat. Diagoras, vt Erasistratus auctor est, vsum eius damnauit, Oculorum lippitudinibus, & aurium vitijs infundi vetans, quoniam visus aciem hebetaret, & soporem gigneret. Addidit Andreas, illitos eo, protinus excæcari, si non adulteraretur. Mnesidemus usum dumtaxat olfactandi probauit, quoniam ad conciliandum somnum conueniret. alioqui nobis, ut noxio, interdicit. Quæ commentitia esse, experimento deprebenduntur: siquidem effectus virium huiusce medicamenti, fidem faciunt.* ecce Dioscorides irridet vituperantes Opium, & Galeno, ante Galenum, occurrit. ipse verò ad oculorum inflammationes discutiēdas Opium, Hyosciamum, & Mandragoram commendat. Immo Hippocrates Galeni Magister. 2. de morb. mul. in fine, inter notha, docuit Collyrium quoddam cum opio pro oculis, & his satis demonstrasse reor opium non esse adeo oculis inimicū vt Galenus inexpertus asseruit.

Non esse oculis noxia.

Dioscorides pro Opio.

Ad 6. Idem quoq; respōderi posset. quia Dioscorides ad aurium dolores proponit Opium, & Hyosciamum. & ipse Galenus vltra xx. medicamenta ad aures ex Antiquis

Galenus vsus fuis ad aures.

tran-

transcribit cum opio, & mandragora. & 3. de comp. med. loc. fatetur Apollonio, Archigeni, Andromacho, & Asclepiadi in vsu fuisse: immo ipsemet Galenus scribens. *Ad sonitum ob flatum ventosum, & acutum audiendi sensum*. & ita loquitur. *Ex stupefacientibus sensum quippiam aduiscui, velut est Mandragoræ succus, & opium, ex eisq; à sonitus Symptomate liber euasit*. & de Theriaca scripsit Damocrates.

Quidam si magnus vrgeat aurium dolor,
Passo dissoluunt antidotum Cretico.
Et sic meatus illita lana obstruunt.

Quare falsū est, quod Narcotica sint auribus inimicissima.

Ad 7. vbi asserit Galenus medicamenta Opiata, & Narcotica ad leniendos dolores, non autem ad morborum causas tollendas facere. dicendum cum Dioscoride de Mandragora. *per se menses, & partus expellit, duritias omnes, suppurationes, & strumas, & tubercula discutiunt, stigmata sine exulceratione delent*. Vomitum etiam ciet, vt dixi. quæ omnia præstat non leniendo tantum dolores; sed causas tollendo. Sic Hyosciamus fluxiones sistit. quod non est symptomata solum sedare. sed etiam causas tollere. Dicat ipse Galenus, num Theriaca, quæ opiata est, detur solum ad symptomata, an vero etiā ad morbos, & eorum causas? Andromacus sanè morbos omnino sanare, & causas etiam auferre testatus fuit. & Gal. ad Pisonem c. 15. *Nec arbitror*, inquit, *alia ratione Hydropicis Theriaca tantopere contulit, quam quod humorem in ipsis consumit, & refrigeratum in eis naturalem calorem accendit*. Ergo prodest morbi causā auferendo. Alias Galenus de Philonio loquens, & alijs narcoticis, tres debere habere conditiones, docet. primo, vt somnum inducant. 2. ne postea aliquod nocumentum in corpore relinquant. 3. vt etiam morbo prosint. tum Galenus ostendit philoniū esse rite compositum, quia habet omnes conditiones requisitas. quare doloribus colicis, dum auxiliatur. necessario etiam secūdum dictam Galeni doctrinam, auxiliatur affectui, & causæ. falsum ergo est, quod omnia Narcotica valeant tantum ad symptomata, minime autem ad morborum causas. Verum quando Galenus aliquid probare intendit, vincere conatur omni argumentorum genere, etiam sophistico.

Narcotica curare morbos.

Theriaca cōsumit causas morborū

Conditiones Narcoticorū

Circa 8. quod medicamenta narcotica semper in partibus aliquam læsionem relinquant. quum fuerint bene composita, & in conuenienti dosi data. falsum est. Equidē nunc Theriacam pro exemplo sumam. Hæc, ex Galeno ad Pisonem. cap. 2. quotidie continuo ad sanitatem conseruandam, non autem ad partes offendēdas ab Antonino Imperatore, & ab alijs sumebatur, testatur autem ipsemet Galenus, quod Imperator hac de causa *Vitam sanam traducebat*. quapropter Antidotus ipsa auctoritatem adepta fuit. Quod si Galenus Theriacam Narcoticum validissimū toto vnius hominis æuo sumptum, partes semper roborare prædicat, quomodo dicere potest. Philonium (quo ad narcoticum consimile) & huiusmodi alia opiata, semel, aut bis in magna necessitate sumpta læsionem in assumentibus relinquere? addam, quod Opium in Theriaca sit minus correctum, quam in Philonio, & patet ex ipso Galeno scribente non esse perfectam, nec exhibendam esse, nisi transacto anno, & ad 30. annos perdurare narcoticam. contra verò de Philonio dicitur ad Glauc. cap. 6. quod post sex menses propinari, possit, & 12. meth. med. c. 1. quod eius vis non pertranseat decimum annum. si ergo Philonium debilius est Theriaca, cur Gal. laudat Theriacam snam, & vituperat Philonium?

Narcotica correcta nō relinquere noxam.

Theriacam opiatam nō relinquere noxam.

Ad 9. fatetur Galenus Theriacam Quartanarijs datam aliquādo eam contumaciorem, aliquando verō duplicatam reddidisse, an dices hoc semper efficere? nequaquam. sed, quum non conuenit, datam. & idem omnia alia opiata efficient. quod si nocua essent semper opiata, ad quid Andromacus tātum extolleret suam Theriacam? ad quid Philo suam antidotum commendaret? e cōtra verò noui ego plurimos, qui per plures annos continue opiata sumpserunt, (non dicam de Imperatoribus Theriacam quotidie sumentib. nec de Rege Mitridate) vt ex præcepto Marsilij Cagnati præceptoris mei, Iuriasi affectus quidam (quod certum scini) per x. continuos annos cinoglossæ Pillulam sumpserat, quod si eam omisisset, & nocte insomnis, & cum dolore permanebat, cui simile quid in lapide in vesica retulit Franc. Colucius lib. 2. de querelis Neph. & nos pluries vsi sumus eadem pilula per plures dies sine vlla læsione. sic Baltassar Bonannus Romæ Medicus percelebris, & valde expertus testatus mihi fuit se cnidam seni 70. annorum per vnius anni spatium continuum. cuilibet sero per horā ante cænam exhibuisse drac. vnam Philonij, & ea nocte, qua id non sumebat, & male se habuisse, & delirare solitum fuisse. ecce quantum opiata cerebrum roborant. sed quid laboro! Turcæ continuo Opij vsu, & vegetiores, & alacriores redduntur, immo sine opio male se habent. cur ergo dicit Galenus Opium læsas partes relinquere? quia inexpertus.

Narcotica in Quartanis.

Pilulæ cinagloss. per an nos vsitate.

Philonium frequentatū

Opium Tarsis necessarium.

Ad decimum. eandem cantilenam recātabo. primo, quod Requies Nicolai recipiens Opium, Mādragoram, Hyosciamum, Psillium, & alia frigida: calidorum vero aliquid tantum cinnamomi & nucis minsticæ. ab Oddo dicitur frig. in 3. gradu. sicca in 2 Philonium autem, quod omnia calidissima recipit. præter Opium, quod controuertitur. & calidum supra diximus esse.

tamen tutius sumi frigidam Reqniem Opiatam, quam calidum Philonium Opiatum. & patet, quia Requies tutò pueris exhibetur non autem sic Philonium, immo nec laudatissima Theriaca. audite Galenum testem ad Pisonem. c. 17. *At pueris maximè omnium Theriacam interdico: quoniam ipsius magnitudinem illorum vires plurimum excedit: nam & puerile corpus facile dissoluit, & complantatum spiritum celeriter extinguit, non aliter atque lucernæ flammam plusquam conueniat infusum oleum. Vidi ego alias puerum ab intempestiuo Theriacæ vsu solutum*. Requies autem in febricitantibus tutò datur vsq; ad vnc. 1. ex Arnaldo, & Nicolo, licet grana 7. opij contineat. & tutius Requies ad talem dosim; quam Philonij dracma 1. continens Opij tantum granum vnum, & semis.

Theriaca pueris interdicta.

Secundo. Dico. Medicamenta Opiũ recipientia, quo vetustiora, eo calidiora esse debere, quia scribit Gal. quod Opij facultas temporis processu hebetescit. & ideo 12. meth. c. 1. vult Philonium duorum, vel triũ annorum, *Vt violentia refrigerantium, ab eorum; quæ calefaciunt, vi mitigetur*. quo fatetur huiusmodi medicamenta, quo recentiora, eo esse validiora in omnibus actionibus contra venena. quam vetustiora. vt scripsit. ad Pisonem 14.

Narcotica vetustiora, esse debiliora.

Quod si fatetur Galenus intra quinq; vel sex annorũ dari vtiliter *aduersus noxia herbarũ venena*. & apud Andromacum herbæ venenosæ sint appellatę tãtum Opium, Papauer, Cicuta, Hyosciamus, Aconitum, Colchicũ, & Thapsia. sequitur. esse dandam pro venenis frigidis Theriacam inueteratã, vt potè calidiorem, contra quod Galenus asseruit. quare, ut Experientiæ non obstemus. dicẽdum. Theriacam non agere ob solam Opij vim frigidam (si frigida est) sed ob specificas qualitates omnium simplicium mistorum. Nec virtus soporifera in vnica dracma Theriacæ prouenire potest, ab vno grano, & semisse Opij. quia Turcæ quotidie vltra dracm. j. Opij innoxie assumunt. Ergo Causa somnifera in Theriaca erit spiritus in fermentatione commotus, vt alibi dixi. & concludendum. in superfluo vomitu optima esse Narcotica, quia omnes humorum motus sistunt.

Theriaca ad venena frigida.

PARS

PARS TERTIA.

De Agendis post Vomitum, & correctio Accidentium relictorum.

De agendis statim post Vomitum. Caput I.

HIpp. 3. de Diæta n. 8. scriptū reliquit. *A vomitu vero os, & fauces colluat vino austero, quo oscula venarum constringantur, & nihil attrahant, velut à vomitu fieri solet, deinde surgens modice ambulet in tepore.* Ecce Hippoc. post quam per ventriculum corpus euacuauit, conatur partes roborare, & venarum oscula constringere, ne relaxatæ partes remaneant, & adhuc cum propensione ad vomendum. & hoc iuuat etiam, quia qui frequenter vomunt, his dentes denigrantur, sic collutio oris vino austero etiam gingiuas roborabit, & dentes abluet, & absterget. Et notate quod hic tria proponit Hipp. *Aeris* teporem. *motum* modicum. *collutionem* ex Vino. textu verò 10. iterum aeris *teporem* in memoriam reducit, similiter lib. de loc. in hom. 45. *Quum quis à medicamenti potu super ægrotant, & interne, ac superne ab ipso seceßerit: Vinum sorbeat primo quidem dilutum, deinde meracum frequenter, & sanabitur.* &. nos iubebimus ore cótinere Vinum granatorum, succum berberis, citoniorum, acrestæ, & gargarizare cum Diamoron. & deglutire cinnamomum, vel aliud aromaticum, & adstringens. & mandere, Mētam, anisum, Mastichem. & cum Hippoc. est Haly Abbas 1. pract. c. 12. inquiens. *lauet os completo vomitu Vino, & aqua rosata,* & paulo post subdit, *cum autem sufficienter Vomitum exegerint abluat faciem cum aqua rosa mixta aceto pauco, super illum. prodest enim dentibus, & prohibet ab eis nocumentum Vomitus.*

De Vino.

Sed Hipp. aliquando dixit à Vomitu deābulandum. vt hic n. 8. & 10. alias quiescēdum. vt de inter. aff. 13. ait. *Quum verò euomuerit, & bene habet, quietem agat per hunc diē.* sic Paulus lib. 7. cap 10. *A multa facta inanitione, inquit, cibus dari somnusque permitti debet.* Soluam dicendo. secundum vires patientis esse agendum, si *bene habet* quiescat, si *multa fuit* euacuatio, à cibo dormiat. si deniq. *fortis* est surgat, & deambulet leniter, vt mens diuertatur, & vomitus reuellatur. nec vult deambulandum, nisi post leues vomitus. alioquin ij, qui forte vomitorium acceperunt, iam sunt debiles, & motus Vomitum irritat. & eadem lib. de Diæta Hipp. nu. 11. scripsit. *A vomitu verò satis est, vt exurgat, mane autem deambulationibus adhibendus est.* Verū enim vero auctor libri de Diæta multum vtitur deambulationibus; & exercitijs, & sæpissimis vòmitibus; sed nostro æuo tales motus, & deambulationes apud Medicos non sunt in vsu. Nos post vomitus, non solum magnos; sed etiam paruos, quietem laudamus, vt & Ventriculus, & corpus totum, quod cū illo laborauit, quiescat, quies enim est medela laboris.

De Motu, & quiete.

Item probatur etiam Somnus à Vomitu, quia in somno sedatur omnis motus tum spirituum, tum humorum, ita Hipp. docebat, quod, quæ somnum inducunt, quietē sanguini inducunt. & autor 3. de Diæta cit. n. 10. post Vomitum *exurgat, & modico tempore deambulet, in tepore, deinde dormiat.* ita etiam Paulus Aegineta lib. 7. c. 10. citato *à multa facta manitione cibus dari, somnusque permitti, debet.* sed oracula adsunt 4. aph. 14. & 15. & libro de Veratri vsu. *Eum, qui Veratrum biberit, ad corporis motus magis, ad somnos vero, & quietem minus ducere, oportet. Corpora autem motu turbari, nauigatio indicio est. Quum volueris, vt Veratrum magis ducat, corpus moue. Vbi verò sistendum esse censueris, somnum conciliato, & haud moueto.* Quare post Vomitum vires refocillantur, à somno, & Quiete. Vnde Auicenna 4. primi, doct. 5. cap. 4. *Somnus quoq: inquit, cum post vomitum erit multus, demonstrabit, quod euacuatio iam perfecte mundauit corpus, & contulit.*

De Somno.

Post Vomitum Paulus lib. 1. c. 42. Auic. 4. primi doc. 5. c. 12. Oribas. & alij. iubent à vomitu os, & dentes collui, faciemque Aqua, aut Posca, idest aceto aqua temperato, abstergi. id namq; oculis prodest, & dentibus, ne computrescant. & capui relevat, grauitas enim aliqua in capite interdū post vomitum remanet. nos vtemur Aqua rosacea. vel alia odorata, & aceto rosaceo, caryophillato, sambucino. Verum enim verò Hipp. vt initio capitis protuli, nō aqua, uel posca; sed Vino os collui iussit. nec dicas Auicennam Turcam. cui Vinum interdictum lege sua est, elegisse aquam, uel poscam. quia Auic. hanc doctrinam à Græcis desumpsit. ergo Paulus Hippocrati opponitur. immo C. Celsus ait. *Post Vomitum si stomachus infirmus, paulum cibi, sed huius idonei gustandum, & aquæ frigidæ cyathi tres bibendi sunt* quod est circiter vnc. iiij. & secundum Antidot. Rom. erunt. vnc. v.

Ablutio faciei.

Contradictio.

Respondemus post Vomitum ad Ventriculum roborandum conuenire cum Hipp. haustū vini, qꝫ os ventriculi constringit. faciem verò, oculos, dentes, & palatum, vel sola frigida aqua, vel posca ablui posse. & subdit Auic. post Vomitum caueat sibi à

Solutio.

potu

potu aquæ. vnde ab extra aquæ vſus erit, intus vini. Celſus verò loquitur de potu aquæ dum çibatur patiens. itaut parum admodum bibat.

Ad roborandum etiam ventriculum exhibet Auic. parum Maſtiches cũ vino malorum macianorũ. Haly abbas primo prac. c. 12. à Vomitu præbet, aliquod iulapium, vel Sy. de pomis, Sy. acetoſum, & Sy. aromatizatum cum ligno aloes, ambra, & muſcho. Zingiber conditum, & Mirob. conditas, ſic nos utemur Syr. de cor. citri, de cydonijs,

De Cibo poſt Vomitum. Cap. II.

Diſputandum eſt, an ſtatim à facto Vomitu exhiberi debeat Cibus, vel alimentum in aliqua forma. Nam Auicenna 4. p. doct. 5. c. 12. ſcripſit. *Caueat ſibi à comeſtione, & potu aqua, & diu quieſcat.* deinde ſubdit, *Et ſi neceſſarium ei fuerit dare aliquid ad comedendum, ſit res boni ſaporis, & bonæ ſubſtantiæ, & uelocis digeſtionis.* At C. Celſus lib. 1. cap. 3. *Poſt uomitum*, inquit, *ſi ſtomachus infirmus eſt, paulum cibi, ſed huius idonei, guſtandum, & aquæ frigidæ cyathi tres bibendi ſunt.* & coincidit cũ Auicenna ſi *neceſſarium* fuerit dicẽte ob ſtomachi infirmitatem. ergo. ſi ob ſtomachũ infirmum paulum cibi dandum eſt. in ſtomacho firmo nihil cibi erit exibendum. ſic Haly abbas 1. pract. cap. 12. *Non oportet*, inquit, *accipere cibum poſt Vomitum, donec tranſeant ſex horæ & amplius, tuncq; ſit cibus paucus, ſubtilis, vt pullorum carnes, franquillini, perdices, & ſimilia.*

Tempus cibandi.

Contra videtur iuſſiſſe Paulus. lib. 7. c. 10. ſcribens. *A multa facta inanitione cibus dari, ſomnuſque permitti debet*, & poſſemus reſpondere à multa inanitione ſtomachum lædi, ideo egere cibo. ſed paulo poſt ſubdit Paulus. *ſin autem pro ratione facta ſit vacuatio, multa iuſta portio propinabitur, qua ſuperfluitates è medicamento reliquæ eluantur: mox cibus boni ſucci offeretur.* quo conſtat ſimpliciter poſt Vomitum à Paulo cibum exiberi.

Paulus cõtrarium ſentiens.

Certè Hippocrates poſt Vomitum rarò ſtatim exhibet cibum, nam de inter. affec. nu. 13. ait. *Qui uero euomuerit, & bene habet, quietem agat per hanc diem. Vbi autem cœna tempus fuerit, canet mazam modicam, & obſonium habeat ſalſamentum, & porrum: hac autem quamplurima edat, Vinum verò bibat dulce.* ecce quod Hipp. cibum differt uſque ad cœnæ tempus. pariter lib. de inter. aff. nu. 21. in pituita ſcripſit. *Atq; hac quidem hac die facito. Poſtera vero contineat ſe ipſum uſq. ad cœnam, & in cœna ſumat panem, cui nihil furfurum deceſſit, obſonium autem ſit ex fortioribus. Vinum verò bibat nigrum, auſterum.* & nu. 38. in Morbo regio ſubdit. *Veratrum bibendum dato, Poſt tale autem purgationem ad ueſperam edat mazam mollem, aut panis medullam. Obſonium uerò edat, pullum gallinaceum percoctum, probe conditum cum cepa, coriandro, caſeo, ſale, ſeſamo, & uua paſſa alba. Vinum autem bibat album, auſterum, uetuſtiſſimum.* Ergo Hipp. aliquando differt alimentum, fortaſſe in robuſtis, & ualido exiſtente ſtomacho, poſtea ſedato motu, corpori conueniens alimentum præbet,

Explicatio Hipp.

Alias Hipp. forte in debilioribus, aliquã ſorbitionem exhibet, deinde in cœna cibũ. vt 2. de Morb. nu. 53. in eriſipelate Pulm. vbi ſcripſit. *Ea die pota polenta, & aqua, ita ieiunus permaneat. ad veſperam verò Betam edat, & panẽ de Maza, & Vinum aquoſum bibat.* ſed prius eodem libro nu. 15. *in die illa*, inquit, *qua uomuerit primum Cyceonem bibat tenuem, poſtea ad Veſperam cibis modicis utatur*, & num. 39. in Quartana ſcripſit. *Vomat, poſtea calida lotus, vbi frigidus factus fuerit Cyceonem ex aqua bibat; ueſpere cibis mollibus, & non multis utatur.* & hic paulo poſt uomitum ſorbitionẽ: in cœna verò cibos exhibet.

Profectò in Vomitu fit multa commotio Ventriculi, & partium coadiuuantium vomitum. quæ commotio debet quamprimũ ſedari. ob id Hipp. iubet os collui vino anſtero: vnde uel ſtatim à uomitu debet exhiberi cibus, uel medicamentum. certe natura irritata non requirit cibum, licet exhauſta, & imbecillis. ergo requirit medicamẽtum ſedans motum, & roborans partes labefactatas: ſed medicamentum eſt in duplici differentia, uel purum medicamentum, uel alimentoſum medicamentum, & naturæ amicum, & gratum, ac ſuaue, ut ipſum facilius ſuſcipiat. illud erit Syrupus aliquis roborans Ventriculum, ut ſy. de Acreſta, de ſucco granatorum acidorum, de acredine citri, de corticib. citri, mirtinus, de roſis ſiccis, quæ roborant leuiter, & os ventriculi aſtringunt. hoc autem erit ſorbitio aliqua leuis, ut panis intinctus in ſucco granatorum, in vino optimo, Cyceon tenuis apud Hipp. polenta etiam; uel ius carnium, Gallinarum, Perdicum, &c. cum aliquo ſucco acido. ratio autẽ propter q̃ Hipp. non vtitur cibis; ſed ſorbitionibus, eſt, quia Ventriculus à Vomitu relaxatus, & imbecillior factus, craſſiori cibo non eſt obruendus; ſed ſorbitione, ſeu Alimento tenui .i. in tenuẽ formam redacto, vtendum: etenim virtus imbecillis cibum nec concoquere, nec etiã mandere, ac deglutire ualet, quare opus erit, tenui, uel tenuiſſimo uictu, ideſt ſorbitione, uel potu: quid ſint Cyceon, & Polenta apud Hipp. pluribus explicari deberẽt, ſed quia apud nos non ſunt in uſu, ſatis eſſet cum Galeno 6. in 6. Epid. tex. 5. dicere Cyceonem eſſe miſcelam cibi, & potus. ergo, erit forma media inter cibũ ſolidum, & potum liquidiſſimum, quæ forma media erit dicta ſorbitio: de quo Mathiolus epiſt. lib. 3.

Ad ſedandam ventriculi motum

lib. 3. plura exacte egit. respondens Laurentio Span à Spanouu. quia tamen Antiquitas veneranda est, & Hipp. verba, atque medicamenta merẽtur attentionem de Cyceone pro curiosis lectoribus hæc pauca proferam.

De Cyceone. Cap. III.

Nomen. CYceon Græcum nomen est, idest κυκέον ἀ κυκάω, quod est *misceo*. ideo mistura quædã est, idest edulium Hippocrati vsitatum. Erouanus scripsit apud Hipp. κυκεῶνα dici, πόμα μετὰ ἀλφίτου τεταραγμένον. seu *potionem cum farina mixtam*. vocare nos possemus sorbitionem cum farinis. Italicè *farinata*. quod olfecisse videtur Cornarius; nam 2. de Diæta cum dixisset Hipp. *omnes Cyceones, &c.* addit Cornarus. *hoc est farina*. non tamen recte dicit, cum Cyceon potus sit, non autem farina, ex farina tamen semper cõstans cum alijs quibusdam, & vt plurimum etiam cum Caseo. *Mistura.* Aetymologici Author Mel cum vino Cyceonem appellari testatur. Latine autem apud Nonium Marcellum vocatur *Cinnus*, ideo Copus in Galeno vertit Cinnum. *Cinnus.* vnde concinnare est miscere. Plutarcus autem in Oratione 2. de esu carnium, meminit cuiusdam consueti è varijs mixti, & cõfusi potus, Circæi Cyceonis instar, ad Circeam magã alludens. *Galenus.* Galenus vero, (quãuis sibimet non satisfaciat) dicit tamen 6. in 6. Epid. tex. 5. esse *potum, & cibum simul mixtum, & esse miscelam cum vino, quod commune omnibus est, & forte miscelam polenta cum vino*. Hinc Valesius com. suo 14. in 2. Acut. Hipp. qui est commenr. Gal. 40. scribit fuisse potionem vulgatissimam antiquorum ex *Polenta, & Vino*.

Aristoteles Aristoteles quidem 12. probl. sect. 3. meminit etiam cuiusdam Cyceonis. vbi Petrus de Ebano existimat fuisse vinum artificialiter factum dulce ex melle, vel zucchаro, vel speciebus, ut illud, quod dicitur clareta. nostri vocant uinum Hippocraticum, post hos Autores. Matthiolus lib. 3. Epist. Foesius in Oeconomia, Septalius in probl. Aristot. & alij nonnulli afferunt tantum dubia Galeni verba nihil aliud decernentes.

Essentia Cyceonis. Verum enim uerò Ego Galeno hic assentiendum nego, non enim Vinum, vt ipse ait, commune est omnibus Cyceonibus; sed farina, & forte etiam Caseus.

Ex Aqua. Vino. Melle. Lacte. Patet ex Hippocrate ipso, qui interdum scripsit. *Cyceonem ex aqua* esse parandum. vt 2. de morb. ad Quartanam. *Cyceonem*, inquit, *ex aqua bibat?* (nisi dixeris dilutum aqua) immo non ex Vino, & aqua tantum; verum etiam ex Melle, vel lacte Cyceon parabatur. Quod clarissime patefecit Hipp. 2. de Diæta, *Cyceon autem solum*, inquit, *in Aqua quidem frigefacit, ac nutrit. In Vino verò calfacit, ac nutrit, & aluum sistit. In Melle autem calfacit quidem minus, ac nutrit, per aluum verò magis secedit, si non meracum mel fuerit, sin minus, non secedit; sed aluum sistit. In lacte verò bene alunt omnes Cyceones.* Ecce quid clarius? anne distinctissime hic Hippocrates Cyceonum differentias, atq; facultates enumerauit? & simul ostendit. quartam tantum Cyceonum speciem, minime autem omnes, vinum recipere. ut male censuit Galenus.

Nunc *farinam* omnibus, *Caseum* vero plurimis Cyceonibus. quorum extat memoria, esse communia etiam ostendemus. principium facientes ab Homero, qui 12. Iliados. Cyceonem composuit ex *Vino forti, Caseo, & alba farina*. his uerbis ita latine uersis.

Ex Vino Pramnio, & super Vinum *caprinum rasit caseum.*

Cultro æreo: adhac vero farinas albas inspersit.

Bibere autem iussit post quã præparauit potionẽ, sic Homeri Scoliastes, atq. Hesichius potionem explicant ex *Vino, Caseo. polenta, aqua, & Melle*. aliqui addebant oleum. quam quidem mixturam. quoniam ex quinque rebus constabat *Pentaploam* uocari scripsit Atheneus lib. 2. *Farina. Caseus.*

Cyceon medicatum. Hippocrates autem Cyceones copiosiores, & medicatos conficiebat. addebat enim sæpe pulueres, & succos medicamentosos, vt Cibum, Potum, & Medicamẽtum simul, & semel vno haustu exhiberet. Videlicet 2. de Morb. Mul. n. 6. ad rubrum fluxum mẽstruorum ait. *De Pharmaco pars vna sit, & casei vna; & vna Polentæ, ac Melle admisso bibenda dato*. pharmacum autem intellexit puluerẽ quendam adstringentem, quem prius composuerat ex *Semine Apij, Erisimi, Peplij, Vrtica, scabia Olea fil. Galla, Ruta, Origano, Pulegio*. & subintelligitur in dicto Cyceone liquor aliquis, aliàs haud esset ad bibendum apta potio. Præterea de inter. Affect. n. 13. ad 3. Tabem. dat *Cyceonem floridũ.* κυκεῶνα ἀνθηρόν, non quidem quod flores recipiat, quamuis scribat terendos flores ἄνθεα: sed à colore florido, & viuaci, vt de puluere diximus in nostro Onomastico medico. Viride enim fiet hic Cyceon ob succos herbarum, cum forte alij Cyceones albi fuerint. terit ergo Hipp. *Radicem Apij, folia Anethi, Ruta, Menta, Coriandri, Papaueris tenera, Ocimi, & Lentem* atq; addit, *succi mali punici, dulcis, & vinosi, ita vt dulcis dupla mensura sit, cum hoc vt utriusque succi sit acetabulum, Vini nigri, iucundi, austeri, & aquæ, ana acetabulum unum. postea flores triti in hoc diluantur permixto, & in poculum infundantur*. demum miscet in poculo absq: coctura, vel calefactione *farina Erui, Polenta, casei veteris Caprini, rasi, ana acetabulum. j. & hac permixta bibat*. Erat ergo Cyceon magna mistura variarum rerum nutrientium, & medicamentosarum in forma potabili, vel sorbili, & veluti *oglia podrida* Hispanorum.

Nec

Nec tacendum, quod Cyceon parabatur modo crassus, modo tenuis. Vnde Hipp. 2. de morb. ad aquam in Cerebro ait. *Cyceonem bibat tenuem*, potabilem. & 2. de morb. mul. ad vterum ad latus allapsum *Cyceonem crassum* commendat, ad sorbendum.

Cyceon. Tenuis. Crassus. Salsus. Meminit etiam Cyceonis *salsi*, & *insulsi*, vt de Nat. Mul. n. 16. & primo de morb. mul. ad menses pituitosos. *Cyceonem insulsum crassum bibat*. Salsi verò Cyceonis exemplū possemus referre floridum illū supra scriptum ex *Veteri Caseo caprino*; qui necessario erat salsus.

Frigidus. Nec non sumebatur Cyceon quandoq; frigidus, nam lego statim præparatum propinati ab Homero, & non dum legi, coctionem, vel calefactionem Cyceonis. & de internis affect. nu. 5. in vatice pulmonis ait. *Vbi sitis habuerit Cyceonem in vino nigro austero, quam iucundissimo aquali mensura aqua mixtum bibendum dato. frigidum autem maxime bibere oportet*.

Constat autem ex antiquorum scriptis valde vsitatas fuisse potiones cum farina, teste Athenęus lib. 6. Dipnosoph. cap. 10. scripsit Seleuchum, & alios farinas in vinū iactas bibisse. deinde ait. quod Hegesander Delphus scripsit. in theradibus insulis flaua ouorum pro farina bibere consueuisse: atq. hanc potionem meliorem fuisse, quam cum farina. Hip. de int. aff. n. 1. in Pulmonis arteria exulcerata ait. *Post purgationem, farina cocta pinguis heminam absorbendam dato*. hic si cocta est farina Cyceon calidus propinabitur. deinde subdit. *sine cibo sit, excepta farina cocta, cuius heminam absorbeat*. i. liquefacta, &

Farinarum vsus. ex Melle. n. 7. in pulmonis inflam. *Post purgationem, in quit farina cocta (i. cum aqua) duas heminas absorbendas dato, melle affuso*: & hic est Cyceon cum Melle. sed 3. de Morbis in fine de po-

Ex aqua. tionibus refrigerantibus scripsit Hipp. *Ad farina Hordei pleni crassa choenicem dimidiam aqua congium affundas, & quum iam intumescunt crassa farina partes, manibus teras, donec aqua alba fiat, & adianti pugillo iniecto, sub dio per noctē exponito, ac exhibeto*. & hic est Cyceon ex

ex Lacte. frigida Aqua. Sequens paratur ex lacte. qui ponitur de int. affect. n. 1. *Si verò cibum auersetur, eruum terreto, & corticem depurgato, deinde per triduum in aqua macerato, singulis autē diebus aquam diffundito, & aliam affundito. Postea quarta die excolato, ac resiccato, deinde tenuissime molitum cribrato, & lini semen tostum tundito, ac terito, & polentam non salsam, puram, tenuem accipito. Et erui quidem, ac polentæ amborum æqualis sit mensura, sesami verò tertia pars, at lini dimidia vnius partis. hac in lacte caprino cocta quam liquidissime absorbeat*. & hic sunt diuersæ farinę coctæ, & mistæ cum lacte, vt faciāt Cyceonem tenuem, fortasse, calidum potandum; nostro æuo dimissus est vsus farinarum; sed vtimur sorbitionibus ex Amylo, quod nihil aliud est, nisi farina tenuissima. ita sorbitio ex Amylo, & iure erit cyceon nostri temporis simplex ex aqua. cū voluerimus Cyceonem ex Vino, placuit Matthiolo in Epistola citata, Cyceon, seu mixtura vini Cretici cum ouis, saccharo, & batiti momento. addere possumus cinnamomum, &c. sic ex eodem panis trituratus, & carnium iure coctus, & addito deinde vino, cyceonem supplere, & in ventriculi doloribus à frigiditate, vel flatu excitatis prodesse, quæ opinio mihi non displiceret, licet nec farinas, nec caleū recipiant. docet enim Barthol. Scappius lib. 6. suæ Coquinæ. c. 64. & 67. eundem potūs quem inter iuscula posuit. nomine italico dici. *Zambaglione*, & *Ciambaglione*; quod resonat quodammodo, & videtur corruptū à *Cyceone*; seu Zyzeone, sic etiam pro Cyceone ex lacte propinabimus mixturam ex lacte, ouis, saccharo, aqua rosacea, cinnamomo, quæ simul cocta facient Cyceonem crassum, dulcem, insulsum, & valde nutriētem. Multi farinam coquunt cum Musto. Vice Cyceō

Profecto Ptisanam cum melle, & aromatibus Cyceoni similem censuit Galenus primo de Alim. fac. 9. vbi loquens de Ptisana *Pessima est*, inquit, *Ptisanæ præparatio, cum vbi coci crudum hordeum in mortario cum aqua contuderint, deinde paramper coxerint, supàm inijciunt, quidam autem cum his mel quoq; & ciminum inijciunt nuxsêra quidem verius, quàm ptisanam cōponentes*. & hic est Cyceon antiquis, Homero, & Hippocrati usitata potio. quæ quamuis nobis eodem modo parata, non sit in vsu. scire tamen debemus, quid huiusmodi vice sibi voluerit magnus Hippocrates, & quo modo parauerit. & ad quem vsum, & quod modo eius loco nos possimus substituere, nostros Cyceones. Ptisana.

Nunc redeamus ad nostra vomitoria Hippocratica. ergo. post Vomitum conueniet Cyceon? eius loco Alimentum sorbile. sed C. Celsus. *Proximus cibus mediocris vtilior est, isq. esse debet cum pane hesterno, vino austero meraco, & carne assa, cibisq; omnibus, quā siccissimis*. contra Hipp. vt ex supra scriptis patet, vsus fuit cibis mollibus, elixis, & sorbitionibus, & etiam lib. de insomnijs n. 17. dat ad dies quinq. *cibos, quam leuissimos, non multos, neq. acres, neq. siccos, neq. calidos*. & nos vtemur ouis sorbilibus cum cinnamomo, ouis cum iure, & succo limonum, arancio-rum, vel acrestæ. mihi magis probantur Alimenta mollia, sorbilia, & elixa, quam sicca, & assa. quoniam relaxatus vētriculus à vomitu debilior est, vnde alimentum tenuis substantiæ, & facilis coctionis est exhibendum, nec cibo crasso, duro, & sicco tunc temporis est obruendus ventriculus. immo Hipp. elegit Cyceonem tenuem, idest valde liquidum, & potandum. vnde decipitur Petrus Salius com. suo 27. in 2. de morbis. cēsens. Cyceonem tenuem fieri, si ea, quæ tenuiter aluut, recipiat, vt si formetur ex Refellitur Salius.

farina

farina hordeacea, uel si ad uinum aqua admisceatur. quod dicimus esse falsum, nam uictus tenuis, & tenuissimus apud Hipp. (ut explicauimus in nostris commentarijs, in primum Aph. Hipp. est uictus redactus in substantiam tenuem, & sorbilem, uel in substantiam tenuissimam, & potabilem. nec Hippocrates alio modo est intelligendus de tenuitate alimentorum, nisi de eorum substantia in tenues, vel tenuissimas partes redacta. aliâs Hipp. vocat alimentum forte, vel debile; non autem tenue, & crassum: sic tenues in corpore humores, & crassi non intelliguntur validi, & debiles. nec recipienda est Galeni interpretatio in aphorismis posita de Victu tenui, & tenuissimo relata ad alimēti qualitates nutritiuas, & substātiā alentem: non autem ad substantiam actualē, & triturabilem. quia est contra Hipp. vt clare ibi nos ostendimus.

Galenus nō acceptus.

Ad sitim relictam. Cap. IV.

A Vicenna. 4. primi. doc. 5. c. 4. nos docuit, quod, *Quum sitis post Vomitum fuerit fortis, maximam, & vltimam purgationis bonitatem significabit.* Hipp. autem 4. aph. 19. *Qui in medicamentorum potionibus*, inquit, *dum purgantur, nō sitiunt, non cessant prius quam sitierint.* & sitis quidem ex Gal. in com. & Mesue in Can. Theorem. 4. c. 6. vel aduenit dū purgantur, vel post purgationem. & hoc accidit uel propter humores commotos, & ratione medicamenti quum fuerit calidum, salsum, amarum, acre, mordax, seu aliter desiccans, Ratione autem Ventriculi, quod hic sit calidus, aut siccus, aut uterque. uel natura eius, qui medicamentū sumpsit, uel eo tantum tempore. Deniq. ratione humoris, qui euacuatur, ut bilis amara, humor salsus, sed in hoc casu educto humore sedatur sitis, nisi forte ab hoc intemperies sicca in ventriculo inducta fuerit.

Causæ sitis.

Signum perfectæ euacuat.

Quod si euacuatus erit humor pituitosus, crassus, & viscidus, qui sitim natura sua non facit, & post eius purgationem aduenerit sitis, indicat perfectam esse euacuationem talis humoris. & ob id esse inductā ventriculo sufficientem siccitatem, & hæc siccitas non eget curatione; sed tollerantia, & somno tolletur illa pauca siccitas.

Nec Hipp. intellexit de Vomitu bilioso, quia bilis potest facere sitim in principio euacuationis, & non erit signum perfectæ euacuationis, nec de siti ab intemperie calida, uel sicca ventriculi, neq. etiam medicamenti. Nos autem hic loquimur de siti post vomitum. quæ sit effectus, & calidæ, & siccæ intemperiei Ventriculo inductæ, à nimia euacuatione, & quasi hectica siccitate relicta, uel ab humore calido, uel salso ad ventriculum attracto, & licet fuerit eductus, intemperiem tamen reliquerit.

Intemperies sicca.

Quare indicatio sumenda erit tollēdi siccitatem, & corpus, ac ventriculum humectandi. Galenus, siue quisquis fuerit auctor lib. 3. de facile parab. 166. ex Basilio Iĉto. scripsit. *A vomitu si sitias bibe Zulapium, & sobrius esto, & caueto ne aquam priusquam vomueris, aut postea biberis.* Mesue verò ait, *Cauendum autem tibi est, ne naturam potu multo obruas, cum sitis potius frangenda sit, his, qua lambendo sumuntur, qualia multa à doctis scribuntur;* & paulo ante dixerat. *Ne igitur tam confidenter potum multum mox propines, hic enim virtutem abolet, sitimque potius auget, quā minuit. Ad hæc obstructiones prauas excitat, quibus hydrops interdum succedit.*

Indic.

Proderunt igitur, quæ lambendo, & paulatim sumuntur, vt Iulapia, syrupi, &c. ex rosis, violis, Nenuphare, vel aqua sacchari, hordei, pillulæ bechichæ, Acresta, pyra, poma, azarola, pruna viridia, fraga, manducata. Herbæ acidæ, & refrigerantes mansæ. vt Acetosæ folia, Triphólij acetosi. Vitis viniferæ capreoli recentes, Portulaca, Endiuia ex aceto. lactucæ folia, & cauliculi. fructus, uel conserua Ribes, Berberis, Vuæ fornæ, frustula citri, limonis, Arancij, sem. Melopeponum lacteus cremor, Vinum granatorum, ex Aqua Hordei, vel stillatitia Endiuiæ, Cicoreæ, acetosæ, pimpinellæ, &c. Pulpa cassiæ, vel Tamarindorum ore tetēta, & similia ad fallendam sitim, donec corpus restituatur.

Curatio.

De Exasperatione faucium. Cap. V.

M Eminit exasperationis faucīū à vomitu C. Celsus lib. 1. c. 3. ita nos docens. *Si Vomitus fauces exasperauit, qui vomuit, (si mane id fecit) ambulare debet, tum vngi, deinde cœnare: si post cœnam, postera die lauari, & in balneo sudare, huic proximus cibus mediocris vtilior est, isq. esse debet cum pane hesterno, Vino austero, meraco, & carne assa, cibisq. omnibus, quam siccissimis.* Equidem diu considerani hæc Celsi verba. fauces exasperātur, idest superficies interna exasperatur, & fiet morbus in superficie exasperata. cuius causa est siccitas. ergo. debet leniri, & humectari, quomodo nunc Celsus proponit uictum exiccantem. cum usus fuerit Balneo, & vnctione? quæ humectant?

Difficultas in Celso.

An quia diuersa efficit vomitus in ieiuno, ac ille, qui fit post cœnam; videlicet, quod alter extenuet, corpus alter verò corpus humectet. An biliosos ieiunos, uomere iubemus, pituitosos verò post cibum? Vnde biliosos fauces exasperatas post uomitum habentes, humectabimus leuiter

Diuinatio.

leuiter deambulando, & vngendo, deinde cœna. Pituitosis verò, si post vomitum fauces à nimio labore, & motu in vomitu fuerint exasperatæ, postera die iniungit Balneū, & in Balneo sudationem, tandem victum, quantitate mediocrem, qualitate verò exiccantem.

Indicatio. Nos si partem affectam spectabimus, nempe fauces inflammatas, & exasperatas, indicationem sumemus eas leniendi, humectandi, atq. refrigerandi, ob id auxilia queremus ad id conferentia.

Sic Gargarizare iubebimus, ex Aqua Hordei, Ptisana, lacte.

Curatio. Vt ore detineat Iuleb aliquod, vt Violaceum, Rosaceum, Adiantinum, è fragis, & simile. vel Syrupum de Iuiubis, de Gliciriza, de rad. Altheæ, de Moris, Butyrum. Oleū facchari, ex faccharo dissoluto in Albumine oui cocti, & loco frigido posito.

Lambat Cassiæ solutiuæ pulpam, Saponeam ex oleo Sesamino uel Amigd. d. cum faccharo, Anulum cum lacte, & facchario, Oui albumen crudum cum aqua rosacea, & facchar̃o condit̃. Tragachãtum aqua rosacea solutum addito faccharo in eclegmate.

Mandat Pillulas Bechichicas, Policresta, seu tabellas ex facchar̃o, & pulpa rad. Altheæ cocta, succum liquiritiæ.

De Sputo sanguinis, Cap. V I.

INterdum ex nimio labore in vomitu, & ex summa extensione Thoracis aliqua uena in pectore rumpitur, hinc sanguinis sputū sequitur. quod memoriæ tradidit Hipp. 1. de Morbis n. 7. *Medici*, inquiens, *præ infortunio hæc operantur, vt, si pharmacp bilis, aut pituita sursum ducens dato, venam in pectore pro vomitu rumpant ei, qui prius nullum manifestum dolorem in pectore habuit, atq. sic fiat morbus.* dicit esse infortunium; sed si prius patiens habuisset in pectore manifestum dolorem, diceret *præ ignorantia*. debet enim Medicus præcognoscere nocumẽta, quæ à nimio vomitu induci possent. sic etiam lib. de inter. affect. initio ait. *Si pulmonis arteria fuerit exulcerata, aut aliqua ex his venulis ex his, quæ in pulmonem dependent, rupta fuerit, aut aliqua fistula ex his, quæ per pulmones distenta sunt, aut alia, in aliam distracta fuerit, & sanguine fuerint impleta, distrahuntur sæpè, ac rumpuntur ob has maximè causas, ob vomitus violenter obortos, &c.* & prosequitur valde longam curationem. Auic. *Quod si Vomitus ipse fluerit, & incessanter egrediantur humores, donec sanguis exeat, da ei ad bibendum lactis, vino admistis quatuor cotylas: quoniam medicina vomitus malitiam reprimit, & sanguinem probibet, & naturam lenit. Quod si partem pectoris, & stomachi a sanguine cum hoc mun-dificare volueris, ne ex eo aliquid coaguletur da ei ad bibendum Syrupum acetosum siue ex melle, siue ex zucchar̃o nunc infrigidatum, paulatim; cum hoc quoque quandoque confert bibere succum portulacæ cum bolo Armeno.* nos autem de curatione sputi sanguinis loquemur, deinde, suis locis.

Ad mordicationem in stomacho relictam. Cap. V I I.

MEminit Auic. mordicationis in stomacho relictæ post vomitum, & dicit. Fortem istã mordicationẽ remoueri potu iurium pinguium, quę cito digerantur. Galenus autẽ 12. meth. c. vltimo proposuit ptisanam, quæ quidem lenis est, & ex Hipp. 1. de Vic. acut. t. 18. quia abstergit, & educit materiam, asperitates lenit, alias acrimoniam potius augeret. sed ius pingue, sua vnctuositate asperitates leniendo, videtur faciliùs mordicationem tollere ab acribus humoribus in ventriculo relictis. *Ius pingue.* *Ptisana.*

Deinde subdit Auic. *& Vngere locum ex aliquo quod sit sicut oleum violaceum mistum cum Oleo lilino, & pauca cera.* & ad hanc indicationem explendam tum intus, tum extra infinita possent proponi remedia, vt Oleum Amig. d. lac, butyrum, mucilagines sem. Cydoniorum, Psillij, rad. altææ, &c. *Inunctio.*

Ad tensionem Hypocondriorum. Cap. V I I I.

SI acciderit, vt post Vomitum precordia tensa remanserint Auic. consulit, ut adhibeantur Cucurbitulæ ex igne, Panni aqua calida infusi, atque olea lenificantia. hoc autẽ accidẽs forsasse à flatu erit, & ad ipsum resoluentia conuenient, ob quem fomenta ex decocto resoluentium, & anodinorum erunt ex usu, uti etiam Oleum Amigdalinum, Anethinum, chamomęlinum, liliorum alborum, Keirinum, &c. ore autem assumere leuiter flatus discutientia. *Curatio.*

Ad Ventriculi debilitatem relictam. Cap. I X.

POst vehementem vomitum, qui est Ventriculi actio, remanet nonnunquam totum corpus imbecille, & delassatum, aliquando verò solus ventriculus. Et ipsius ventriculi quandoque os superius, quod stomachum vocant, quandoque fundus vitiatur, ob id quã læditur eius uis attractiua, & succedit inappetentia, quã retentrix uillis retinen- *Vitia Ventriculi.*

retinentibus laxatis, imbecillis redditur, hinc nausea, &c. qua deniq: concoctrix minuitur, hinc flatus gignuntur, ructus acidi sentiuntur, &c. quæ actiones læsæ aliquē morbum sequuntur, potissimum in intemperie.

Indicatio. Profecto horum affectuum causæ diligēter sunt inuestigandæ, atq; distinguendæ. nam cognitis causis innotescet, quid sit demendum, & quale opportunum remedium in quo cōsistit curatio. Vel enim euacuatio immodica per vomitum totum corpus *A causis.* rarefecit, siccauit, & extenuauit.

Vel medicamentum intemperatum, vt pote calidum, uel siccum similem intemperiem in uentriculum induxit.

Vel humorem benignum euacuauit, malignum vero potis immersum, aut imbibitum, aut adhærentem reliquit.

Vel materiam ad ventriculum traxit, minime autem expulit.

Vel ipsum medicamentum adhuc in vētriculo permanet uillis eius adhærens.

Vel deniq. quia medicamentum natura igneum, & ualde acre, internam ventriculi superficiem male affecit, inflammauit, & vlcerauit.

Vnde indicatio erit sumenda, quã à causis, quã à morbo, quã uero à viribus. Sic corporis totius imbecillitas erit curanda cibis, & potibus idoneis, sanguinem, & spiritus refarcientibus, cor, & uniuersum corpus roborantibus, aromaticis, & odoratis; nec non uentriculi debilitatis causas proximas auferendo, ac corrigendo.

Si calidam, uel siccam intemperiē à medicamento uentriculus contraxit, oppositis frigidis, uel siccis erit succurrendum.

Si uerò Medicamentum, qualia euacuare debebat, non eduxit, & remaneat Ventriculus imbecillis, supplendū alio uomitu. si adhuc in ventriculo remaneat, depellendum ab ipso, detergendum, deniq. roborandus.

Quod si concitata à medicamēto fluxio ad uentriculum, adhuc uigeat, partibus alijs ad uentriculum sua excrementa transmittentibus, ea erit reuellenda. cum enim materia redundauerit in aliqua parte uicina, quæ fuerit robusta, facile fit, ut ab ea ad debiliorem expellatur, & præcipue in uentriculum ad recipiēdum natura aptum & cōsuetum, ob id indicatur prohibens huiuscemodi fluxionē. duplici ratione, vel reuellendo materiam fluxuram frictionib. &c. uel roborando Ventriculum astringentib. ne recipiat nouam materiam, potius repellendo.

At si imbecillus est uētriculus, ob id quod per euacuationem latera eius sint rarefacta, & attenuata. ex Mesue sanatio erit difficilis. Quod si adeo attenuatus fuerit ventriculus, ut hectica immineat, difficilior erit curatio. quoniam sicca intemperies omnibus alijs curatu difficilior humectationi resistens.

Ergo hæc sit imbecillitatis Ventriculi à nimio Vomitu contractæ curatio. Primo *Curatio.* deligantur; *Aer* temperatus, *quies* corporis, & animi, non autem motus. *Somnus* conuenit, quia uentriculum, & totum corpus roborat, & pristino vigori restituit, omnesque uentriculi molestias ex euacuationis agitatione proficiscentes sedat. minime uerò Vigilia, *Animi Accidentia* quieta, & grata, vt pote gaudium, & deliciæ. Non autem repletio excrementorum, uel cibi. *sed alui inanitio*, quia Hipp. 1. de Morbis nu. 7. *Medici*, inquit, *fortuna bene operantur. Si enim, qui ex Medicamento sursum purgante superpurgatur, sua sponte aluo subter erumpente à vomitu sanum faciunt.* ergo alui purgatio solet Vomitum sistere: Vnet *coitum, & iram.* quæ post purgationem corpus senescere faciunt, & in morbos præcipitant.

Quo ad Cibum, & potum multa nos docuit Mesue in suis canonibus cap. 5. cuius verba hic transcribere non me pigebit. nec uos quæso, hæc legere pigeat. *Alimenta delectis, paulatim dato, quia ventriculum roborant,* *Aliment.* *eiusq: partes in vnum cogant, & lassitudinem ab eo purgante medicamento ipsi impressam aliquam. Neque imitandi sunt, qui post purgatorium medicamentum festinanter iura pinguia, & pulmenta mollia propinant, cum hæc ventriculum laxent, & emolliant, & repleant, & ob hæc cibi fastidium, & nauseam generent. Quamquam iusculum humectandi sorbere interdum est necesse, tum præsertim quando medicamentum violentius à partibus nutritiuis deturbandum est. iusculum enim lauat, & cito lubricare facit medicamentum.* Mesue hic docet *Ius pingue.* aliquando post medicamentum purgans conuenire iura carnium, aliquando non, ut quæstionem soluamus, debemus scire, quid agendum. & quæ sit facultas iuris pinguis carnium, & mollium pulmentorum.

Dico, quod aliquando medicamentum purgans in ventriculo degens minus uiolēter agit, uel adhæret lateribus uentriculi, ut euelli nequeat. tunc indicatio oritur cito ipsum è uentriculo expellendi; quod præstabimus aliquo abluente, uel extergente, & ad hæc faciet ius carnium non pingue, uel aqua hordei abstersiua. quia pinguedo prohiberet abstersionem, quam optamus. & talis est iuris carnium facultas. ius autem pingue humectat, & relaxat sua unctuositate.

Quod si à nimio calore medicamenti, uel actiuitate eius relaxatæ, imbecillitatæ, & rarefactæ fuerint uentriculi partes, minime conuenient ius pingue, ac mollia pulmenta, quia humectando magis relaxant, & calfaciendo magis rarefaciunt, & cōsequenter magis debilitant, & facultas retentiua imbecillior fit. ideò è contra eligenda erunt siccantia, astringentia, & roborantia. & dicit *Cibus roborans.* Mesue, dandum esse cibum, *qui ventriculi*

partes laxas in unum cogat, ipsumque roboret, qualis maxime idoneus fuerit subacidus, & subausterus aromatibus parum astringentibus conditus, cydoniorum, & similia, His autem cibis omnino miscere oportet menthastrum, omphacium, Cydonia, Mattiana mala, succum granatorũ, & Rhois Cydonia condita, cydoniorum conditum, aromatica & similia; Mundinus in com. proponit cibos ex speciebus stipticis, acerbis, & acetosis. sicut sunt Murcina, & Sumachia, quæ cibaria sic explicat. Murcinam quidem fieri docens. Myrthi baccas cum aceto in lebete ponendo prius contusas, & in hac infundantur pullus in partes dissectus, vel pedi particulæ, post aliquot horas auferantur, & assentur, uel elixentur, deinde his in patina positis, super infundatur ista murcina cum speciebus aromaticis membra principalia confortantibus. & si acetum fuerit ualidum ius additur. Summachia autem eodem fit modo, pro myrtho sumach ponendo, & aromata, ut cinnamomum, cariophyllos, macim, & similia; sed talis mistura apud nos non est in usu, licet sumach ab antiquis dictum fuerit Rhus obsonietum, quia eius usus tunc erat in obsoniis.

Murcina.

Sumachia.

Quantitas cibi.

Quoad quantitatem ait. *Paucus dandus est, quantus scilicet, ventriculum grauaturus non est, sensimque augendus, donec ad consuetam ventriculi quantitatem ventum sit.* sed paucitas compensanda iteratione, sæpius exhibendo, non bis tantum.

Potus.

Bibat autem, inquit Mesue, *Vinum tenue, odorum, leue, Aqua (sole, vel igni) parum cocta, quantum opus est dilutum, pauca quoq. rosata adiecta, Vitet autem vinum dulce, crassum, turbidum; aquam preterea, tum calidam, tum ex acte frigidã, illa enim ventriculum laxat, & virtutem eius dissipat, hæc imbecillum calorem extinguit. Potus vero sit parcus, etiam si magna sitis adsit, quam potu largo placare ne tentes. Nam sitim tolerare, ventriculum roborat.*

ad Vlcus.

Si Ventriculum vlcus à medicamento, imbecillum fecerit, idq; recens sit, da roborantia, & ulcus glutinantia, si vetus tergentia aliquando, aliquando glutinantia, & roborantia. nempe Mel rosaceum, sy. de rosis siccis, Bolũ Armenum, corallia, Bezoar. &c.

Ad tunicas rarefactas.

Deniq. considerandum, an imbecillis remanserit uentriculus, quia eius tunicæ fuerint attenuatæ, ac rarefactæ; quæ affectio licet difficilis sanatu sit, tamen curari potest partim victu, partim uero medicamẽtis idoneis. Victus quidem sit parcus, paulatim instaurans, uidelicet quiete, & cibo boni succi cito nutriente, qualis erit oui recentis uitellus sorbilis, hepar gallinæ iuuenis, & pinguis, auium, & pullorum alæ, & Vinũ odoratum. Medicamenta uerò erunt interna quidem uentriculi uirtutem congregantia, nempe odorata, mediocriter astringentia. Externa uero Olea, Vnguenta, cerata, Emplastra ex medicamentis adstringentibus, & aromaticis uentriculo impositis, quę ob densitatem resolui prohibeant uentriculi calorem, ac spiritus.

De febre Vomitui molesto succedente.

Cap. X.

Sicut post medicamentum deorsum purgans datum febris ex Mesues sententia oriri ob diuersas causas solet; ita etiam post medicamentum uomitorium natura calidissimum, ut Thapsia, uel ob immodicum motum ex Vomitu, uel ob aliquid externum accidens, uel ob prauam uictus rationem, uel aliam similem causam; A nimio uomitu, ut plurimum erit diaria, & curanda erit ueluti Diaria: ob id tempus non conteremus in eius curatione tradenda, pariter si degeneraverit in Hecticam, uel putridam, non erit huius loci agere de curatione huiusmodi febrium. Nos autem de febribus vomitus auxilio curandis sequenti libro 4. deo annuente agemus, & cum satis superq; hoc libro tertio à nobis scriptum sit de iis, quæ sunt agenda ante uomitum, in uomitu, & paulo post uomitum finem huic libro imponemus.

an Diaria.

FINIS TERTII LIBRI.

AD MOMVM

QVo ad *Errata*, quæ in libris editis, vel trāſcriptis leguntur, ea uel ſunt Auctoris, uel tranſcribentis, vel Typographi. Rerum, ac Doctrinæ ſenſus peruerſus tribuitur Auctori. Litterarum verò duarum, uel trium additarum, diminutarum, peruerſarum, aut inuerſarum, ut ſillabam vitient, & uerbum mutent, ac quandoq: Solœciſmum faciant raro Auctoris, ſæpiſſime Typògraphi erratum eſt, qui linguam latinam ignorans, uel ſcripturam non bene intelligens, litteram pro littera ponit. ſed Typographus ſe defendet, ad correctorem. At qui corrigit errata Typographica, non ſemper Linceus eſt, ſed quandoq: ob dormitat, uel pro celeritate transit. Difficulter autem Auctor ipſe operis litterularum errata corrigere poteſt, quia legens, ſenſum ſuæ doctrinæ conſiderat, non autē litterulas. ob quod (benigne Mome) ſi aliquot errata tibi occurrerint in hoc primo Emetica tomo. ſi erunt circa doctrinam, mea erunt, me accuſato. Si verò litteræ erunt permutatæ, tribuantur imbecillitati uiſus litterarum manu impreſſarum. Ego enim correxi errata Typògraphica, & ex Ariſtotele, ſi Senex haberet Oculū iuuenis uideret, ut iuuenis. cum octuagenarius ſim, non mirum. ſi aliqua littera me fefellit, certe ſenſus fallere me non potuit. Ergo ſi aliqua littera, vel etiam ſillaba permutata tibi (Mome doctiſſime) apparebit, ut etiam Solœciſmū induxiſſe uideatur. pareat mihi tuus Pædagogus, peto ueniam; ſi quis igitur inuenta errata in Orthographia, Barbariſmis uel etiā Solœciſmis inſerit, & ego cum illo errata ſcripturæ ridebo. Si quis verò doctrinā editam neglexerit, eam totis uiribus, quoad uitam mihi Deus permiſerit, tueri conabor. Vita functus in alia vita, ſi licuerit, cum Zoilo decertaturus. Interim (benigne Mome) ſi leges initio libri *ad Lectorem* linea 22. *loquebor*. pone *loquar*. pag. 155. initio *particulare* adde in fine *m*, & alia ſimilia leges, quæ corrigere nolo, ſatis fuit te monuiſſe. Scias volo, quod ſi quandoque falſa apparebit Grammatica, quam nō profiteor. uera erit doctrina, quam docere intendo. Vale igitur, benigne Mome, &c. carpe flores, terram relinquito. ut tibi poſt flores, etiam fructus producere queat. Interim Mome mi vale, & tace. literarum errata corrige, & tacitus irride, ſi lubet: At ſi doctrina falſa tibi uidebitur, loquere palam, uociferare alta voce. hoc munus tuum eſt.

INDEX OPERVM
PETRI CASTELLI.

OPERA AEDITA.

35 Panor-

35 *Panormitana Partus* Responsio *Logica*. in fol. Cosentiæ, apud Io. Bap. Russi. 1652.
36 *De Smilace Aspera*. in 4. Messanæ apud Hæredes Petri Breæ. 1652.

Et plus quam viginti opera extant alieno nomine inscripta, vt Amici honore gaudeant.

OPERA EDENDA.

1 *Introductio Medicinæ* ad Tyrones.
2 *De Differentijs, & causis Morb.* & sympt. ad Tyrones.
3 *In secundum, & tertium Hipp. Aphorismorum*. lectiones Messan.
4 *In Artem Medicinalem* Galeni. prælectiones Messan.
5 *In primam Fen Auicennæ*. prælectiones. Messan.
6 *De locis affectis*, lectiones Romanæ 1627.
7 *De Vrinis*, lectiones Romanæ anni 1628.
8 *De Morbis Puerorum* lectiones Romanæ, 1629.
9 *De Morbis* Senum.
10 *De Morbis Mulierum*.
11 *De Crisibus*.
12 *Methodus Medendi*.
13 *De Crasibus*.
14 *De Vero vsu Phlebotomiæ*.
15 *Emetica* lib. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.
16 *Della Peste* trattato Politico, e Medico, nel quale si propongono tutti reggimenti preseruatiui, e curatiui Politici, e Medici.
17 *De Pleuritidis loco affecto*.
18 *In Hippocratis librum de Affectionibus*, ex Quaternario Academico.

EX CHIRVRGIA.

19 *Sepulcretum*. seù Anatomicæ Obseruationes in ducentis Cadaueribus Romæ sectis, cum declaratione morborum præcedentium.
20 *Prælectiones Anatomicæ* factæ in publicis sectionibus.
21 *De Strumis*.
22 *Prælectiones de Chirurgia*.
23 *Delle Fascie*. oue s'insegna alli Chirurgi l'vso delle fascie, & i modi di fasciare tutte le parti del corpo, con le figure.

EX SIMPLICIBVS.

24 *Delle Acque Romane*, oue si tratta filosoficamente dell'essenza, qualità, elettione, e facoltà di tutte le Acque, che in Roma, e nel suo distretto si ritrouano. in tre libri.
25 *Delle Acque Acetose* Romane.
26 *De Mineralibus* lectiones Romanæ Anni 1631.
27 *De Lapide Lazuli* in quo soluitur controuersia illa inter Medicos, & Pharmacopæos, an hic lapis sit utendus.
28 *In Dioscoridis librum* primum, & secundum lectiones Romanæ. 1630.
29 *Chalcanthum Triumphans* in quo traditur essentia, & usus Chalcāthi omnibus difficultatibus solutis.
30 Hippocratis *materia medica*. seu explicatio omnium plantarum, mineralium, & Animalium, quorum nomina, & vsus apud Hipp. extant.
31 Il vero *Sostituto dell'Opobalsamo*, oue s'elegge l'opinione megliore, e si risponde à Gio. Pona oppositore.
32 *Aloedarium*. seu explicatio omnium eorum, quæ pertinent ad essentiam, & usum Aloes.
33 *De Odoribus, & suffumigijs*, in quo explicatur ipsorum essentia, & usus ad omnes ferè morbos profligandos.
34 De *Animalibus insectis*, Tomus primus, in quo libris sex traditur Generatio, transmutatio, & facultas Animalium insectorum terrestrium cum iconibus diligentissime manu auctoris ad uiuum delineatis.
35 De *Animalibus insectis* Tomus secundus. in quo libris tribus ponuntur Generatio, transmutatio, mores, & facultates Animalium insectorum Pennatorum cū suis diligentissimis iconibus ad viuum delineatis. qui libri citantur à Paulo Zacchia, & à Daniele Sennerto.

EX PHARMACIA.

36 *Pharmaconomasticum*. seu explicatio nominum omnium pharmacorum, compositorum, quæ apud Antiquos, & Recentiores reperiuntur.
37 *Il Perfetto Spetiale*. oue s'insegna ordinatamente tutta l'arte della Spetiaria, e si proua con l'Esempij delli Antichi.
38 *Del modo di seccare li Semplici*, trattato secondo filosophico.

EX CHYMIA.

39 *Chimicæ prælectiones* ad Tyrones suos.
40 *Chimicæ operationes* in quo fidelissime referuntur multæ operationes chimicæ Auctoris, & rationes effectuum assignantur.
41 *Mendacia chimicorum*, seu Operationes à chimicis traditæ, quæ falsæ sunt. & opere ipso Auctor non est assequutus.
42 De *Salibus* è simplicibus conficiendis, & eorum vsu.
43 *De Oleis* destillatis, & eorum vsu.
44 *Index remediorum Chimicorum*, quæ secūdū probatos Auctores ad plurimos morbos

bos tollendos conferunt.

45 *Officina Chimica*, in qua delineatæ sunt diligenter icones plurimæ Furnorum, Vasorum, & aliorum instrumentorum chimicorum, & cuiusq. in particulari docetur constructio, vsus, & abusus.

APOLOGETICA.

46 *Responsio ad Io. Ponam Veronensem*, seu ad ea, quæ ipse notauit in libro de Rarioribus Plantis Horti Farnesiani, quem nos sub nomine Tobiæ Aldini edidimus.

47 *Chalcanthum Anticletū*. in quo 150. censuris notatur liber Aetij Cleti Medici doctissimi.

48 *Critica Responsio* ad litem de Dosi, & facultatibus Diaphiniconis Medicamenti inter clarissimos viros D. Iulium Philippellum, & D. Vincentium Alsarium Crucium.

49 *Verbetius Verberatus*. vbi respondetur ad deliramenta pædagogica Dauidis Verbetij obiecta Dodecaporio Chalchantino pro Raimundo Mindetero.

50 *Animaduersiones in Disquisitionem Generalem* ad Historiam fœtus, &c. Vincentij Alsarij Crucij.

51 *Somnium Dioscoridis*. in quo cuiusdam prolusio examinatur, & 666. censuris castigatur.

52 *De Abusu medicamenti purgantis* in Diarrhæa.

53 *Panormitana Partus* Responsio *Mathematica*.

54 *Panormitana Partus* Responsio *Medica*.

VARIA.

55 *Epistolarum Medicinalium*. Decas. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.

56 *Consilia Medica*.

57 *Epistola* Virorum Illustriū, & Respōsa.

58 *In Arist. Problem.* lib. 1. & 2. lectiones Romanæ, An. 1626.

59 In Arist. *lib. 4. Meteorolog.* lect. An. 1625.

58 *Aetna furens*.

Multa alia opera adsunt inchoata: sed non perfecta. Hæc sola in lucem edi possunt, si Deo placuerit, & Hæredibus.